iā cōturbata sūt
urbata est valde
ertere dn̄e et eri=
fac ꝓpter miseri
in morte qui me
q̄s confitebitur
tu meo: lauabo
meum: lacrimis
Turbatus est
teraui inter oēs

Ex libris Universitatis Harvardianae

Manutij liber de Ci-
vitate Romana.
pag. 320.

COMMENTARIVS PAVLLI MANVTII IN EPISTOLAS M. TVLLII CICERONIS ad T. Pomponium Atticum: cum rerum & verborum INDICE.

B. 10.

Adiunctæ sunt item SIMEONIS BOSII, *Prætoris Lemouicensis, animaduersiones in easdem epistolas, diu hactenus expetitæ.*



ELB. GYMN. BIBL.

FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXX.

Ex libris Albini Hecht Borussi.
Nunc Johannis Fabricij. Const. 20 gr

13880

2075 a 1987

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

ENiam, studiose lector, P. Manutii Commentarium in XVI. libros Epistolarum Ciceronis ad Atticum exhibemus, satis tempestiue, vt arbitramur, si modo tu studium & laborem nostrum probaueris, inq; bonam partem interpretatus fueris. Porro cum ipsæ ad Atticum epistolæ ob concisum scribendi genus satis obscuræ sint, & verborum ænigmatibus inuolutæ, hinc factũ est, vt plurima loca primum ab imperitis librariis aut male, aut prorsus non intellecta, atq; sic deprauata fuerint: deinde ab interpretibus paullo liberioribus potius implicata & corrupta quam explicata & emendata. Et sane nullũ reperire liceat, qui ita eas enodauerit, vt iure nihil desiderare posses, ipsiq; adeo Manutio, alioquin acutissimo & in hoc genere lucubrationum exercitatissimo, sæpius aqua hærere solet. Rem itaq; studiosæ iuuentuti gratissimam, nec etiam inutilem, facturi videbamur, si duos vel tres Commentatores ex optimis selectos coniun-

ctim ederemus, vt quod vni deesset, alter suppleret. Id dum molimur, & delectum inter plures agimus, incidimus forte in Simeonis, Bosii animaduersiones. Quibus perlectis plus ab eo quam ab vllo alio præstitum esse deprehendimus, tam in deprauatarum lectionum castigatione, quam in obscurorum locorum explicatione. Iccirco eas animaduersiones cæterorum scholiis fere prolixioribus prætulimus, cumq; hoc Commentario coniunximus. Præterquam enim quod plurima in iis perpulchre cum Manutii explanatione consentiunt, a doctissimis quibusq; diu expetitæ fuerunt, & Lambinus in suis emendationum rationibus exspectandum monet, donec Simeon Bosius nodos soluat, & tenebras discutiat. Tu si inter legendum hos duos adhibueris, plura rectius quam ante absq; dubio intelliges, nostroque labori fauebis.

Vale.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM S. ANGELI CARDINALEM, Pontificium in Piceno Legatum, Rainutium Farnesium, Paulli Manutii

PRAEFATIO.

BEne audire, qui est recte factorum fructus, omnes fere volumus, amplissime ac praestantissime Rainuti: ipsum quidē recte facere, vnde illud quasi ex fonte deducitur, paucorum hominum semper fuit. est enim tum perfectæ naturæ, tum doctrinæ singularis: vt tamen natura sine doctrina facile possit ad laudem peruenire; doctrina sine natura laudabilis numquam, turpis etiam sæpe sit. itaq; vel in agris inculto homines ingenio virtutem tamen coluere: doctrinis autem eruditi viri, quæ ad bene agendum esse instrumenta debuerant, iis ad perniciem suarum ciuitatum sunt abusi. quid

de Pisistrato Græcæ historiæ loquuntur? quid nostræ de Cæsare? doctum vtrumque, & eloquentem fuisse; ijs tamen vtrumque sensibus, vt, exempla maiorum & legum sanctissima iura contemnentes, libertatem suis ciuibus eripere præclarum duxerint. ergo prima laus bonitatis est; quæ nihil, nisi se ipsam, spectat, ipsa sibi finis est: altera doctrinæ; quæ nisi ad bonitatem referatur, laudabilis non est; ideoque, vt laudetur, finem sequitur se ipsa præstantiorem. quod si quis est, qui alterum cum altero coniunxerit, vt & bonus sit, & idem doctrinis institutus; neque rectum ideo solum cupiat, quia sit ipse ad rectum natura propensus, sed quia, quod rectum non est, id esse turpissimum intelligat: hic est, quem in vita humana diuina bona consecutum putemus. præclara res, sed exemplo minus nota: id autem, vt ego opinor, ob eam caussam, quod vnusquisque in vitam Principis, tamquam in speculum, intuens, ad illius similitudinem se ipse fingit, & format. ideoque viri sapientes alterutrum recte cupiuerunt: vt aut reges philosopharentur, aut regnarent philosophantes: vtrum esset, futurum vt ex virtute penderemus. Quod si fuit vllum tempus,

cum

cum homines rationes & cogitationes omnes suas in philosophia constituerent: tum profecto cœpit esse, cum auus tuus, ad Christianæ Reipublicæ, nimium magno periculo fluctuantis, gubernacula Dei iussu accersitus, sedit in sede Pontificia Pontifex dignissimus, ea præditus non solum auctoritate, sed etiam sapientia, vt hic nos in tantis tempestatibus seruare solus a naufragio posset. cumque laudandus est maxime, quod optime ipse sentit, optimis semper in studijs consilijsque defixus; tum, quod optimos viros adsciuit sibi & consiliarios, & suæ voluntatis administros. in quo ego tantum soleo ponere, vt, si mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non bonum Principem malim cum bonis administris, quam bonum cum sui dissimilibus. sed bene, quod habemus vtrumq; & Pontificem, qualem res poscebat; & collegium tali pontifice dignissimum. itaque nunc emergit virtus: honestum reuocatur: desertæ per multos annos litteræ patronos habent, diuq; vt auguror, habebunt. Tu, Rainuti, fraterq; tuus, duo clarissima Italiæ lumina, vterq; Cardinalis, & Cardinalis vterq; optimus, præclaram consuetudinem tenebitis ab auo traditam. certe enim non ideo te Patauij per tot annos summi doctores erudierunt, vt ea,

quæ tantis vigilijs quærebas, consecutus negligeres. amabis eadem & fouebis: tuumq; erit propriũ studium non solum colendæ virtutis, sed etiam ornandæ. refer animum ad eos, qui multis ante sæculis exstincti, tamen in laude viuunt: omnes reperies his gradibus adscendentes ad immortalitatem peruenisse. quorum tu quia facta imitaris; non dubito, quin eorum semper florentibus nominibus ita tuũ nomen inseras, vt numquam exaresçat. Materiem habes ad gloriã, Anconitanam prouinciam; quam nunc ita regis adolescens, vt ea præstes, quæ sæpe desideramus in senibus. quæ quamquam ad eos solum, quibus cũ potestate præes, pertinere videantur: tamen illa tuæ ditionis terminis non continentur. scis consuetudinem famæ. illa nos per ora hominum sublimes vehit: benefacta simul & malefacta æque circumfert: sed benefacta laudibus excipiuntur, malefacta conuicijs exploduntur. itaq; noli putare, te Picentibus solis esse continentem, esse iustum, esse beneficum. Picentes hæc vident, longinqui audiunt, & prædicant. te aiunt esse, ad quem aditus omnibus pateat; cui sit iustitiæ, sit pietatis antiquissima cura; cuius & potestas timeatur, cum omnia possis; & bonitas diligatur, cum

cum idem non plus licere tibi velis, quam quantum leges præscribant. Macte adolescens laudibus eximie, imitator aui, maiorumque tuorum. recte cogitasti, IN *imperio laudem non esse, nisi cum is, qui imperat, imperio dignus est. quod quia tibi siue a natura, siue a disciplina, siue, vt ego arbitror, ab vtraque simul contigit: quod ad naturam attinet, referimus ad Deum: de disciplina, te ipsum & laudamus, qui ad hæc præclara inuigilaueris; & amamus, quia sunt amabiles virtute præditi. Me quidem & multis abhinc annis, cum Romæ te vidissem, atque allocutus essem, in tui obseruantiam voluntas inclinauit, iam tum de tua indole exspectantem ea, quæ consecuta sunt; & postea Patauij, cum in studijs optimarum artium totus esses, iudicium impulit. hæc tua Picentina legatio quasi operis perpolitio fuit: in qua thesauros philosophiæ, multorum annorum studio congestos, explicas, & cum prouincia communicas. Itaque, cum ego multo ante, quam istam tibi administrationem summus Pontifex demandasset, eos commentarios, quibus epistolas ad Atticum illustrare sum conatus, in tuo nomine emittere statuissem; postea simul cum tuis laudibus creuit voluntas mea. Eos igitur nunc emit-*

to, serius omnino, quam nonnulli exspectauerant; sed meam tarditatem opus ipsum excusat. epistolas ad Atticum interpretanti properandum non fuit. alijs in rebus possum esse quantumuis strenuus: in hac quî possum esse non tardus? primum multa difficilia, deinde non ijsdem caussis omnia, sed alia propter breuitatem, alia propter historias, alia propter mores. Huc adde, quod mihi quibusdam in locis non satis fuit explicare ea, quæ aperta non erant; sed tentaui, num etiam paullo floridius possem, quam nostri grammatici solent. Neque tamen sum nescius, fore multos, qui me in his commentarijs, vt hebetem, quia nonnulla minus acute viderim, vel fortasse etiam vt cæcum, quia prorsus non viderim, reprehendant. qui si mihi, cur id faciant, caussas afferant probabiles; non committam, vt ijdem me etiam vt pertinacem possint reprehendere. amo enim veritatem, neque eam in me ipso magis, quam in alio; itaq; complectar, sicubi eam videro. Tibi vero, clarissime Rainuti, quod in has Ciceronis epistolas laboris impendi, maxime ob eam caussam cupio probari; vt, si qui vere iudicare aut propter inscitiam non possunt, aut propter maleuo-

maleuolentiam nolunt, eos a consilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Vale. Venetijs, Anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octauo, a Chriſto nato.

P. MANVTII COMMENTARIVS IN PRIMVM LIBRVM EPISTOLARVM M. Tullii Ciceronis ad T. Pomponium Atticum.

DE ORDINE EPISTOLARVM LIBRI PRIMI.

ANTE quam ad explanandum aggrediar, ordo ipse postulat, vt agatur de ordine epistolarum huius libri: quæ, vt infra descriptum est, rectius, opinor, disponentur, quam quo modo ab imperitis librarijs collocatæ nunc leguntur.

Quantum dolorem, epistola 1.

Hoc puto cum alijs argumentis, tum hoc præcipue, quod, ante nullas ad Atticum misisse litteras, indicat ipse non obscure, cum ait: Numquam a Pomponia nostra certior sum factus, esse, cui litteras dare possem. porro autem neque mihi accidit, vt haberem, qui in Epirum proficisceretur, neque dum te Athenis esse audiebamus.

Non

Non committam, epistola 2.

Cum superiorem proximam ostenderim primam esse, secundus huic locus debeatur, necesse est. iterat enim & de litterarum missione, & de Quincti fratris animo erga Pomponiam. Existimo etiam (& hæc, quæ scribimus, scribimus opinantes, gratias habituri, si quis meliora dederit) hanc epistolam diuidi in duas oportere: vt prior in eo terminetur, Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quam diligentissime certiores: quæ est aptissima epistolæ clausula: deinde altera incipiat, Apud matrem recte est, quale est etiam sequentis epistolæ initium. Priorem autem scripsit, nullis Attici litteris respondens, vt res declarat: alteram, cum responderet, acceptis ab Attico litteris paullo post, quam ipse scripserat. Puto etiam vnam non esse epistolam hac de causa, quod de signis non scripsisset duobus locis, sed coniunctim. nisi si hoc dicas, per aliquot dies in manibus habitam, & extremam partem, spatio interiecto, acceptis ab Attico litteris, esse additam.

Apud te, epistola 3.

Tertia est, quia scribit, se Cincio pecuniam curasse: quam curaturum, scripsit in proxima superiore.

Nimium raro, epistola 4.

Hæc superiorem proxima sequitur. in illa enim dubitat, vtrum Lentuli naui Atticus vti possit, in hac ex Lentuli sermone affirmat.

Cum essem, epistola 5.

Cum enim in ea, quam tertia sede constituimus, ita scripsisset, Tulliola tuum munusculum flagitat, & me vt sponsorem appellat, in hac, vt Atticum de munusculo magis vrgeret, Tulliola, inquit iocans, tibi diem dat, sponsorem non appellat. &, quoniam in hac epistola, signa Megarica nondum in nauim imposita, significatur, in illa vero, cuius initium est Crebras, iam in Formianum aduecta perspicuum est: nimirum apparet, hanc ante illam esse collocandam. quod cum ita sit, illud, quod in hac ita scriptum est, De comitijs meis, accipio de prætorijs: nam de consularibus non potest: cum illa, quam post hanc esse scriptam ostendimus, a Cicerone prætore scripta sit, vt C. Macri condemnatio declarat: quem condemnatum a Cicerone prætore, testes locupletes affirmant, Valerius & Plutarchus.

Et mea sponte, epistola 6.

In hac quia scribit idem, quod in proxima superiore, vt sibi Attici libri conseruentur, de comitijs prætorijs, non de consularibus, puto significari. & in hac quidem statos comitiorum dies iam præterijsse, manifestum est: in illa, nondum adueniisse. ergo & hæc post illam constituatur, & de comitijs prætorijs intelligamus.

Crebras, epistola 7.

Cum de comitijs prætorijs in duabus superioribus agatur, ordo postulat, vt hæc sequatur proxima, quam prætor scripsit, cum C. Licinium Macrum condemnasset. Valerius, Plutarchus.

Petitionis

Petitionis, epistola 8.

Hæc vero cum anno, qui est prætura consecutus, scripta sit, (scripta est enim Cotta & Torquato cos. cum Cicero prensaret) recte hunc locum sibi vindicabit, proxime post eam, quæ in prætura scripta est.

Abste, epistola 9.

Hæc quoque prensationis anno, sed in extremo, consulibus iam ante designatis Cæsare & Figulo, scripta est, haud multo ante mensem Ianuarium, cum dicat, Tuo aduentu nobis opus est maturo, deinde inferat, Ianuario ineunte cura vt Romæ sis. accersit autem Atticum ad comitia sua, consularia videlicet, non prætoria, quia Catilinam appellat competitorem suum: qui competitor esse nō potuit in petitione præturæ. quo enim anno præturam Cicero gessit, Africam Catilina proprætor administrabat, vt est in oratione pro Cœlio. ergo præturam gessit ante Ciceronem. &, cum in hac epistola Atticum accersat ad comitia sua consularia, manifestum est, in epist. 7. de comitijs consularibus accipi non posse, vbi Atticum tantum abest vt accersat, vt etiam prohibeat.

Teucris illa, epistola 10.

Inter hanc, & proximam superiorem integrum triennium interest. tantum enim distat consulatus Messallæ & Pisonis, cuius hæc initio scripta est, a consulatu Cottæ & Torquati, quo in extremo scriptam ostendimus proximam superiorem. neque tamen hoc toto triennio Atticum ab-

fuisse credatur. fuit enim Romæ Cicerone consule, vt ostendit epist. 15. l. 1. & 1. l. 2. sed, cum Romam maxime Ciceronis caussa redijsset, postea rursus in Græciã ad sua negotia reuersus est. Nunc, quibus quæque consulibus scripta, ostendamus.

I. *Quantum dolorem*, L. Cæcilio Metello Cretico, Q. Marcio Vatia cos.
II. *Non committam*, ijsdem consulibus.
III. *Apud te*, C. Calpurnio Pisone, Man. Acilio Glabrione cos.
IV. *Nimium raro*, ijsdem consulibus.
V. *Cum essem*, ijsdem consulibus.
VI. *Et mea sponte*, ijsdem consulibus.
VII. *Crebras*, Man. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo cos.
IIX. *Petitionis*, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato cos.
IX. *Abs te*, ijsdem consulibus
L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo cos. nullæ litteræ: M. Tullio Cicerone, C. Antonio, nullæ: D. Iunio Silano, L. Licinio Murena, nullæ.
X. *Teucris*, M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messalla cos.

Reliquæ epistolæ recto ordine dispositæ. quarum primæ quinque ijsdem consulibus, id est Pisone & Messalla, scriptæ sunt: tres vero postremæ Afranio & Metello Celere cos.

IN EPI-

PETITIONIS *nostræ*,] Peti consulatum a Cicerone, video esse qui credant: imperite: non enim petit, sed prensat, anno ante, quã petat: idq; ex consuetudine; quod, quid de quaque tribu sperandum, aut timendum esset, tanto ante scire non alienum videbatur. nam etsi non tributis, sed centuriatis comitijs consulatus daretur: cum tamen ex omnibus tribubus essent centuriæ; (erant enim classium partes; & classes ipsæ ex vniuerso populo) prensare tributis comitijs, & cuiusque tribus animum tentare, non inutile putabant. itaque & in oratione pro Milone, cum de consularibus comitijs, id est centuriatis, loquitur, Conuocabat, inquit de Clodio, tribus: se interponebat. Nec desunt huius generis exempla: quæ, ne satietatem afferat copia, libenter prætermitto. *Huiusmodi ratio est*,] status hic est: ita se habet nostra petitio. *Coniectura*] nondum enim explorate iudicari poterat. *Prensat*] prensare, & prendere, est rogare. prensamus enim eos, a quibus aliquid studiose petimus. *Vnus P. Galba*] non, vnus sine fuco ac fallacijs; sed vnus ex competitoribus: ideoque, ne coire cum insequentibus posset, interposui quam grammatici notam subdistinctionis appellant. quod enim infert, Non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera prensatio; vnum scilicet prensare Galbam, non obscure significat. Sed occurritur a quibusdam, negantibus vnũ prensare Galbã, cum, paucis interiectis versibus, & de Antonio, & de Cornificio legatur. Qui puto, videntur aliquid dicere; cum tamen nihil plane dicant. neque enim animaduertunt, quod magnopere oportuit, Ciceroni per plures dies hanc epistolam in manibus fuisse, vt in eam aliud alio tempore conijceret; neque prius missam, quam consules designati sunt Cæsar & Figulus: quos tamen aperte indicat nondum fuisse designatos, cum scripsit illam partem, De ijs, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. Ergo & prensauit primo solus Galba, & idem postea cum Antonio & Cornificio. Prima epistolę pars desinit in eo, Dicebat: secunda, Acciderim. Huius autem generis epistolarum, quæ pluribus diebus scriptæ sint, exem-

plum est in epistola Cœlij, quæ est 9. lib. 8. fam. & in ea, quæ prima est lib. 3. ad Q. fratrem. Quod ad competitores Ciceronis in consulatus petitione pertinet; sex omnino fuerũt, duo patricij, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina, qui postea, coniuratione facta, cæsus est, quattuor plebeij, ex quibus duo nobiles, C. Antonius, M. Antonij oratoris filius, L. Cassius Longinus; duo, qui tantum non primi ex familijs suis magistratum adepti erant, Q. Cornificius, & C. Licinius Sacerdos. solus Cicero ex competitoribus equestri loco natus. Hæc Pedianus. *More maiorum.*] sine largitione, sine fuco & fallacijs. Honores, inquit Nepos de Attico, non petijt, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. In oratione etiam pro Cluentio cum laude vsurpatur. Acta, inquit, est caussa more maiorum, sine vi, sine metu, sine periculo. Posset hoc tamen, More maiorum, cum sequentibus coniungi. Sed & Nepotis locus valde me mouet, & verbum, Negatur, per se positum, quiddam habere videtur elegantius. *Præpropera*] quod ante me prensat, qui tamen plura in populum R. beneficia contuli. *Mihi se debere*] propter defensas multorum caussas. Quinctus frater in commentariolo de petitione consulatus. *In campo comitiis tribuniciis*] satis docet hic locus, tribunos pl. ante consules solitos esse designari. nam, consularia comitia nondum facta, declarant, quæ paullo post sequuntur. Creatos autem ante reliquos magistratus, eo etiam consentaneum est, quod magistratum inibant IV. idus Dec. cum reliqui magistratus Kalendis Ian. quod Dionysius aperte docet. *Certi*] certo petituri, certi competitores. non enim explano, Certi, gratiosi ad populum: cum inferat, Sunt, qui etiam Cæsonium putent: subaudi, petiturum. *Antonius,*] Hic in ædilitate, & prætura, Ciceronis fuerat collega, fuitque post etiam in consulatu. Plura Pedianus, vbi orationem explanat in toga candida; & Quinctus frater de petitione. *Aut risisse, aut ingemuisse,*] quod Cornificius, neque clarus a maioribus, neque sua virtute commendatus, tamen certus esse videatur. Risisse, stultitiam Cornificij, de consulatu cogitantis. Ingemuisse, temporum condicionem,

cum ea,

cum ea, quæ summis viris patere solis debeant, etiam infimi sperare audeant. Simile illud lib. 1. de Orat. Potes oratores putare eos, quos multas horas exspectauit, cum in campum properaret, & ridens, & stomachans Scæuola? *Vt frontem ferias.*] Gemitus dolorem indicat, percussio frontis etiã indignationem. Oratores, qui frontem ferirent, Cicero laudat in Bruto, Quinctilianus improbat lib. 11. quod scenicum id magis, quam oratorium, videretur. Non displiceret hæc distinctio: Ingemuisset. vt frontem ferias, sunt, qui etiam Cæsonium putent. *Aquillium*] C. Aquillium Gallum, iuris scientia clarum: quem Ciceronis anno petiturum, simile veri videbatur, quod eodem item anno collega fuisset in prætura. Pro Cluentio. Eius exstant adhuc nonnulla. *Iurauit morbum,*] ne videretur animo humili atque abiecto, qui consulatum anno legitimo non peteret, valetudinem, & simul iuris ciuilis occupationem, excusauit. sic infra, epist. 12. lib. 12. Veniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. Ne cenas Appulei, augur auguris, obire cogeretur. *Regnum iudiciale*] iuris interpretãdi munus: in quo ita excellebat, vt quasi regnare videretur, omnibus, qui maiore aliqua de causa in iudicium irent, ad vnum consilij causa confluentibus. *Opposuit.*] contra rogantes, vt peteret, hoc opposuit, vt diceret, se gerendo magistratui vacare non posse, occupatum in iure respondendo. Tale illud ad Quinctum fratrem, lib. 2. epist. 9. Mea factum est inuisa verecundia, vt te proficiscens non tollerem. opposuisti semel ἀντίκτον causam, Ciceronis nostri valetudinem: conticui. iterum Cicerones: quieui. *Si iudicatum erit, &c.*] antequam verba Ciceronis explanemus, libet quædam de Catilina ὧν ἐπιτομὴν subscribere. Ex prætura Africam obtinuit, Lepido & Volcatio cos. quo anno Cicero prætor fuit. id Cicero ipse declarat in oratione pro Cœlio, his verbis: Fuit assiduus mecum prætore me. non nouerat Catilinam. Africam tum prætor ille obtinebat. secutus est annus: caussam de pecunijs repetundis Catilina dixit. Ex his verbis satis constat, Catilinam reuersum esse Romam eo anno, qui est Ciceronis præturam consecutus, id est eo, quo scripta est epistola prima huius libri: quo anno Cotta & Torquatus consulatum gesserunt. quod ideo monere volui, ne quis in errorem inducatur ex illis Pediani verbis, quæ sunt in

oratione, quam habuit Cicero in toga candida: quæ videntur significare Catilinam redijsse Romã Lepido potius & Volcatio, quam, vt diximus, Cotta & Torquato cos. sic igitur in ea oratione: A quibus Catilina consulatum petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. Caussamque, cur eius habita ratio non sit, ponit Asconius interpres, quia quærebatur repetundarum. nam, etsi legati Afri Romam venerunt Lepido & Volcatio cos. & in senatu de rapinis Catilinæ questi sunt: non tamen eo anno Catilina in vrbem redijt, cum tamen redire se velle, & consulatum petere, iam significasset. quod consilium abiecit postea, deterritus ea legatione, & spe obtinendi consulatus amissa, cum audisset, consulem Volcatium habuisse publicum consilium, an eius rationem habere deberet, si peteret consulatum. absens igitur ab oratoribus Africanis accusatus est Catilina in senatu. quod eiusdem Pediani verbis ostendemus. sic enim scripsit in commentario orationis, quam proxime nominauimus. Catilina (inquit) ex prætura Africã obtinuit: quam cum grauiter vexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt, multæq; graues sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. querellæ igitur fuerunt in senatu aduersus Catilinam absentem, rapinarum caussa, Lepido & Volcatio cos. accusatus autem est anno sequenti, cum ex Africa redijsset, Cotta & Torquato cos. quod idem Pedianus ibidem proxime docet his verbis. Ante annum quam hæc dicerentur, Catilina, cum redijsset ex Africa, Torquato & Cotta cos. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceronis fuit. defensus est Catilina, vt Fenestella tradit, a M. Cicerone. Et Cicero in oratione pro Sylla, Parens tuus, ait, Torquate, consul reo de pecunijs repetundis Catilinæ fuit aduocatus. Iam igitur, testibus Cicerone & Pediano, Catilinam redijsse ex Africa, & accusatum esse repetundarum Cotta & Torquato cos. ostendimus. quod cum ita sit; apparet administratam esse ab eo Africam per biennium. nam, si consulatum petere cogitauit Lepido & Volcatio cos. certe non id cogitauit eo ipso anno, quo profectus erat in prouinciam, sed tum scilicet, cum iam integrum annum Africæ præfuisset. quattuor igitur proxime consequentibus annis aut petere voluit

voluit consulatum Catilina, nec tamen petijt, petiit & repulsam tulit. primus annus fuit Lepido & Volcatio cos. quo anno, cum decedere ex Africa voluisset consulatus petendi causa, postea non decessit, & a consulatus petitione destitit. deterritus enim est (vt iam dixi) Afrorum legatione, & grauissimis aduersus eum absentem senatus decretis: de quibus mentionem facit Cicero in oratione aduersus ipsum & C. Antonium competitores. Alter annus fuit Cotta & Torquato cos. quo anno petere quidem voluit consulatū, sed prohibitus est, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit. nā quærebatur repetundarum. atque hoc & satis aperte Sallustius declarat, & ipse Cicero in hac epistola nō obscure, cum ait: Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. Et in altera epistola, cum ait: Hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus. Tertium annum fuisse liquet eum, quo M. Cicero & C. Antonius designati consules sunt, Cæsare & Figulo cos. quo anno petijt Catilina, & repulsam passus est, vt & ipse Cicero, & omnes historiæ demonstrant. Quartus annus fuit Cicerone & Antonio cos. cum, deiecto Catilina, Silanus & Murena consulatum sunt adepti. idque, vt omittam historicos tum Græcos, tum Latinos, satis ex orationibus Ciceronis aduersus ipsum licet intelligere. Bis igitur tantum Catilina consulatū petijt, cum tamen quater petere voluerit. & de duabus petitionibus Cicero significat his verbis in oratione pro Cœlio: Deinceps fuit annus, quo ego consulatū petiui. petebat Catilina mecum. numquam ad illum accessit: a me numquam recessit. tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia, studuit Catilinæ iterum petenti. Et in epitome Liuiana ita scriptum est: Catilina bis consulatum petijt, & repulsam passus est. Absoluimus quod ad petitiones attinet. de accusationibus autē agemus infra, epist. 14. in illo loco: Bis absolutum esse Catilinam. Redeo ad epistolam. Beroaldus homo fuit, vt illa tempora ferebant, satis doctus: peccauit tamen sæpe, quod humanum est, vel memoria, vel iudicio lapsus. is hoc in loco, primum contra veteres libros, deinde cōtra veritatem ipsam, legendum opinabatur, pro, Meridie nō lucere, Meridie non liquere. eumque alij postea sunt secuti. qui si paullo attentius Ciceronis sententiam examinassent;

aliter sine dubi[illegible]. quid enim? non hoc Cicero significat, fore Catilinam certum competitorem, si iudicum sententijs absoluatur? atqui non ambigitur. at vero, non liquere, num valet, absoluere? potius indicium fuit condemnationis, vt ex oratione pro Cluentio, & ex deprauatis Asconij verbis in 3. Verrina facile tamen colligitur. Hoc igitur Cicero dicit. Si a iudicibus absoluetur Catilina, meus erit in consulatu competitor. erat enim reus repetundarum, adeo manifestis criminibus, vt eum iudicare insontem nemo posset, nisi idem iudicaret meridie non lucere. absolutus tamen est, accusatore P. Clodio præuaricante, vt in oratione de haruspicũ responsis, & Pediani commentarijs traditum est: consulatũq; petijt, & repulsam tulit. Non me præterit, doctos quosdam viros legendum opinari, Si iudicatum erit, eius rationem haberi licere. nam reorũ in petitione magistratuum ratio non habebatur. quod ex lib. de claris orat. in mentione Seruilij Glauciæ, & Pediani interpretatione orationis contra competitores habitæ, (vbi rationem Catilinæ, de repetundis accusati, non esse habitam a consule Volcatio significat) itemque ex agraria 2. licet animaduertere, in eo loco, Reus denique, quo minus decemuir fieri non possit, hac lege non excipitur. Quibus equidem commoueor exemplis: sed mihi numquam ea, quæ a veteribus libris tam longe distet, correctio probabitur. *Palicano*] arbitror hunc esse M. Lollium Palicanum, de quo his verbis accusatione 3. in Verrem: Oblitos ne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam tribunus pl. in concione egit, cum eum, quem virgis iste ceciderat, in prospectum populi Romani produxit. Quo loco Pedianus tribunum pl. ait esse M. Lollium Palicanum. Et de claris oratoribus: Cn. Carbonem, M. Marium, aptissimos cognoui turbulentis concionibus: quo in genere nuper L. Quinctius fuit: aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. Item infra epist. 16. & Pedianus in Diuin. *Qui nunc petunt,*] vt proximis comitijs consules designentur. nam ceteri, quos nominauit, non petebant, sed prensabant ad insequentis anni petitionem. *Cæsar*] is est, quem a triumuiris proscriptũ soror Iulia, Antonij triumuiri mater, seruauit. Plutarchus. *Certus putatur.*] hic, Certus, accipio alio sensu, atque supra.

non

non enim dicit, Certus competitor putatur; cum iam dixerit, De ijs, qui nunc petunt: sed, putatur fore, vt consul designetur. *Thermus*] Q. Minucius Thermus, plebeius, is, opinor, qui postea partem Asiæ proprætor administrauit: vt fam. lib. 2. epist. 18. & lib. 13. epist. 53. & hic epist. 13. & 20. lib. 5. *Silano*] D. Iunio Silano, qui cum L. Licinio Murena consul fuit, proxime post Ciceronem & Antonium. *Curium obducere:*] contra illos in campum Martium ducere Q. Curium, aleatorem notissimum: in quem est illud Calui apud Asconium: Et talis Curius pereruditus. &, Obducere, proprie: quia candidatos amici & clientes in Campum, honoris caussa, deducebant. vnde illud epist. 1. lib. 2. Cum candidatum deducerem, quærit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. Aut, Curium obducere, Curij vitia obtegere; cum horum tam infamis vita sit. Sic, Obducta cicatrix, dicitur. *In nostrum annum*] in eum, qui proxime sequitur. Nostrum autem, quod is erat annus, quo per leges ei petere consulatum liceret: vt in epistola ad Cassium: Hæc tolerabilia, illud non ferendum, quod est, qui vestro anno consulem filium suum futurum putet. Et in Rullum: Est illud amplissimum, Quirites, quod hoc honore ex nouis hominibus primũ me, multis posthabitis, affecistis, quod prima petitione, quod anno meo. Et ad petendum consulatum legitimus erat annus ætatis XLIII. vt latius in libro de Magistratibus. *Firmior*] Thermo. cum enim Flaminiam viam muniuerit, cuius curator est; firmissimus erit candidatus. itaq; videtur e re mea esse, nunc eum designari cum Cæsare; ne, in nostrum annum reiectus, absoluta Flaminia petat. *Sane facile eum, &c.*] quis est tam Lynceus, qui sententiam tantis in tenebris videat? verba vero restituere quis sine vetustis exemplaribus possit? at illa, quæ quidem ego viderim, cum vulgatis libris consentiunt. vnum, quod in bibliotheca diui Marci, a Bessarione Cardinali cum alijs innumerabilibus dono datum, asseruatur, discrepat in vno, sed scriptura nihilo minus deprauata: habet enim, Numititeri, vbi est in impressis, Nunc ceteri. Doctissimo viro, Carolo Sigonio, placet sic: Quæ cum erit absoluta, sane facile eum nunc Cæsari consulem addiderim. vt, Libenter, tollatur, tamquam interpretatio verbi, Facile. Ego nihil aufero, parua tantum mutatione ita lego, ac distinguo:

Quæ tum erit absoluta, sane facile. eum libenter nunc Cęsari cōsulem addiderim. Ceteri aūt, pro Cæsari, mendose factum est, ex eo fortasse, quia scriptum esset Cri. *Adhuc informata*] nondum perfecta, sed rudis adhuc, & impolita. quasi dicat, nō certa & explorata, sed, vt coniectura prouideri potest, habes, inquit, quod ego de petitoribus cogito. intelligit autem simul & qui prensant, & qui petunt. Informare verbū a formis deductum. & est, cum quid non perfecte formatum, sed in aliquam formæ similitudinem redactum. Sic, Informata proscriptio, quæ tantum esset animo designata, epist. 6. lib. 11. *Multum posse Gallia*,] cisalpinæ Galliæ, cui Piso præerat, cispadana pars fuit, quæ suffragij ius cum tota Italia lege Pompeia obtinuerat, sicuti Transpadana ius Latij eadē lege. ad Quinctum fratrem lib. 2. Magna manus, inquit, ex Piceno & Gallia exspectatur, vt etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus. Et oratione 2. in Antonium; Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius vidi, nullum audiui, quam, quod, qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, is per municipia, coloniasque Galliæ, a qua cum consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum caligis & lacerna cucurristi. Hirtius autem, quo libro persequitur, quæ de Gallico bello Cæsar prætermiserat, in eo libro sic: T. Labienū Galliæ Togatæ præfecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem. Per cispadanam igitur Galliam eunti ad Pisonem Ciceroni transeundum erat. Est autē Cisalpina, siue Togata Gallia, quæ incipit a Rubicone ad mare superum; ab Arno autem ad inferū: terminatur alpibus. *Cum Roma a iudiciis forum reserasset*,] circiter idus Sextilis iudicia dimittebantur, subsequentibus ludorum diebus, quorum primi Votiui XVII. Kal. Sept. committebantur: nec fere ad vsq; Ianuarium mensem repetita iudicia calebant. ideo infert, Vt Ianuario reuertamur: cum obire tempus iudiciorum vellet, in quibus propter eloquentiam vigebat. *Legati*] non, legati ad Pisonem; sed, excurremus ad Pisonem, legati. quam autem hic legationem significat: liberam, opinor; quia senatori ab vrbe diutius abesse, nisi iure liberæ legationis impetrato, non licebat. *Ad Pisonem*,] C. Calpurnium Pisonem, qui biennio ante cum M'. Acilio

M'. Acilio Glabrione consul fuerat. est autem sciendum; etsi Cicero de Gallia Togata hic intelligat, non ideo tamen intelligi oportere, Pisonem ei præfuisse. præfuit enim Narbonensi, vt ex Dione constat. ideoque pacificatorem Allobrogum, qui sunt Narbonensis Galliæ populi, Cicero illum infra nominat. hoc igitur Cicero sperabat; cum per Galliam Togatam iter ad Pisonem, Narbonensem Galliam proconsulem administrantem, aliquid se in transitu posse proficere, appellandis rogandisque colonijs & municipijs. & est hic non primus, sed alter annus, quo Narbonensem Galliam Piso regebat. vsitatum enim erat, vt non modo annua, verum etiam bima, interdum etiam trima, & quadrima prouinciarum esset administratio. itaque Macedoniæ biennium præfuit C. Cotta, Ciliciæ triennium Lentulus Spinther, Macedoniæ quadriennium C. Antonius: vt alia mittantur exempla. *Cetera*] respexit ad proximum membrum: Illam manum tu mihi cura vt præstes Pompeij nostri amici. Vt sit ordo: tu mihi eos præsta, qui cum Pompeio absunt. ego cetera spero fore vt volumus. *His duntaxat Vrbanis competitoribus:*] modo ne, qui reipublicæ caussa absunt, eorum aliquis ad petitionem veniat. nam, quos mihi ex ijs, qui nunc in vrbe sunt, video competitores fore, neminem pertimesco. Sic Vrbani, pro, ex vrbe, dixit epist. 48. lib. 12. Hanc ego huius loci sinceram duco sententiam. quidquid alij dixerint, ita non improbo, amicitiæ caussa, vt, quo suadet ratio, libentius inclinem. *Illam manum*] nobiles viros, cum Pompeio in Asiam ad bellum Mithridaticum profectos. *Cura vt præstes,*] effice, vt meam petitionem adiuuent, missis Romam epistolis ad propinquos & familiares. *Quoniam propius abes,*] cum tu in Græcia sis, minus abes a Pompeio, quam ego, qui sum Romæ: itaque per litteras & cum ipso potes, & cum ijs, qui vna sunt, de honore meo commodius agere. Est autem, Propius abesse, minus distare. quo modo locutus est & in Tusc. 1. Quo propius aberat antiquitas ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat. Et lib. de Sen. A morte propius absum. *Ad mea comitia*] satis erit, si me illa manus litteris adiuuet: non peto, vt mea caussa Romam ad comitia veniat. *Cæcilius, auunculus tuus*] de hoc nepos in Attici vita, & Valerius lib. 7. cap. 9. *Dolo malo*] quod in-

ter Varium & Caninium diceret conueniſſe, vt ad fraudandos Varij creditores earum rerũ venditio fieret, quas mancupio venditas, ab eo, qui emiſſet, repetere non licebat, niſi ſi dolo malo emptas eſſe conſtaret: quod Cæcilius factum affirmabat. *Lucullus*,] alij de Lucio Lucullo accipiunt, ego de Marco fratre. Nam Lucius ab expeditione Mithridatica nondum redierat. redijt enim M. Catone tribuno pl. vt ſcribit Plutarchus: Cato autem tribunatũm geſſit Murena & Silano cos. vt idem Plutarchus, & in oratione pro Murena, id eſt, biennio poſt, atque eo amplius, quam hæc ſcripta ſunt. *P. Scipio*,] hic eſt Scipio ſocer poſtea Pompeij, quem ex adoptione Metelli Pij Q. Metellum Pium Scipionem eſſe appellatum ſcribit Dio lib. 40. *Magiſtrum*] auctionis. cum in auctione bona venirent, vt inter heredes, aut creditores diuiderentur; de ſententia coheredum, aut creditorum, eligebatur qui præeſſet auctioni. is Magiſter dicebatur: vt lib. 6. epiſt. 1. De hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, magiſtris faciundis. Et Quinctilianus lib. 6. dictum recitat Ciceronis in Plætorij matrem: ludum habuiſſe, dum vixit; magiſtros, poſtquam mortua ſit. ita infamem ſignificauit & ab impudicitia, dum viueret, & mortuam, ab ære alieno. Item pro Quinctio: Cui magiſtri fiunt, domini conſtituuntur, qui, qua lege, qua condicione pereat, pronuncient. *Si bona venirent*,] ſi bona Varij, Caninio adempta, in auctione venirent, vt ex ea pecunia ſatisfieri creditoribus poſſet. *Obſeruat*] aſſectationis officio colit: vt illud Philippica 2. Poſtea cuſtoditus ſum a te, tu a me obſeruatus in petitione quæſturæ. Et in epiſtola ad Gallum: Ego te in conſulatu obſeruaram. Obſeruare enim dicuntur, qui aliquem officij honoriſve cauſſa deducunt, & reducunt. *Domitium*] Ahenobarbum, Porciæ virum, quæ Catonis ſoror erat. fuit aliquot poſt annis conſul cum Ap. Claudio Pulchro, mox in cauſſa Milonis quæſitor; poſtremo ſucceſſor Cæſaris datus, vt eſſet proconſul in Gallia; orto inter Cæſarem & Pompeium ciuili bello, Pompeium ſecutus; Corfinij captus, & incolumis dimiſſus; cum ſe rurſus ad Pompeium contuliſſet, in acie Pharſalica a M. Antonio eſt interfectus. *Etiam ſi id ſit.*] etiam ſi propter ambitionem peccauerim. *Ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοεῖλω.*] Homerus Iliados χ pronuntiat hos verſus de Achille, qui

le, qui Hectorem contento cursu sequebatur:

— ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην
Ἀρνύσθην, ἅτε πουλὺν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.

& Latine Virgilius:

— *Neque enim lenta aut ludicra petuntur*
Præmia, sed Turni de vita & sanguine certant.

Sensus est. Quod auunculo tuo non satis fecerim, & caussam fateor ambitionem fuisse, & mihi tamen arbitror esse ignoscendum; quod, vt vides, hæc me ambitio, quasi cursus quidã, non ad ludicrum, aut inane præmium, sed ad consulatum ferat. *Non modo retinendas,*] quod in Satyro feci. *Hermathena tua valde me delectat, & posita ita belle est, vt totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse videatur.*] statuam, inquit, Mercurij, & Mineruæ, mihi a te missam, in gymnasio meo, Academia, ita belle constitui, vt illustrare tamquam Sol totum gymnasium videatur. ἀναθήματα vocabantur, quæ in templis, ornatus maxime gratia, dicata Deis ponebantur. qua ratione, ἡλίου ἀνάθημα dixit Cicero, pro Solis dedicatio: quasi dixerit: ita ornat Hermathena tua, tamquam ἀνάθημα, Academiam meam, vt Sol ipse, qui cuncta illustrat, vniuerso gymnasio dicatus esse videatur. Putat vir doctrina & humanitate excellens, mihique vetere necessitudine coniunctus, Pompilius Amasæus, legendum, ἡλίου αὔγασμα, id est, Solis splendor: quia scriptũ reperit in suo libro satis antiquo, eliu auasma, sententia non dissimilis. verum, cum & in meo, & in alijs antiquis libris videam scriptum esse, ἡλίου ἀνάθημα, & Hermathena illa in Ciceronis gymnasio ἀναθήματος loco fuerit: argute mihi videtur, ἡλίου ἀνάθημα, Cicero subiunxisse, vt simile simili redderet, & augeret etiam comparatione Solis Hermathenæ ornamentum. Qui pro ἡλίου ἀνάθημα, legunt ἑρμαθήνας; ijs non assentior, tum quia discedunt a veteribus libris; tum etiam, quia sententia magis augetur, & ex ipso quasi Sole splendorem accipit, si legatur, ἡλίου ἀνάθημα. De Academia sic Plinius lib. 31. cap. 2. Digna memoratu villa est, ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu, ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis volumi-

nibus eiusdem nominis; in qua & monumentum sibi instaurauerat. huius in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit e libertis eius, vt protinus noscatur etiam ministerium eius ex illa maiestate. Ponam enim ipsum carmen, dignum vbique, & non ibi tantum, legi.

Quo tua Romana vindex clarissime lingua
Silua loco melius surgere iussa viret,
Atque Academia celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hæc fontes cum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Multum te amamus.] de Hermathena: vt in proxima inferiore epistola: Te multum amamus, quod ea abs te diligenter, paruoq; curata sunt. & ep. 2. l. 7. *L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo cos.*] docui, non vno die scriptam epistolam: &, cur dubitetur, caussa non est. scripserat illud ante comitia consularia, De iis, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur: & illud, Nostris rationibus conducere videtur, Thermum fieri cum Cæsare. Comitiis vero habitis, cũ Cæsaris & Figuli designationem significare vellet, argute, eorum nominibus epistolam clausit. Designatis, cur non addiderit, quidam sine caussa mirãtur: quasi vero ita peregrinaretur Atticus in rebus Romanis, vt hoc anno gerere consulatum nesciret Cottam & Torquatum, Cæsarem autem & Figulum in proximum esse designatos. Figulum autem quem hic nominat, ante appellauit Thermum: quod ex Minuciis in Marcios adoptione transiisset, vetere cognomine conseruato.

IN EPISTOLAM II.

De meis ad te rationibus] de petitione consulatus. *Competitorem nostrum*] non quia peteret, sed quia petiturus videretur. nam Comitiorum dies longe aberat, vtpote quæ anno proximo non ante Quinctilem mensem futura essent. petiit autem,

autem, & repulsam tulit, vt supra demonstratum est. *Defendere*] crimine repetundarū. est. n. scripta hæc epistola Cotta & Torquato cos. quo anno Catilina caussam dixit de repetūdis, vt iā probauimus. & apparet, post designatos Cæsarē & Figulū iudiciū illud esse factū: cū hāc epistolā scriptam esse constet post eā, quæ ante est impressa, in qua de Cæsare & Figulo designatis in extremo legitur. Catilinā tamē a Cicerone non esse defensum, probat Asconius cōtra Feneſtellā in explanatione orationis aduersus competitores. *Summa accusatoris voluntate.*] ex iudicum numero & accusator, & reus reiiciebant, quos putarent sibi vel inimicos, vel, vt Asconii verbis vtar, ex aliqua reincommodos fore. Habemus, inquit, iudices quos volumus, accusatore non reiiciente. Accusatorem autem P. Clodium intelligit. Asconius. *Sin aliter acciderit*] si nobis minus erit coniunctus in ratione petitionis. *Tuos familiares, nobiles homines,*] maxime Q. Hortensium significat, iam inde a Verris accusatione sibi infensum: quem infra quoque Attici familiarem appellat, epistola vltima lib. 2. & Nepos in vita. Nobiles autem homines, quia summos honores gesserat Hortensius. erat enim tum consularis. de quo & in oratione pro Quinctio: dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione. Et Pedianus hæc in argumento Diuinationis: Defendebatur Verres ab Hortensio, facile & principe in senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam rege caussarum. Nobiles igitur, etiam qui patricij non erant, dicebantur. Erant enim Hortensij plebeij. *Desiderio tui*] qui tam diu abesses. *Quod veritas sit,*] deridet suspiciosæ aniculæ inanem superstitionem. *Latina*] mulieres. & festiue, quod mulier de mulieribus laboraret. nam si ad historiam respicimus, ex populis Latinis non tam mulieres, quam viri in montem Albanum hostias adducebant: &, quatriduano sacrificio facto, accepta carne in suam quisq; ciuitatem digressi reuertebant. ea dicta Visceratio; quoniam ex hostiis carnes in partes cæsæ distribuerentur. & visceratio mox a Cæsare populo data, apud Suetonium. Ferias autem Latinas, maximo Romanorum Latinorumque magistratuum conuentu, consules procurabant, cum interea cum populo agere non liceret: vt ob eam caussam Latinæ aliquando a consulibus instaurarentur, cum tribunis pl. obsistere vellent, populares le-

ges ferre cupientibus. itaque ad Q. Fratrem lib. 2. Cõsul, inquit, Lentulus dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinæ instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus pernicioſiſſimis obſiſtitur, maxime Catonis. Liuius, Strabo, Plutarchus, Dionyſius. *Eius rei conſolationem*] Ridiculum eſt conſolationem compoſitam ob mortẽ vetulæ plus quam ſeptuagenarię. etiam ſuſpecta eſt mihi locutio, Eius rei conſolationem. legẽdum putat homo doctus, amicus meus, Conflationem. nam & id obſcure tetigerat, cum dixit, Verita eſt. neque enim verita erat, ne celebrarentur Latinæ, ſed, bellum inter Latinos & Romanos ne ſuſcitaretur. *Sauſeium*] equitem Romanum, philoſophum Epicureum, Attici familiarem. ep. 6. l. 4. & 1. l. 7. & Nepos in vita. *Ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios miſſis?*] genus loquendi, quod in re parum certa veteres vſurpabant: vt libro 11. De Quincto filio nihil audiui: ſed quære ex Diochare, Cęſaris liberto. is dicitur vidiſſe an euntem, an iam in Aſia? Et in Bruto Summa ſenectute M. Cato, legem ſuadens in Galbam, multa dixit: quam orationem in Origines ſuas retulit, paucis ante quam mortuus eſt an diebus, an menſibus? Nec diſſimile illud epiſt. 12. Proximus Pompeio ſedebam: intellexi hominem moueri, utrum, Craſſum inire eam gratiam, quam ipſe prætermiſiſſet, an eſſe tantas res noſtras, quæ tam libenti ſenatu laudarentur? *De noſtro amico placando,*] Lucceium intelligit. infra: Accedebat hortator Salluſtius, vt agerem quam diligentiſſime cum Lucceio de veſtra vetere gratia reconcilianda. *De te*] Salluſtius me accuſare ſolebat, quod Lucceium tibi non placarem. *Nec ſibi*] qui etiam ipſius Salluſtij cauſſa laboraui. *C. Piſoni*] is cum vita exceſſiſſet, exſulãte Cicerone; haud multo poſt nupſit Tulliola Furio Craſſipedi, vt in epiſt. 4. libri 2. ad Q. fratrem, & in epiſtola 7. l. 1. ad Lentulum; tertio, P. Cornelio Dolabellæ, cum Cicero Ciliciam proconſul adminiſtraret, vt famil. epiſt. 19. l. 8. & deprehẽditur error Plutarchi & Pediani, qui Tulliolam bis dũtaxat nupſiſſe falſo credunt, Piſoni, & P. Lentulo: cum Lentulus inter Ciceronis generos nemo vſquam nec ab ipſo Cicerone, nec ab aliis nominetur.

IN EPISTOLAM III.

Quincti fratris comitia:] quibus ædilitatem Quinctus petebat.

tebat. nam præturam gessit triennio post, Silano, Murena cos. proximisque consulibus Pisone & Messalla, ex prætura est in Asiam profectus: petiit igitur ædilitatem Lepido & Tullo consulatum gerentibus, gessit Cotta & Torquato, quoniam inter ædilitatem & præturam biennium intersit necesse est, vacuum ordinariis honoribus. *Acutilianam controuersiam*] vide in epistola sequenti, & in ea, quæ ab hac est tertia. *Peducæus*,] Sex. Peducæus, Attici amicissimus. Nepos in Attici vita. *De C. Macro transegimus.*] Non alienum est subiicere, quæ Valerius & Plutarchus tradunt. Valerius his verbis: C. Licinius Macer, vir prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum conscēdit: deinde, M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem cum vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum, periisse, nec sua bona hastæ posse subiici: ac protinus, sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coartatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit. qua cognita re, Cicero de eo nihil pronunciauit. igitur illustris ingenij orator, ab inopia rei familiaris, & a crimine domesticæ damnationis inusitato paterni fati genere vindicatus est. Plutarchus sic: στρατηγίαν δὲ μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη, καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ, καὶ φράσαντος ὅτι πάσαις ἐάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ κατακλιθεὶς ἀποθανεῖν. Sed Pedianus, vbi explanat orationem pro Cornelio, in eadem pagina loquitur pugnantia. dicit enim, primo prætorem fuisse Ciceronem M'. Lepido, L. Volcatio cos. deinde, paucis interiectis versibus, L. Cotta, L. Torquato: errore ita manifesto, vt, Pedianum tam fœde lapsum, mihi persuadere non possim, peccatum potius a librario suspicer. vtrum igitur probamus? ego non dubito, quin præturam gesserit Lepido & Vol-

catio cos. cum enim ædilis fuisset Hortensio & Metello cos. vt ex libro de claris oratoribus, & ex accusationibus in Verrem notissimum est; ædilitas autem a prætura biennio distet, vt apparet ex epistola ad Furnium, fam. lib. 10. prætura gesserit, necesse est, Lepido, Volcatio cos. siquidem honores omnes adeptus est anno suo, vt gloriatur in 2. de Officijs. non esset autem prætura adeptus anno suo, si eam gessisset Cotta & Torquato cos. nam ita inter ædilitatē & prætura triennium interesset: cum biennium modo intersit, vt ex locis intelligitur. De hoc Macro vide quæ scripta sunt in Bruto. *Cui cum aqui fuissemus,*] quem cum iure damnassem. Prætor enim hanc epistolam scripsit, quod iam ostendi. *Academia proprium mea*] hæc Ciceronis villa fuit, celebrata porticu, & nemore; quam nominauit Academiam ab exemplo Athenarum. Plin. lib. 31. *Commune omnium,*] gymnasiorum, quia litteris & ingenijs præesse creditur Mercurius. vel, Commune omnium, non gymnasiorum, sed hominum: quibus felicitatē promittere videtur. & hoc ad diuitias potius, quam ad litteras, refero. nam Lucianus in votis, & communem appellatum esse Mercurium, & diuitiarum caussa, significat his verbis: κοινὸς Ἑρμῆς, φασὶ, καὶ ἐς μέσον φέρων τὸν πλοῦτον. Aristoteles autem lib. 2. ad Theodectem: καὶ τὸ κοινωνικὸν φάναι, τὸν Ἑρμῆν εἶναι μάλιστα τῶν θεῶν. μόνος γὰρ καλεῖται κοινὸς Ἑρμῆς. *Minerua. singulare eius gymnasii.*] cur Mineruæ statua propriū & singulare ornamentum Academię Ciceronis? quia & Academia gymnasiū erat Athenis, vnde suam villā Cicero nuncupauit; & Athenæ a Minerua conditæ, ac nominatæ: siquidē Græci Ἀθήνη Mineruam vocant. vel, quod Mineruam Cicero præcipue coleret, cuius etiam signum domi habuit, vt ait Plutarchus. *Eum locum*] Academiam nostram. *Caietam,*] villam in agro Caietano. *Si quando abundare cœpero,*] si quando erit, vt mihi pecunia superet. *Ornabo.*] signis. *Conserua,*] quia se venditurū Atticus significauerat. Sic infra: Bibliothecam tuam caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. nam ego omnes meas vindemiolas eo reseruo, vt illud subsidium senectuti parem. Et epist. 9. Libros tuos caue cuiquam tradas: nobis eos conserua. *Noli desperare*] velim speres, me tamen posse tantam pecuniam cogere, vt emere tuos libros possim. *Vicos, & prata*] vrbanas, rusticasque

sticasque diuitias. Vicus duplex est, in vrbe, & extra vrbem. de vtroque diximus epist. 10. lib. 2. fam. hic de vrbano accipiendum. Pratis vero intet prædia rustica primas partes tributas a veteribus, ait Columella lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 3. & Varro lib. 1. de re rust. c. 7. & Cicero Parad. 6.

IN EPISTOLAM IV.

Lucii fratris nostri] patruelis, de quo in 2. de Oratore, & 5. de Finibus, vtrobique in proœmio, & apud Pedianum, & in Verrem. *Affinem*] quia frater fuit sororis tuæ viro, Quinctò fratri meo. *Sorore tua*] Q. Ciceronis vxore. *Missi.*] erat enim Quinctus in agro Arpinati. epist. 5. *Si cuius animus*] Lucceium intelligit, de quo epist. 9. *Quid dicas?*] de mea videlicet intelligentia: qui ne id quidem neglexi, quod fortasse negligendum fuit. quantum enim hoc oneris est, quod mihi post multa mandata superimponis, vt, si cuius animus in te sit offensior, ego recolligam? *Neque id*] ne id quidem: vt in epistola ad Torquatum prima lib. 6. Qui neq;, cum id faciebamus, tam eramus amentes. Et ad Pætũ, epist. 15. lib. 9. Quod altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis vrbanæ, neq; ego aliter accepi. *Nihil esse iam, quod laboraret,*] Tadius cum ab herede nescio quid emisset; idq; postea compertum esset non ad eum, qui vendidisset, sed ad puellam, quæ esset in tutela, pertinere; postulantibus puellæ tutoribus restituere male emptum cogebatur. *Vsucapta*] capta res dicitur, quam a nobis occupatam nemo repetijt intra tempus lege definitum. ergo is, qui Tadio quiddã ex hereditate vendiderat, recte se aiebat vendidisse: eam enim hereditatem vsucepisse, quod autem vsucaptum esset, legibus ad se pertinere. *De tutela legitima,*] in lege videtur ita scriptũ fuisse: Si quis quid vsu ceperit, id vsucapionis iure ad illũ pertineto; vt ex bonis tamen pupillorum, qui sint in tutela legitima, nihil vsucapi possit. Hanc exceptionem dicit Atticum ignorare: quam si teneret, hereditatem, quę esset in tutela legitima, iniquo vsucapionis iure vsurpatam, recte vendi potuisse non putaret. Tutelę autem legitimæ dicuntur, quæ, cũ quis intestato mortuus est, eius liberis lege dantur. dari autẽ agnatos, & consanguineos, item patronos, id est eos, qui ad legitimam hereditatem admitti possunt, scribit Vlpianus in

consuetudine fuisse; & patronos ob eam causſam, vt, qui sperarent successionem, ijdem ea bona studiosius tuerentur. pro Flacco. *In qua dicitur esse puella,*] audio, inquit, qui tutores puellæ sunt, eos non a patre, sed a lege datos. itaque, cum tutela legitima sit, ex eius puellæ bonis vsucapere nihil potuit is, qui Tadio vendidit. *Gaudeo tibi placere.*]gaudeo te delectari possessione, quã in Epiro emeris. Et sane omnis Attico pecuniæ redditus in Epiroticis & vrbanis possessionibus constabat, vt in eius vita Nepos tradit. *Qua tibi mandaui,*] loquitur de signis. epist. 2.3.5.6.7.8. *Laboribus*]quos agẽdis causſis grauissimos sustinebat. Tusc. 1. Cum defensionum laboribus essem aliquando liberatus.

IN EPISTOLAM V.

Tu iam dimensam,] tu eam constitueras emere; &, quasi iam emisses, ita eius exædificationem animo designabas. *HS* CCCIↃↃↃXXX.]sestertijs centum triginta millibus, id est scutatis nostræ monetæ 3900. Et, vt de numeris aliquanto latius disseramus, de quibus video Priscianum incerte locutum; antiquas notas, quibus præter ceteras vsi sunt veteres Latini, & earum significationem e regione subijciam. quod ad numerum figurarum attinet, tredecim erunt, totidem, quot Priscianus agnoscit: in ipsis autem figuris, quiddã est, cur ab eo dissentiam.

Antiquæ notæ:		*Significatio.*
I	I	vnus
V	5	quinque
X	10	decem
L	50	quinquaginta
C	100	centum
IↃ	500	quingenta
CIↃ	1000	mille
IↃↃ	5000	quinque millia
CCIↃↃ	10000	decem millia
IↃↃↃ	50000	quinquaginta millia
CCCIↃↃↃ	100000	centum millia
IↃↃↃↃ	500000	quingenta millia
CCCCIↃↃↃↃ	1000000	decies centena millia.

Non erat autem, inquit Plinius, apud veteres numerus vltra centum millia. itaque & hodie multiplicantur hæc, vt, decies centena

centena millia, aut sępius, dicatur. Atque hæ notæ, si figuram consideres, eædẽ omnes sunt, nisi quod in quinque primis deprehenditur dissimilitudo. nam, cũ scribimus ↄ I ↄ, siue I ↄ ↄ, & inde quæ subsequuntur; non plus duabus vtimur notis, I & ↄ, hoc tamen obseruantes, vt ↄ post I non tamquam auersa, sed quasi respiciens, constituatur. sic vnamquamque summã, quam volueris immensam, explicari primis quinque notis animaduertes. Hæc est prima consideratio: sequitur altera, quod a prima nota ad vsq; eas, quas in extremo posui, alternis modo in quincuplum summa crescit, modo in duplum: quod, ipsas notas qui persequi singulas voluerit, intelliget. Priscianus autem hanc rationem tractat imperite. primum, mille sic ait notari, x, & decẽ millia sic ↄ x ↄ. in quo repugnat vetustatis obseruatio. triplex enim genus est, quod antiquitatem maxime testatur, lapides, libri, nummi. & cum ego in singulis non ita negligenter sim versatus, numquam tamẽ x, pro mille comperi, numquam ↄ x ↄ pro decem millibus. sed idem labat in sua sententia: infert enim paullo post: Decẽ millia, quod verisimilius est, notantur per M, circumscriptam ex vtroq; latere; & M putat mille significare, quia nominis prima sit littera. quorum alterum cõcedo, vt M mille valeat: alterum, quia cum ratione pugnat, concedere non possum, vt M ideo mille significet, quod in verbo Mille princeps occurrat littera. mihi enim dubium non est, quin M inde sit deriuata, quod veteres pro quingentis hac vtebantur figura I ↄ, vnde, contra Prisciani sententiam, qui de origine D nescio quid ridicule comminiscitur, facta est D, negligentia simul & ignorantia describentium, dum antiquas notas elementa putant: ergo pro quingentis, vt dixi, scribebant I ↄ, pro mille ↄ I ↄ: vnde fluxit M, errorem creante similitudine; quod M quãdoque ita scribitur ↄ I ↄ, vt minimũ discrepare videatur a ↄ I ↄ. in antiquis autem libris & alias figuras pro mille vsurpatas licet animaduertere, vt ω, & ↄ I ↄ, quas peperit minus accurata librariorum festinatio, id agentiũ, vt ↄ I ↄ vno calami ductu perficerent. etiam ∞, & ↄ I ↄ pro mille reperias: quæ deriuatæ sunt ab ↄ I ↄ, corruptæ scilicet a corrupta. Quæritur etiam, cur L quandoque pro I posita reperiatur, vt in hac figura, ↄ ↄ ↄ L ↄ ↄ ↄ, & similibus. huius quoque mutationis culpam sustinet librariorum inscitia: qui cum antiquam

notam, I, longiusculâ viderent, exempli gratia sic, ccIↃↃↃ; decepti similitudine consonantê L putarunt, & pro ccIↃↃↃ scripserunt ccCIↃↃↃ. Hæc de numerorum notis. reliqua erant nonnulla: quæ, quia satietati legentium placet occurrere, prętermitto. hac de re paullo plenius egit Aldus filius in libris de Quæsitis per epistolam. *Pater nobis decessit*] vt ipsi ratiocinamur, hanc epistolam scripsit multo ante petitionem consulatus: idque satis videmur probasse, cum de ordine harũ epistolarum diceremus. quod si ita est, non recte scripsit Pedianus, Ciceronem in petitione consulatus patrem amisisse. sed idem de duobus etiam Ciceronis generis erravit, Furium Crassipedem non agnoscens. Quod autê nonnulli, Patro nobis decessit, putant legendum: infirma coniectura est. nam de Patrone viuo multis post annis mentio, vt epist. 11. & 19. lib. 5. & 2. lib. 7. *Loci sint eius*,] Academiæ. epist. 3. 7. & 9. *Apud matrem*] Attici: quam extulit annorum nonaginta, natus ipse tunc septem & sexaginta. Cæciliæ gentis eam fuisse, conijcitur; cum & Cæcilius frater eius fuerit, is, qui Atticũ testamento adoptauit; & mulieres nomine familiarum appellarentur. *L. Cincio*] qui Romæ curabat Attici negotia. *HS* XXCD] sestertiorum viginti millia quadringenta, hoc est, scutati 612. cum enim hæc linea —— superimponitur notæ, ad eius notæ significationem addit millia. C vero cum præponitur his notis, & D & M, detrahit centum & omnino de sequenti nota antecedens minor nota tantum demit, quantum ipsa significat; vt I V, valet quattuor; V L, quadraginta quinque; X C, nonaginta; & huiusmodi. *Constitui*] non est, decreui, vt iuris ciuilis imperiti suspicari possent; sed genus quoddã significatur obligationis, iure prætorio introductum: de quo integer est titulus in Pandectis, de Constituta pecunia inscriptus. *Curaturum*] pro signis Megaricis mihi a te emptis. in epistola sequenti. *Ea*] signa. *In tua humanitate*] spero, inquit, fore, vt tu mihi, quæ tua humanitas est, bibliothecam conficias, in qua me otiosus oblectare possim.

IN EPISTOLAM VI.

A suo procuratore] scripserat Atticus, cum Acutilij procuratore se esse collocutũ, eiq; pecuniam voluisse persoluere, cũ eo tamen, vt satisdatione sibi caueretur, neminem amplius

co

eo nomine petiturum; illum autem recusasse. Et, Amplius nõ peti, frequens est in satisdationibus apud Iurisconsultos locutio; quam & Cicero vsurpauit in epistola ad Sulpicium, fam. ep. 28. l. 13. cum, L. Mescinium commendans, ita scribit: Te rogo, vt, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, vt satisdetur fide mea. Nec dissimile illud in Bruto: Ego tibi Brute non soluam, nisi prius a te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Simillimum illud pro Q. Roscio: Quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? *Decidisse*] cum tutoribus puellæ. ep. 4. *Ille noster amicus,*] Lucceius. ep. 9. CCLↃↃ CCLↃↃ CCCC] sestertiorum nummorum viginti millia quadringenta, totidem plane, quot proxima in epistola superiore. diuersis enim notis eandem summam explicauit. *Megaricis*] ex Megaris, Atticæ vrbe. *Hermæ tui Pentelici*] Mercurij statuæ ex marmore Pentelico. Suidas. *Eius loci,*] Academiæ. epist. 3. & 7. *Xystique*] Xystus quid sit, Vitruuius lib. 5. cap. 11. docet. *Nauis*] quo imponas signa. *Tuum munusculum*] quod te illi ex Græcia missurum pollicitus es. ep. 9.

IN EPISTOLAM VII.

Ne dubitaris] ne te deterreat impensa; & confidito, futurũ mihi vnde soluã. *Naues suas*] quas habet in Græcia. *Pollicetur*] ad vecturam signorum. *Chilius*] poeta; de quo ep. 14. *Te rogat* ἐυμολπιδῶν πάτρια.] rogat, ut ritus Eumolpidarum mittas. Eumolpidæ autem sacrorum præsides Athenis: de quibus Æschines in oratione contra Ctesiphontem: ab Eumolpo Musæi filio, de quo Suidas, & alii. πάτρια σύρων, Athenæus quoq; dixit, id est, leges & ritus Syrorum, lib. 8. δειπνοσοφιςῶν.

IN EPISTOLAM IIX.

Cum essem in Ceramico] Atticus hoc epistolæ principio vsus erat, Cum essem in Ceramico. quem Cicero imitatus, & ipse ita cœpit, Cum essem in Tusculano. Ceramici autem Athenis duo, de quibus Suidas his verbis: Κεραμεικοὶ δύο ἦσαν, ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω: ἔνθα καὶ τὸς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τὸς ἐπιταφίους ἔλεγον: ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ εἱςήκεισαν αἱ πόρναι. *De nostro amico placando*] de Luc-

ceio. ep. 9. *Hermeraclas,*] Mercurij & Herculis coniuncta signa imponas in nauim. epist. 7. *Eius loci, quem non ignoras,*] Academiæ: vt in epistola, quæ huic, & ea, cui hæc antecedit. *Palæstræ,*] Vitruuius lib. 5. cap. 11. *Typos tibi mando, quos in tectorio atrioli posim includere.*] cum typos in tectorio atrioli velit includere; licet opinari, Typos esse parua signa, in tabula marmorea insculpta, quæ non tota, sed dimidia tantum exstent. hodie communis Italica lingua, Figuras dimidiæ eminentiæ, vocat. Includere autem typos in tectorio, est, in summa parietis parte typos ita statuere, vt marmoreæ illæ typorum tabulæ cum tectorio, id est, cum calce parietis, exæquentur. de marmorea autem tabula, ideo conieci, quia, si imagines ipsæ includerentur, oculis intuentium minus paterent. P[illegible]s lib. 35. cap. 12. Dibutadis, inquit, filia, capta amore iuuenis, illo abeunte peregre, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater eius impressa argilla, typum fecit, & cũ ceteris fictilibus indouratum igni proposuit: eumque seruatum in Nymphęo, donec Corinthum Mummius euerteret, tradũt. Et ibidem paullo post: Primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia Protypa vocauit: postea idem ectypa fecit. Idem lib. 37. cap. 10. Hæ sunt gemmæ, quæ ad ectypas scalpturas aptantur. Hic audio placere docto viro, & in literis cum laude versato, non Typos, sed Tubos legi: quia sequitur, Putealia. mihi, Typos, congruere magis cum sententia videtur. quorsum enim tubi, qui sunt ad aquam ducendam fictiles canales in tectorio includantur atrioli? quod si legatur, Typi: bellissime includentur: idq; etiam in more positum videmus. Nam, quod sequitur, Putealia: non refertur hoc neque ad tubos, neque ad typos. sunt enim duę disiunctæ, diuersæque res, quas Cicero Attico mandat, Typi, & Putealia: neque altera alteram, quasi similem, respicit: sed Typi ad atriolum, Putealia ad puteos pertinent. Magis moueor, quod in omnibus antiquis libris, nulla omnino varietate, video scriptum esse, Lypos. quod ego, quid significet, intelligere nondum potui. *Includere,*] sedibus constituere aliquanto intra tectorium excisis. *Putealia sigillata*] puteorum operacula, paruis signis exornata. qualia & hodie videmus, in quibus inciſæ delectant imagunculæ. Bessarionis liber, Putealia signata:

signata: eadem scilicet sententia. nam siue de signis intelligas, siue de sigillis ὑποκοριστικῶς, minimi refert: vtrumuis licet accipias. *Despondeas*] venditurum te promittas. *Omnes meas vindemiolas*] quidquid pecuniæ possumus hincinde contrahere, seponimus ad emptionem tuæ bibliothecæ. Supra, Libros, inquit, tuos conserua; & noli desperare, eos meos facere posse. *Ita esse, vt semper volui,*] optime ei cum tua sorore conuenire. *Permisisse*] vt eorum caussa Romam ne venias. Et de comitiis accipe non consularibus, sed prætoriis, vt supra docuimus in ordine epistolarum. *Sponsorem non appellat.*] Antea, quod tu ei promissum munusculum non mitteres, me sponsorem appellabat: nunc sponsorem omittit; te ipsum in iudicium vocat: itaque faciundũ tibi est, vt promissum omnino soluas. In vulgatis libris, Sponsorem appellat, legebatur. ego negãtem particulam interieci, sumptam ex antiquo Bessarionis exemplari, sententia, mihi quidem vt videtur, mirifice comprobante.

IN EPISTOLAM IX.

Illud suum arbitrium,] apparet, Atticum in quadam arbitrum controuersia contra Lucceij voluntatem decreuisse. *Suum*] quod sæpe accusare solitus est. *Epistola tua,*] ad illum. *Nostra legatio*] diligentia, quam ego, allegatus ad Lucceium a te, soleo adhibere. *Humanitatis tuæ*] nam humanitatis tuæ non est, ab eo dissidere. *Designatum*] prætorem, non consulem, vt in proxima superiore. *Quamprimum mittas*] De signis intelligi perspicuum est. *Tradas.*] vendas. epist. 1. & 3.

IN EPISTOLAM X.

Teucris illa] superiores omnes epistolæ ante consulatum scriptæ, hæc autem, vt e clausula manifestum est, ineuntibus magistratum Messalla & Pisone, qui post Ciceronem & Antonium consules anno altero fuerunt: vt, epistolarum haud paruum interiisse numerum, necesse sit: nisi si toto superiore triennio Romæ mansit Atticus cum Cicerone. Neque mihi dubium est, quin, Teucris illa, principium sit epistolæ, cum inferat paullo post; Vt ad prima illa redeam; id est, ad id, quod scribere primum instituí: vt appareat, fuisse primam epistolæ

partem, in qua de Teucride ageretur. Sic & infra ep. 22. l. 13. Ad prima redeo; id est, ad sermonē de suis libris institutum, & fam. ep. 29. l. 7. Ad prima redeo. sapienter hæc reliquisti, si consilio. Cum vero, Teucris, ait, Antonium, quem Cicero collegam habuerat in consulatu, ficto nomine significari, declarant ea, quæ sequuntur. eundemq; in epistola proxima iisdem verbis appellat; & in ea, quæ proximam consequitur, promissa dicit præstitisse. *Lentum sane negotium,*] tardat enim, & procrastinat solutionem eius pecuniæ, quam debet. epist. 11. & 13. *Cornelius*] amicus, aut affinis Antonij, qui se ad Terentiam dixerat rediturum, vt de ea pecunia colloqueretur. *Considium, Axium, Selicium,*] fenératorum nomina. Ad Axium Ciceronis epistolas nominat Suetonius, & Fronto Grammaticus. sed is est Axius senator, non fenerator, de quo ep. 7. l. 3. mentio fit. Axius, inquit ep. 12. l. 10. de xii. millibus pudens: sæpe enim adscripsit, vt Gallio, quantum is vellet, darem. & Gellius lib. 7. cap. 3. De Considio autem Valerius libro 4. cap. 8. *Confugiendum est:*] vt ab ijs nummos sumamus; quando exigere ab Antonio non possumus. *Cæcilio*] & hic fenerator erat: sed benigniores aliquanto superiores tres. nam ab hoc nec ipsius propinqui nummum auferre poterant, nisi cum fenore cēteſimarum, quæ vsurarum omnium grauissima erat, & As dicebatur. pendebantur enim in anno duodeni nummi pro centenis. cum vero pro centenis octoni, besses; cum seni, semisses; cum quini, quincunx; cum quaterni, triens; cum terni, quadrans; cum bini, deunx; cum singuli, vnciaria vocabatur vsura: quam maiorem xii. tabulæ primum, vt ait Tacitus lib. 5. deinde etiam rogatio tribunicia vetuit, vt lib. 7. Liuius narrat: qui etiam de semunciario fenore instituto subiunxit. Tacitus omnino sublatas vsuras docet, quæ tamen denuo varijs fraudibus exortæ, paulatim consuetudine leges vincente, ad centesimas peruenerunt. Seneca libro epistolarum xxi. Quam durus fenerator Cæcilius, a quo minoris centesimis propinquis nummus moueri nō possit. *Centesimis*] centesimæ dicebantur vsuræ, quia singulis mensibus in fenus centesima sortis pars impenderetur. a mēstrua enim solutione potius appellatas esse Centesimas credibile est, quam, quod nulli putant, quia centum mensibus vsura sortem adæquaret. Vnciarium fenus vocat Liuius. In quo mi-

ror

ror erraſſe eruditos noſtræ ætatis homines, opinantes vnciarium fenus eſſe vnicam centeſimam annuam, cum ſit vnica menſtrua. *Illa*] Teucride. *Impudentius, aſtutius, lentius.*] quia, cauſſis nectendis, ſolutionem differret. *Libertum mitto: Tito mandaui:*] verba ſunt nõ Ciceronis, vt quidam exiſtimant, ſed Antonij, qui ſoluendæ pecunię diem produceret his verbis: Libertum mitto; (ſubaudi, qui numeret) Tito mandaui; vt ſcilicet ipſe tibi pro me ſatisfaceret. Antonij igitur, quẽ Teucridem appellat, σκήψεις hę ſunt, atque ἀναξολαί. nõ enim ἀναβολὰς lego, ſed ἀναβολαί, duob. ex antiquis libris, Beſſarionis, & Caualcantis. *Neſcio, an ταυτόματον ἠμῶν.*] Antonius, inquit, nõ ſoluit: ſed hoc optime cadit: vt deinde eius defendẽdi cauſſa mihi nulla ſit. Et ſpectauit fortaſſe ad illũ verſiculum, qui eſt in Græcis ſentẽtijs, ταυτόματον ἠμῶν καλλίω βουλεύεται, Caſus melius, quã nos, conſuluit. magis e re noſtra eſt, eũ non ſoluere, quam ſi, quod volebamus, ſolueret. quod caſu, non conſilio noſtro, fit. *Pompeiani prodromi*] quos Pompeius, ex bello Mithridatico reuertens, celeri curſu præmittit. *Acturum*] in ſenatu. *Antonio ſuccedi oportere:*] Antonium de prouincia Macedonia reuocandum, quod pecunias a ſociis inique cogeret. reuocatus tamen non eſt: quia Cicero eum in ſenatu defendit, quod ipſe ſcribit ad Sextium, ipſius Antonii quæſtorem, fam. lib. 5. poſtea defendit eundem in iudicio, maieſtatis accuſatum, Cæſare & Bibulo cos. cum Antonius triẽnium prouinciæ præfuiſſet. Suetonius, Dio, Cicero pro domo, pro Sextio: & in ea, qua Cœlium, quo accuſante damnatus erat Antonius, defendit, hanc intelligit accuſationem, cum ait: Ex reipublicæ cauſſa victoriam eſt, mihi quidem moleſtam, ſibi tamen glorioſam, conſecutus. quod infra in eadẽ oratione apertius his verbis: Accuſauit C. Antonium, collegam meum; cui miſero præclari in rempublicã beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Et in extrema oratione: Hominem conſularem, quod ab eo rempub. violatam diceret, in iudicium conuertit. Accuſauit eundem, condemnauitque Q. Maximus: vt in oratione in Vatinium. *Aget prator ad populum.*] vt Romam euocetur ad cauſſam de repetundis dicendam, quod ſocios diripuerit. infra enim de pecuniis iniuſte coactis mentio fit. nec tamen hoc anno, id eſt Piſone & Meſſalla cos. ſed biennio poſt, id eſt Cæſare & Bi-

bulo cos. cauſſam dixit C. Antonius. quod e Suetonio & orat pro domo planum fit. *Exiſtimationem*] multum, inquit, de mea detrahatur exiſtimatione & apud bonos, & apud populum, ſi C. Antonium, manifeſtis criminibus reum, defendam. *Mando tibi, vt perſpicias.*] & perſpicere Atticus id poterat non magno negotio, qui eſſet in Græcia, proximus Macedoniæ, quam Antonius adminiſtrabat. *Valerius interpres*] externarum legationum cauſſa ſenatus Valerio vtebatur interprete, multarum linguarum perito. epiſt. 10. *Chiliuſque*] is de quo ſupra ep. 7. *In cogendis pecuniis*] contra quam legibus liceret. Cogendis autem, ex prouincialibus hominibus, auaro & iniquo imperio. *Conſtat*] nondum enim aderat, ſed Italiam iam attigerat, ex illo ſe referens memorabili Mithridatis bello. *Diuortium Muciæ*] Pompeius, deuicto Mithridate reuertens, cum in Italiam peruenisſet, nuncium remiſit coniugi ſuæ Muciæ, Q. Mucii Scæuolæ filiæ, quod adulterium cum C. Cæſare commiſiſſet, vt Suetonius tradidit. Et, vt ex hiſtoria, maximeque ex Plutarcho, colligitur, vxores habuit Pompeius quinque, Antiſtiam, Æmiliam, Muciam, Iuliam, Corneliam: cum duabus, Antiſtia, Mucia, diuortium fecit: apud ipſum duæ perierunt, Æmilia, Iulia: Cornelia ſuperuixit. Illud addo; quod appelletur a Pediano Tertia, quæ alibi Mucia nominatur, erratum non eſſe in nomine, ſed Muciæ cognomen fuiſſe Tertiam: vt, cum ſorores haberet duas, vtramque ætate maiorem, omnes autem Muciæ vocarentur, ex cõſuetudine, quę tum erat, (nam a patre, hoc eſt a familia, nominabantur filiæ) ipſa Tertia dicta, proprij cognominis appellatione internoſceretur. Hæc, vt ſperabamus, haud paullo vberius in libro de Familiis explicare, conſilium erat. *P. Clodium*] eum, qui Ciceronem tribunus pl. lata ad populum rogatione, quod ciues Romanos indicta cauſſa conſul occidiſſet, publicatis bonis in exſilium egit. inimicitiarum autem cauſſa ex hoc ipſo, quo de nunc ſcribit, pollutarum cærimoniarum crimine manauit. *Appij*] hic eſt Ap. Claudius Pulcher, qui conſul fuit cum P. Seruilio Vatia Iſaurico. *C. Cæſaris,*] erat enim Cæſar Pontifex maximus, itẽque prætor: & apud pontificem maximum, eius vxore ſacrificium faciente, præſente Veſtalium virginum cœtu, Bonæ deæ pro ſalute populi ſupplicabatur: cum ea ſacra viris adſpici ne-

ci nefas esset. Pedianus hac de re, Clodius, inquit, quæstor designatus, deprehensus est cum veste muliebri, cum intrasset eo, vbi sacrificium pro populo R. fiebat. Suetonius autem his verbis in Cæsare: Pompeiam duxit, Q. Pompeij filiam, L. Syllæ neptem: cum qua deinde diuortium fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio; quem inter publicas cærimonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat, vt senatus quæstionem de pollutis sacris decreuerit. Et infra: In P. Clodium, Pompeiæ vxoris suæ adulterum, atque eadem de causa pollutarum cærimoniarum reum, testis citatus, negauit se quidquam comperisse; quamuis & mater Aurelia, & soror Iulia, apud eosdem iudices omnia ex fide retulissent. interrogatus, cur igitur repudiasset vxorem; Quoniam, inquit, meos tam suspicione, quam crimine, iudico carere oportere. Præterea Cicero ipse, Plutarchus, Valerius, epitome Liuij. quamquam epitome mendum continet, quæ stuprum illud confert in Metelli, non in Cæsaris vxorem; aperte prorsus historia refellente; quod, id temporis pontificem maximũ Cæsarem fuisse, notissimum est. opinor autem inde errorem esse natum, quod, cum ibi pontificis maximi nomen desideraretur, aliquis historiæ imperitus Metelli nomen scripsit, qui pontifex maximus ante Cæsarem fuit. Cæsarem enim in locum Metelli Pij pontificem Max. esse factum, Dio memorię prodidit. *Pro populo*] hoc sacrificium, quod fiebat in operto, in honorem Bonæ deæ, Damium appellatum, quasi minime δημόσιον. in ædem enim Bonę deæ virum introire, religiosum fuisse, Festus tradit. *Per manus seruulæ seruatum, & eductum*:] Plutarchus inductum quidem ait a seruula, sed mox a mulieribus extrusum. *M. Messalla*,] opinor hunc esse aliũ ab eo, qui præturam petiit Cicerone consule, de quo in oratione pro Sylla. opinor autem ob eam causam, quia, si prætor designatus est Cicerone consule, magistratum gessit anno proximo, Silano & Murena cos. quorum annus eum annum proximus anteceſſit, quo Messalla cum Pisone consul fuit. consul igitur Messalla designatus esset in prætura; quod inusitatum erat. is autem prætor designatus non est: multo minus consentaneum videtur, anno post repulsam præturæ proximo consulatum & petiisse, & adeptum esse.

IN EPISTOLAM XI.

Tribus tabernis] locus fuit non procul ab Vrbe: item in extrema Gallia munimentum Germanis oppositum, vt ostendit lib. 16. & 18. Ammianus Marc. *Anchoris solutis*] cum soluisses, illico nauigaturus. *Releuarit?*] contrarium contrario reddidit, iocatus in verbis, Grauiorem, &, Releuarit: cum grauiorem dicat epistolam, quæ scripta grauibus de rebus quasi pondus habet; vt tabellarius oneris partem releuare videatur, cum epistolam legat. *Cæsis apud Amaltheam tuam victimis*] Sicyonij pecuniam Attico debebant. ea causa Sicyonem ire cogitarat. sed venuste Cicero metaphoram sumpsit de re militari: quod exercituum ductores non ad bellum prius exibant, quam victimas cæcidissent. Amalthea in Epiro Attici villa, studiis & libris dicata. quemadmodum Academia Ciceronis, Puteolos inter & Auernum lacum, in litore. ep. 14. *Ad Sicyonem oppugnandum*] ad exprimendam a Sicyoniis pecuniã. est autem, auctore Plinio, ciuitas Achaiæ Sicyon. *Ad Antonium.*] in Macedoniam; quæ contingit Epirum a Solis occasu. nescio, inquit, Sicyone mãsurus quam diu sis. nam inde ad Antonium se esse profecturum, Atticus antea litteris significauerat *Achaicis hominibus,*] qui tibi, in Achaia pecunias exigenti, litteras reddant. *Primum me non esse rogatum sententiam,*] in senatu primi sententias a cõsule rogabantur consules designati, si modo post consularia comitia senatus haberetur: sin ante, rogabat consul arbitratu suo, non quem vellet ex omni senatorum frequentia, sed quẽ vellet e numero consularium. & antiquæ consuetudini dabatur, vt, quẽ ordinem interrogandi sentẽtias consul Kalendis Ianuariis instituisset, eum toto anno conseruaret. quo ordine Cæsar neglecto primum Pompeium post affinitatem consul rogare sententiam cœpit, cum antea Crassum solitus esset. Itaque, cum hoc legerem attentius, Primum igitur scito me non esse rogatum sententiam; facile conieci, Kalendas Ianuarias intelligi; quo primum die consules inito magistratu senatum habebant de rep. Quoniam autem, cum designati consules fuissent, ij sententiã primi rogabantur: venit in mentem, quæri posse, vter ex ipsis designatis prior rogaretur. nec difficile est quærenti respondere. nam me quoq; olim ex ipsa re in

re in eandem dubitationem adductum, & aliquamdiu hærentem, obseruatio vetusti moris expediuit. Sciendum igitur; siue patricius, & plebeius, siue duo plebeij designati consules essent, qui priore loco declaratus esset consul, cum in magistratu priorem quoque sententiam rogasse: ideoque rogauit in re Catilinaria non C. Antonius, sed M. Cicero, quia consul priore loco declaratus. nam genere pares erant, vterque plebeius. & hic pacificatorem Allobrogum rogat sententiam M. Pupius Piso consul, ex familia plebeia. M. Valerius Messala, etsi patricius, tamen non rogat. plebeius igitur anteponitur patricio: cur? quia priore loco declaratus consul. Vter in magistratu prior rogaret, ostendi; quo coniicitur, & vter rogaretur, cum designati essent. *Rogatum*] a M. Pisone consule. *Pacificatorem Allobrogum*,] C. Calpurnium Pisonem: quem Galliæ præfuisse, qua in prouincia sunt Allobroges, diximus in epistola prima. & opinor id Pisonem consulem dedisse propinquitati, cum C. Pisonem sententiam primum rogauit. *Homine peruerso*] ipso consule. *Tantum cauillator*,] vnum est in eo cauillandi genus, præterea nihil. Quid sit autem Cauillatio, docet ipse in 2. de Oratore his verbis: Cum duo sint genera facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum & breue: illa a veteribus superior Cauillatio, hæc altera Dicacitas nominata est. sed cum in illo genere perpetuæ festiuitatis, ars non desideretur; natura enim fingit homines & creat imitatores, & narratores facetos, & vultu adiuuante, & voce, & ipso genere sermonis: tum vero in hoc altero dicacitatis, nihil habet ars loci; cū ante illud alterum facete dictum hærere debeat, quam cogitari potuisse videatur. Nō alienum est subiicere, quid de hoc ipso Pisone in lib. de claris oratoribus. Marcus, inquit, Piso, quidquid habuit, habuit ex disciplina; maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Græcis litteris eruditus fuit. habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat; quod erat in reprehēdendis verbis versutum & sollers, sed sæpe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. is laborem, quasi cursum, forensem diutius non tulit, quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac stultitias, quæ deuorandæ nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, siue morose, vt reputabatur, siue ingenuo libero-

que fastidio. is, cum satis floruisset adolescens, minor haberi est cœptus postea: deinde ex Virginum iudicio magnam laudem est adeptus: & ex eo tempore, quasi reuocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem; postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. Pedianus autem sic. M. Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, fuit, sed tanto ætate maior, vt adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret; quod in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant litteræ. orator quoque melior, quã frequentior, habitus est. biennio tamen serius, quam Cicero, consul fuit: triumphauit proconsul de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico consulibus, ante Ciceronis consulatum. De eodem paullo post: Consul autem ille, deterioris histrionis similis, suscepisse negotium dicitur. *Genere illo morosõ*] cauillandi plura genera, sed illud morosum, cum facie risum mouemus, nulla sermonis festiuitate. Recitabo Ciceronis verba ex lib. 2. de Orat. Primum, inquit, genus, quod risum vel maxime mouet, non est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, glorioſum, stultum. naturæ ridentur ipsæ: quas personas agitare solemus, non sustinere. alterum genus est, imitatione admodum ridiculum, sed nobis tantum licet furtim, si quando, & cursim: aliter enim minime est liberale. tertium, oris deprauatio, non digna nobis. *Eius autem collega*] M. Valerius Messalla. *Leuiter inter se dissident*] Leuiter, hic non valet, parum, sed aliquantum: vt infra, lib. 2. epist. 1. Mihi, quod defendissem, leuiter succensuit. *Infectum*] inquinatum, contaminatum: a labe metaphora deducta, quæ ex oleo facta, serpit late in ea re, quam semel infecit. Vereor, inquit, ne hoc malum, natum ex Clodij scelerata libidine, deinceps ipsum ex sese alia mala pariat. paullo post aperte: Vereor, ne hæc neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum reip. malorum caussa sit. *Virum*] P. Clodium, Appij filium. epist. 10. *Virgines*] Vestales: quas sacrificio interesse solitas, Plutarchus tradit. *Rogationem promulgasse*,] proposuisse, in vulgus edidisse; (hoc enim significat Promulgare, auctore Festo) vt, si quis vellet tribunus pl. intercederet; nemine intercedente, lex ferretur: etiam ob eam caussam, vt quiuis e populo, rogatione inspecta, per otium examinare posset, antiquanda mox esset, an sciscenda. *Nun-*

da. *Nuncium remisisse.*] quod a Clodio stupratam suspicaretur. Suetonius, Plutarchus. *Quam ipse fert,*] id est, cuius lator futurus est. nam rogationi ferendæ nondum dies venerat. quæ tamen nec ipso die lata est, concursu optimatum comitijs dimissis. epist. 12. *De religione,*] de pollutis sacris. *Antiquetur.*] Antiquare & Abrogare putat amicissimus meus in suo libro idem esse: quem exempla veterũ refellunt. nam antiquat populus latam rogationem, cum perferri non sinit; abrogat autem, iam perlatam. *Operæ comparantur*] homines mercede conducti, quorum suffragijs rogatio tollatur. *Lycurgei*] acerrimi legum propugnatores, qualem fuisse Lycurgum historiæ narrant, qui Spartanis leges dedit. *Scin quem dicam?*] forte Pompeium intelligit, paucis ante diebus e bello Mithridatico reuersum. *Prætores*] in ijs erat Q. Cicero; cui deinde obtigit Asia. *Ad III. nonas Decembris,*] mendosa dies in quadã Ciceronis oratione. *Metellinam*] quam scripserat contra concionem Metelli Nepotis. legenda est epistola ad Metellum Celerem, fam. lib. 5. Gellius lib. 18. cap. 17. Prisc. lib. 9. Quinct. lib. 9. cap. 3. Fortunat. *Liber*] ipsa oratio Metellina; vt infra lib. 2. epist. 1. & alibi apud eundem, & alios quoque. *Etiam.*] etiam est, quod scribam, præter superiora. & est genus quoddam familiariter scribendi, sæpe in extrema epistola vsurpatum, vt epist. 6. lib. 2. De muro statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac vt sciam. Et epist. 19. eiusdem libri: Quid aliud? quid? hoc opinor. Et epist. 1. lib. 3. ad Q. fr. Quid præterea? quid? etiam. Atticus etiam ita videtur locutus in extremis litteris: quod indicat illud τί λοιπόν? epist. 1. lib. 6. Sumptum de communi sermone; cum aliquid nobis, præter ea, quæ diximus, de repente in mentem venit. Terentius Hecyra, actu 5. sc. 3. PAR. Nil aliud dicã? BA. Etiam cognosse anulum illum Murrhinã, &c. Et Adelph. actu 2. sc. 3. SY. Numquid vis, quin abeam? SA. Immo hercle hoc, quæso, Syre, &c. *Autronianam domum*] quæ fuerat L. Autronij Pæti: qui consul designatus, cum collega suo P. Sylla lege ambitus interrogatus pœnas dederat: deinde coniurationis nomine damnatus, exsulabat. epist. 2. lib. 3. CCCCXXVII.] tredecim millibus centum decem scuratis, vt nunc loquimur. *Amicorum facultatibus*] vt ego, qui

domum emi præclaram in Palatio, a P. Sylla pecuniam mutuatus. & innuit, Messallam ad Autronianæ domus emptionem ipsum quoq; vsum esse facultatibus amicorum. Gellius lib. 12. cap. 12. *Teucris illa*] C. Antonius, qui debitam Ciceroni pecuniam non soluebat. epist. 9. & 12. *Ista confice:*] expedi tua nomina, quæ istic habes: exige, inquit, a tuis debitoribus, vt redire ad nos mature possis.

IN EPISTOLAM XII.

Primæ concio Pompeij] quam primã habuit, ex bello Mithridatico reuersus. *Frigebat.*] iacebat, studiosum sui iam neminem habebat. *L. Fusius*] prænomen abest a Bessarionis antiquo libro: & recte abest: non enim hic L. Fusius, sed Quinctus; cui Caleno cognomen fuit: quem postea Pansę socerum fuisse, in commentarijs nostris in epistolas ad Q. fratrem satis probauimus, ex Philippicis orationibus, & ex Dionis historia, & Pediani commentarijs. *In concionem produxit.*] licebat tribunis pl. quemcumque vellent, arripere, & in concionem productum cogere pro ipsorum iure & potestate, vt, quibus de rebus esset interrogatus, ijs de rebus responderet. itaque tribunus pl. C. Carbo minorem Africanum, excisa Numantia redeuntem, ab ipsa porta in concionem cum produxisset, quid de Ti. Gracchi nece sentiret, interrogauit. *Quo consilio*] quibus iudicibus vteretur in caussa Clodiana. *De Clodiana religione*] de sacris Bonæ deæ, Clodij scelere contaminatis. *Promulgata rogatione*] ab ipso & Pisone consulibus. *De istis rebus*] malim, De nostris rebus, id est, in consulatu gestis. de coniuratis enim intelligit suppsicio affectis. quod factum Pompeius satis a se probatum significabat, cum senatus omnia consulta γενικῶς laudasset. nam Cicero animaduersione illa vsus fuerat auctore senatu: vt, qui senatum laudaret, Ciceronis idem acta confirmare videretur. In hac ipsa epistola paullo post, An, inquit, esse tantas res nostras, quæ tam libenti senatu laudarentur? Et infra, epist. 14. De nostris rebus nimium diu tacuerat Pompeius. Et lib. 2. epist. 1. Videtur posse aliquid nostris rebus lucis afferre. *Quod hi suspicarentur homines*] hi, quibus præsentibus Pompeius loqueretur, & a quibus laudem excepisset. *Suspicarentur*] nõ dicit, Viderent, sed, Suspicarentur; propterea q̃ Pompeius

Pompeius tantum modo γενικῶς senatus decreta laudauerat, de Ciceronis rebus nominatim nihil dixerat; sed ex laudatione senatus, quid de Ciceronis consulatu sentiret, coniiciebant. *In aristocratia*] tum, cum optimatis personam maxime sumo. nam ἀριστοκράτεια, status est optimatum in rep. A duobus tamen antiquis libris, Bessarionis, & Caualcantis, & a vetere libro Vrbinatis bibliothecæ, abest hoc, In aristocratia. & (opinor) recte abest. *Varie pingere*] admodum exornare: μεταφορικῶς: quia varietas in pictura delectat. *De flamma, de ferro*] cum incendiis vrbem, ciuitatem cæde, mea vigilantia, meaque virtute dico esse liberatam. *Nosti illas λυκύθους*] non discedit a translatione. nam, vt pictores ἐκ τῶν λυκύθων, quæ sunt ampullæ pigmentorum, sumunt quæ ad colorandum apta nouere: sic orationem suam Cicero cum volebat eloquentiæ veluti coloribus illustrare, ad illa loca, de flamma, de ferro, quasi ad suas λυκύθους, confugiebat. Et Plin. lib. 1. epist. 2. eodem verbo vsus est, eadem sententia: Marci, inquit, nostri λυκύθους non fugimus. In libro tamen Græcarũ dictionum, qui Λήκυθος interpretatus est, hunc Ciceronis locum nominans vertit, Vniformis dicendi copia; sententiam, vt mihi quidem videtur, non assecutus. *Vtrum, Crassum*] genus loquendi a veteribus vsurpatum, cum, de duabus rebus vtram crederent, ignorabant. Tale fere illud est epist. 6. l. 11. Is dicitur vidisse, an euntem, an iam in Asia? & illud ep. 2. Nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? *Meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus*] locus est huiusmodi in oratione pro lege Manilia: vbi Pompeium ita laudat, vt, quod illi tribuit, Crasso detrahat, qui seruile bellum solus confecerat. locus hic est. Testis est iterum, & sæpius Italia; quæ, cum seruili bello tætro periculosoque premeretur, ab hoc auxiliũ absente expetiuit: quod bellum expectatione Pompeij attenuatum atque imminutum est, aduentu sublatum ac sepultũ. In oratione etiam pro Sextio de eodem Pompeio sic: Ille vir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras, atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam seruitia virtute victoriaq; domuisset. *Ab illo*] a Pompeio. ἀνεπερπειρασάμην,] ostentaui me, adulatus sum. fortasse legendum, ἀνεπερπερεύ-

σάμην: a notiore verbo, περπερεύομαι. quo vtitur Paulus in epistola ad Corinthios, & Petrus Alexandrinus martyr: cuius verba: πεπίωκασιν ἐκπερπερευόμενοι: explanat Theodorus Ballamo: πεπίωκασιν ἐκ περπερείας, ἤτοι ἀλαζονείας. *Nouo auditori.*] modo enim redierat Pompeius, Mithridate deuicto. ἐπιχειρήματα] sententia probat hanc dictionem. quos tamen vidimus Caualcantis & Bessarionis antiquos libros, eam nō habent, sed eius loco; Si umquam mihi περίοδοι, si χαρποὶ, si ἐνθυμήματα, si κατασκευαὶ, &c. quibus item verbis eloquentiæ vis indicatur. *Hæc erat ὑπόθεσις,*] argumentum hoc erat orationis meæ, de grauitate senatus, qui, Catonis sententiam secutus, de coniuratis sumendum supplicium censuerat; de equestri concordia, cum equites Romani ad opprimendam coniurationem cum senatu mire consenserunt; vt in oratione pro Sextio, & apud Plutarchum: de cōsensione Italiæ, quæ senatus cōsultum de puniendis nefariis ciuibus apprime laudauerat: de immortuis reliquiis coniurationis, hoc est de supplicio affectis Lentulo, Cethego, Cepario, Statilio, Gabinio, reliquiis cōiurationis in vrbe, Catilina emisso: de vilitate quę in vrbe fuit ipso cōsule: multis. n. cōsulib. infamiæ fuit, quod eorū anno ciuitas caritate laborarit, quā vitare prouidentia potuerint: de otio, qd ciuitati consul peperit cōiuratione oppressa: vt in 1. de Off. magnifice gloriatur his verbis: Nobis rēp. gubernantibus nō togæ arma cessere? neq; enim in rep. periculū fuit grauius vmquā, nec maius otiū. ita cōsiliis, diligētiaq; nostra celeriter de manib. audacissimorū ciuiū delapsa arma ipsa ceciderunt. quæ res igitur gesta est umquam in bello tanta? quis triumphus cōferendus? ἔρδος πάχος.] seuerus, & fortis, vt Athenis Ariopagitarum consilium, a Solone constitutum. *Ferendæ,*] ad populum. *Barbatuli iuuenes,*] dictum cum lasciuiæ nota. nam apud Romanos, barbam alere, moris non erat. ep. 14. Gellius lib. 3. c. 4. *Grex Catilinæ,*] magnam manum nobilium adolescentum Catilina, variis lenocinum illecebris captam, ac deuinctam consuetudine tenuerat; vt qui, pro cuiusque studio, aliis scorta præberet; aliis canes, atque equos, sua pecunia emptos, dono daret; postremo neque sumptui, neque modestiæ suæ parceret, dum illos sibi obnoxios fidosque efficeret. Sallustius, & hic ipse in oratione pro M. Cœlio. *Filiola Curionis*] filio C. Curionis; qui consul

consul fuerat cum Cn. Octauio. sed filiolam vocat ad mollitiem & impudicitiam indicandam. Hic est C. Curio, qui, Cęsaris postea partes secutus, in Africa periit. cuius pater in senatu pro Clodio sensit. in quem etiam, & Clodium, Ciceronis oratio nominatur a Nonio, Rufiniano, Quinctiliano. *Antiquaret*] rogationem. ep. 11. *Lator rogationis*,] non quod iam ferret, sed quod eo die laturus esset: nõ tulit autem, quia, bonis viris manifestam largitionem in re turpi, & consulis Pisonis improbissimam suffragationem non ferentibus, comitia sunt dimissa. *Pontes occuparant*,] quibus cistæ suffragiorum superimpositæ. pontes igitur occuparant operæ Clodianæ, vt ex iis quas vellent tabellas suffragium laturis ministrarent, eas inquam dumtaxat, quæ inscriptæ essent, A. id est, Antiquo. nam, in quibus, V.R. id est, Vti rogas, scriptũ erat, earum nulla dabatur. Libro 1. rhetoricorum ad Herennium: Cæpio, vt Saturninum contra senatusconsultum, intercedentibus collegis, legem de semissibus & trientibus aduersus remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deiicit; impedimento est, quo secius feratur lex. Et Cicero libro 3. de legibus: Pontes etiam lex Maria fecit angustos. Pontes puto fuisse mensulas angustissimas pedibus altioribus, Pontes ad similitudinem dictas, non ad veritatem. & singulas coniicio singulis tribubus aut centuriis appositas, cistis superstratas, suffragiorum tabellas continentibus. qua de re dictum est in libro nostro de legibus. *Ministrabantur*,] suffragium laturis distribuebantur. *Vt nulla daretur, Vti rogas.*] cum populus in campum Martium conuenerat, uti rogationem aliquam aut acciperet, aut antiquaret; tabellæ singulis binæ dabantur, diuerse inscriptæ; altera sic, Vti rogas; qua significabant, se rogationem accipere, & velle vti rogasset is, qui rogationem tulisset: altera cum littera A: quæ erat antiquatæ, id est sublatę rogationis nota. Liuius libro 10. Ego hanc legem, Quirites, quod bonum, faustum, felixque sit vobis ac reipublicæ, vti rogastis, subeundam censeo. tamet[si] suspicor mendose scriptum in Liuio, Rogastis. non enim populus rogat, sed rogatus iubet. mallem igitur, Rogati, aut, Rogati sitis: vt & lib. 33. Omnes quinque & triginta tribus, vti rogatę, iusserũt. Libro autem de legibus 3. Vos, inquit, legem, vt video, antiquastis sine tabella. *Nulla*]

corrupti igitur, qui tabellas ministrabant, cum ea tantum darent, quibus antiquari rogatio posset. *Rostra Cato aduolat:*] inde concionaturus, maxime in Pisonem consulem. nam de Rostris ad populum concionabantur. *Vt consules populum, &c.*] refertur hoc ad verbum, Decerneretur. quod aut sequitur, Accipiendam; intellige, probandam. Sic etiã lib. 3. de Off. C. Mancinus rogationem suasit eam, quam L. Furius & Sex. Atilius ex S. C. ferebant; qua accepta, est hostibus deditus. *Curioni*] contra quem & Clodium Ciceronis oratio nominatur a Quinctiliano, Nonio, Rufiniano, & hic epist. 15. lib. 3. *Nullum S. C. facienti*] Curionis erat sententia, vt senatusconsultum, de promulganda rogatione factum, tolleretur. ei ita sentienti haud plures quam quindecim homines assenserunt. quid autem Curio spectabat? hoc videlicet; vt, sublato senatusconsulto, a populi iudicio, cuius seueritatem pertimescebat, ad prætorem, eiusque consilium, in quo tum gratiæ, tum pecuniæ futurus locus esset, quæstio de incestu Clodii transferretur. senatus populum iudicem volebat; quẽ intelligeret maiore negotio corrumpi vniuersum posse, quã prætorem, & certum iudicum numerum, qui prętori in consilio assiderent. ergo non de iudicio, sed de iudicum genere, dissidebant. *Fusius tertium conceſsit.*] tertium cessit, cum ante bis cessisset. vel potius, Tr. tum cessit: vt sit Tr. pro, Tribunus. nam veteres quandoque & Trib. & Tr. scribebant: quod vtrumque valebat, Tribunus vnitatis numero: multitudinis, Tribb. & Trr. sicuti Prætt. & Prr. de prætoribus. potest enim ita disputari. Fusius tertium concessit: falsum est. neque enim ter actum est in senatu de Clodiana re: neq; Fusius ante cesserat: cuius etiam opera factum erat, ne a senatu asperius decerneretur, vt ait Pedianus in Miloniana. rectius igitur, Tum cessit, videlicet cum tam frequenti senatu agi, & decerni rem videret: ideoque Clodii miseræ conciones destituti a tribuno, infensis patribus. Bessarionis tamen antiquus liber, itẽque Caualcantis, Tertium concessit. *Miseras*] sine auctoritate, quibus fidem populus nõ haberet aut miseras, humiles, ad misericordiam eliciendam. *Lucullum, Hortensium, C. Pisonem,*] L. Licinium Lucullum, Q. Hortensium, C. Calpurnium Pisonem, omnes consulares. *Messallam consulem*] M. Valerium Messallam: sed, cum alter esset eodem prænomine

mine, is qui cōsul postea fuit cum Cn. Domitio Caluino, differentiæ causſa, consulem, adiecit. *Tantum*] contumeliosis verbis in me non vtebatur: hoc vnum dicebat, comperisse omnia, & me auctore fieri, quæ contra ipsum fierent. *De prouinciis prætorum*,] vt proximi superioris anni prætoribus prouinciæ decernerentur. *De legationibus*,] audiendis: quod Februario mense, quo scripta est epistola, fieri solitum, multis locis facile est animaduertere: vt ad Lentulum: Senatus haberi Februario toto non potest, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. & ad Q. fratrem: Sancit lex Gabinia, vt ex Kalendis Februariis vsque ad Kalendas Martias legatis senatus quotidie detur. *De ceteris rebus*,] decernebat senatus, vt, antequā rogatio de incestu Clodiano lata esset, nihil omnino ageretur. *Vno vitio minus vitiosus*,] Piso consul animo est bonis viris infenso; re minus nocet, quia tardissimus est, & in agendo minime omnium efficax. ita minus vitiosus est, quod inertiæ vitium habet. *Illam concionem*,] quam habuit productus ad populum a Fusio tribuno pl. ep. 12. *Pseudocatone*,] ita studioso partium bonarum, vt Catoni simillimus existimetur. Τεῦχρις] C. Antonius persoluit, quod promiserat. idem ep. 10. & 12. *Reliquum dodrantem*] vniuersa hereditas libræ siue assis nomine significatur: & quia dodrans nouem vnciarum est, factum, vt nouem item hereditatis partes dodrante significentur. ergo Argiletani ędificii heres erat Quinctus ex quadrante, quæ quarta pars est, vt in libra, sic in hereditate: reliquum dodrantem, hoc est reliquas nouem partes, emit a coheredibus. HS DCCXXV,] septingentis viginti quinque millibus; id est, ad nostratis pecuniæ rationem, scutatis vno & viginti millibus, septingentis quinquagenis. *Venditat*] venale proposuit, proscripsit. *Ingratiam redi:*] hortatio est, cum spe reconciliationis. infert enim: Videro hominem: renauabo operam. *Videro hominem: valde petitur: renauabo operam.*] alloquar hominem, experiar an eum tibi restituere possim. valde enim hoc petitur a communibus videlicet amicis. ego autem nauabo eandem operam, quam nauaui antea.

IN EPISTOLAM XIII.

Asiam] eam Quinctus per triennium administrauit. ep. 1.

lib. 1. ad Q. fratrem. *φιλέλληνες*] quia Græcis litteris præter ceteros delectamur. Asia enim in Græcia esse dicebatur, & Græco sermone Asiatici omnes vtebantur. ideo in epistola ad fratrẽ Græcos sæpe vocat homines Asiaticos, & aliis in locis. & M. Cœlius in epistola ad Ciceronem, Turpe, inquit, tibi erit, me pantheras Græcas non habere. *Curaque, & effice,*] cum scilicet in Asia fratris legatus eris. id enim Cicero futurũ opinabatur. sed omissam ab Attico prouinciam, perspicuum est infra, epist. 14. & 15. & in eius vita. *Ipsi Quincto*] in Asiam proconsulari cum imperio proficiscenti. *De tuo negotio.*] de exigenda a Sicyoniis pecunia.

IN EPISTOLAM XIV.

De iudicio,] quo P. Clodius est absolutus. *Υστερον πρότερον*] primum enim respondebo, cur ego minus, quam soleam, prœliatus sim: deinde, quod tu primum quæsieras, id ego secundo loco rescribam, quid acciderit de iudicio Clodiano. *Ὁμηρικῶς.*] Homeri exemplo, qui hysterologia sæpe vtitur. *Defendenda fuit,*] Pugnaui, inquit, vt omnino, quẽ admodum senatus decreuerat, rogatio de incestu Clodiano ad populum ferretur; acriterque in eo senatus decretum, auctoritatemque defendi. *Ille*] P. Clodius. *In Pisonem, in Curionem,*] qui Clodio fauebant. & Pisonem consulem intelligit. *Nisi iudicum genus*] Fusius enim a prætore & eius consilio fieri iudicium volebat; in rogatione autem consulari, vt populus iudicaret, scriptum erat. *Contraxi vela,*] qui antea caussam Clodianam vehementer oppugnaueram, destiti, & contentionem omisi, cum ex inopia iudicum haud dubie coniicerem, quis exitus iudicii futurus esset. *Pro testimonio,*] cum Clodius iudicibus se probaturum affirmaret, quo die in sacris Bonæ Deæ deprehensus diceretur, eo die Interamnæ apud C. Cassinium Scholam fuisse; Cicero contra testatus est, eo die se Clodium domi conuenisse, & allocutum esse. Plutarchus. *Ita notum atque testatum,*] notissimum enim erat, & maxime testatum, Clodium eo die Romæ fuisse. *Illum in infamiæ reliqui sordibus*] nam, si Fusius intercessione impediret, quo minus de re Clodiana populus iudicare posset; itaque iudicium de Clodio nullũ fieret; Clodius tamen in infamiæ sordibus iaceret: quem non innocentia

centia videretur in iudicio seruasse, quod fortasse nunc videri potest, sed tribunus nocentem iudicio etipuisse. *Infirmo iudicio*] quod facile corrumpi posset. firmissimum autem, & integrum ab omni labe, populi iudicium fuisset. *Plumbeo gladio iugulatum iri*] quouis iudicio condemnatum iri. nã, vt ex plumbo gladius acie minus esset firma, quam qui e ferro: sic iudicium populi, quasi ferreus gladius plumbeo comparatus, multo esset firmius, quam iudicium a prætore datũ. *Vt reiectio facta est*] acculator & reus in iudicio reijciebant, quos aliqua de caussa sibi infensos fore suspicarentur. in caussa Milonis quinos ex singulis ordinibus reiectos, Pedianus docet. *Clamoribus maximis*,] clamores oriebantur, quia reus & accusator iudices reijcerent admodum dissimiles, hic homines nequissimos, ille optimos & integerrimos. *Accusator*,] Lentulus, de quo in oratione de haruspicum responsis. *Tamquam censor bonus*,] censores enim eijciunt e senatu, quos nequam & improbos nouerunt. *Tamquam clemens lanista*] lanistæ non gladiatores sunt, vt sensit amicus meus in suo libro, sed gladiatorũ domini, & magistri, qui gladiatorum familias in ludo exercerent, & locarent. patet ex epistola M. Antonij, Philippica 13. & ex oratione pro Sex. Roscio, & ea, quę est in Pisonem, in qua rempublicã lanistæ comparat, quia Gabinium & Clodiũ, tamquam lanista suos gladiatores, pugnantes spectaret, & vtriusque interitum, quia malum vtrumque ciuem nosset, ita cuperet, vt lanista duorum gladiatorum, quos male se gerentes videret. *Frugalissimum*] quia dixerat, Nequissimos, contrarium contrario reddidit. & respexit ad pecuniam; qua frugi homines egere non solent; quo spei minus est, in iudicio corrumpi posse. tales igitur reijciebat Clodius; retinebat minime frugales, id est egentes. *Vt appellantur*,] ærati appellabantur, quia pecuniam acceperant, vt Clodium absoluerent. itaque iocus a facetis hominibus in mutatione nominis quærebatur; cum eos appellarent Æratos tribunos, qui Ærarij appellari soliti essent. Varro lib. 4. Quibus attributa erat pecunia, vt militi redderent, tribuni ærarij dicti. Pedianus quoque, Pecunia, inquit, attributa dicitur, quæ in stipendium militum adnumerari de ærario a tribunis ærarijs quæstori solet. Ærati igitur ob acceptam a Clodio pecuniam, vnde

illis hoc nomen hæsit: aut Ærati, quod essent ære alieno obstricti. nam & nudos equites dixit. Consilium iudicum e triplici ordine constabat, senatoribus, equitibus, tribunis ærarijs. antea soli senatores lege Cornelia L. Syllæ dictatoris iudicauerant. postea legem de communicandis inter tres ordines iudicijs tulit L. Aurelius Cotta prætor, Q. Hortensio oratore, & Q. Metello Cretico cos. de quo Pedianus, & alij. Illud verisimile videtur, sententiã de reo plures senatores, quã equites, & plures equites, quam tribunos ærarios, tulisse: vt esset præstantioris ordinis maior numerus. adiuuat hanc opinionem Pediani locus in extremo commentario orationis pro Milone. iudicasse enim ostenditur XVIII. senatores, XVII. equites, XVI. tribunos ærarios. in commentario autem orationis pro Scauro minimus videtur esse numerus senatorum, maximus tribunorum: contra quam ego existimo: nam ratio postulat, eos præstare numero, qui dignitate præstant, Itaque mendosum esse locum suspicor, & legendũ, IV. & XX. senatores, non II. & XX. item XXII. tribunos, non XXV. in quo mutationis minimum fit, si quis antiquas notas consideret. Nec dubium, quin plebeij generis tribuni ærarij fuerint: cum in iudicijs plebem referrent. Sed eos inter diuites in prima classe censos esse arbitror: quippe pecuniam in stipendia erogandam non nisi locupletibus commissam credibile est. Addo illud, quod mihi, nullo veterum testimonio, tamen consentaneum videtur, ita ternos e singulis tribubus delectos esse tribunos ærarios, vt essent omnino CV, sicuti centum viri e singulis tribubus, quæ XXXV. omnes erãt, terni creabantur: quorum numerus erat CV, licet centũ viri nominarentur. *Tui cives*] Athenienses. etsi ciuitatis beneficio, ab Athenienſibus delato, noluisse Atticum vti, Nepos tradit. respexit igitur non ad ius ciuitatis, sed ad Pomponij cognomen. Etiam infra lib. 2. epist. 1. Tuus, inquit, ille ciuis Demosthenes in Philippicis orationibus enituit. *Xenocratem*] hic, testimonio dicto, cum ad aras, vt mos Græcorum est, iurandi causa accederet; vna voce omnes iudices, ne iuraret, reclamarunt. in oratione pro Balbo, & apud Valerium. *Tabulas Metelli Numidici*,] Q. Metello, Quincti filio, Numidico, causam dicente de pecunijs repetundis, cum ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuit iudex ne-

dex nemo, ex illis equitibus Romanis, grauissimis viris, quin remouerer oculos, & se totum auerteret; ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verum ne an falsum esset, videretur. in oratione pro Balbo. *Abiens consulatu,*] cum in concione consulatum pridie Kalendas Ianuarias deposuit. deponebant enim eo die. *Domum reductus.*] eius frequentiæ mentionem facit his verbis in oratione in Pisonem: Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, vt nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero videretur. *Præclari Ariopagitæ,*] ironia. nam Ariopagitæ vere & religiose iudicabant: at in Clodiano iudicio plerique iudices pretio sententias vendiderunt. *Ad consilium.*] actum est in consilio iudicum, num a senatu præsidiũ esset petendum, quo tutius iudicare possent. omnes, præter vnum, censuerunt. *Datur negotium magistratibus.*] vt præsidium iudices habeant. Ἔ*αστε*] cum Homerus Iliados π, stragem illam, quam Hector, igne in Græcorum naues iniecto, edidit, explicare aggreditur, Musarum opem implorat his versibus:

Ἔ*αστε νῦν μοι μῶσαι* Ὀ*λύμπια δώματ' ἔχουσαι,*
Ὅ*πως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν Ἀχαιῶν.*

Cicero autem, cum iudicij corrupti narrationem orditur, ludens, quasi in re magna, eosdem versus vsurpat, sed ita, vt, more suo, eos non integros recitet. *Nosti Caluum,*] M. Crassum, vt puto, significat, tribus modis eum designans, primum a caluitio; deinde, ex Nanneianis cum appellat; postremo, cum dicit, Illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. nam, laudatum a Crasso Ciceronem, apparet in epistola, quæ ante proximam legitur. Surrexit (inquit) Crassus, ornatissimeque de meo consulatu locutus est, vt ita diceret, se, quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod viueret, mihi acceptũ referre. Et quia Crassus Sylla dictatore ingentes diuitias congesserat, bonis proscriptorum paruo pretio emendis; Nanneij autem proscriptorum e numero fuerunt, quorum bona a Crasso empta verisimile est, indeque eum non mediocriter fuisse ditatum: per iocum appellat eum ex Nanneianis; quasi dicat, Nanneiorũ facultatibus ditatum. Nanneios autem dictatore Sylla pro-

scriptos, & interemptos fuisse, cognoscitur ex libro, quem ad Marcum fratrem Q. Cicero scripsit de petitione consulatus. *Et eum ex ludo gladiatorio,*] veteres in magna seruorũ multitudine habebant, quos in ludo gladiatorio docendos, exercendosque a laniſtis, id est a magistris, curarent; quos deinde populo spectandos loco muneris exhibebant. *Et eum*] nõ modo seruum, sed seruum ex ludo gladiatorio, hoc est ex omnibus vilissimum. nam alij colebant artes nobiliores, litteras, musicen, picturam, & huiusmodi. *Confecit totum negotium*] iudices corrupit. *Intercessit, dedit.*] partim promisit se daturum, partim etiam dedit. tale illud lib. 6. epist 1. Adscribit, intercessisse se pro ijs magnam pecuniam. Et illud oratione 2. in Antonium: Orabat Curio, vt te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te interceſſisse dicebat. *Introductiones*] antiquus liber Vrbinatis bibliothecæ, Productiones. quod est verbum in eiusmodi re satis aptum, vt exemplis constat. *Summo proposito periculo*] quia plenum forum erat seruorum. *Vel perire*] cum sibi mortem, si Clodius damnatus esset, impendere cernerent ab ijs seruis, quorum plenum fuisse forum, proxime dixit. *Perdere omnia.*] totam remp. euertere; quam in iudicio esse positam, plane constat. maluerunt igitur recte sentire, etiam si rectum sensum consecutura mors esset, quam sententias ferre, contra quam leges & iura præscriberent: quod si feciſſent, actum esse de vniuersa rep. opinabantur. quasi, Clodium seruare, & remp. perdere, idem esset. *Catulus*] Q. Lutatius Catulus consularis, quem Sylla dictator optimum virum appellauerat. Plutarchus in Pompeio. XXXI. *fuerunt,*] ergo iudices fuerunt in causa Clodij quinquaginta, & vnus, totidem, quot in Milonis causa, in qua senatores iudicarunt XVIII. equites XVII. tribuni ærarij XVI. hoc ex Pediano. *Factum esse sciebant,*] incestũ Clodij significat. *Caluum, & Plautum, & Spongiam,*] iudicum cognomina; quos quasi per contemptum nominat. nam Caluus, & Plautus, & Spongia, cognomina sunt a partibus corporis male affectis, & a vitijs imposita. *Cum religio, cum pudicitia,*] religionẽ Clodius polluit, cum ingressus est eo, vbi sacra Bonæ deæ virgines Vestales celebrabant; pudicitiam violauit, quia in ijs sacris adulterium cum Pom-

pei-

pcia commisisse putabatur. hæ autem conciderunt, quia violatas vlti iudices non sunt. *Iudiciorum fides,*] quæ concidit, corruptis a Clodio iudicibus. *Senatus auctoritas concidisset,*] quo modo concidisse videtur senatus? quia factum non est, quod senatus censuerat, vt populus de Clodiano incestu iudicaret. *Nulla in re consistere vmquam sum passus:*] omnibus in rebus ei sum aduersatus. *Desponsam homini iam Syriam*] propemodum senatus promiserat & desponderat Pisoni Syriam prouinciam, vt eam anno proximo proconsul administraret. Cicero contra pugnauit, & desponsam ademit, cum diceret, non esse habendam eius rationem a senatu, cuius opera senatus auctoritas concidisset. nam per Pisonem steterat, quo minus rogatio ex senatusconsulto ad populum ferretur; vt epist. 11. Piso operam dat, vt ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S.C. & de religione, antiquetur. & epist. 12. Piso consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. *Abiectum*] quod videret, in iudicio Clodiano victam veritatem improbitati cessisse. *Contentionis,*] in ipsa altercatione omnia, inquit, habere tum vim, tum venustatem videbantur; quæ nunc si a me perscriberentur, prorsus vt languida insulsaque iacerent: itaque pauca narrabo. *Ἀγῶνα vos appellatis.*] Atticū vt hominem Græcum agnoscit, quia diu vixerat Athenis, vnde cognomen Attici retulerat. *Vna plaga accepta,*] in Clodij absolutione. *Ne aut ignorando*] hoc membrum refertur ad illud, Neque dissimulandum. alterum membrum desiderari videtur; vt, quoniam duo proposuit, ignorationem & timorem, sit, quod vtrique reddatur: idque etiam postulat disiunctiua particula, Aut. *Lentulum,*] eum, qui cum Catilina coniurauit, & in carcere necatus est. Sallustius, Plutarchus, alij. *Catilinam,*] etiam in oratione in Pisonem, At contra, inquit, bis Catilina absolutus. emissus etiam ille auctor tuus prouinciæ, cum stuprum Bonæ deæ puluinaribus intulisset. ego tamen ter absolutum Catilinam inuenio; primum, de incestu, quod Fabiam, virginem Vestalem, stuprasset, Hortensio & Metello cos. idque Orosius libro sexto, & Pedianus in commentario orationis contra competitores tradiderunt. Iterum, crimine inter sicarios, ob necem M. Marij Gratidiani, Cæsare & Figulo cos. quod apud Dionem libro trigesimo sexto scriptum est. id etiam

Cicero significat in oratione pro Sylla, cum ait: At idem non affuit alio in iudicio. Tertio, repetundarum ex Africa, Cotta & Torquato cos. vt Ciceronis, Quincti fratris in libello de petitione consulatus, Pediani testimonio probatur. Quid igitur? an ab historia dissentit Cicero? minime: sed, cũ Catilinã, item vt Clodiũ, cõtra leges absolutũ velit significare, de trib. absolutionibus vnã omittit, in crimine scilicet incestus, ne Fabiæ, Terentiæ vxoris suæ sorori, turpẽ impudicitiæ notã inureret; quã etiã in oratione cõtra competitores expertẽ culpę dicit fuisse. loquitur igitur de ijs iudicijs, in quib. Catilina, cũ culpã cõmisisset, absolutus tamẽ est; repetundarũ scilicet ex Africa, & inter sicarios. quibus criminibus manifeste tenebatur. *Pulchellus puer,*] ludit in formã, & cognomen Clodij: in formam, quia facie puellæ similis erat, vt scribit Plutarchus in Cæsare & Cicerone: in cognomen, quia Clodius Pulcher, cognomine Claudiæ familiæ patriciæ, appellabatur. erat enim & altera Claudia familia plebeia, in qua Marcellorum cognomen. Adscriberem alia de Claudiorum gente; sed neque locus exigit, & reseruantur antiquitatum Romanarum libris. Furor Pulchelli, infra quoque dixit. *Baias.*] Baianas aquas; quo tum valetudinis, tum etiam lasciuiæ caussa frequentes conueniebant. *Falsum*] aptius fortasse, Salsum: vt ironia sit, hoc sensu: Salse vero, Clodi, & peruenuste, opinor, tibi videris dixisse, cum obiecisti, me ad Baias fuisse. verum non sentis, quam hoc sit frigidum? at concedo: falsum est, & acutum, quod in me coniecisti: notasti perbelle mollitiem meam, qui balnea delicatus homo petierim: quid tum? conferamus nostrum vterque factum. ego ad Baias, tu in operto fuisti: num quæ similitudo? nulla prorsus. nã mea mollities cum tuo scelere non videtur esse comparanda. *In operto*] cum in intimam Cæsaris domum, vbi Vestales in operto sacra faciebant, muliebri vestitu penetrasti. Ita locutus est Paradoxorum 5. cum, eundem Clodium exagitans, Familiarissimus, inquit, tuus de te priuilegium tulit, vt, si in opertũ Bonæ deæ accessisses, exsulares. quo modo igitur, tot legibus eiectus in exsilium, nomen exsulis non perhorrescis? Romæ sum, inquis: & tu quidem in operto fuisti. *Homini Arpinati*] quasi semirustico. nam, si homo Romanus ad aquas calidas iret, ferendum: si Arpinas, non item. *Aquis calidis?*] Baianis.

Baianis. calidæ enim balneorum aquæ. *Patrono tuo,*] sorori tuæ. Patronum appellat, quia mulier potens, & amatorum gratia valens, Clodium sæpe non secus ac patronus defenderet: cuius etiam opera Sex. Clodium fuisse absolutum, legitur in oratione pro Cœlio. *Qui Arpinates aquas concupiuit.*] quæ me, hominē Arpinatem, quem tu derides, sibi coniugem optauit. Plutarchus in Cicerone. *Nosti enim marinas.*] cum stuprum a piratis passus es. de quo in oratione de haruspicum responsis. *Cum Rex tui mentionem, &c.*] Q. Marcius Rex, qui vnam e Clodij sororibus, vt ait Plutarchus, in matrimonio habuerat, moriens in testamento nullam Clodij mentionem fecit. Clodius autem fore speraverat, vt heres ab eo relinqueretur. *Domum, inquit, emisti.*] omnino fuit hoc Ciceroni inuidiosum: qui, cum homo nouus esset, domum emisset in Palatio, quæ P. Crassi fuerat, viri cōsularis. idque etiam ei Sallustius obijcit in oratione. emit eam Cicero HS tricies quinquies, vt est in epistola ad Sextium, fam. lib. 5. cum a P. Sylla, qui tum reus erat, mutua vicies accepisset: quod Gellius refert lib. 12. cap. 12. *Iuranti tibi non crediderunt.*] quia cum Cicero iuratus, vt mos erat, testimonium in Clodium reum dixisset, iudices tamen eum absoluerunt. Pedianus de testium iureiurando. xx *iudices*] qui te suis sententijs condemnarunt. Plutarchus in Cicerone xxv. memorat, qui Clodium damnarint, xxx. qui absoluerint. xxxi,] qui te, nummis ante acceptis, absoluerunt. *Nam & illud*] alterum Et, quod huic respondeat, videtur desiderari. sed Cicero sæpe particulam, dictionem ve, quæ exspectatur, omittit; neque tamen cœptam sententiā absoluit. vt hic alterum Et, omisit, atque eius loco intulit, Accedit illud. & in epistola ad Cœlium, cum initium epistolæ fecisset, Primum tibi, vt debeo, gratulor: non subiunxit, Deinde: sed sententiā potius attendens, quam verba, intulit pro Deinde, Tum vero, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio. *Missus est sanguis inuidiæ*] profuit nobis ad exstinguendam inuidiam, videri nostrum testimonium non valuisse. Sic & Liuius lib. 3. Dandus, inquit, inuidiæ est sanguis. *Sine dolore:*] paruo meo damno, haud magna mea mercede. & μεταφορικῶς dixit, sine dolore, quia bene habet, cum sanguis mittitur sine dolore ægrotantis. *Fautores illius flagitii*] illi ipsi, qui Clo-

dium absolutum voluerunt, nunc absolutionem pretio emptam confitentur. *Concionalis hirudo ærarii*] quæ in concionibus nullum poscendi finem faceret, insatiabilis vt hirudo. &, Hirudo ærarij, quia omnis publica largitio, siue in plebem, siue in quem velis alium facta, opes imminuit ærarij. Et Ærarium intellige, de pecunia ex annuis vectigalibus coacta. erant enim duo præterea, quæ sanctiora vocabantur. vide, quæ diximus epist. 15. lib. 7. *Comissatores coniurationis*] Catilinæ consortes in coniuratione: quem supra gregem vocauit Catilinæ, epist. 12. *Gladiatoribus*] cum munus gladiatorium significare vult, Gladiatoribus, dicit. vt lib. 2. epist. 1. Quærit ex me, num consuessem Siculis locum, gladiatoribus, dare. Et Philippica 9. item in epistola Asinij, lib. 10. fam. & Dare gladiatorium, Pedianus dixit, cum subintelligeret, munus. Ἐπισημασίας] significationes, vt plausum, & quæ præterea beneuolentiam significant. *Sine vlla pastoricia fistula*] sine vllo sibilo. nam odium sibilo, amor plausu significatur: vt in oratione pro Sextio. pastoriciæ vero fistulæ sonus a sibilo non longe distat. itaque & συρίζειν pro sibilare, & fistula sonum edere; σύριγγα vero pro sibilo, & fistula pastoricia reperimus. Qua de re scripsit ingeniose & erudite Antonius Muretus in Variarum lectionū libris. *Trudit*] quod eius opera futurum speraret, vt ea, quæ Mithridatico bello egisset, confirmarentur. quod tamen, ob Afranij ignauiam, & inimicorum potentiam, consecutus nō est. Dio lib. 37. *Auli filium:*] L. Afranium: quem ad petendum sequentis anni consulatum Pompeius trudebat. petijt autem, & obtinuit. bello Mithridatico legatus Pompeij fuerat. bello ciuili, legatus eiusdem cum Petreio fuit in Hispania. victum, & post impetratam veniam arma inferentem Cæsar interfecit. Auli autem filium ideo vocat, opinor, quod pater nullo honore, nulla virtute insignis fuisset: quasi per contemptum. etiam infra, Auli, inquit, filius, quam ignauus, & sine animo. & epist. 18. *Sed quibus, &c.*] nummis. *Deterioris histrionis*] histrionis similis est M. Piso consul, sed non boni histrionis. est enim cauillator genere illo morosо, quod etiam sine dicacitate ridetur. epist. 11. *Diuisores*] qui populo pecuniam diuiderent, vt consulem Afranium crearet. *Catone & Domitio*] affinitate coniunctis. nam Catonis sororem habebat

habebat Domitius in matrimonio. Plutarchus. *Inquiri*] num domi diuisores haberent. *Cuiusmodi diuisores haberent*] legendum fortasse vel, Cuiuscuiusmodi, pro, qualescumque; quod honestis etiam de caussis domi possent diuisores haberi. & in epistolis, quæ Familiares dicuntur, lib. 4. epist. 7. vbi scriptum est, Cuiusmodi res esset, libri sunt veteres, in quibus legitur, Cuiuscuiusmodi res esset. vel, Cuiuscuiusmodi, igitur legerem, vel, Cuius domi: vt sit: cuius magistratus domi diuisores habitarent, eum magistratũ aduersus remp. facere. nam & paullo ante, Consul suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere. & in huiusmodi voce alibi quoque reperio factam esse transpositionem litterarum, indeque similem errorem fluxisse. vt in Oratore: Numerus non domo depromebatur. *Haberent*] habitarent, apud magistratus: vt apud Plautum in Bacchidibus: Quis istic habet? & Digestorum lib. 8. titulo 2. Quidam Iberus, qui habet post horrea mea. Sed Bessarionis & Caualcantis antiqua exemplaria, Habitarent. *Lurco*] gentis Aufidiæ cognomen. Et potest esse maternus auus Liuiæ, vxoris Augusti. Suetonius in Caligula. *Simul cum lege Aelia iniit*,] tribunatum iniuit seruatis auspicijs ex lege Ælia. *Solutus est Aelia, & Fusia*,] cum lex ferretur, omnes magistratus obnunciandi, id est impediendi, potestatem habebant. obnunciatio autem lege Ælia dabatur. ergo tribunus pl. M. Aufidius Lurco, legem de ambitu daturus, ne obnunciatione impediretur, solutus est a senatu & Ælia lege, & Fusia, facto senatusconsulto, vt ij, qui obnunciandi potestatem haberent ex Ælia lege & Fusia, moram ne afferrent, quo minus de ambitu lex primo quoque tempore ferretur: qui obnunciasset, eum senatum existimare aduersus remp. feciisse. Sed quæritur ab hominibus non imperitis; cum Lurco tribunus Ælia lege solutus, quæ de auspicijs erat, obnunciationem non timeret, cur additum sit, Et Fusia. Respondetur: quia senatus, quo maturius lex ferretur, sustulit non solum obnunciationem, sed etiam religionem eorum dierum, quibus ferri lex non poterat: cum certi dies essent, quibus legem ferri lex Fusia non sineret. itaque P. Clodius, vt leges, & quas vellet, & quo tempore vellet, ferre posset, pernicioſa rogatione tam

Æliam legem, quam Fusiam, sustulit. In cuius tribunatū inuehens Cicero in oratione pro Sextio, Mitto, inquit, eam legem, quæ omnium religionum iura, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quę sunt de iure & tempore legum rogandarum, vna rogatione sustulit. Et in Pisonem: Te inspectante & tacente, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reip. lex Ælia & Fusia euersa est, propugnacula, muriq; tranquillitatis atque otij. *Claudus homo promulgauit.*] cum ironia: quasi non bonum omen possit esse, cum legem claudus homo promulgauit; idque potissimum sit contra Æliam legem, quæ auspicia tuebatur. Promulgare autem, supra diximus, quid significet. hanc legem non opinor esse perlatam: quia infra epist. 16. ita scriptum est: Facto senatusconsulto de ambitu, de iudicijs, nulla lex perlata. *Dilata*] quia comitia plures dies abstulissent, visum est, vt ante lex ferretur. *Pronunciauerit*,] promiserit se daturum. nam candidati nummos tribubus promittebant, si sibi, quem petebant, magistratum suffragijs demandassent. *HS ∞ ∞ ∞*] scutatos nonaginta. sunt enim sestertij nummi. *Debeat.*] quotannis, quasi tributum pendat. *Ἀποθέωσιν*] ego meum consulatum ita ornaui, atque illustraui præstantissimis rebus gestis, vt eum C. Curio recte *ἀποθέωσιν* vocarit: quod, quemadmodum clari viri, magnis meritis in deorum numerū relati, *ἀποθέωσιν* consequuntur; ita ego mearum actionum amplitudine effeci, vt meus consulatus, quasi numen quoddā, cum religione colendus esse videatur. sed vides ne, Tite Pomponi, consulatum nostrum, si homo turpissimus Afranius cōsul factus erit, non iam futurum *ἀποθέωσιν*, sed fabulis illis similem, quæ de Saturno & Ioue narrantur? quæ vt inanes & fictæ parui penduntur. *Fabam nummum*] hic antiquos libros video dissentire. Bestionis exemplar, Fabam mimū; Caualcantis, Famam mimum. ego, nec ita magna litterarū mutatione, legendum puto, Fabulam numinum: vt veteres fabulas significet, qualis illa de Iouis cyeno, de Saturno expulso, de Minerua e capite Iouis orta, & huiusmodi, quibus poetæ suos libros referserūt: & recte, Fabulam numinum: vt, quoniam *ἀποθέωσιν* dixit, quasi *ἀποθέωσιν* referat. Quod si quis huic opinioni non libenter acquiescit; forte, cur illam probet, magis erit, cuius auctores ego quoque sequor non inuitus, Pau-

tus, Paulum Magnulum Burnensem meum, cui Deus mortuo bene faciat, & M. Antonium Muretum, cui viuenti cupio optima contingere. horum vtrique, Fabulam mimum, vt legatur, video placere; quod ad veterem scripturam attinet, non temere; minimum enim mutant; quod ad sententiam, in primis apte. non enim res leuissima significari potuit accommodatius, quam si fabula mimus nominaretur: cum, Mimos, plane constet, minimum inter fabulas habere grauitatis. Confirmat hanc coniecturam locus Macrobii, quam quam mendosus, libro Saturnal. 2. quo in loco eadem dictio, Nummum, per similitudinem litterarum, quasi per lubricã viam, delapsa est in, Mimum. nam, vbi legitur in vulgatis libris, Cum iratus esse P. Clodius D. Valerio diceretur, quod ei, petenti nummum, non dedisset, non dubito, quin, si sic legatur, verius multo sit: Cum iratus esse P. Clodius D. Laberio diceretur, quod ei mimum petenti non dedisset. Satis enim constat, scribendis mimis Laberium eo tempore excelluisse. *Floccifacteon.*] non nulli nouitate vocis offensi, quia dictio Latina ad Græcum morem inflexa sit, reposuerunt ἐλαφιτέον: alii, ἀφετέον. mihi, Floccifacteon, tum quia reperitur in antiquis libris, tum quia venustius quiddam & concinnius videtur habere, magnopere probatur. ludit enim quodam modo in similitudine vocum φιλοσοφητέον, & Floccifacteon; cum hoc significat. Colenda nobis philosophia est: isti vero consulatus ne flocci quidem faciendi. *Minus commode fiat:*] ne Quinctus, frater meus, excandescat, quia legatus cum ipso in Asiam ire nolis. *In prouinciam non sim profectus.*] consul cum in prouinciam Galliam ire posset, neglexit. l. 2. ep. 1. & fam. l. 5. ep. 2. & l. 15. ep. 4. & in orationibus Ciceronis. *Amaltheo*] Attici gymnasio, in Epiro. supra muliebri genere dixit Amaltheam, ep. 11. & ita gymnasium nominauit à multitudine librorum: quia capra Amalthea, quæ Iouem aluit, fabulosis poetarum carminibus celebratur, quod altero cornu ambrosiam, altero nectar copiose fuderit. ergo vel a copia nomen indidit gymnasio, vel quod legendis in eo libris animum pasceret suauissimo cibo, sicuti Amalthea suo prædulci lacte Iouem pavit: vel ab vtraque causa. *Contenti erimus,*] Amaltheum tuum ornare velles epigrammatis egregie de me scriptis. ego, quod mittam, nullum habeo, itaque tuis co-

gemur contenti esse. nam & Chilius abest, & Archias de me nihil scripsit. Petierat enim Atticus, vt, si quid Archias de Cicerone scripsisset, mitteret, itemque, si quid Chilius. erat autem vterque poetica laude insignis. extat pro Archia luculenta oratio. de Chilio supra epist. 7. *Nil de me scripserit*:] inchoauit tamen: si modo verum est quod legimus in oratione pro Archia: potuit enim id Cicero dicere, quia causlæ seruiendum putaret. dixit autem hæc: Quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius vrbis atque imperij, & pro vita ciuium, proque vniuersa rep. gessimus, attigit hic versibus, atque inchoauit. Quibus auditis, quod mihi magna res & iucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Et in extrema oratione: Petimus a vobis, iudices, vt eũ, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi R. res gestas semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris vestrisque periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, in vestram accipiatis fidem. *Græcum poema*] L. Lucullum Græcæ linguæ peritissimum fuisse, Plutarchus tradit, vt etiam historias Græce scripserit: de quibus ep. 15. *Ad Cæcilianam fabulam*] vereor, ne Lucullus, quoniam Græcũ poema pertexuit, nunc Græcas etiam comœdias ordiatur, Cæcilij poetę comici exemplo; vt ab eo epigrammata exspectare non debeamus. *Antonio*] Macedoniam administranti. ep. 10. *Gratias egi*,] scripsi, gratissimum mihi feciſſe, quod te tuaque negotia ex meis litteris humanissime sit complexus. in ep. 5. l. 5. fam. *Vindicaui*.] vltus sum; quia tu quoq; raro ad me scribis. *Cincius*] hic Romæ Attici negotia curabat. *Facere*] construere gymnasium eiusdem nominis in Arpinati. ideo dixit, Scribas cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum. vide ep. 1. l. 2.

IN EPISTOLAM XV.

Magna mihi, &c.] Quinctus Cicero iracunde scripserat ad Atticum. *Post sortitionem prouinciæ*,] postquam ei Asia prouincia sorte obuenit. quo perspicuum fit, non eo solum iratum fuisse Quinctum, quia cum ipso legatus in Asiam Atticus ire nollet. *Visurus*] in itinere, quod in Asiam haberet. *A domesticis*] a sorore tua: quæ cum vxor sit Quincti fratris, animum illius iracundia commotum sedare, tibique restituere & potuit, & debuit. *Irritabiles animos esse optimorum*

sæpe

ſape hominum, & eoſdem placabiles.] Horatius de ſe ipſo. ep. 20. lib. 1.

Iraſci celerem, tamen & placabilis eſſem.

Hoc & Ariſtides notauit lib. 4. ἡθικ.

Γαύονται δὲ παχέως, ὃ καὶ βέλτιστον ἔχουσι.

Vide & ep. 1. lib. 1. ad Q. fr. *Integritas, & magnitudo animi tui:*] integritas, quod amicitiam cum fide colas: magnitudo animi, quia tuis commodis non inſeruias. *Domeſticoque*] filiam, filium, vxorem ſignificat. *Negligenti eſſe non licet:*] quo magis tuum conſilium deſidero. *Propter ambitionem*] vt honores conſequerer. *Dignitatem*] partam ex honoribus, quos geſſi. *Quod ſua non eſtis,*] in hoc munere adminiſtrandæ Aſiæ. *Illa, quæ violata,*] vinculum illud affinitatis, quo coniunctus es cum Quincto fratre, nonnihil videtur eſſe laxatum; ſed rurſus adſtringetur, & in veterem gratiam coibitis. *Hæc noſtra,*] amicitia, quæ inter nos eſt, quam ſanctiſſime conſeruauimus, eadem ſemper erit, ſemperque a nobis religioſiſſime coletur. *Commutabili*] propter equites a ſenatu alienatos. *Noſtros equites*] quod & ipſe, & Atticus equeſtri loco nati erant. *Quæreretur.*] id enim ad equites pertinebat, qui cum ſenatoribus & tribunis ærariis lege Aurelia iudicabant. infra, l. 2. ep. 1. Quid verius, inquit, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? cenſuit hoc Cato. aſſenſit ſenatus. equites curiæ bellū. *Id*] quod ſenatus ita decreuiſſet. quod propterea, vt opinor, moleſte equites ferrent, quia lege de captis ob iudicandum pecuniis equeſter ordo non teneretur. vide orationem pro Cluentio. *Neque aperte dicere:*] ne, ſi quererentur, ſuam ipſi culpā proderent, & ideo queri viderentur, quod acceptæ pecuniæ crimē ad eos pertineret. *Cū auctoritate:*] quia meā orationē ſenatus attētis aurib. excipere viſus eſt: aut quia ſenatū moueri obiurgatione mea ſenſi. *Nō verecūda*] quid. n. impudētius, quā ſenatus æquiſſimū decretū reprehēdere? *Delicias?*] accipiendū a cōtrario ſenſu. nā leuitatē & impudētiā equitū ſignificat. ep. 12. l. 2. *Aſiani,*] Aſiæ publicani, id eſt equites. nā erāt oēs publicanorū ſocietates ex ordine equeſtri. *De cenſoribus conduxerunt,*] a cenſoribus conduxērunt Aſiæ vectigalia. nam locandorum vectigalium cura penes cenſores erat. & eſt perelegans, & vſitata locutio, qualis

illa in ep. ad Sextium, Ego de Crasso domum emi. *Perspecta,* in eam partem, vt equitum ratio duceretur. quod tamen factum non est, Catone contra acerrime pugnante. &, vt dicam, quod mihi in mentem venit, in eas causas inspicienti, quibus afflicta resp. concidit: ex hac primum radice enatum ciuile bellum videtur. Cum enim vrbs Roma ex tribus ordinibus, senatu, equitibus, & plebe constaret: duobus ordinibus libertatem tuentibus, nulli vnquam improbo ciui satis firmæ vires ad opprimendam rempub. fuissent. itaq; in oratione 4. in Catilinam, Hanc, inquit, cum equitibus Romanis coniunctionem si perpetuam in repub. tenuerimus; cõfirmo vobis, posthac malum ciuile ac domesticum ad nullam reip. esse vẽturum partem. Hoc vir prudentissimus non vidit Cato: qui animo optimo, & summa fide vtens, dum ærarium nimis pertinaciter defendit, equites a senatu alienauit. ita, duorum ordinum disiuncta concordia, euersum est quod erat summum reip. firmamentum. at Cæsar, qui tyrannidem spectaret, auide occasionem in cõsulatu amplexus, equitum, qui a senatu nihil adhuc impetrabant, causam suscepit, effecitque, vt tertia debitæ pecuniæ parte senatusconsulto leuarentur. quo facto equestrem ordinem sibi adiunxit; (& iam antea plebem tenebat) vnde imminutæ senatus opes; & res omnis publica ad tres viros, Cæsarem, Pompeium, Crassumque translata. Vbi sunt, qui, cum eloquentiam in Cicerone laudarunt, vt imprudentem, atque etiam, si diis placet, vt pernicioſum patriæ ciuem insimulant? scilicet ea, quæ consecuta sunt, non vidit: immo vero & vidit, &, ne acciderent, etiam prouidit. non ille senatui auctor fuit, vt equitibus, etsi non æqua postulãtibus, tamen concordiæ causa consuleretur: nõ agrariis legibus restitit: cum id agi videret, vt populus beneficio vinctus, a quibus agros accepisset, ad eorum arbitrium leges malas ferret, veteres bonas abrogaret. non Pompeium monuit, primum vt societatem cum Cæsare ne coiret, deinde ne dirimeret? quoties ille in his epistolis proximam reip. calamitatem non falsus vates canit? quoties queritur de auaritia magistratuũ, de vitiis principum, de stultitia bonorum? illum ipsum, quẽ tanti faciebat, quem omnes historiæ prædicãt, M. Catonem, in rep. peccantem, quandoque reprehendit. Orbis, inquit ep. 9. l. 2. in republica est cõuersus, citius omnino, quam potuit.

id culpa

id culpa Catonis. Culpam autem intelligit eam, quia equites a senatu disiunxerat. quod ipse libro Offic. 3. aperte declarat his verbis: Ego cum Catone meo sæpe dissensi. nimis enim mihi videbatur præfracte ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, vt cum colonis nostris soleremus; eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem reip. pertinebat. Et in epistola ad Lentulum: Dignitatem illam consularem fortis & cõstantis senatoris, nihil est, quod cogitemus: amissa est culpa eorum, qui a senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt. Hoc igitur, si ad rerum exitum spectamus, grauissimum Catonis peccatum in rep. fuit: alterum, quia Pompeii affinitatem contempsit, vt ipse dicebat, reip. caussa, ne quando Põpeium minus recta cupientem aut adiuuare cõtra legum religionem, aut oppugnare contra ius affinitatis cogeretur. sed illud non vidit, infringi posse popularium ciuium exitiosam potentiam, tanti viri opibus ad senatus auctoritatem adiunctis. cumque in vno Pompeio, vtram in partem se dedisset, magnum esse momentum videretur: fuit præcauendum, ne, alienatus a senatu, ad eos se conferret, cũ quibus postea coniunctus popularem Cæsaris caussam firmauit, publicã euertit. perdidit igitur remp. Cato non minus, quam Pompeius, aut etiam, quam ipse Cæsar: siquidem euentorum caussæ nõ minus, quam ipsa euenta, considerantur. repudiatus enim a Catone Pompeius, filiam Cæsaris Iuliam duxit vxorem. inde in rep. nihil iure actum, nihil more, cuncta ad gratiam administrata, socero & genero sibi inuicem suffragantibus. Hæc visum est vt subiicerem, aliena fortasse a proposito, sed pangebam Rhamberto meo, petenti, vt in his commentariis sumptam grammatici personam quandoque deponerem: cui si satisfactum est, ex illius iudicio satis vberem capio fructũ industriæ meæ. deinde sexcenti reprehendant: nõ laboramus.

Metellus,] Q. Cęcilius Metellus Celer, consul designatus anno legitimo. prætor enim fuerat Cicerone consule, id est biennio ante: quod erat spatium inter præturam & consulatum legibus constitutum. *Qui erat dicturus,*] ego pro, Qui, non dubito quin legendum sit, Diu. nam quia Catonis consuetudinem norat, diutius eum pro ærario contra equites

dicturum non ignorabat. Ita locutus est & M. Cœlius in epistola quadam: Renunciatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum. prendimus eum: non modo non fecit; sed, cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, vt numeraretur, postularet, tacuit. Solebat autem M. Cato, cum quid in senatu perfici nollet, diem dicendo eximere. Valerius libro 2. capite 5. *Ame conglutinatam concordiam.*] concordiam equitum & senatus: conglutinatam autem in consulatu Ciceronis. epist. 16. & l. 2. ep. 1. *Ista sunt infirma,*] meum præsidium est concordia senatus & equestris ordinis: sed, quoniam ea minus firma est, munio me amicitia Pompeij. *Vtdeo, quid dicas.*] dicis, cauendum mihi esse, ne Pompeij causa de instituto actionum optimarum cursu deflectam. sed noli laborare: cauebo, quæ sunt cauenda. *Duo enim sol*] ratio, cur Lucceius, cum differre consulatus petitionem antea cogitasset, postea, statim petere, animum induxit. nam, cum duos modo sibi fore competitores videret, M. Calpurnium Bibulum, C. Iulium Cæsarem; maiorem spem nactus est adipiscendi consulatus. multis autem competitoribus, petere ipse non esset ausus, qui se non ita gratiosum esse in suffragiis intelligeret. *Cum eo coire*] cum eo societatem inire contra Bibulum. Lucceium enim Cæsar collegam malebat in consulatu; vt qui nō dubitaret, Bibulum optime de rep. sentiētem suis actionibus aduersaturum. itaque (vt Suetonij verba recitemus) e duobus consulatus competitoribus, L. Lucceio, Marcoque Bibulo, Lucceium sibi adiunxit, pactus, vt is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, concordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e rep. fieri. igitur cum Bibulo consul creatus est. *Per Arrium*] Arrij opera, qui erat vtriq; familiaris. *Cum hoc*] cum Lucceio, ad Cæsarem consulatu deiiciendum. *Posse*] quasi difficile esset. *Molestè rogo,*] Molestè, refertur ad personam legentis, id est, cum molestia tua: quo modo etiam dixit Terentius, Quorum opera suo quisque tempore vsus est sine superbia. non enim intelligit, sine superbia eos fuisse, qui vsi sunt, sed eos,

ſed eos, quorum opera quiſque vſus eſt.

IN EPISTOLAM XVI.

Abeſt] Aſiam enim proprætor adminiſtrabat. *Amantiſſimus,*] de fratre dictum, non de Metello. eſt igitur apponenda nota, quæ periodum claudit. *Metellus*] conſul; qui in conſuetudine ita non hilaris eſſet, vt homo non videretur, ſed litus, atque aer, & ſolitudo mera. & apparet, hunc Ciceroni amiciſſimum fuiſſe, cum vnum nominet ex tot amicorum numero. epiſt. 16. & 17. & lib. 2. epiſt. 1. *Exhaurire*] effundere ex animo meo, vt deinde me non angant. *Animus*] mihi quidem animus non deeſt in adminiſtranda republica, ſed, quia diutius eam video ſtare non poſſe, ſpe deſtitutus, quotidie minus curo. *Fabulæ Clodianæ:*] quod propter ſceleris nouitatem non minus nota res eſſet, quam quævis fabula. *Empto, conſtupratoque iudicio.*] empto, quia iudices, accepta pecunia, Clodium nocentem abſoluerunt; conſtuprato, quia noctes certarum mulierum atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. *Impoſitus*] quaſi onus inuitis. L. Afranium intelligit. epiſt. 16. *De ambitu,*] vt, qui nummos in tribu pronunciaſſet, ſi non dediſſet, impune eſſet; ſin dediſſet, vt, quoad viueret, ſingulis tribubus H S tria millia deberet. epiſt. 14. *De iudiciis,*] vt quæreretur de ijs, qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſent. epiſt. 15. *Nulla lex perlata.*] cum & de ambitu, & de iudicijs factum eſſet ſenatuſconſultum, & ex ſenatuſconſulto promulgatum eſſet; tribuni pl. interceſſerũt, quo minus lex ferri poſſet. in quo reſpublica magnum vulnus accepit. epiſt. 14. *Exagitatus ſenatus,*] a tribunis pl. ſeditioſe concionantibus. *Alienati*] a ſenatu; quia decreuiſſet, vt quæreretur de ijs, qui ob iudicandum accepiſſent. epiſt. 15. *Ille annus*] proximus ſuperior, Piſone & Meſſalla cos. *Duo firmamenta reip.*] ſenatus auctoritatẽ, & ordinum concordiã. *Per me vnum conſtituta,*] in conſulatu. nam in epiſtola ad Lentulũ nona, fam. lib. 1. Tenebam, inquit, memoria, nobis conſulibus ea fundamenta iacta Kal. Ianuarijs confirmandi ſenatus, vt neminem mirlari oporteret, nonis Decembribus tantũ vel animi fuiſſe in ꝛ lo

ordine, vel auctoritatis. Hoc primum fuit reipublicæ firmamentum, a Cicerone constitutum. ad alterum quod attinet, id est ad ordinum concordiam; legimus, & notauimus, quod oratione 4. in Catilinam scriptum est his verbis. Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita summa ordinis consilijque concedunt, vt nobiscum de amore reipublicę certent: quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis, ad societatem concordiamque reuocatos hodiernus dies vobiscum, atque hæc causla coniungit. quam coniunctionem si, in consulatu confirmatam meo, perpetuam in rep. tenuerimus: confirmo vobis, posthac malum ciuile ac domesticum ad nullam reip. esse venturum partem. Et in epistola, quæ superiorem prima antecedit: Statum illum reipublicæ, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate consulatus mei fixus & fundatus videbatur, nisi quis nos Deus respexerit, elapsum scito de manibus. Et in prima sequentis libri: Equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, senatum deseruit. *Abiecit,*] quo modo senatus auctoritas abiecta? quia, facto senatusconsulto de ambitu, & de iudicijs, nulla tamen lex perlata. nam cum ex senatusconsulto promulgata rogatio esset, intercedentes tribuni pl. impedierunt: quo planum factum est, haud magni senatus voluntatem æstimari. *Ordinum*] equitum, & senatus. epist. 15. *Instat*] adest: quale illud in Pisonem: Instant magnificentissimi ludi. Et in Catilinam: Confido pœnam aut instare iam plane, aut certe appropinquare. *Egregius.*] ἐξωνικῶς: quasi egregius non possit esse Afranio consule. epist. 16. *Iuuentutis*] deæ, quæ iuuentuti præesse creditur: quæ & Iuuentas dicta. vnde in libro de claris orat. Ludi Iuuentatis a Salinatore facti. hæc sacra a iuuenibus instituta, Festus tradit. *Non committerentur.*] dictum eodem sensu, quo ludos committere. quod infra suo loco explanabitur. *Memmius*] Caius, vt opinor; qui & Pompeij Magni vxorem de stupro appellauit. Suet. in lib. de claris gramm. *Suis sacris*] sacris Iuuentutis, quibus ipse præesset. *Initiauit.*] argute: nam cum, Vitiauit, dicturus esset, iocans in litterarum mutatione, intulit, Initiauit, ne discedere videretur a sermone de sacris instituto. *Menelaus*] Lucullus, vitiatæ mulieris

mulieris vir, vt Helenæ Menelaus. *Pastor Idæus*] stuprator Helenæ Paris, a pastoribus in Ida monte educatus, pastorque ipse diu creditus. *Tam Menelaum, quam Agamemnonem*] tam M. Lucullum, quam Lucium, eius fratrem. Paris, inquit, ille Troianus solum Menelaum affecit iniuria, fratrẽ eius Agamemnonem separatim nulla re læsit: noster autem Paris Memmius tam Menelaum contempsit, quam Agamemnonem ante contempserat: id est, qui ante L. Lucullo iniuriam fecerat, cum eum ex bello Mithridatico redeuntem tribunus pl. die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit; idem nunc Marcum, eius fratrem, non dubitauit offendere. Sed de iniuria, in Lucium illata, quæret aliquis, vnde hauriam. vnde, nisi ex historiæ fonte? Plutarchus in Lucullo, Ἀναβὰς, inquit, εἰς Ῥώμην, πρῶτον μὲν κατέλαβε τὸν ἀδελφὸν Μάρκον ἐπὶ τῷ Γαΐῳ Μεμμίῳ κατηγορούμενον ἐφ' οἷς ἔπραξε ταμιεύων Σύλλα πρεσβεύοντος. ἐκείνῳ δ' ἀποφυγόντος ὅτι τῶν αὐτῶν, ὁ Μέμμιος μεταβαλλόμενος, παρώξυνε τὸν δῆμον, ὡς πολλὰ νενοσφισμένῳ καὶ μηκύναντι τὸν πόλεμον, ἔπεισεν αὐτῷ μὴ δοῦναι θρίαμβον. ἐλθόντος δ' εἰς ἀγῶνα τῶν Λουκούλλῳ μέγαν, οἱ πρῶτοι καὶ δυνατώτατοι καταμίξαντες ἑαυτοὺς ταῖς φυλαῖς, πολλῇ δεήσει καὶ σπουδῇ, μόλις ἔπεισαν τὸν δῆμον, ἐπιτρέψαι θριαμβεῦσαι. Et in Vticensi: Λούκουλλος ἐπανελθὼν ὀκ τῆς στρατείας, ἧς ἔδοξε τὸ τέλος καὶ τιὼ δόξαν ἀφηρῆσθαι Γομπηΐου, εἰς κίνδυνον ἦλθεν τῶ μὴ θριαμβεῦσαι, Γαΐου Μεμμίου καταστασιάζοντος αὐτὸν ὀν τῷ δήμῳ, καὶ δίκας ἐπάγοντος. *Liberum non putauit.*] nihil fecit, liberi hominis loco nõ habuit. Vt illud lib. 3. in Verrem: Superbia qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit. Et epist. 3. ad M. Brutum: Cœperat esse tanta insolentia, vt neminem liberum duceret. *Nummos vobis diuidere*] nummos in vestra tribu viritim diuidere. In Plauti Aulularia magister curiæ argentum diuidit in viros. *Traducit:*] vt adoptione plebeius fiat. nam, quia tribunatus pl. patricio homini non dabatur, ideo Clodius, qui patriciæ gentis erat, ad plebem transire adoptionis iure cupiebat: vt deinde tribunus factus, Ciceroni diem ad populum diceret,

quod ciues Romanos contra leges occidisset. infra: Hæc sunt in rep. nisi illud etiam ad remp. putes pertinere, Herennium quendam, tribunum pl. tribulem tuum, sæpe iam de P. Clodio ad plebem transducendo agere cœpisse. huic frequenter interceditur. *Suffragium de re Clodii ferat.*] suis suffragijs comprobet adoptionem Clodij. quod anno proximo Cæsaris consulis opera factum est. de quo Suetonius: Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium, inimicum eius, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona traduxit. vide Gellium de iure adoptandi, & arrogandi, lib. 5. cap. 19. *Accepi in senatu vt soleo:*] exagitaui in senatu, vt soleo, huiusmodi homines. epist. 14. bis. *Lentius.*] ignauius, tardius. *Habere dicit causſam promulgatam.*] Bessarionis antiquus liber, Habet dicit: Caualcantis, Habet vt dicit. in antiquis libris, Habere, ego quidem nondum vidi. itaque, quod mendosum esse potest, id vt explanem, non laborabo. Putaui aliquando sic posse corrigi: Ab re dicit censum promulgatũ: hoc sensu: Metellus ait, sine causſa censum promulgatum: id est, propositum esse decretum senatus, vt comitia censorum consules haberent, quo census haberi posset. in quo imminuit auctoritatem suam: indicat enim cupiditatem censuræ. dum consul est, censores creari nollet; vellet, cum e magistratu exierit: vt creari tum ipse possit. Confirmat nostram sententiam quod est in epistolæ clausula de censu promulgato, & quod est epist. 18. de eiusdem Metelli cupiditate triumphandi. Potest etiam sic: Auet, vt dicit. in quo Metellus suam imminuebat auctoritatem, qui promulgatum iri ab Herennio causſam Clodianam cuperet, vt pugnare posset: cum illud idem de Clodio diceret, quod antea solitus esset, sua se manu, si fureret, interfecturum. hoc autem ab eo dici solitum, legitur in oratione pro M. Cœlio. Auet, autem cum h scriptũ ab antiquis, ex vetustis lapidibus apparet. fit igitur mutatio nulla: siquidem & B pro V in ijsdem lapidibus inciſam obseruauimus, vt Baleas pro valeas. *Auli autem filius*] alter cõsul L. Afranius, Auli filius. epist. 14. *Ignauus*] etiam Dio, 38. tradit. *Miles*] quod minime milites imitaretur, qui & strenui & animosi solent esse: Afranius autem ignauus, & sine ani-

ne animo. vel, Miles, quia cum Pompeio diu militauerat. Plutarchus in Sertorio, Pompeio. Dio lib. 37. *Miles quam dignus*] non improbo: cum & ita scriptum videam in antiquis libris, & sententiam confirmare videatur historia. militauit enim Afranius sub imperatore Pompeio. vt, qui miles fuerit, eum tamen ignauum esse, ac timidum in consulatu, cum quadam admiratione Cicero dicat. non improbo igitur, vt dixi, scripturam hanc, impressis libris diuulgatam; sed idem tamen probo maxime Vbaldini Bandinelli, præstantis ingenio viri, coniecturam. is legendum putabat: Millieſque dignus, qui Palicano, &c. *Qui Palicano*] quem Palicanus, sicut facit, quotidie probris maledictisque vexet. Sic Liuius lib. 4. Petijsse, inquit, viros domi militiæque spectatos: primis annis sugillatos, repulsos, risui patribus fuisse: desisse postremo præbere ad contumeliam os: id est, non amplius ad petendum processisse, ne repulsi contumeliam pro honore ferrent. De Palicano in epistola 1. *Agraria*] lex de agris, vide epist. 17. *Promulgata est*] proposita: vt intercedat, qui velit; nemine intercedente, ad populum feratur. Dio lib. 37. *A Flauio*] tribuno pl. *Leuis:*] minimi ponderis, quod in ea populare nihil sit. epist. 17. *Plotia.*] agraria, vt opinor, ipsa quoque tribunicia. aliæ Plotiæ fuerunt, vt de vi, quam Pedianus & Cœlius in epistola nominat: item ea, qua, vt in Suetonio legimus, C. Cæsar L. Cinnæ, vxoris fratri, reditum confecit. de qua, vt puto, loquitur Gellius lib. 13. cap. 3. *Qui poterat,*] cui, propter opes, & auctoritatem, maximis rebus partam, licebat tueri remp. is silet. *Togulam illam pictam*] ludit in vestem Pompeij triumphalem: qua, illi concessum est, vt ludis Circensibus vteretur. Dio libro trigesimo septimo. Paterculus autem libro secundo his verbis: T. Ampius, & T. Labienus tribuni pl. legem tulerunt, vt Pompeius ludis Circensibus corona aurea & omni cultu triumphantium vteretur, scenicis autem prætexta, coronaque aurea. id ille non plus, quam semel, & hoc sane nimium fuit, vsurpare sustinuit. Nunc sensum explanemus. Pompeius remp. non curat, neque ijs aduersatur, quibus deberet: quæsita gloria contentus, verbum contra quemquam facere non vult: tacitus fruitur inani gloriola pictæ togulæ. De toga picta Liuius libro decimo, Festus, Ausonius in gratiarū

actione pro consulatu, Capitolinus in Gordiano. Illud addo, multis ante Pompeium annis & a populo, & a senatu concessum esse L. Paullo, qui Macedoniam deuicit, vt ludis Circensibus triumphali veste vteretur. in lib. de viris illustr. *Piscinas suas*] L. Lucullum, Q. Hortensium designat, homines cōsulares, magnaque præditos auctoritate; itemque L. Philippum; qui non consularis, erat tamen eloquentia, grauitate, honore florentissimus ciuitatis. hi piscinis ita delectabantur, vt omnem de rep. curam viderentur abiecisse: qui nō intelligerent, amissa rep. nec suas piscinas saluas esse posse. hos appellat Piscinarios epist. 17. & 18. & lib. 2. epist. 1. Nostri, inquit, principes digito se cælum putant attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Et eodem libro, epist. 9. Si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modo de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarū Tritonibus poterit se iactare. Plura Plinius, Plutarchus, Macrobius, Varro. *Responsum*] de locatione Asianorum vectigalium. epist. 14. *Patitur.*] diem enim dicendo eximit: ita res non perficitur. quod anno sequenti facere conantem Cæsar consul prehendi, & in carcerem duci iussit. Gellius, Suetonius, alij. Hac de re sic in oratione pro Plancio: Cum senatus impediretur, quo minus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus R. redderetur. *Nihil decernere*] est enim prius explicanda publicanorum caussa; quam Cato vetat ad exitum perduci. *Etiam legationes*] puto fore, vt legationes audiri non possint mense Februario, sed in aliud tempus reijciantur, dum, quod agitur de publicanis, expeditur. Februarius autem mensis legationibus audiendis dabatur. ad Q. fratrem, & in epist. fam. Pedianus, & alij. *Ne absens censeare,*] dicam te venturum, ne censores absentem censeant. *Sub lustrum*] paullo ante lustrum: quod fiebat omnibus iam censis. Liuius lib. 1. Seruius Tullius, censu perfecto, instructum exercitum omnem sue, oue, tauriſque tribus lustrauit: idque conditum lustrum appellatū, quia in censendo finis factus est. Sub lucem, Virgilius dixit: sub horam pugnæ, Suetonius; pro, paullo ante. *Germani negotiatoris*] quia negotiatores peregrinabantur: &, quanquam censum audirent Romæ promulgatum, reditum tamen quam maxime poterant differentes, qui a sua re admodum ægre diuelleren-

uellerentur, non nisi sub lustrum veniebant, ciuibus fere omnibus iam censis. Germani, meri, nimium cupidi, & in lucello supra quam satis est occupati. vnde, Germana ironia, Germana patria, Germani Campani, & huiusmodi apud Ciceronem.

IN EPISTOLAM XVII.

Quod tu soles facere] qui hebes in litteris non sit, intelliget, opinor, aut subesse mendum in hoc membro, aut in eo, quod huic proximum antecedit, abundare Tam. restituerem sic, diuinationi si locus esset: Si tam breues epistolas velim mittere, quam tu soles; facile te superarem. *Scripto*] sunt, qui reponant, Scribendo, ex ingenio scilicet: nam antiqui libri, quos quidem ego viderim, habent, Scripto. *Quoniam tibi amore nos proximi sumus*,] quoniam tibi, secundum patriam, rerum omnium carissimi sumus. *Gallici belli ver-satur metus.*] Ædui & Sequani bellum inter se gerebant. sed quoniam Æduifratres populi R. propterea de exitu belli Romæ timebatur; tum, quod, Æduis victis, summum erat periculum, ne gens bellicosa in Italiam irrumperet. Cæsar lib. 1. *Fratres nostri*] senatus, cognita Æduorum fide, Fratres, Consanguineosque sæpenumero appellauerat. Cęsar, Plutarchus, Strabo, Tacitus. *Pugnant.*] cum Sequanis. ad extremum Sequani, Germanis mercede conductis, victoria potiti. Cæsar. *Heluetii*] quibus anno proximo superiore Orgetorix persuaserat, vt de finibus suis cum omnibus copijs exirent: perfacile esse, cum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Cæsar lib. 1. de bell. Gal. *Prouinciam*] Allobroges, prouinciam populi R. *Consules*] Afranius & Metellus; vt citeriorem Galliam tuerentur, vlteriorem bello peterent. *Vacationes ne valerent*;] octaua in Antonium, Grauius, inquit, esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. *Cum auctoritate*] qui statuerent, quod ipsis e rep. visum esset. nam erat quandoque legationum genus sine auctoritate, dumtaxat cum mandatis. *Q. Metellus Creticus*,] qui consul fuerat cum Q. Hortensio, & Cretici cognomen assumpserat a Creta deuicta. in quo Plinius & Florus veritatem ignorauerunt. filium enim Metelli Macedonici crediderunt. quod quam plane sit falsum, in libro de mendosa hi-

storia declarabimus. *L. Flaccus,*] qui prætor fuerat Ciceronе consule. Sallustius, Cicero, Plutarchus. Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον] quasi dicat: duobus clarissimis viris, Metello consulari, & Flacco prætorio, non recte Lentulus, qui nullis honoribus commendetur, additus est tertius. Prouerbium hoc apte vsurpatur, vbi nobilior cum ignobiliore coniungitur; aut id, quod conuenit in vna re, transfertur ad aliam; aut cum lenti, vilissimo legumini, vnguentum adspergitur, quod alioqui magnificis & exquisitis epulis adhiberi solitum. Pollux lib. 6. cap. 19. Plinius lib. 13. cap. 3. Plutarchus lib. 3. Symposiorum, Athenæus lib. 1. Ælianus lib. 12. cap. vltimo. Suet. in Nerone. Gellius autem de hoc prouerbio meminit lib. 13. cap. 28. *Clodia filius*] malo, Clodiani filius; vt emendat historiæ Romanæ peritissimus Carolus Sigonius. distinguebantur enim veteres non matris nomine, sed patris prænomine, aut cognomine. Sic lib. 3. ad Q. fratrem, Lentulus Flaminis filius: quod erant Romæ plures Lentuli. de Lentulo autem, huius, vt opinamur, patre, mentionem facit Gellius, locum recitans ex historia Sallustij, lib. 18. cap. 4. nec fit litterarum magna mutatio, si referamus animum ad veterem orthographiam. fuit enim cum diphthongus AE, scriberetur, AI. Sic in lapidibus Aimilius, pro Æmilius; Paitus, pro Pætus. itaque si, Clodiai, conuertas in Clodiani, vna tantum addita littera locus emendabitur. *Cum hæc domi nascantur?*] quid enim aliorum laudationes exspectem, cum tantopere lauder a senatu? & quasi se excusat, quia dixerat, Nos duo quasi pignora reipub. quid enim, inquit, externos laudatores exspectem? Cum sermo habetur ijs de rebus, quas in nostra potestate sitas alij sine causla suppeditant, recte vsurpamus, Nobis nascuntur ista domi. *Agitabatur,*] valde Flauius laborabat de agraria lege perferenda: nihil non tentabat. *Auctore Pompeio:*] qui Afranium & Metellum cos. ideo fieri curauerat. ea tamen lex perlata non est. Dio lib. 37. *Populare,*] quod populo valde placeret. epist. 16. *Præter auctorem.*] præter ipsum Pompeium, quem populus diligebat. *Secunda concionis voluntate,*] quod fine summa eloquentia fieri non poterat, vt populus contra sua commoda concionanti assentiretur. *Tollebam,*] tria capita dicebam & probabam non recte in lege esse posita. *Liberabam*] persequitur

quitur ea capita, quæ tollebat ex lege. *Liberabam*;] eximebam e lege: possessoribus relinqui volebam. Flauius autem in lege tulerat, vt priuatis ademptus diuideretur populo R. essque tantum pecuniæ redderetur, quantum pro eius agri emptione numerassent. *P. Mucio, L. Calpurnio cos.*] quo anno tribunus pl. Ti. Gracchus legem agrariam tulit. *Publicus fuisset:*] qui cum post eos consules priuatis esset venditus, plebi quasi publicum distribui Cicero nolebat. *Syllanorum hominum possessiones*] victor Sylla donauerat amicis suis eorum agros, qui Marium secuti contra ipsum arma tulerant. *Confirmabam*,] Syllanis possidentibus eripi nolebam. *Publicarat*,]quia Marium in bello iuuissent. *Neque diuiserat*,] fam. epist. 1. lib. 13. Volaterrani, inquit, Syllani temporis acerbitatem subterfugerunt benignitate Deorum immortalium: summoque studio populi R. a me in consulatu meo defensi sunt. cum enim tribuni pl. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent; facile senatui populoque R. persuasi, vt eos ciues, quibus fortuna peperciisset, saluos esse vellent. *In sua possessione*] nam in lege Flauius posuerat, vt, quando eorum agri a Sylla publicati fuerant, publice diuiderentur. *Vnam rationem*] vnum illud caput Cicero probabat, de pecunia ex nouis vectigalibus cogenda, qua emptus ager plebi diuideretur. tulerat enim Flauius, vt vel agri, qui aut tum essent, aut aliquando publici fuissent, vel, si hoc non placeret, alij agri, nouorum vectigalium pecunia empti, plebeijs agros non habentibus distribuerentur. secundum caput Cicero probauit. *Ex nouis vectigalibus*] non ex omnibus, (nimium enim id fuisset) sed ex nouis. quæ autem erant noua vectigalia? bello scilicet proximis annis quæsita, nationibus maxime per Cn. Pompeium in populi R. potestatem redactis. Plutarchus hæc tradit: cum tributa, quæ reip. pendebantur, bis millies HS, id est lex, vt nunc loquimur, scutatorum millionesante bellum Mithridaticum fuissent, ex Pompeij victorijs aucto imperio facta esse ter millies & quadringenties, id est, decem milliones, & ducenta scutatorum millia. *Per quinquennium*] per tot enim annos vectigalia locabantur. *Pompeio*] quo auctore lex ferretur. *Agrariorum*] hominũ de plebe, qui agros cuperent ad egestatem depellendã.

Noſter exercitus,] hoc eſt ij, qui nobis fauent. infimi enim, & pauperes, vt rerum nouarũ cupidi, Ciceronem haud omnes amabant, quem ſcirent in conſulatu acerbiſſimum ijs fuiſſe, qui res nouas quæſierant. locupletes contra in oculis ferebant, cuius vigilantia ſublatam coniurationem intelligerẽt, quam egentes & perditi ciues, diuitum fortunis infenſi, feciſſent. *Sentinam vrbis exhauriri,*] cum homines ſordidi migrarent in eos agros, quos pecunia publica emptos acceperant. *Bello,*] timore Gallici belli, maximeque Heluetiorum. *Refixerat.*] omiſſa fuerat. & ſane de Flauia lege perlata nihil exſtat. *Ille alter*] alter conſul L. Afranius. *Quid emerit*] emerat conſulatum: quem tamen ignorare nunc videtur. epiſt. 13. *Ad plebem tranſducendo*] ne idem iteremus, vide ſupra, epiſt. 16. *Interceditur.*] legem promulgauerat, de Clodio adoptando. ei legi intercedebant alij tribuni. *Vt opinor,*] præter hæc, opinor, inquit, nihil eſt, quod ad te ſcribam de republica. *Illarum nonarum Decembrium*] quo die ſupplicũ ſumpſit de coniuratis. pro Flacco: O nonæ illæ Decembres, quæ me conſule fuiſtis: quem ego diem vere natalem huius vrbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. *Diſiungi,*] primum, quod moleſte tuliſſent factum eſſe ſenatuſconſultum, vt de ijs, qui ob iudicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur: deinde, quod non impetraſſent de inducenda locatione Aſianorum vectigalium. epiſt. 16. *Piſcinarios*] piſcinarum ſtudioſos, Hortenſium, & Lucullum. vterque enim Attici amicus, Hortenſius etiam familiariſſimus: vt lib. 2. epiſt. 25. & Nepos in vita. *Firmiora præſidia*] cum diſiungi viderem ſenatus & equitum concordiam; quod mihi ſpetaueram fore firmiſſimum præſidium, (ſiquidem, eorum ſententias auctoritatemq; ſecutus, in perditos ciues animaduerteram: vt, ex ea re ſi qua vmquam in me tribunicia tempeſtas oriretur; ſenatus & equites pro mea ſalute pugnaturi viderentur) ad alia præſidia conuerſus, coiunxi me cum Pompeio, & in gratiam redij cum iuuentute. *Tacuerat,*] nondum laudauerat eas res, quas ego in conſulatu geſſeram. laudauerat autem Craſſus, non libente Pompeio. epiſt. 12. *Sæpe, multiſque verbis ſuis*] otioſa dictio, Suis, videtur. nec enim ita loquimur: Sæpe, multiſque verbis meis illum ſum cohortatus. at ſi, Sæpe, multiſque verbis; re-

cte, &

ćte,& ad Latine loquendi consuetudinem aptius. Quod si cui receptam vocem extrudere religio est; videat etiam atque etiam, (nam ego ad arbitrium meum nihil reuoco) an, mutatione parua, rectius hoc sit: Sæpe, multisque verbis huius mihi salutem imperii. amat enim Cicero ad dictionem Imperiū, aliquid fere adiicere; quo facilius intelligatur: vt, Communis imperij, Nostri imperij, Huius imperij. Priora duo notauimus in oratione pro Balbo. O nomen nostri imperij, o populi Romani excellens dignitas, o Cn. Pompeij sic late longeque diffusa laus, vt eius gloriæ domicilium communis imperij finibus terminetur. Tertium in oratione in Catilinam: Id, quod primum, atque huius imperij, disciplinæque maiorum proprium est, facere non audeo. Et in de Amicitia: Inimicissimus huic imperio. *Ex illarum rerum dissensione*] quia Pompeio non probarentur, quæ in consulatu gessissem. *In sua ratione*] ad priuatas opes retinendas. *Quæ erant in me incitata*,] propterea quod acerbe in iuuentutem Cicero erat inuectus. ep. 14. *Populare, ac dissolutum*:] omnibus, do operam, vt satisfaciam, ita tamen, vt nihil agam, quod, quasi viro graui minus dignum, reprehendi possit. *Epicharmus*] potest fieri, vt illud, Epicharmus, glossa sit eius, quod antecessit, Vafer ille Siculus. Itaque, quod ad me quidem attinet, existimo. atque hoc ineptiarum genere imperiti librarij veterum scripta referserūt. Sic l. 2. ep. 1. Ille tuus ciuis Demosthenes: cum neque necessarium sit Demosthenis nomen; &, si tollatur, venustius quiddam habere sententia videatur. de hoc Horatius, opinor, in epistola ad Augustum:

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,
Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.

Inuenit comœdiam Syracusis, vt testatur Suidas: quin etiam hunc locum, quem Cicero adducit, recitat in dictione ὑπφεν. Item Quinctus frater Latine vsurpauit in libello de petitione consulatus. Est autem trochaicus quadratus catalecticus. *De tuo autem negotio*] factum erat senatusconsultum aliis de rebus; sed hoc additum in extremo, vt liberi populi soluere ne cogerentur. l. 2. ep. 1. *Pedariorum*] senatores, qui curules magistratus gessissent, curru in curiam honoris gratia vehebantur: ceteri pedibus itabant: vnde Pedariorum nomen. Gellius libro 3. cap. 18. *Nostrum*] qui curules magistratus

gessimus. *Me esse ad scribendum*] me affuisse, dum scriberetur senatusconsultum. nam in senatusconsultis adscribebãtur eorum nomina, qui affuissent. eæque dicebantur Senatusconsultiauctoritates. in epist. fam. epist. 7. l. 8. & in proœmio libri 3. de oratore. *Aliam rem*] primo relatum est non de populis liberis, sed alia de re, vt ex ipso senatusconsulto potes intelligere: deinde ex sententia Seruilij additum est illud, ne liberi populi cogerentur soluere. quod si de populis liberis primo actum esset, ego, qui scirem a Sicyoniis pecuniam tibi deberi, tua caussa repugnassem, neq; scribendo affuissem. epist. 1. l. 2. *A P. Seruilio filio*,] viuebat enim pater P. Seruilius Isauricus. Sic ad Q. fratrem lib. 2. Carpebatur Pompeius a Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio. & ad eundem lib. 3. Seruilius pater significat, valde te sibi gratum feciſe, quod de sua voluntate erga Cæsarem diligentissime locutus esses. & vbi patri & filio prænomen idem esset, additum est, Pater, & Filius, vt internoscerentur: ex quo in his epistolis sæpe, Quinctus pater, Quinctus filius. *In postremis*] quia, qui curulem magistratum gesserant, ij si a censore nondum in senatum lecti essent, iure tamen magistratus in senatum introibant, & dicendæ sententiæ ius habebant. Gellius lib. 3. cap. 18. *Conuentus*] recenti re homines conueniebant: vt inducendi senatusconsulti rationem inirent, quod illud, De populis liberis, additum esset cum iniuria, damnoque multorum. postea conuenire desierunt, cum intelligerent immutari non posse. idem ep. 1. l. 2. *Tuis blanditiis*] quando iudicio cum iis agere non potes, impediente senatusconsulto proxime facto. *Nummulorum aliquid*] Attico enim Sicyonij debebant. ep. 11. & l. 2. ep. 7. *Homini Attico*] ubi. ludit in cognomen Attici. *De suis historiis*] de bello Marsico Græce scriptis. Plutarchus. *Barbara quædam, & obsoleta*] non Attica, sed barbara, & nimis antiqua. *Tertium poema*] tertium opus de consulatu meo, versibus conscriptum. primus enim commentarius Græce compositus, alter Latinus, tertium poema. *Τίς πατὴρ αἰνήσῃ?*] a filiis patres laudantibus, quod ipsi laudabiles non sint, transtulit Cicero ad se ipsum laudantem, quasi qui non laudaretur ab aliis. Plutarchus in Arati principio dilucide explanat, & ait esse παλαιὰν παροιμίαν. *Quod potius sit*,] quod sit laudabilius nostro consulatu. vsitata locutio.

tio. *Secus esse dictum.*] scripserat enim Atticus, se putare, Quinctum, & Romæ, & in itinere de ipso minus commode locutum. ep. 15.

IN EPISTOLAM XIIX.

Epistolam reddidit,] rescriptam ad eam, cuius initium est, Magna mihi. *Iniucundius*] de discordiis Quincti & Pomponiæ. *Moderatissimum fuisse*] quod ea moderatissime tuleris. *Neque de statu nostræ dignitatis est recedendum,*] recederem autem, si susceptam de rep. curam abiicerem. Respõderat Atticus ad illud, Vtor Pompeio familiarissime, quod est ep. 15. *Neque sine nostris copiis*] non debeo Pompeij amicitiam tanti facere, vt veteres amicorum copias negligam, sine quibus intra alterius præsidia venire, id est vni Pompeio me totum credere, tutum nõ est. sic igitur faciam: firmabo, vt institui, meas opes amicitia Pompeij: & tamen, quia non vnius fidei sunt omnia committenda, veterum amicorum præsidia non dimittam. hæ sunt enim copiæ nostræ. *Et is, de quo scribis*] manifestũ est, Cn. Pompeium intelligi. *Nihil non summisisse, atque populare.*] verbum enim non faceret, quod quemquam de populo posset offendere. quo minus expectare ab eo constantiam, & animi firmitudinem debeo. ergo nõ committemus, vt sine nostris copiis intra illius præsidia veniamus. *Fluctuantem sententiam confirmasse,*] cum eius animus in tuenda rep. nutare interdũ videretur, confirmaui. *Aspe malorum*] sperauerant enim improbi homines contentionem mihi fore aliquam cum Pompeio ex illarum rerum, quas in consulatu gesseram, dissensione. ep. 17. *Ad mearum rerũ laudem*] tãtum abest vt propter eas res a me dissenserit, vt eas etiã in senatu non semel, sed sæpe laudarit. ep. 17. *Nullam rem tanti æstimasse.*] nihil tanti fuisset, vt cũ eo me cõiungerem. *Bonos viros,*] quos paullo ante suas copias vocauit. *σπάρταν*] remp. quã semel tuendã susceperi, nũquam deseram. Adagiũ est in Suida & Plutarcho, *σπάρταν ἔλαχες, ταύτα κόσμει*: de iis, quibus, cum fortunæ munere cõtigisset, vt Spartæ nascerentur, degenerare a tam nobilis patriæ testata virtute sine magno dedecore non liceret. *Hanc viam optimatum*] rectam rationem in rep. *Post Catuli mortem*] perierat non multo ante. nam Pisone & Messalla cos. anno proximo superiore viuebat. vt ep. 14. & apud Plutarchũ in Crasso.

Nec comitatu] scribit Plutarchus in Crasso, Ciceronis, Catuli, Catonis fuisse quandam in defendenda libertate societatem & consensionem. *Rhinton*] poeta comicus Tarentinus: de quo Suidas. οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει.] iambicus senarius. Latine sic: Alij quidem prope nihil sunt, aliis autem nihil curæ est. qui me, inquit, recta sentiẽtem adiuuare, & in optimatum via pergentem forsitan sequi vellent, infirmi ab auctoritate non possunt: qui possent, negligunt. *Piscinarij*] Hortensius, & Lucullus: quos Ciceronis, noui hominis, dignitas angeret: ep. 17. *A curia*] sæpe Curiam pro senatu, Forum pro populo ponit, figura grammaticis obseruata. A curia igitur, a senatu. ego me, inquit, ad popularem rationem non dabo, vt Pompeius, vt Cæsar, vt omnes non boni ciues. senatui semper ita affixus hærebo, vt nulla res diuellat. *Rebus meis maxime cõsentaneum*,] ne dissentiam a me ipso, qui in consulatu meo nihil gessi non auctore senatu. *Non multum spei est in senatu.*] vt senatus factum senatusconsultum de liberis populis inducat. ep. 17. & 1. l. 2. *Iam*,] nam initio fuerant, qui quererentur: quod epistola proxima dixit: Conuentus, qui initio celebrabantur, iamdiu fieri desierunt. ep. 17. *Alia via*,] quando in senatu spes non est. *Ad quos pertineret*,] non animaduersum est, illud, De populis liberis, addi sine multorum damno non posse. epist. 1. l. 2. *Partim maleuolentia*,] sunt in senatu, qui odio prosequantur eos ad quos intelligunt ex senatusconsulto rei familiaris iacturam peruenire: itaque, ne inducatur, pugnabunt. *Opinione æquitatis*] vt ea, quæ recta sunt, constanter tueri videantur. &, opinione æquitatis, quasi non tam de ipsa æquitate, quam de opinione hominum, & inani quadam specie laborent. *Mediocrius*,] quasi aperte Metellus ostenderet, se bellum malle, quam otium. *Auli vero filius*] Afranius consul. epist. 14. & 16. *Magni nostri ὑπώπιον*] Pompeii macula & infamia: quia Pompeii potissimum opera ad consulatum Afranius peruenerat. ep. 14. *Ser. Claudius*] frater Pæti: de quo in epistola ad ipsum Pætum, his verbis: Seruius frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret, Hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi. Frater autem Claudius Papirii, non germanus, (nam eodem vterque appellaretur no-

tur nomine) sed aut consobrinus, aut ex eadem matre, diuerso patre. epist. 1. l. 2. *Per legem Cinciam licere capere*] iocatur in legem Cinciam, quæ erat de donis & muneribus. in 2. de oratore, Sæpe, inquit, sententiose ridicula dicuntur, vt M. Cincius, quo die legem de donis & muneribus tulit, cum C. Centho prodiisset, & satis contumelioſe, Quid fers Cinciole, quæsisset; vt emas, inquit, Cai, si vti velis. Et in de Senectute: Quadriennio post factus sum prætor: quem magistratum gessi Tuditano & Cethego cos. cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit. Et Liuius lib. 4. Quid legem Liciniã excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis iam, & stipendiaria plebs esse senatui cœperat? *Cincius*] hic Attici negotia Romæ procurabat. epist. 6. *Agit maximas gratias*:] de eo, quod ipse tua sponte ipsius causſa iam fecisti. Tale illud in epist. fam. epist. 1 lib. 3. Omnino tibi agit gratias. sed idem scribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM SECVNDVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

EVNTI *mihi Antium*,] huc se nobiles Romanos animi causſa contuliſſe, legimus in Strabone. Aberat autem Roma Antium ſtadijs CCCVII, hoc eſt milliarijs XXXIIX. cum dimidio. nam, vt ait Plutarchus in C. Graccho, τὸ μίλιον ὀκτὼ ςαδίων ὀλίγον ἀπο-δεῖ. *Gladiatores M. Metelli*] gladiatorũ certamina cum alij cupide viſerent, ego cupide reliqui. *Tuũ*] commentarium Græce ſcripſerat Atticus de conſulatu Ciceronis. Nepos in Attici vita. *Legi enim libenter*] quod & tua eſſent, & de rebus meis, ideo libenter legi: ſed, ad genus orationis quod attinet, horridula mihi atque incompta viſa ſunt. &, Libenter, quaſi diligenter; vt contra non libenter legunt, qui negligenter. *Ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant*,] Sic in Oratore: Vt mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipſum deceat: ſic hæc ſubtilis oratio, etiam incompta, delectat. Fortaſſe imitatus eſt Terentij figuram ex Phormione.

Virgo pulchra: & quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.

Quale etiam vetus illud in mulieres odoratis vnguentis non vtentes: Ideo bene olere, quia nihil olerent. quod eſt apud Plautum in Muſtellaria. Cuiſententiæ nõ diſſimilis illa Varronis in ſatyra Menippea, quam recitat Macrobius lib. 3. Bellaria ea maxime ſunt mellita, quæ mellita non ſunt. *Iſocratis*

cratis μυροθήκιον;] non discedit a translatione vnguentorum, quia dixerat, Horridula, & Olere. Attici oratio, quia sine pigmentis, horridior: nitida Ciceronis, quia cum pigmentis. *Eius discipulorum*] multos docuit Isocrates quorum notissimi Ephorus & Theopompus; ille, vt ingenio tardior, & calcaribus concitandus, sic vita probior; hic vt acrior, & freno coercendus, ita & improbior. Hæc Suidas. Isocratem apud Plutarchum deridet Cato maior, quod eius discipuli senescerent dicendo, vt apud Ditem causas agerent. *Strictim attigisti,*] cursim legisti, missum videlicet ab alijs: (iam enim diuulgatus erat; siquidem & Posidonius eum Rhodi legerat, vt infra proxime) post autem eum, opinor, accepisti, quem ego L. Cossinio dederam. Sic locutus & Sallustius in Catilina: Strictim, vt quæque memoria digna videbantur, attigisti. (ita enim legit Aldus filius ex Nonio, non, vt in peruulgatis libris, Carptim.) Et lib. 1. de Orat. Quasi per transennam prætereuntes, strictim adspeximus. *Fastidiose*] cum omnia in eo diligentissime examinassem, vsque ad fastidium. *Ornatius*] quod homo Græcus videretur præstare posse. *Adolescentulorum studijs excitati,*] quia videmus adolescentulos eloquentiæ studio teneri. *Fuit enim mihi commodum, &c.*] licuit enim mihi ad Demosthenis imitationem curare, vt orationes aliquot meæ, de rep. in consulatu habitæ, legerentur. *Demosthenes,*] tolle Demosthenis nomen, vt illud tantum remaneat, Ille tuus ciuis: elegantiæ multo plus, nec tamen obscuritatis quidquam erit. *Refractariolo*] concertatorio, quod ad restringendum valet. Seneca epist. 74. contumaces, & refractarios, & contemptores magistratuum negat esse philosophiæ fideliter deditos. In Bruto dixit Cicero de Thucydide: Hoc forense concertatorium iudiciale non tractauit genus. *Consulares*] quas nominat proxime. *In senatu Kal. Ian.*] de lege agraria contra P. Seruilium Rullum, tribunum pl. quæ exstat, sed initium desideratur, eamque significat in epistola ad Lentulum, cum inquit: Memoria tenebam, nobis consulibus ea fundamenta iacta Kalendis Ianuarijs confirmandi senatus, vt neminem mirari oporteret, nonis Decembribus tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis. *Altera ad populum*] quæ exstat. Plinij verba hæc sunt libro septimo, cap. 30: Sed quo te

M. Tulli piaculo taceam? quove maxime excellentem insigni prædicem? quo potius, quam vniuersi populi illius gentis amplissimi testimonio, & tota vita tua, consulatus tantum operibus electis? Te dicente, legē agrariam, hoc est alimenta sua, abdicauerunt tribus. te suadente, Roscio, theatralis auctori legis, ignouerunt, potataque se discrimine sedis æquo animo tulerunt. te orante, proscriptorum liberos, honores petere puduit, &c. *De Othone*;] pro Roscio Othone: cui plebem Cicero reconciliauit, molestè ferentem, quod is tribunus pl. quadriennio ante Ciceronem consulem legem tulisset, vt equites in theatro separatim a plebe in quattuordecim proximis ordinibus sederent. Plutarchus in Cicerone, & Plinius lib. 7. Item in oratione pro Murena, & Pedianus in Corneliana. *Pro Rabirio*;] pro C. Rabirio perduellionis reo, ad Quirites. quæ exstat oratio. *De proscriptorum liberis*;] Sylla proscriptorum liberis aditum ad magistratus lege obstruxerat. his petentibus, vt, abrogata Syllæ lege, honores capere liceret, Cicero consul dissuasit. Sed operę pretiū est, subiungere ex oratione in Pisonem, quod huic epistolæ non parum lucis afferre videatur. Ego, inquit, Kalendis Ianuarijs senatum & bonos omnes legis agrariæ maximarūque largitionum metu liberaui. ego agrum Campanum, si diuidi non oportuit, conseruaui; si oportuit, melioribus auctoribus reseruaui. ego in C. Rabirio, perduellionis reo, x L. annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi. ego adolescentes bonos, & fortes, sed vsos ea condicione fortunæ, vt, si essent magistratus adepti, reip. statum conuulsuri viderentur; meis inimicitijs, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui. ego prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam & ornatam, in concione deposui. ego L. Catilinam, cædem senatus, interitum vrbis non obscure, sed palam molientem, egredi ex vrbe iussi. ego tela extremo mense consulatus mei, intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefarijs manibus extorsi. *Qua Catilinam emisi*;] exstat. *Quam habui ad populum*] exstat, & item quæ consequentur duæ. *Inuocarunt*;] mallem, Indicarunt: vt subaudiatur, coniurationem. indices enim Allobroges consul Cicero in senatum introduxit. in orationibus, & Sallustius.

lustius. *Duæ brenes,*] vna, quæ in Rullum ad populum tertia legitur, breuissima: alteram desideramus. *Libris*] orationibus. vt in Oratore, Nos etiam in hoc genere frequentes, vt illa sunt in quarto accusationis. quartam enim orationem in Verrem intelligit. *Pulchelli*] Clodij. epist. 14. lib. 1. *Metellus impedit*,] obstitit enim, ne plebeius fieret P. Clodius: vt in oratione de haruspicum responsis, & pro M. Cœlio. *Non simulat,*] antea caussam occultauerat, cur ex patricio plebeius fieri vellet: nunc non simulat: præsefert, ideo se de transitione ad plebem cogitare, vt deinceps tribunus fieri possit. quod patricio non licet. epist. 16. lib. 1. *In Sicilia*] vbi quæstor fuerat. quæsturam autem ædilitas consequebatur: sed plebeijs hominibus inter vtramque interpositus tribunatus pl. patebat. Clodius autem patricius, quia tribunatu legibus excludebatur, ædilitatem se statim petiturũ dictitarat: postea, vt Ciceroni diem diceret, plebeius factus tribunatum petijt, & adeptus est. *Sæpe dictitasset.*] sic Bessarionis & Caualcantis vterque liber. subaudi, se esse petiturum. Omnino abundare videtur dictio Sæpe, cum frequentatiuum verbum sequatur; sed ferri potest; cum & Matius in epistola ad Ciceronem dixerit, Frequentes ventitasse, pro, Sæpe ventitasse. *Patriciũ*] patricij Sergius Catilina, Cornelius Lentulus, principes coniurationis. *A Freto*] quod iacet inter Messanam Siciliæ ciuitatem, & Rhegium Calabriæ, in extrema Italia. *Prodire*] cum, summa celeritate vsus, præter spem omnium affuerit. *Tribus horis Romæ Interamnam:*] designat illud tempus, cum Clodius, de sacris pollutis accusatus, quod noctu intrasset eo, vbi Vestales pro populo faciebant, apud iudices testimonio Cassinij Scholæ probauit, se, qua hora diceretur inter sacra deprehensus, Interamnæ fuisse: quod tamen perspicue falsum intelligebatur: quia & Cicero eum, & multi eo die Romæ viderant, tribus horis ante horam deprehensionis: vt tum quidem Interamnæ esse Clodius non potuerit, nisi si tribus horis Roma Interamnam posset accurrere. quod cum minime posset, propter locorum maiora interualla; cauillans tamen Cicero, factum id a Clodio dicit, quia iudicibus probare visus est, quoniam est absolutus. *Item ante:*] cum noctu introiuit domũ Cæsaris, vbi sacra Bonæ deæ a mulieribus celebrabantur.

Cum iri maxime debuit.] cum afficiendus supplicio fuit, quod Bonæ deæ sacra violasset. Et iocatur in ambigua significatione. nam Ire obuiam, prodire obuiam proprie valet; μεταφορικῶς, resistere: vt lib. 4. Huic obuiam it Cato. Qua ratione & Brutus in quadam epistola dixit, Maleuolentiæ hominum in me, si poteris, occurres. *Cum candidatum deducerem,*] candidatos ad commendationem clari viri Marcium in campum deducebant. Q. Cicero de petitione consulatus. *Siculis locum gladiatoribus dare.*] Siculis, meis clientibus, locum dare, vbi gladiatorum certamina spectare possent. amicis enim & tribulibus ad spectacula locus dabatur: vt in oratione pro Murena. *Gladiatoribus*] cum gladiatores pugnarent. Sic locutus est epist. 19. & fam. lib. 10. epist. 32. & in prima in Antonium in extremo, & in nona item in extremo. *Nouos patronos instituam.*] nouos patronos Siculis dabo, quando tu, vetus eorum patronus, locum ijs dare gladiatoribus non consuesti. Et patronus Siculorum Cicero iam inde a quæstura sua Sicilienſi. *Sed soror, &c.*] quia se ipsum designauit, cum dixit: Nouos patronos, (nam & ipse quæstor fuerat in Sicilia) intulit, Sed locum dare Siculis non facile potero, cum soror mea, quæ tantum habeat loci, vnum mihi solum ad spectandum pedem det. quasi dicat: poteris igitur tu multo minus, cui consularis soror non est. *Consularis*] vxor consulis Q. Metelli, quæ propterea loci plurimum in spectaculis haberet. *Pedem*] de pede, qui est in mensura, Clodius intellexit; Cicero vertit ad genus concubitus, quo mulieris vtrumque pedem tolli significat Ouidius in tertio de arte amandi:

Melanion humeris Atalanta crura ferebat.

Nec dubitabatur, quin Clodius cum tribus sororibus rem habuisset. vnde illud in epistola ad Lentulum: Qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres sorores. Pedis autem mensura sedecim pollices fuere. & in vncias duodecim, vt as, diuidebatur, vncia vero in quattuor sicilicos. *Non consulare*] obscenum, minimeque dignum, quod a Cicerone, homine consulari, diceretur. *Male consularem.*] facit enim, quæ consulis vxorem non deceant. *Seditiosa,*] hanc fratris Clodij patronum appellauit epist. 14. lib. 1. &, gratia multũ possẽ, ostendit in extrema oratione pro M. Cœlio, cum eius opera

pera Sex. Clodium dixit absolutum. *Videtur refrixisse.*] tota res agraria, interpellata bello, refrixerat, dixit epist. 17. lib. 1. *Molli brachio*] leuiter: translatione ab ijs, qui pueros errantes leuiter percutiunt. *De populari leuitate*] vt grauiorem se ciuem in rep. præstaret. epist. 18. lib. 1. *Bene gesta,*] bello Mithridatico. *Conseruatæ*] exstincta Catilinæ coniuratione. *Cuius nunc venti calde sunt secundi,*] quod existimatione & auctoritate maxime floreret. Sic Horat. ep. 1. l. 2.

Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.

Num tantum] quantum tu videris suspicari, qui me de Pompeij familiaritate obiurgas. *Quam quæ exsecaret.*] ciues enim populares, minus recte sentientes, quos alij non sapientes oppugnarent, ego potius studeo lenire: & artificio quodã ad reip. partes transducere. Ita nõ videor improbandus, qui, quod in ciuitate, quasi in corpore, vitiosum est, sanare velim potius, quam exsecare. Notat nimiam, Catonis maxime, seueritatem, quæ reip. noceret. *Equitatus ille,*] equites Romani, quos ego consul cum senatu coniunxeram. *In cliuo Capitolino,*] in æde Concordiæ, ad radices assurgentis Capitolij. qua in æde consul Cicero senatum consuluit, quid de coniuratis deprehensis statuendum videretur; cum etiam equites Romanos adhibuisset. quod initium fuit eius concordiæ, quæ inter equites & senatum est consecuta: vt supra docuimus, epist. 16. lib. 1. *Te signifero, ac principe,*] cum te quoque, equestris ordinis principẽ, ad eam consultationem adhibui. Sed perstitit Cicero in translatione rei militaris: & quia dixerat, Equitatus, intulit, Te signifero: cum nihil aliud significet, quam, in senatu Atticum, qui principem locum ordinis equestris obtineret, cum ceteris equitibus affuisse. *Nostri autem principes*] principes ciues Lucullus & Hortensius, piscinarum studiosi. epist. 16. 17. 18 lib. 1. *Mullis barbatis*] Mullos dictos a mullis calceamentis, de quibus Festus, & Plinius libro nono cap. 17. ex Fenestellæ testimonio. Barbatos autem Cicero vocat, quia, quod idem Plinius ibidem tradit, barbæ gemma inferiore labro insigniuntur. Eodem modo idem Cicero Parad. 5. Barbatulos, ait, mullulos de piscina exceptantem. *In piscinis sint,*] id quod perquam rarum fuit: si quidem in viuarijs, piscinisq; eos non creuisse, Plinius ait. *Obesse,*] reip. & Pompeium maxime ac Cæsarem intel-

ligi, perſpicuum eſt. *Verius,*] æquius: vt pro Murena, Negat verum eſſe allici beneuolentiam cibo. Item Cæſar, Liuius, Virgilius, Horatius. *In iudicium venire*] accuſari apud iudices. *Equites curiæ bellum,*] indixerunt, ſubaudi. & Curiam accipe pro ſenatu: vt ſit continens pro contento. *Renunciantibus?*] petentibus vt locatio Aſianorum vectigalium induceretur. lib. 1. epiſt. 15. *Retinendi ordinis cauſſa*] ne ordo equeſter alienaretur a ſenatu. publicani enim equites Romani. *Faciendæ iactura.*] fuit ſatisfaciendum equitibus, locationis inductionem poſtulantibus; quamquam id cum ærarij iactura fieret. *Conſule in carcere incluſo*,] L. Flauius tribunus pl. Metellum conſulem in carcere incluſit, quia legem agrariam perferri non ſineret. alijs tamen tribunis opem ferentibus, & Pompeio ſuffragante, aliquot poſt horis exiuit. Dio lib. 37. *Adſpirauit nemo eorum,*] maxime equites Romanos ſignificat: quorum opera cum Cicero cõſul vſus eſſet in defendenda rep. poſt alienati a ſenatu propter ſenatuſconſultum de iudicijs, & quia de inductione Aſianorum vectigalium minime impetrabant, non modo nõ concurrerunt ad opem Metello ferendam, aut iuuandos optimates in ſeditionis tumultu, ſed nec adſpirarunt, id eſt ne iuuandi quidem voluntatem indicarunt. *Mercede conductos*] quid ergo, inquies, feremus iſtos equites, in iudicio pecuniam accipientes? *Libertinis, atque etiam ſeruis*] præſtat, equites Romanos, corruptos, & mercede conductos, iudices habere, quam libertinis & ſeruis ſeruire: a quibus contra perditos ciues opem implorare cogemur, ſi equeſtris ordinis præſidio priuamur. vide, quæ de Libertinis diximus in Comm. Epiſt. fam. epiſt. 10. lib. 5. Ἄλις σπουδῆς.] ſat ſtudij; ſubaudi, poſitum eſt a nobis in tuenda ordinum concordia. nunc, vt dies poſtulat, ita viuamus: quando iam officio ſatis ſuperque fecimus. *Meam tribum tulit honeſtius,*] tribum ferre dicitur, cui tribus vel magiſtratum petenti, vel commodum aliquod ſuffragijs defert. Tribus autem Ciceronis videtur Cornelia fuiſſe: cum, in ea cenſeri ſolitos eſſe Arpinates, Liuius lib. 38. ſignificet. *Quam ſuam.*] vtramque tulit, ſed meam honeſtius, quam ſuam. *Lucceij perdidit:*] non tulit tribum Lucceij. Et apparet, Fauonium magiſtratum petiiſſe. nec mirum, perdidiſſe Lucceij tribum: quippe cum Lucceius Cæſaris,

Cęsaris, Fauonius Catonis familiarissimus esset, Cato autem & Cæsar cum natura, tum vitæ instituto dissidentes. perdidit igitur tribum hominis non amici, Ciceronis tulit: qui senatus partes sequebatur, vt Cato & Fauonius, non populum, vt Cæsar. *Inhoneste*,] cum non haberet, quod in Nasicam dicere posset. turpiter igitur & inhoneste accusauit. est autem hic, vt opinor, Scipio ille, quem Q. Metellus Pius adoptauit: cui Naficæ cognomen fuisse, ob eam caussam crediderim, quia & pater eius, vt scripsit Dio, & auus, & proauus, & atauus Naficæ dicti sunt. consul fuit cum genero suo Pompeio Magno. *Modeste*] cum videatur laudare Fauonium, reprehendit. nam, Modeste, est leniter, frigide, non vehementer: quod est vitiosum in accusatore. *Moloni*] qui Fauonii Rhodi eloquentiam docuerat. *Nunc tamen petit iterum*] repulsam igitur tulerat priore petitione. *Reip. caussa.*] exagitatio Fauonij cum excusatione quod iterum peteret: iterum enim petere non sua, sed reip. caussa: alioqui post priorē repulsam non fuisse petiturum. *Quid agat*,] de petitione sua. petijt enim consulatum paullo post cum Bibulo & Cæsare, sed præteritus est. *Cum Cæsarem videro*,] qui cum Lucceio contra Bibulum coiuerat. ideoque Lucceij omnia consilia, quod ad petitionem attineret, scire poterat. supra, epist. 15. lib. 1. *Sicyonii te laudant*,] qui debitam tibi pecuniam non soluunt. epist. 18. lib. 1. *Catoni, & eius amulatori Seruilio.*] quorum opera factum est senatusconsultum de populis liberis. Nondum igitur curulem magistratum Cato gesserat, cum S. C. factum est. supra enim, Illud senatusconsultū summa pedariorum voluntate, nullius nostrum auctoritate factum. epist. 18. lib. 1. *Ea plaga*] illud senatusconsultum nō tibi solum, sed multis præterea bonis viris detrimentum attulit; qui creditam ante pecuniam ijs populis, quos senatus proxime liberos esse iussit, exigere non possunt. epist. 18. lib. 1. & 2. lib. 6. *Deinde in dissensionibus*] planius ad sententiam, Ne in dissensionibus. vt hoc dicat: Quando ita senatus decreuit, laudemus. nam reprehendentes, qui assentiret, non haberemus: frustra autem dissentire, stultum est. Forte etiā sic: Ne in discessionibus. fieri enim solitas esse discessiones senatorum in diuersas partes, notum est, cum aliquid in senatu decernendum esset. *Amaltheamea*] gymnasium & ipse

Amaltheæ nomine exstruxerat, Attici exemplo. epist. 14. lib. 1. *Indiget tui.*] quod attinet ad ornatum & τοποθεσίαν. epist. 14. lib. 1. *Vindicem æris alieni*] coniuratio Catilinæ propter æs alienum facta, odio maxime creditorũ. recte igitur vindex & seruator creditorũ Cicero, quia coniuratos occiderat. & Vindex dupliciter ponitur. vindex coniurationis, qui coniurationem opprimit; vindex libertatis, qui libertatẽ restituit: vt hic, vindex æris alieni, qui creditores seruat: quod μεταφορικῶς dixit in epistola ad Sextiũ, Non putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione feneratores exemerit. Sic, Vltor Catilinæ, in oratione in Pisonem: & Vltor inimicorũ, in epistola ad Lentulum: diuerse; nam illud pro Catilina, hoc contra inimicos. *Aere non Corinthio,*] sensus est: Tusculani & Pompeiani ædificatio magnum mihi æs alienum attulerunt. sed iocatur in ambiguitate verbi: cum æs Corinthium maxime laudaretur. *Hoc circumforaneo*] quod ab argentarijs fenerantibus sumitur, qui tabernas habebant in porticibus circa forum. *Speramus esse otium.*] vide epist. 16. & 18. lib. 1. *Prognostica mea*] Arati versus, ab ipso latinitate donatos; quibus prognostica continentur, vt futuræ pluuiæ ex ranarum clamore. epist. 16. lib. 15. *Ad Octauium*] videamus, Octauius hic qui sit, & qua de re agatur: quod arbitror non omnibus patere. Hoc tempore Asiam regebat Q. Cicero, Macedoniam C. Octauius. de quo his verbis in epist. 2. lib. 1. ad Q. fratrem: Et mediocri me dolore putas affici, cum audiã, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus C. Octauius? sic enim legimus, non Cn. vt patet ex infra scripto lapide. & Suetonius in Augusti vita: Octauius pater ex prætura Macedoniam sortitus, fugitiuos, residuam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit, negotio sibi in senatu extra ordinem dato. prouinciæ præfuit non minore iustitia, quam fortitudine. namque, Bessis ac Thracibus magno prœlio fusis, ita socios tractauit, vt epistolæ M. Ciceronis exstent, quibus Quinctum fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur & monet, imitetur in promerendis socijs vicinum suum Octauium. Macedoniam igitur administranti commendari Atticus cupiebat; cum in ea prouincia negotiorum quiddam haberet: ideoque & C. Antonio, eandem prouin-

prouinciã ante Octauium regenti, Cicero eum litteris commendauerat, fam. lib. 5. epist. 5.

Lapis in hortis Colotianis, Romæ.

C. OCTAVIVS. C. F. C. NP—
PATER. AVGVSTI
TRIB. MIL. BIS. Q. ÆDIL. PL. CVM. C.
TORANIO. IVDEX. QVÆSTIONVM
IMPERATOR. APPELLATVS. EX
PROVINCIA. MACEDONIA

Dedi litteras.] commendaticias. cum ipso enim, ante quã discederet, nil eram locutus; quia non putabam te negotia in prouincijs habere, (erat autem Macedonia Romanorum prouincia) sed dumtaxat in ijs locis, quæ Romanis magistratibus non parent, vt in Epiro, aut Athenis, aut Sicyone. *In tocullionibus*] nomen fortasse deductum a τόκος, quod est vsura. vt sit: Non putabam te esse in ijs, qui vsuram exercent, pecuniam cum fenore exigentes a prouincialibus. nec mirũ, si verbo vtatur Cicero, a Græcâ lingua deriuato, cum ad Atticum scribat, Græcæ linguæ studiosissimum.

IN EPISTOLAM II.

Ciceronem nostrum.] Quinctum Ciceronem, Quincti filium ex Pomponia, Attici sorore. erat autem apud auunculum. Φαῦλοι] non libenter mecum solet esse Quinctus filius, quod seueritatem disciplinæ meæ non ferat: vt recte me patruum putet, id est minime indulgentem; quales patrui sunt. nam patres amore victi filijs sæpe denegare non possunt, etiam quæ sentiant minus expedire. itaque, epist. 5. lib. 10. Pater, inquit, nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. & pro M. Cœlio. Fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister: obiurgauit M. Cœlium. & apud Persium,

Cum sapimus patruos.

& apud Horatium;

Patrua metuentes verbera lingua.

Vere tamẽ vt dicam, ſubolet de mendo neſcio quid, primum quia, quod ad ſententiam pertinet, magnopere non probo; putidum enim & inſulſum quiddam eſt, Ei nos θεῖοι videmur; cut Græce, θεῖοι, potius, quam Latine, Patrui? deinde, quod caput eſt, ſcriptos libros hic ab impreſſis video diſſentire. in eo, qui Beſſarionis fuit, perſpicue legitur, Cura, amabo te, Ciceronem noſtrum, ἀποπλέσαι videmur. In alio, Cinos θεῖοι videmur. πελληναίων] librum Dicæarchi de populis Pellenæis. de quibus Suidas. *Dicæarchi*] quem infra ſuas delicias appellat. Siculus fuit, Ariſtotelis auditor, philoſophus, rhetor, geometra. *Procilio.*] qui & ipſe multa ſcripſerat, grammaticus doctiſſimus, cuius ſcripta fortaſſe magis Atticum delectabant, quam Dicæarchi. *Mihi heredes.*] obſcurus & forte mendoſus locus. neque ſecus antiqui libri: præter vnum Ducis Vrbinatis, in quo eſt, Mihi credas. Ἡρώδης] Athenienſis, & opinor is, de quo lib. 14. *Quam ϑnam litteram ſcriberet:*] Atticus enim litteris ſignificauerat, Herodem ad ſe acceſſiſſe, ut ſcripta ſua legeret. *Comminus acceſſit.*] venit enim ad te, vt ſcriptorum ſuorum moleſtiſſima lectione conficeret. *Lollio*] Lollia familia Romæ: & in antiquis libris ita ſcriptum, non, vt in vulgatis, Lolio. *Sanus non es*] non recte ſentis. μεταφορὰ a corpore ad animum. *Vino*] alij, Vinio. placet. nota familia, de qua Horatius,

Auguſto reddes ſignata ϑolumina Vini.

Kalendas ϑenire,] quo die C. Antonius, a Q. Maximo accuſatus, cauſſam dicere debebat. *Non ϑenire?*] ex Macedonia prouincia redeuntem, quam auare & infeliciter adminiſtrauerat. vide ep. 10. l. 1. *Ita ad me mittunt,*] ita mihi Roma ſcribitur a meis. Fortaſſe, quod Cicero C. Antonium, collegam ſuum in conſulatu, defendere ſtatuiſſet. nam certe defendit eum, accuſante Cœlio, vt in oratione pro Cœlio legitur, & in ea pro domo. *Nigidium*] prætorem: vel fortaſſe tribunum pl. non enim apud Nigidium, ſed apud Q. Claudium, & Cn. Lentulum Antonium eſſe accuſatum, alterum ſcilicet de repetundis, alterum de maieſtate quærentẽ, oſtendit oratio in Vatinium. *Compellaturum*] euocaturum, coacturum. *Huc non ϑenis,*] quoniam Romam recta proficiſceris, nec vis de itinere deflectere, vt in villas ad me venias; Romæ domi meę cenato, tertio quidem Kalendas, ſi poteris, id eſt

id est illo ipso die, quo te ad Vrbem futurum scribis; si minus, vtique pridie Kalendas.

IN EPISTOLAM III.

Opinor εὐαγγέλια] opinor mihi debes εὐαγγέλια, quia Valerium absolutum significo. *Valerius*] non videtur hic esse L. Valerius Flaccus: qui absolutus est Cæsare consule, vt est in vltima epist. huius libri: nunc autem consulatum nondum Cæsar inierat. aut igitur alius Valerius est: aut Flaccus bis accusatus. *Defendente.*] mecum. exstat Ciceronis oratio. *Atilio*] qui pro Valerio absoluendo prensauerat. *Et Epicratem*] iam non agitur de iudicio Valerii Flacci, sed responsio est ad alteram partem epistolæ ab Attico acceptæ. & Epicratem, opinor, Pompeium, quasi, omnia tenentem: siquidem eo tempore princeps in rep. Pompeius. & infra nō semel eum fictis nominibus designat, vt cum appellat Sampsiceramum, Arabarchen, Hierosolymarium, Megabocchum: de quibus singulis suo loco. *Suspicor,*] de absente Pompeio. *Eius caligæ,*] de Pompeij lasciuia dicit se ex eius caligis suspicari, quibus in vrbe solus vteretur; quoniam militare calceamentum erat, non vrbanum. & sane Pompeius in vestitu, neglecta vulgari consuetudine, inane quiddam amauit ad perspicuitatē. vnde illud, ep. 16. Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. & Fauonius Pompeij cultum notauit his verbis: Non refert, qua parte corporis diadema geras: quod candidis fasciis vteretur. Valerius. *Vt fasciæ cretatæ,*] ita mihi non placebant eius caligæ, vt ante cretatæ fasciæ non placerant. Veteres Romani crura fasciis induebant. sed Pompeius cretatas gestauerat, cum aliorum eo colore non essent. reprehendit enim Cicero P. Clodium in oratione de haruspicum responsis, quod purpureis vsus esset. cretatæ autem fasciæ candidæ erant, vt candida toga competitorum; quę cum esset alba, ita colorabatur creta, vt candida fieret: idque legimus apud Isidorum: quod etiam Valerius Max. lib. 6. cap. 2. confirmat. quo in loco, dubium non est, quin de his Pompeij cretatis fasciis intelligat: ait enim: Pompeio, candida fascia crus alligatum habenti, Fauonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione regias

eius vires exprobrans. κύρου παιδείαν] Cyri architecti doctrinam. & allusit ad Xenophontis librum, qui inscribitur κύρου παιδεία. famil. lib. 7. epist. 14. *Radiorum, &c.*] aiebat Cyrus architectus, cum radij oculorum per fenestras latis luminibus egrederentur, eas egressiones non tam esse suaues. *Etenim*] argumentum pro fenestrarum angustiis contra latitudinem. Ab oculis nostris exeunt radij, qui quo longius progrediuntur, eo latius, alter ab altero, disiunguntur: vt ab oculis nostris ad locum, quem spectamus, fiat radiorum quasi pyramis quædam. &, si hunc totum radiorum, id est visionis, cursum Græcis litteris a principio ad finem notare velis; in principio, id est in oculis nostris, vnde vis oritur videndi, statues α; extremum, quo spectamus, notabis duabus litteris β γ, spatium inane, quod interiacet, qua disiuncti duo radij currunt, duæ item litteræ signabunt δ ε. ergo, si quis in cubiculo constitutus aciem aliquo per fenestram velit intendere, quo angustior erit aditus fenestræ, eo magis oculorum radios in exitu cohibebit; ideoque erit illa suauior, quia radios disiungi quamminime patietur. &, vt suaues angustæ fenestræ, ita non suaues vastæ. ἡ ὄψις, adspectus, visionis initium, oculi ipsi. *Vides enim cætera.*] vides, cum ita sit, quo iunctiores radij per fenestras exeant, eo illas esse suauiores. lato autem aditu non ita iuncti exibunt: latis igitur luminibus fenestræ non tam suaues. *Nam si, &c.*] si per simulacrorum incidentias videremus, & videndi sensus, vt aiebat Epicurus, e rerum simulacris fieret, in oculos nostros sese inferentibus, sequeretur, vt ipsæ rerum imagines, εἴδωλα quæ dicuntur, non facile per angustas fenestras ingredi, & ad oculos peruenire possent; itaque in ipso aditu impeditæ laborarent, sed non ita est. neque enim, vt putat Epicurus, visio fit ex imaginibus rerum ad oculos aduolantibus, sed potius, vt Stoici sentiunt, ex radiis, qui ab oculis ad res ipsas emittuntur. si Epicurum igitur sequimur, latæ fenestræ fiant potius, quam angustæ; ne imagines ingredientes, paruo aditu coartatæ, laborent; vnde adspectus oculis difficilior. sin Stoicis assentimur: angustæ fiant potius, quam latæ: vt radij quammaxime iuncti per eas emittantur: quo iuuari videtur sensus oculorum. & apparet, Ciceronem cum Stoicis sentire, quia infert, Nunc, &c. *Nunc*] positum pro,

pro, Sed, vt alibi, cum superiora tollit: quale illud, Nunc vt Apelles, famil. lib. 1. epist. 9. *Fit lepide*] contra quam sentit Epicurus. *Illa ἔκχυσις*] illa effusio radiorum per angustas fenestras. iuncti enim egredientes radij, deinde se effundunt. Gellius libro quinto capite decimosexto. *Si reprehenderis*,] in ædificio. *Ad mensem Ianuarium*,] quo Cæsar & Bibulus cos. magistratum inituri erant. *In qua Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον*,] ego tibi, inquit, de repub. nunc in vtramque partem disputabo, more Socratico: deinde ad extremum dicam, quæ mihi placeat sententia: quo modo veteres illi Socratici solebant; qui cum *εἰς ἑκάτερον* disputassent, ad extremum, quid ipsis placeret, exponebant. deinde incipit disputare. Agraria lex promulgabitur: quid agendum? resistam, an quiescam? si resisto: magnam subeo dimicationem: afficietur iniuria Pompeius, Cæsar offendetur, vterque popularis. si quiesco: hoc quidem est deserere rempub. non secus ac si in Solonium, aut si Antium abirem. magni igitur consilij res est: siquidem in vtramque partem magna insunt momenta rationum. sed explica tuam sententiam M. Tulli: dic aliquando *τὴν ἀρέσκουσαν*. ego, inquit infra, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης*. *Cæsarem*] consulem, qui ad voluntatem perferendæ legis incubuerat, vt a populo gratiam iniret. Suetonius, Plutarchus. *Balbum*] Gaditanum, sed a Pompeio ciuitate donatum: pro quo exstat oratio. Alter autem Balbus, de quo in hoc libro infra, gentis Atiæ fuit, maritus Iuliæ Cæsaris sororis, ex qua genuit Augusti matrem Atiam. Suetonius in Augusto. *Coniungeret*.] alterum alteri offensum reconciliaret, vnde Triumuiratus ille reip. exitiosus. Scribit Plutarchus, cum Cæsar Pompeium & Crassum dissentientes vidisset, cogitasse futurum in primis e re sua, si eos cõiungeret: ni faceret, haud fere quidquam eorũ, quæ moliretur, posse perficere. *Pax*] quies: vt illud in somnio Scipionis, Quæso ne me e somno excitetis; & pax sit rebus. *Senectutis otium*,] summum otium: quale senibus esse solet: qui fere nihil, ætatis vitio, curãt. *κατάκρισις*] sanctio, in 3. enim lib. de consulatu meo quasi sanctione quadam me ipse obstrinxi reip. cum Calliopen induxi præscribentem mihi, quid agerem. *εἷς οἰωνὸς*] Homeri locus Iliadis lib. 12. de

Hectore auguria contemnente, & vnum esse optimum augurium affirmante, certare pro patria. *Ambulationibus compitaliciis*] quia scripserat Atticus, se pridie compitalia cũ eo futurum. Compitalibus igitur, dum alij ludis operam dabunt, nos hæc ambulantes conferemus. De die compitalicio Macrobius lib. 1. Sat. Varro de lingua Lat. Cicero in Pisonem, & hic libro 8. epist. 7. *Rogat.*] vt veniat ad nos. *Matrem*] Attici: quæ vixit annos xc. Nepos in vita. *περὶ φιλοτιμίας*] libros duos de honorum studio, quos nominat in eius vita Laertius.

IN EPISTOLAM IV.

Serapionis librum] de geographia, de qua Cicero scribere cogitabat. vide epist. 6. & 7. *Transigas.*] conficias: numeres pecuniam pro rebus, quas ab ipso emimus. *In eo, quod ostenderat,*] ostenderat se haud immenso pretio contentum fore. *Male empta*] nimio empta. *Reddat*] venditori Titinio. *Voluntate Pomponia*] non igitur solus Cicero, sed cũ Q. fratre, aut cum Pomponia, fratris vxore, eas res de Titinio emerat. *Nummi potius reddantur,*] malim, Addantur: vt hoc dicat. si ea, quæ male empta sunt, Pomponia reddi nõ vult: adde nummorum aliquid ad id, quod iam numeratum est: solue Titinio pecuniam vel quantam petet: prorsus explica rem, ne scrupulus vllus, aut negotij quidquam supersit. *Scrupulus*] negotium, aut molestia ex infecta re. *Ad Tigranem.*] legatus ad Tigranem, Armeniæ regem, Clodius. epist. 7. *Syrpiæ condicione*] antiquus liber Bessarionis, Syrpæ condiciones. vtrumque obscurum, & fortasse depravatum. *Tempus illud,*] cum aberit Clodius. *Quinctius noster*] qui Asiam regebat. *In otio consederit,*] tum expeditus, vt speramus, administratione prouinciæ, imperio tertij anni terminato. *Sacerdos Bonæ deæ*] P. Clodius: qui muliebri vestitu ad sacra Bonæ deæ accesserat, quo iure sacerdotes solent. ironia. *Cuiusmodi futurus sit,*] nihil enim acturus contra me videtur, qui de legatione ad Tigranem cogitet. itaque nihil impedit, quo minus liberam mihi legationem liceat sumere. *Sciri possit.*] hoc abest a Bessarionis antiquo libro. Canalcantis autem exemplar sic: Sacerdos bene de te cuiusmodi futurus scius sit. vulgata lectio sententiam habet non

non absurdam: sed, cum in scriptis libris aliam scripturam videam; venit in mentem suspicari, ne quis ex ingenio locum restituerit. *Quod a me ipso non desciuerim.*] quod de veteri meo defendendæ reip. cursu gratię caussa non deflexerim. *Magnum opus est:*] quia sunt difficiles res ad explicandum. epist. 6. *Præter quercum Dodonæam*] si quercus essent in Terentiæ saltu, vt in Epiro tua sunt, iuxta Dodonam ciuitatem; ego Epirum ipsam mihi viderer in Italia possidere. cetera non minus abunde sunt, quam in tuis Epiroticis possessionibus: quæ hoc vno præstant, quod proximas habent nobiles illas quercus Dodonęas, quæ vocales olim fuisse dicuntur. præterea nihil est in tota Epiro, quod ego in hoc saltu non habeam. Herodotus libro secundo. *Vettium.*] Chrysippum Vettium architectum, Cyri architecti libertum: de quo fam. lib. 7. epist. 14. *Palæstræ Palatinæ,*] quæ erat in Ciceronis domo Palatina. de muro enim, quem restitui volebat, spectabantur ij, qui se palæstra exercebant. *Pomponiam, & puerum*] ipse enim consumere æstatem in itinere cogitabat, sumpta libera legatione. *Puerum*] Quinctum Ciceronem, Quincti filium ex Pomponia. *In timore ruinæ.*] propter infirmitatem muri, de quo palæstra spectabatur.

IN EPISTOLAM V.

AEgyptum] fore videbat, vt Cæsar consul legatum mitteret ad sanciendam cum Ptolemæo, Ægypti rege, societatem. eam legationem & sibi deferri cupiebat; & tamen verebatur, ne alieno reipubl. tempore discedentem infamia sequeretur. Cæsar libro 3. de bello ciuili. *His mittentibus,*] Cæsare & Pompeio legationem deferentibus: quibus Ciceronis discessus voluptati futurus esset, quod, absente reipubl. patrono, ipsi se omnia sperarent ex libidine administraturos. *Αἰδέομαι*] Homeri versus de Hectore. *πολυδάμας*] conuicium Catonis timebo, vt Polydamantis Hector, si certamen cum Achille recusaret. Iliados χ. *Excipiamus,*] quod ad Ægyptiam legationem attinet, ne properemus, sed excipiamus, & exspectemus, num deferatur. *Contulerit,*] quod Pompeij consilia probe nosset, ob intimam familiaritatem. itaque epist. 17. Velim, inquit, ex Theophane expiscere, quo-

nam in me animo sit Arabarches. cum eo loco Pompeium designet. & lib. 5. epist. 11. Pompeius mihi videbatur in Hispaniam iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam nusquam illum discedere. ergo Græcus incumbet. valet autem auctoritas eius apud illum plurimum. Hic est Theophanes ille Mitylenæus, de quo his verbis in oratione pro Archia: Quid noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquauit? non ne Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit? & Plutarchus sæpe. *Se destitutum,*] a Cæsare: cuius opera, consulem se designatum iri sperauerat, propterea quod ei consulatum petenti suffragatus erat, vt est epist. 5. *Nepos*] cum Q. Metellus Nepos proficiscatur, quem opinio erat in locum auguris mortui petiturum; cuinam auguratus deferetur? & innuit, Nepotem certum augurem fuisse futurum, nisi Roma discessisset: cur? quia fratris in locum surrogari æquum erat. perierat enim Q. Metellus Celer augur; vt ex oratione in Vatinium cognouimus? Nepos autem & Celer fratres, patrueles tamen, non germani, cum eodem vtantur prænomine. Atque hic locus indicat, qui ab vrbe abessent, eos fieri augures non potuisse, cum tamen id lex non vetaret, vt libro 1. epist. 11. ad M. Brutum. *Quoniam Nepos proficiscitur,*] in prouinciam ex prætura: quam vero prouinciam, ignoratur. nam de Hispania, non est, vt intelligi possit: quam rexit Metellus post consulatum; vt ex Plutarcho in Cæsare, & Dione lib. 39. si diligenter inspiciatur, facile est cognoscere. at hæc epistola Cæsare & Bibulo cos. scripta est, biennio ante Metelli consulatum, anno post eius præturam proximo. *Capi possum.*] si enim isti auguratum mihi deferrent, captus beneficio, dissentire ab iis in rep. non possem. Nondum enim erat augur Cicero, nec fuit nisi post reditum ab exsilio. quamquam in epistola quam scribit ad Catonem, dicit se auguratum neglexisse: sed scribit ad Catonem, id est ad hominem seueriſsimum, ab omni prorsus ambitione alienum. *Videte ciuitatem meam.*] hemistichium ex vetere poeta, in miserabilem ciuitatis aspectum. *Quæ putauit esse præclara,*] magistratus, & honores. *Expertus sum*] quia summi honores, summa cum laude gesti, mihi tamen, vt video, contra perditorum conatus

tus præsidij minimum attulerunt. iam enim, equitibus a senatu alienatis, cum Q. Catulus, & Q. Metellus, duo fortissimi reip. propugnatores, obijssent: Pompeij, Cæsaris, & Crassi facta coitio esset; Bibulus consul, armis foro pulsus, domi se teneret; senatus duces non haberet; afflicta langueret optimatum causa; non dubie Cicero impendentem exsilij sui calamitatem cernebat. *Cum omnibus Musis rationem habere*] prorsus me litteris dedere. *Rescribe certius*,] num ita grauiter laboret, vt desperetur. *Quid de P. Clodio*] num legatus ad Tigranem eat.

IN EPISTOLAM VI.

Festiuam] iucundam, qua hilaritas excitetur. *Fluctus numero.*] quod ab ijs fieri solet, quos ipsum nihil agere delectat. *Lacertas*] pisces, lacerti, humani membri, similitudine dictos. Sed malim, Lacertos, vt eos appellant Plinius, Celsus, Martialis, alij. Lacertorum autem tria genera. maximus est colias, de quo Plinius lib. 32. cap. vlt. medius graculus, qui videtur esse, quem Romæ merlucium vocant; minimus scomber, vulgo notus, Romæ & in Gallia macarello, a maculis, quibus & forma terrestri lacertæ non dissimilis. *Serapione & Hipparcho*] Serapio Antiochensis, a Plinio in Indice nominatus, scripsit περὶ τῆς γεωγραφίας. Hipparchus autem Nicæus errata collegit Eratosthenis, vt ait Strabo lib. 2. quo loco eius librum appellat πρὸς Ἐρατοσθένη. Ὁμοίοις] nam & de montibus, & de fluminibus, & de situ vrbium, aliaque huiusmodi sæpius iteranda. quo fit, vt, cum eædem res fere semper occurrant, varietate orationis distingui vix possint. *Tyrannio*] qui & ipse scripserat τὰ γεωγραφικά. *Quinetiam dubitem*] placeret, Qui etiam; hoc sensu. Vide, quam sim complexus otium. prorsus antea peregrinari statueram, & in ea peregrinatione aliquid scribere τὰ γεωγραφικά. nunc quãdoq; cogito, omisso peregrinandi consilio, Antij considere. *Qui etiam dubitem:*] cui etiam aliquando veniat in mentem Antij considere. *Hoc tempus*] quod ponere statueram in peregrinatione. *Buthrots*] procul a strepitu rerum vrbanarum. *Proxima est*] simillima est, quod ad

solitudinem & amœnitatem attinet. Iterat idem lib. 4. epist. 8. his verbis: Scito Antium Buthrotum esse Romæ, vt Corcyræ illud tuum. nihil quietius, nihil salsius, nihil amœnius. *Vatinium*] tribunum pl. Cæsaris consulis ministrum in seditionibus. *Viginti viros*] quos Cæsar, perlata lege agraria, ad æstimationem agri Campani creauerat; cum insuper quinque creasset, qui æstimatum diuiderent. epist. 7. lib. 2. & 2. lib. 9. & Dio lib. 38. *Vnum esse saluum*] Caualcantis liber, Viuum est sægium. Bessarionis, Viuum est segium. vulgata lectio lumen interpretationis non desiderat, cum sententia pateat. πολιτευτέον.] reip. opera nauanda, in litteris videlicet, & libris, doctissimorum hominum exemplo. Ἀνέκδοτα] vel recondita quædam, quæ in apertum non proferantur, tibi vni pateant, vel, qualia nemo adhuc edidit. *Theopompino genere*] Theopompus in historijs suis hominũ mores aspere accusabat. πολιτεύομαι,] opera, quam nunc quidem, Antij dum sum, reip. nauo, hæc est, odisse improbos. *De Quincti fratris negotio.*] quod Q. Ciceroni, Asiam regenti, a populo Romano in sumptum debebatur, id sibi ille denario, id est Romana pecunia, non cistophoro, qui nummus erat Asiaticus, curari volebat. vide igitur, inquit Cicero, ecquæ spes sit denarij, an cistophoro contenti esse cogamur. Pompeianum appellat, quod in Asia magnã pecuniam Pompeius in cistophoro habebat, quæsitam quo tempore in ijs regionibus contra Mithridatem bellum gessit: e qua pecunia quæstores numerari Quincto volebant, tantundem ipsi postea Pompeio Romæ denario numeraturi. epist. 16. *De muro*] Palatinæ domus. epist. 6. lib. 2. *Aliud quid? etiam.*] aliud quid est, quod ad te scribam? vnum hoc reliquum est: quando te proficisci, &c. Sic locutus est epist. 11. lib. 1. quo in loco vide, quæ diximus.

IN EPISTOLAM VII.

Quem non amabam.] forte, Pompeium: quem amare desierat, quod Clodium ad plebem transduxisset. epist. 29. lib. 2. *De Publio*] Clodio. *Legatione*] ad Tigranem. epist. 2. *Quid sit acturus.*] num ea sit vsurus. nam paullo post: Quam si ille contemnit, spectaculum egregium. *In hominem*] tolle

tolle præpositionem In, sententia patebit. *Amissurus.*] cũ legatus longe gentium abiret: qui plebeius videretur esse factus, non vt inani legationum munere tempus consumeret, sed vt Romæ plebis negotium gereret. *Patricios salutare*] Armenij reges Romam venire solent, vt patricios salutent. tu autem, patricius cum esses, transire ad plebem voluisti, quam ob causſam? vt ipse regem Armenium ires salutatũ. minus igitur significas esse dignitatis in plebeijs, quam in patricijs, cum hi salutari soleant, tu autem salutatum ire velis. *Latoribus, & auspicibus legis curiatæ;*] illis ipsis, qui eum ad plebem transduxerunt, Cæsari videlicet, & Pompeio: quorum alter consul legem tulerat de Clodio ad plebem transducendo; alter augur in auspicio fuerat. epist. 9. Dio lib. 38. *Legis curiatæ;*] qua Clodius ad plebem traductus est, Cæsare latore, auspice Pompeio. in oratione pro domo. *Vnus vir*] cum in domo Cæsaris, pontificis maximi, inter mulieres deprehensus est. epist. 7. *In viginti*] creatis ad diuisionem agri Campani. epist. 1. lib. 9. Velleius lib. 2. Suet. in Augusto, Dio lib. 38. *Pisaurenſis nebuloni*] Bessarionis liber, item Caualcantis, Pisaurensia neptiloni. alij aliter. nos, quammaxime ad antiquam scripturam accedentes, ita putamus esse corrigendum: Illa opima ad exigendas pecunias Druso, vt opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio reseruatur? vt, quæ Clodio promissa fuerat legatio, eam dicat Druso, aut Vatinio reseruari. & est vsitata Ciceroni locutio, ambigenti hoc an illud fit: vt lib. 1. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? & in epistola ad Trebatium: Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidem? is me ad cenam sæpe vocat. item in Bruto: Paucis ante, quam mortuus est, an diebus, an mensibus? & lib. 12. Dicitur Quinctum filium vidisse an euntem, an iam in Asia? *Bella relegatio*] non est hoc, Clodium legare, sed specie legationis relegare. Et argute, cum post verbum, Ieiuna, adscripturus videretur, Legatio, vt contrarium contrario redderet, quia dixerat, Opima? iocum captans repente vertit sententiam, & intulit, Bella relegatio. In libro Bessarionis antiquo video scriptum esse, Ieiuna tabella relegatio, tribus verbis distincte: vt mutationis minimum sit in nostra correctione. *Ad istorum tempora reseruatur.*] qui enim Clodium nunc

ad Tigranem mittunt, ideo mittere videntur, vt comitijs tribunitijs Romæ ne fit, itaque petitione tribunatus excludatur. id autem, vt tribunatum illi non tam eripiant, quam ad ipsorum tempora reseruent. quasi arbitratu suo possent magistratus dare, cum vellent. *Incende hominem*,] incende Clodium contra Cæsarem & Pompeium, qui eum tam contumelioſe tractent. *Ex Curione.*] cognosce ex epistola sequenti. *Consulatum sibi ereptum*] Iperauerat enim, in petitione consulatus vsurum se esse Cæsaris opibus, qui & ipse Cæsari petenti anno proximo superiore suum studium, suamque operam præstiterat. sed Cæsar vbi ad consulatum peruenit, de officio non laborans, Arrium neglexit. *Ereptum*] non quia consules essent creati, sed quia Cæsaris promissis Arrius destitutus iam de consulatu desperabat; cum se excluſum non dubie conijceret, Cæsare, Pompeio, & Crasso sibi inuicem gratificantibus. epist. 5. *Megabocchus*] Pompeius: qui in his epistolis a Cicerone diuersis nominibus appellatur, Epicrates, qui omnia teneret; Sampsiceramus, Arabarches, & Hierosolymarius, hęc loca victorijs adeptus; Megabocchus, magnus Africæ rex, quia Domitium, & Iubam, Syllanis temporibus in Africa vicerat. Bocchus autē in Mauritania, Africæ parte, regnauerat. *Sanguinaria*] cædis cupida; vel facilis ad cædem committendam; ex Catilinæ, sanguinarij hominis, disciplina. epist. 12. Concurſabant, inquit, barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis. & epist. 14. Nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuuenes. *Inimiciſsima est.*] magno odio Megabocchus est huic sanguinariæ iuuentuti. *Auguratus.*] nam ex ambitione multorum, qui in locum Metelli petent, dissensiones inter istos exsistent. epist. 5. *Quinque viris*] puto pro Quinque, reponendum Viginti, de quibus in hac epist. *Loqui quosdam.*] contra Cæsarem, & Pompeium. *Exire de naui,*] cum mihi facultas eripiatur administrandæ reip. *Non abiectis,*] non sponte, sed coactus omitto curam reip. *Naufragia*] dissensiones & rixas. *Ex terra*] ipse extra periculum naufragij: quale illud Lucretij,

Suaue, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.

De auro,] de quo epist. 4. & 6. *Castrittanum mendum*] quiddam

quiddam significat de Castritio, qui in Asia negotiatus erat, vt ex oratione pro Flacco colligitur. CIↃ CCIↃↃ IↃↃↃ] corruptus, opinor, locus. non enim in explicanda aliqua summa præponitur mille decem millibus. quare malim sic, CIↃ CIↃ CIↃ: si tamen per antiquos libros liceret: quod licere non video. mendum illud Castritianum fortasse fuit inter tria millia, & triginta millia, quæ infra proxime nominantur. sed, vt dixi, veteres libri consulendi. Tria millia sestertiorum sunt scutati nonaginta: triginta vero millia, nongenti. *Scripserat,*] ex Asia prouincia. *Cicero*] filius meus. *Fratre*] patruele, Quincto Cicerone filio. *De Amalthea*] gymnasio Ciceronis, de quo epist. 1.

IN EPISTOLAM IIX.

Ante diem XVI. *Kalendas Maii*] puta dictum, XVI. Kalendas Maij. nam idem significat: quasi, decimo sexto die ante diem Kalendas Maij; vt tamen includantur Kalendæ Maij. itaque in epistola ad Tironem, post diem nonas Nouembris constituit ante diem IIX. idus Nouembris. id est, IIX. idus Nouembris. est enim concisa locutio, cum dicimus, IIX. idus; cum vero, ante diem IIX. idus, plenior: nam est, ante diem ictus octauo die: vt, & qui primus iduum est dies, & qui extremus, intra numerum recipiantur. *Desisti*,] eam, quæ pueris excidérat in via. *Historia dignum:*] non leue quiddam aut iocosum, sed serium & graue: qualia sunt, quæ in historias referuntur. *De Publio*] aiebat, Cæsari & Pompeio bilem commoueri, quod a P. Clodio contemni legationem ad Tigranem viderent. epistola septima. *Mirandum in modum*,] de quo epistola decima. Vnus loquitur, & palam aduersatur adolescens Curio. *Reges odisse superbos.*] qui supra leges esse vellent, Cæsarem, Pompeium, & Crassum. Nec dubito, quin sit hemistichium ex vetere poeta, cum in illud inspicio, quod legitur libro 6. epist. 3. Tibi valde solet in ore esse, Graiuius autē non contemnere se, & reges odisse superbos. *Opinor aliud agamus.*] ego, & ex istorum societate ne quid mihi crearetur periculi, timebā. nunc cum & initia videā dissensionis ipsorū inter ipsos; & iuuentutem audiā hæc ferre non

posse: opinor, licet mihi animum a timore liberatum ad alias res transducere. quod idem in epistola superiore dixit, Vna spes est salutis, istorum inter istos dissensio. *Historiæ.*] scribendæ, Theopompino genere: epist. 6. *Saufeium*] tardũ, & negligentem: qualis Saufeius, qui laborem non fert, vel natura, vel, quia Epicureus, instituto & consuetudine. vide epist. 1. lib. 7. *Quoniam putas*] hoc, inquit, tempore non putas diutius mihi esse manendum in Formiano, vt cratere illo fruar, quem scis me in delicijs habere, quod ad potationes aptissimus & elegantissimus sit. *A I v. Kal. ad pridie nonas Maij*] verbum Kal. puto abundare, & legendum, A I v. ad pridie nonas Maij: vt I v. nonas ludi committerentur, pridie desinerent: cum simile veri sit, eo die Ciceronem Antij esse voluisse, qui ludorum commissionem proximus antecessit: siquidem Antium cogitat dum taxat ludorum caussa. & erit perelegans locutio, A I v. ad pridie nonas; ne, Nonas, inepte iteretur. inculcatam suspicor dictionem Kal. ab hominibus imperitis, qui desiderari aliquid crederent post, I v. *Ad Kal. Iun.*] vt in senatu adesse possim, qui Kalendis haberi solebat: vt exemplis infra docebimus.

IN EPISTOLAM IX.

Cum Publio dialogos,] Atticus ad Ciceronem scribebat, e Clodio se, quæ poterat, in sermone elicere. *Illum vero,*] illum autem maxime. Βοῶπις] ἐπίθετον Iunonis apud Homerum, quasi bouinos habens oculos. Cicero transtulit ad Clodij sororem, tamquam alteram Iunonem, quæ cum fratre coire diceretur. epist. 1. *Pacta sunt,*] promiserat Clodius Pompeio, se nihil acturum contra Ciceronem. epist. 22. & 24. *Non seruantur,*] a Clodio. *Hierosolymarius*] Pompeius, a Hierosolymis captis. *Transductor ad plebem*] transduxerat Clodium. epist. 7. *Putissimis*] luculentis & splendide scriptis: quibus illum ornaui. vnde Aurum purum putũ. Potest intelligere cũ alias, in quibus Pompeiũ laudauit, orationes, tum eam maxime, qua Maniliam rogationem suasit. *Gratiam retulerit:*] qui plebeium fecerit inimicum meum. *Nebulo iste*] P. Clodius. *Cum his dynastis*] cum Cæsare, Pompeio, & Crasso; qui omnia possunt. *De Cynico consulari,*]

lari,] nullam, inquit, non modo in me, sed ne in Lucullum quidem, aut Hortensium, poterit Clodius inuidiam concitare. nam Pompeius, Cæsar, & Crassus cum omnia teneant; qui fieri potest, vt vlla nos in inuidia simus, spoliati opibus, & illa senatoria potentia? itaque, quod contra nos agat, Clodius non habebit. Cynicum autem se vocat, quasi Diogenem quendam, seuerum hominem, minime delicatum; illos autē, piscinarū Tritones, quod ita piscinis delectarentur, vt quasi Tritones in aquis viuere viderentur. Et placet, vt illud, Cynico, cum laude dicatur, hac sententia, non modo me, cuius omnes curæ ad virtutem referuntur, sed neistos quidem, qui præter suas piscinas nihil curant, poterit Clodius in vllam inuidiam adducere. *Quam potuit*:] subaudi, per publicas rationes. est enim, Potuit, licuit, debuit, æquum fuit. quale illud epist. 15. Potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere. & in oratione pro domo: Senatus aliquid consilij capere potuit. & in epistola Cœlij: Potuit supersedere, pro oportuit. sic enim habent vetusti libri. *Catonis,*] qui equites a senatu alienauit. epist. 16. *Auspicia,*] docet in oratione pro domo sua, Clodium contra auspicia fuisse adoptatum, quia, quo die de eius adoptione lata lex est, Bibulus augur de cælo seruauit, & agi cum populo nefas erat, cum de cælo seruaretur. Idem & in oratione de haruspicum responsis. *AEliam legem,*] quæ erat de obnunciationibus: qua Cæsar neglecta, Bibulum collegam obnunciantem armis foro expulit. Suetonius. *Iuniam, & Liciniam,*] quam non seruauit Vatinius; quia trinundini rationem in legum promulgatione nullam habuit; de quo lex Iunia Licinia sanxerat. Liciniam vero, quæ legum latoribus, eorumq; collegis, cognatis, affinibus potestatem, aut curationem mandari vetabat, diuersam ab hac fuisse, satis multis verbis in libro de Legibus docuimus. Et, vt aliud ex alio, in oratione in Vatinium ita scriptum est: Quæro, postulatus ne sis lege Licinia, & Iulia? corrupte, vt opinor: cum legendum videatur, Licinia, & Iunia: de quibus & in oratione 5. in Antonium mentio fit. *Cæciliam, & Didiam*] antea, Cœliam, in vulgatis libris, nec aliter in omnibus scriptis. nos tamen aliquot ab hinc annis, Cæciliam, in nostro libro reposuimus, primum ex oratione pro domo, vbi Cæciliæ legis, & Didiæ mentio iteratur; deinde ex fastis; in quibus vi-

deo collegas esse Q. Cæcilium Metellum, T. Didium Viuum anno ab vrbe condita DCLVI. nisi si quis, contra veritatem plus æquo pugnax, Cœlium, & in consulum catalogo legendum contendat. quem facile ratio vincet, cum Metellus non Cœliæ, sed Cæciliæ gentis cognomen sit. Opinor autem hac lege cautum esse, vt, quæ leges per trinundinum promulgatæ non fuissent, eæ non valerent. quod ex oratione pro domo sua, & ex 5. in Antonium cognoscitur. Cæciliam vero Didiam, quæ diuersis de rebus legem ferri vetabat, de qua mentio fit in eadem pro domo sua, diuersam ab hac fuisse; facile est conijcere; cum tamen ab ijsdem consulibus lata sit. *Effuderunt:*] proiecerunt; vt resp. periret. *Regna,*] hoc aperte in oratione in Vatinium: Volo vti mihi respondeas, feceris ne fœdera tribunus pl. cum ciuitatibus, cum regibus, cum tetrarchis? erogaris ne pecunias ex ærario tuis legibus? eripueris ne partes, illo tempore carissimas, partim a Cæsare, partim a publicanis? & in epistola ad Lentulum: Tota interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo, de vi, de auspicijs, de donatione regnorum. *Transeat,*] inuidia discedet a nobis, & ad eos, qui hæc fecerunt, transibit. *Habitura:*] pro habitatura: vt apud Plautum, Quis hic habet? & in libris Digestorum, Habet post horrea mea. *A Theophrasto*] a Theophrasti libris de rep. quorum lectione ita delectabatur, vt Plutarchus Theophrastum Ciceronis delicias appellet. *Nostra illa tempora*] triennium quod fuit a consulatu Ciceronis & Antonij ad consulatum Cæsaris & Bibuli. epist. 9. lib. 1. fam. *Inuidiosa*] ad populum: cum senatus opes ex equitum concordia vigerent. *Tres homines*] Cæsarem, Pompeium, Crassum. *Vatinii strumam sacerdotii διαφῷ festiant.*] Vatinio auguratum deferant. delatus tamen non est: vt oratio in ipsum ostendit. de hoc auguratu epist. 5. & 7. *Strumam*] struma tumidum fuisse Vatinij guttur, scribit Plutarchus in Cicerone. *Sacerdotii*] διαφῷ sacerdotium pro auguratu posuit & in epistola ad Catonem. διαφῷ autem prætexta, qui auguratu præditi essent, vtebantur. in epistola 16. ad Cœlium, libro 2. fam. *Qui peccauit,*] cuius culpa conuersus est orbis reip. epist. 1. & 7. σοφισεύην] sapientiam quærere,

quærere, philosophari, missa reip. cura. *Si ille cogitat,*] si quid ille aduersus me inimice cogitat. vel corrige: Si ille cogit, at tantum dumtaxat nos defendere. vt nihil mutetur, &, Tantum dumtaxat, ita dictum sit, quo modo dicitur, Tantum modo, pro Tantum. *Proprium artis huius,*] quia sophistæ, si quis prior in disputando lacessisset, vlciscebantur. Ἐπαγγέλλομαι] hoc verbum, etsi coniungitur cum Homeri versu, non Homeri tamen, sed Ciceronis, est. *Ingratis debitoribus*] Pompeium notat; qui, cum Ciceroni summe deberet, eius tamen inimicum ad plebem transduxerat.

IN EPISTOLAM XI.

Τηχεῖα] Homeri verba de Ithaca, Vlyssis patria, Odyss. 1. Quid ego, inquit, Arpinum te inuitem? quod amœnitate delectare non magis potest, quam Ithaca illa, in asperrimis saxulis, tam quam nidulus, affixa; fortes tamen viros, non minus quam Ithaca, gignit. Erat autem Cicero Arpinum Formiano, Arpino Romam iturus. ideo dicit, Romæ te fortasse videbo. epist. 8.

IN EPISTOLAM XII.

Negent illi] cum Cæsar & Pompeius Clodium ad plebem transduxissent, eoque mox non satis amico vterentur, qui etiam delatam ab ijs Armeniam legationem contempsisset; negabant, illum plebeium esse factum, ideoque nec tribunatum posse petere. hic Cicero indignans, quod regnum, inquit, est hoc? fecerunt, quod iure non poterant: nunc, quia pænituit, factum negant. sed, si Clodius emittat ad me, qui meum hac de re testimonium tabellis excipiant, & obsignent; iurabo, Cn. Pompeium Antij mihi narrasse, in auspicio se fuisse, cum Clodius lege Cæsaris ad plebem transduceretur. *Publium tribunum pl. factum esse.*] cum Clodius tribunus pl. factus erit, tum quid isti dicent? negabunt id fieri potuisse, quia non iure ad plebem transierit? Et, quamquam nondū Clodius tribunatū adeptus erat, Cicero tamen, vt de re, quæ iam sit, quia futurum non dubitat, ita loquitur.

Alij, Publium plebeium factum esse. placeret, si veteres libri consentirent: cum illud, quod sequitur, In auspicio fuisse, ad tempus illud spectet, quo plebeius Clodius factus est. *Collegam Balbi,*] in X Xviratu. epist. 7. Atium enim Balbum, qui maternus auus Augusti fuit, cum ex Iulia, Cæsaris sorore, Atiam genuerit, in X Xviris fuisse, Suetonius narrat in Augusto. nec abest ironia: quod, collegam habere Balbum, hominem Aricinum, honoribus non insignem, Pompeio Magno turpe videri posset. *In auspicio fuisse.*] cum lex curiata ferretur: quod Pompeius negabat, cum tamen negare non posset. epist. 7. &, In auspicio, tamquam augurem. nam, cum ferretur curiata lex, augures adesse oportuit. epist. vlt. lib. 4. & epist. 3. lib. 8. *Commode*] paullo ante, tantum, commodum. *Curio meus.*] addit, Meus, ad differentiam: quia pater Curio viuebat, eodem prænomine: quemadmodũ epist. 8. ad eiusdem Curionis nomen adscripsit, Adolescentem: epist. autem 24. Filius. *Ista*] leges, Cæsaris. quod Clodius in tribunatu conatus est. in pro domo sua oratione. *De illius adoptione*] negat se tulisse ad populum de Clodij adoptione, id est de transitione ad plebem. nam Clodius adoptionis iure, cum patricius esset, ad plebem transijt. epist. 7. *Suum,*] valde enim Cæsarem oderat vel patris nomine, qui cum Cęsare inimicitias gerebat. Suetonius, & de claris oratoribus. *Memmij,*] hic anno proximo prætor cum L. Domitio collega de Cæsaris actis retulit. Suetonius. *Metelli Nepotis*] qui oderat Pompeium propter diuortium sororis Muciæ. epist. 10. lib. 1. & fam. lib. 5. epist. 2. & Dio. *De ruminatione quotidiana,*] de occultis consilijs, quæ Cæsar, Pompeius, Crassus quotidiana ruminatione contra remp. inirent. *De cogitatione Publij,*] de rescindendis Cæsaris legibus. *De lituis βοώπιδος,*] P. Clodij sororem intelligit, quæ tamquam lituus fratrem ad contentiones excitaret. erat enim seditiosa. epist. 1. 9. 12. *De signifero Athenione,*] acciperem de Sex. Clodio, qui fuit operarum P. Clodij dux, vt Athenio seruorũ, nisi tempora repugnarent: siquidem ante tribunatum nullas turbas P. Clodius potuit commouere, & Sex. Clodio seditionum ministro non nisi post tribunatum vsus est. Potius igitur accipiendum videtur de Vatinio tribuno pl. qui tum erat Cæsaris consulis quasi signifer contra partes optimatum: vt etiam,

etiam, vi perditorum hominum incitata, M. Bibulum consulem, popularibus actionibus aduersantem, in vincula ducere conatus sit. in oratione in Vatiniũ. *Missis ad Cnæum,*] missis a Cæsare Capuam ad Pompeium, agros plebi diuidentem. erat enim XXvir, vt paullo ante docuimus. & infra, Litterę Capuam ad Pompeium volare dicebantur. ep. 19. *Conuiuiũ*] quo scripserat Atticus se esse iturum &, quæ in eo conuiuio litteris digna euenissent, omnia Ciceroni significaturum. Ασελγοῦς;] delicatum vocat ep. 14. *Desederit*] metaphoram persequitur: vt, quod fluctuauerat, desidat. *Ame ferre*] habere. *Dicæarchum*] scriptorem luculentum. ep. 1. & 16. & l. 6. ep. 2. Κικέρων ὁ φιλόσοφος] iocatur de se ipso: & πολιτικὸν Atticum appellat, quia Dicæarchum secutus anteponeret τὸν πρακτικὸν βίον τῷ θεωρητικῷ. ep. 16.

IN EPISTOLAM XIII.

Epistolam] proximam superiorem intelligit. *Domum*] Romam. *Stlerr:*] neminẽ reclamare iniquis Cæsaris actis. *Regnum Sestrum*] iniustam paucorum dominationem. Τηλέπυλον λαισηρογίνην] ex Homeri Od. κ. *Crassi Diuitis*] cognomen a maioribus acceptum, & reconfirmatum: quia fuit hic Crassus Romanorum omnium ditissimus. *Consenescit.*] in dies magis magisque obscuratur, quia cum Cæsare aduersus patriam coiuerit. *Litteras ad Sicyonios*] scriptas a consulibus: vt tibi pecuniam soluant. ep. 18.

IN EPISTOLAM XIV.

Quantam] quia scripserat Atticus, se cum M. Bibulo sermonem habiturum, etiam cum Clodia Publij sorore. *Ita*] ita instructus afferes ad me quæ cognoueris ex sermone Bibuli, e colloquio βοώπιδος. *Ad sitientes aures.*] aptius & ad consuetudinem Latini sermonis, & ad sententiam, si legatur, quo modo placebat Vbaldino, Vt ad sitientes aures. *Sampsiceramus*] Pompeius, a regulo in Syria Sampsiceramo deuicto. Strabo. Εὐανατρέπτους] Cæsar in consulatu acta Pompeij sanxerat, legibusque firmauerat: vt Appianus, & Plutarchus. ideo, ne non satis firmæ essent Cæsaris leges, Pompeius suo nomine timebat. quia senatus haud multis ante annis &

Liuias leges, quod contra auspicia latæ essent, sustulerat. εὐανατρέπτους ergo, propter auspicia neglecta. epist. 9. *Ruere*] iracunde furere epist. 21. *Ad comparem basilicæ?*] basilicam habere me dicam? habeo tribum Æmiliam. quod enim basilicæ similem esse villam suam dixerat; quasi non bona esset comparatio, correxit, & intulit, Æmiliam hic ego habeo tribum, non villam. quid enim basilicæ comparem; in qua sunt homines multo, quam in Æmilia tribu, pauciores. neque vero totam tribum significauit, sed Formianos tantum, qui in ea suffragium ferebant, vt in Liuio legimus libro 38. quasi dixerit, tantam habeo Formianorum frequentiam, quanta in Æmilia tribu suffragium ferre solet. ὑπερβολικῶς. *Contubernalis.*] qui totos dies mecum sit. *Commodissime*] ni viderẽ, te hic a me commodissime exspectari & excipi posse. epist. 10. & 11. *Fundum Formianum*] qui mihi nunc ex istorum molestia odiosus est. *Et tamen illud probem,*] Probe, & proxime, Aggrediemur, esset planius. hoc enim diceret: Et tamen probe illud præstabimus: magnum quid aggrediemur.

IN EPISTOLAM XV.

Quiddam inueniri possit,] scripserat Atticus inuentum iri quiddam a Cæsare super agraria re, quod nemo improbaret, nemo recusaret. epist. 15. *Comitiorum dilatione*] Bibulus, domo pedem non efferens, edictis comitia differebat. neque videntur hæc fuisse comitia cõsulum designandorum, (quippe ante Quinctilem mensem non designabantur, hæc autem Aprili mense scripta sunt) sed legis agrariæ rogandæ. *In Publio spes est:*] afflicta respub. iacet, quam Bibulus erigere nõ potest, qui se, Cæsaris metu, parietibus tenet. quis igitur eriget? spes iam nulla superest, nisi in Clodij tribunatu, qui istorũ est inimicissimus: ergo, etsi video, quę mihi ab illo tempestas impendeat, fiat tamen, fiat tribunus pl. Et protulit hoc Cicero cum indignatione; quod reipub. salus in vno posita videatur, homine omnium perditissimo. epist. 12. *Ex Epiro*] quo Atticus propediem erat iturus, ad exigendas a Sicyoniis pecunias. *Disputare.*] altercari. *Vt hoc non sit,*] vt mecum non disputet, non contendat. *Tamen seruet remp.*] sic Bessarionis antiquus liber. itaque nihil muto, & explano sic: Fiat

Clodius

Clodius tribunus pl. si non aliam ob causſam, at ob hanc, vt eo citius tu ex Epiro reuertare. verum, vt hoc non ſit, id eſt, etiam ſi tu reuerſus ex Epiro non ſis, fiat tamen tribunus pl. vt rempub. ſeruet. in quo ſpectaculum erit egregium; cum reipub. cauſſa pugnare Clodium contra eos videbimus, a quibus plebeius factus ſit, vt cum ipſis rempubl. oppugnaret. iã enim ſe inimiciſſimum eorum, qui rempubl. tenebant, Clodius oſtenderat. epiſtola duodecima. *Te conſeſſore*] te præſente. *Ingemueram*] ad Seboſi aduentum. *In montes patrios,*] Arpinum pergam, quia iam ante Arpinum ire ſtatuerat. epiſt. 8. & 11. *Si ſolus non potuero,*] Arpini ſi ſolitudinem non feram, cum ruſticis ibi eſſe malo, quam in Formiano cum his perurbanis. *Certi nihil ſcribis,*] de aduentu tuo. *Tibi præſtoler*] ſic oratione 1. in Catilinam: Qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur armati. *Controuerſia Muluiana.*] publicani publica conducebant. ideo Muluius, cognitor, vt puto, publicanorum, publicos agros a priuatis vindicare conabatur, vt publicanorum vectigal augeretur. *Communem cauſſam*] non præcipuam ipſius, ſed & tuam, & communem omnium publicos agros poſſidentium. *Agros publicos*] Agri publici, de hoſtibus capti, tria genera; vnum, quod colonis donabatur; alterum, quod a cenſoribus in quinquennium locabatur; tertium, quod ob vaſtitatem, quæ fere bellum conſequi ſolet, iis, qui colere vellent, in perpetuum aſſignabatur, impoſito annuo vectigali, vt arbuſtorum quincta, frugum decima, pecoris etiam quædam pars, penderetur. quod ab Appiano lib. 1. bellorum ciuilium ſcriptum eſt. ex hoc tertio genere erant agri, quos Terentia & Atticus poſſidebant. ſed Atticus legitimum vectigal publicanis pendebat: qui fortaſſe cum illo agrorum genere, de quo ſecũdo loco mentionem fecimus, hoc etiam tertium de cenſoribus conduxerant, non vt fructus ipſi perciperent, ſed vt vectigal illud, cuius admodum facilis exactio non eſſet, ſuo periculo exigerent. Terentia ne vectigal quidem illud, ſatis tenue, pendere volebat; credo ne beneficium amitteret lege Thoria datum. nam Sp. Thorius, vt ait Cicero in Bruto, agrum publicum vectigali leuauerat. ſed videtur eius legis auctoritas, vt aliarum quoque legum, vetuſtate contemni cœpta: itaque multi, quorum in numero

Atticus erat, vectigal, tamquam lege illa abrogata, pendebant: nonnulli vero, in quibus erat Terentia, tamquam lege Thoria manente, recusabant. Terentiæ negotium agebat Atticus, eo libentius, vt Cicero significat, quia, si secundum Terentiam in ea causla iudicatum esset, ipse etiam de penden do vectigali recusasset, immunemque agrum publicum legis Thoriæ beneficio possedisset. Muluiana vocatur controuersia, quia Muluius, vt puto, publicanorum causlam procuraret. legis Thoriæ mentio fit libro etiam tertio de oratore, his verbis: Appius maior, cum ageretur in senatu de agris publicis, & de lege Thoria; & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent; Non est, inquit, Lucilij pecus illud, erratis: liberum est: qua lubet, pascitur. Eandem legem nominat Appianus, omisso latoris nomine: ac videtur opinari, non hanc de tollendo vectigali, sed aliam de abroganda lege agraria Ti. Gracchi a Sp. Thorio tribuno pl. latam esse, vt confirmaretur veterum dominorum possessio, manente legitimo vectigali: sublatum autem vectigal ab alio tribuno pl. quem non nominat, ostendit. sed mihi Cicero rerum Romanarum auctor est certior. *Pendis:*] pro agro publico. non litigas, vt nihil pendas, sed vt agrum retineas: hæc vero ne pendere quidem vult, nedum agros reddere.

IN EPISTOLAM XVI.

Illius] Cæsaris. *Aliquid,*] de agraria re. *Nemo improbaret;*] hoc quidem Cæsar ipse dictitabat. vide Dionem initio lib. 38. *Deinde, vt me ego consoler,*] maius aliquid ex tuis superioribus litteris timueram: nunc ego me consolor: quia, quod scripsisti, neque eiusmodi video esse, quod ab omnibus probetur; &, id ipsum quod est, contra Cæsarem ipsum esse intelligo. omnis enim expectatio, &c. *Derisata:*] expectatio illa omnis de agraria re hunc exitum habet, vt ager Campanus plebi diuidatur. *Vt dena*] si dena singulis iugera diuidantur, vt proximis litteris significas. id & P. Rullus in sua lege scripserat. quod Cicero oratione 2. in eum ostendit. *Reliqua omnis multitudo*] quia xx hominum millia diuisionem agrorum petebant, & consecuti sunt. Velleius lib. 2. Appianus lib. 2. *Illis*] qui legem agrariam tulerunt. *Abalienc-*

alienetur] id non accidit: quia Cæsar, cum agrum Campanum intelligeret tantæ multitudini non sufficere, præterea Stellatem Campanum diuisit. Suetonius. *Portoriis Italiæ sublatis*,] huius loci sententia facile mihi ex Dionis historia patuit. is enim libro 37. legem ait a prætore Q. Metello Nepote latam esse, vt vectigalia omnia tollerentur; quod ea ciuitas & Italia vix ferre iam posset. hanc legem temporibus etiam imperatorum obseruatam, significat Paulus libro vltimo de censibus, cum dicit: Diuus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adiecto, vt & iuris Italici essent, sed tributum his remisit capitis. Diuus autem Titus etiam solum immune factum interpretatus est. quasi dixerit: Titus e sua liberalitate, etiam ius Italicum datum esse, voluit, quod in soli immunitate consistebat. *Vectigal*] Festus exponit his verbis: Vectigal æs dicitur, quod ob tributum, & stipendium, & equestre, & ordinarium populo debetur. *Domesticum*] in Italia. *Vicesimam?*] aurum vicesimarium in ærario sanctiore ad vltimos reipubl. casus seruari solitum, scribit Liuius libro 27. & erat vicesima tributum, cum de vicenis vnum penderetur. *Conciuncula*] tribunicia. *Pedisequorum*] infimæ pl. quæ, si quis tribunus de tollenda vicesima concionaretur, clamore statim esset approbatura. *Peritura.*] ne exigeretur. φυσᾷγάρ.] non iam dissimulat, sed, quid sentiat, præsefert. φορβειᾶς ἄπερ] est in tibiis ligula, qua exempta, spirant maiore sono. Sophoclis locus, cuius mentio est apud Dionysium Longinum περὶ ὕψ. *Istuc adduci*] adduci, vt agri Campani diuisionem, rem turpissimam, & reipublicæ maxime exitiosam, Cæsari gratificans probaret. Ἐσοφίζετο] malitiose suam culpam excusabat. *Probare.*] Cæsar, ante quam legem agrariam ferret, scriptam in senatu recitauit; si quis quid improbaret, correcturum pollicitus. præter Catonem contra nemo dixit. Dio libro 38. *Actiones ipsum*] si Cæsar iis legibus deinde ad suam potentiam abuteretur, ipsum esse accusandum, sibi vitio dari non posse. *Potuerit*] pro, debuerit; vt epist. 9. *Rege Alexandrino*] vt rex Alexandriæ Ptolemæus a senatu & populo Romano socius appellaretur. Cæsar libro 3. de bello ciuili. *Aliquando*] quasi diu id Ptolemæus expetisset, regni confirmandi caussa: quo-

niam neque genere, neque animo regio esse putaretur: vt ait Cicero in agraria 1. *De cælo tum seruasset,*] legem ferri non licebat, cum de cælo seruaretur. ep. 15. Cæsar tamen, seruante Bibulo, leges tulit. Dio lib. 38. *De publicanis*] quos locationis Asianæ inductionem postulantes Cæsar tertia mercedum parte releuauerat. Suetonius. *Quidquid futurum fuerit,*] sic & antiqui libri: planius tamen, Quid futurum fuerit: vt hoc dicat: quod Bibulus foro pulsus cum ignominia sit, sibi adscribendum non esse: nam etsi legem agrariam probarit, de Bibulo tamen, legem impedire conante, se id, quod euenit, diuinare non potuisse. *Sampsicerame*] Pompei. ep. 14. *In monte Antilibano*] in longinquis regionibus vectigal dedisse populo Romano, domesticum abstulisse? de monte Antilibano Plinius libro quinto, Strabo libro decimo sexto. *Obtinebis?*] excusabis, tueberis, vt homines non reprehendant. *Ingratis animis*] quorum vitio fit, vt nemo libenter, aut libere tueatur rempub. qui, si non essent ingrati, ac mecum, vt debebant, consentirent: non tibi ea liceret facere, quæ pessime facis. non igitur exercitu Cæsaris, sed illorum culpa nos opprimes. *Appellantur*] sed non sunt. *In eam partem*] cõtra tam iniquam paucorum dominationem. *Hoc statui, &c.*] statui, cum Dicæarcho morem gesserim, etiã Theophrasto satisfacere: id est, cum agendis rebus multos annos dederim, nunc τὸν θεωρητικὸν βίον amplecti, & in studiis acquiescere. *Ad hanc familiam*] ad Theophrasti sectam. *Ad me quoque fuit*] ad me quoque scribens visus est. Πρόσῳ λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα: vt ait Homerus. Il. §. quod Quinctus frater in iis epistolis sibi non constaret, qui videretur de Asiæ diuturna administratione modo solicitus esse, modo minimum laborare. *Mansionem suam,*] in Asia, quam prætor administrabat. *Annales suos emendem,*] de quibus emendandis non cogitaret, nisi tranquillo animo esset, minimeque de mansione solicito. *De portoriis circumuectionis.*] cum publicani pro rebus, quæ circumuehebantur, portorium sibi dicerent deberi, prouinciales & negotiatores negarent: prætor Quinctus, dubia sententia fluctuans, rem ad senatum reiecit. *De consilij sententia*] rectoribus prouinciarum suum cuique erat consilium. *Non deberi.*] portorium publicanis. *Græci*] homines Asiani.

Quid

Quid ego de ea re sentiam.] vt sciant, me sentire cum ipsis. *Si possum discedere,*] elegans sententia, nec tamen adhuc, vt video, satis nota. neque enim, Discedere, proprie hic accipiendum, sed μεταφορικῶς: quasi dixerit: si possum consequi, si hunc exitum res habere potest, ne Græci causa cadant. idem verbum Terentius quoque vsurpauit eodē sensu: apud quem ita loquitur Geta seruus in Phormione: Modo vt hoc consilio possit discedi, vt istam ducat. *Satisfaciam publicanis.*] alijs rebus; cum in hac eorum animos offendamus. Εἰ δὲ μή] refertur ad proximum verbum, Satisfaciam. si contigerit, inquit, vt publicanis deinde satisfacere non possim; haud tamen in mentem veniet pœnitere, quod in hac causa, quæ optima est, vniuersæ Asiæ & negotiatoribus satisfacere maluerim. *Num etiam de cistophoro*] quod Quincto fratri, Asiæ proprætori, a populo Romano debetur, id vellem denario, id est Romana pecunia, curari. quæstores autem primo volebant cistophoro, hoc est Asiatico nummo: nunc etiam id videntur recusare. *Illud ne quidem*] ne illud quidem, postulat consuetudo Latine loquendi: sed &, Ne quidem, apud hunc alibi notauimus. Pauli Magnuli liber, impressus quidem, sed vetere cum libro collatus, habet, Ne illud quidem, ipsius manu scriptum, miniatulis litteris. quo ille vtebatur signo, cum librorum veterum correctiones a suis distinguebat. *Quod extremum est.*] vt numerentur nobis cistophori, summa quæstorum iniuria, qui cogant nos Romæ vti in Asiana pecunia. *Maritimum hoc*] Formianum: quo exspectatus venire noluisti.

IN EPISTOLAM XVII.

Turbatur] perturbatur: vt apud Cæsarem libro secundo belli ciuilis: Turbatus ex inopino malo. Perturbabatur autem Pompeius amisso bonorum studio. epistola 13. 14. 19. 21. ideo subiungitur: ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται: aperte tyrannidem struit. Alij mutant. ego necessariam mutandi caussam non video. *Sampsiceramus.*] Pompeius. *Timendum sit.*] timendum enim, ne Pompeius, cum se omniū sermonibus sentiet vapulare, & cum has actiones εὐαγερέπλους videbit, ruere incipiat.

epist.14.21. *Affinitatis coniunctio?*] Iuliam, Cæsaris filiã, Pompeius duxerat vxorem, & Cæsar Pisonis Calpurniam. Suetonius, Plutarchus, omnes historiæ, &c. *Repentina*] præter opinionem: quia Iulia, ante quam Pompeio collocaretur, desponsa fuerat Seruilio Cæpioni. *Ager Campanus?*] plebi diuisus, approbante, atque etiam curante Pompeio. epist.16. *Effusio pecuniæ*] hunc locum, non intellecta prius legis Iuliæ, de agro Campano diuidendo, sententia, profecto nemo vmquam intelliget. Lex autem ea quid sanciret, perobscurum est. non enim illud vnum simpliciter sanxit, vt ager Campanus plebi diuideretur, sed duo capita habuit, vnum, vt ea pars eius agri, quæ publica erat, statim diuideretur: in quo vectigal populi R. minuebatur, quod queritur Cic. in epistola superiore: alterum, vt, qui ager a priuatis in Campania possidebatur, publica pecunia emptus plebi distribueretur. publicus ager statim distributus est; priuatus numquam: quia, Pisone & Gabinio cos. qui C. Cæsarem, legis eius latorem, & M. Bibulum consules proxime consecuti sunt, P. Clodius tribunus pl. eam pecuniam, quæ in agri Campani emptionem erogari debuit, sumptam ex ærario in Syriam eunti Gabinio dedit. qua de re in Clodium Cicero sic in orat. pro domo: Quis homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam opimam fertilemq; Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi e Cæsaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Hic igitur de vtroque Iuliæ legis capite Cicero conqueritur. nam, cum ait, Quid ager Campanus, de publica loquitur eius agri parte iam diuisa: cum vero subiungit, Quid effusio pecuniæ, priuatos agros, publica pecunia emendos, ac plebi diuidendos, qui tamen empti postea non sunt, plane significat. De hac parte agri Campani, ne diuideretur, actum est sæpe in senatu, vt P. Lentulo, Q. Metello cos. de quo in epist. 1. lib. 2. ad Q. fr. & Marcellino & Philippo cos. quod memorat Cic. in epist. ad P. Lentulum 9. lib. 1. fam. patet etiam ex epist. 10. lib. 12. fam. partem agri Campani vacuam esse: item ex epist. 20. lib. 11. Ad Q. fr. autem epist. 5. lib. 2. Acriorem, inquit, caussam faciebat inopia pecuniæ. Hac de lege Cæsaris ita loquitur Dio lib. 38. vt eam prorsus ignorare videatur. nam, cum

diuisum

diuisum ea lege agrum Campanum, ex his ad Att. Ciceronis epist. & ex or. in Pisonem, item ex Velleio, Suet. & Plut. satis constet, Dio tamen, vt dixi, solum ex agris publicis agrum Campanum diuisum esse negat; quia scilicet reip. propter vbertatem relinquendus videretur. *Dii immortales.*] interrupta oratio. figura, ἀποσιώπησις quæ dicitur: quale illud Æneidos 1.

Iam calum, terramque meo sine numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. sed motos præstat componere fluctus.

Ne & opera, & oleum] ne frustra videamur in studio litterarum ætatem consumpsisse. deflere enim, infirmi, planeque muliebris animi est: cum a libris præcepta fortitudinis peti soleant. Ἀδιαφορία] æquanimitas mea: quod animus meus nulla re vehementius afficitur. *Id afficitur*] refertur ad illud, Quod est subinane in nobis, hoc sensu: Quæ ambitio in nobis est, ea nunc habet quo delectetur; siquidem Pompeij merita in patriam non iam, vt antea verebar, maiora quam nostra, videri possunt. *Phocis Curiana*] hic ego diu cogitans excogitare nihil potui, quod probarem. antiqui libri tamquam in eadem silice omnes hærent. *Tu tamen*] ego te in Arpinati exspecto: tu tamen fortasse istinc te non mouebis, & aduentum nostrum exspectabis. *Theophane*] qui Pompeij sensus & consilia nouerat. epist. 4. *Arabarches*] quod Arabiæ partem, Syriæ adiunctam, domuisset: vt supra, Megabocchus, quasi magnus Africæ rex.

IN EPISTOLAM XIIX.

Σκοπὸς] huc spectarunt, hoc voluerunt. *Timent vllam*] ita de publico largiuntur, quasi timere videantur, ne vllam cuiusquam rei largitionem prætermittant. vt, Cuiusquam, neutro genere accipiatur. Cui sententiæ congruunt Suetonij verba de Cæsare: Quæ, inquit, cuique libuissent, omnia dilargitus est, contra dicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. *Fusium*] Cæsaris amicum: qui tribunus pl. fuerat altero ante anno, Pisone & Messalla cos. vt Cæsare & Bibulo cos. quibus scripta est epist. ædilitatem gerere potuerit, quæ tribunatum anno interiecto sequebatur. mihi enim simile

veri fit, hoc tempore in magistratu Fusium fuisse. *De singulis rebus*,] ego hæc verba facile suspicor fuisse glossema antecedentium Græcorum. *Campana lex*]lex de agro Campano diuidendo. qua in lege quodam capite scriptum erat, vt candidati magistratum petere ne possent, nisi prius iurarent, se in eo magistratu, quem peterent, contra leges Iulias de agro Campano verbum non esse facturos. *Exsecrationem*] vt candidati, qui ad petendum coirent, se ipsi iureiurando exsecrarentur, si mentionem fecissent in magistratu de agro Campano aliter possidendo, atque vt ex legibus Iulijs eius agri possessio constituitur. epist. 16. *Laterensis*] M. Iuuentius Laterensis, de quo in orat. pro Plancio, & in epist. Planci ad Ciceronem lib. 10. *Sibi vt sim legatus:*] cum in Gallias exibit. *Voti caussa datur.*] defertur ab eodē. vtramque neglexit: alterutram si accepisset, vitare potuit exsilij calamitatem. & queritur ipse suam culpam in epist. ad Terentiam his verbis: Meum fuit officium vel legatione vitare periculum, vel diligentia & copijs resistere, vel cadere fortiter. *Voti caussa*] quia liberæ legationes & priuatæ rei caussa dabantur. lib. 15. epist. 11. in oratione in Rullum, & ea pro Flacco. *Hac*] libera. *Pulchelli*] putidum iam est toties iterare, Pulchellum appellari P. Clodium, Cic. inimicum, ioci occasione quæsita in eius cognomine Pulcher, etiam in forma. epist. 14. *Non habet satis*,] plus autem habet præsidij legatio prouincialis: quia libera legatione vtētes absunt sua caussa, illi vero reip. *Fratris*] qui anno insequenti ex prouincia Romam, triennio post quam discesserat, rediturus erat, & redijt. *Adsim, cum velim:*] facile enim a Cæsare impetrabo. ergo hoc dabat vtraque legatio, vt adesset, cum vellet: prouincialis hoc amplius, vt ideo tutius abesset, quia reipub. caussa, etiam, quia præsidij multum in Cæsaris amicitia. *Hanc*] prouincialem. *Pugnare*,] cum P. Clodio, si mihi negotium faceret. *Manumisso*,] a Q. fratre in prouincia.

IN EPISTOLAM XIX.

Intenduntur,] a P. Clodio: vt paullo post. *Manumissum*] a fratre. *Reuereri saltem?*] irati Demiphonis verba, apud Terentium in Phormione:

Ita ne tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo?

Nec

Nec meum imperium: age mitto imperium: non ſimultatem meam

Reuereri? ſaltem non pudere?

Cicero tertium verſum aliter extulit.

In magnis rebus,] magnæ res non valde me angunt, Statij manumiſſio vehementer affligit, quæ parua res eſt. *Cum dignitate*,] nam in reſiſtendo laus erit. *Declinare*] ſi legatione vtar. *Dignitatis ἄλις tamquam δρυὸς*:] ſatis dignitati conſuluiſti. Prouerbium eſt, ἄλις δρυὸς, de priſcis illis glandes negligentibus poſt inuentas fruges, cum ſatis diu cibum ſe petiſſe a quercubus dicerent. *Populares iſti*] Cæſar, Pompeius, Craſſus: & cum ironia: quod populares dici non poſſint, quos populus, etiam modeſti homines, ſibilis inſectentur. *Vnus homo, &c.*] Ennij poetæ verſus de Q. Fabio Maximo, cuius cunctatio collapſam rem Romanam Punico bello reſtituit. Eundem verſum & Virgilius lib. 6. vſurpauit. *Cunctando*] apte, quod de Fabio dictum erat, tranſtulit ad Bibulum; qui contentiones timens domi ſe tenebat, nuſquam progrediebatur, nihil agebat in rep. animo tantum diſſentiebat ab actionibus improborum ciuium. &, Reſtituat, magis placeret, quam, Reſtituit. *Afflixit:*] qui ſe cum ſocero ſuo Cæſare coniunxerit, & ab optima cauſſa ad perditam deſciuerit. *Neminem*] quia bonos inimicos habet, improbos non amicos. epiſt. 21. *Iusti*,] vereor, ne Pompeius Cæſaris & Craſſi inſtitutam amicitiam retineat, non tam voluntate, quam quod bonos metuit, quos offendit. *Cum illa cauſſa*] contra Cæſarem & Pompeium. *Vtor via.*] neque in hanc partem, neque in illam declino. interiacet quædam quaſi via, qua ego vtor. Sic & Liuius lib. 5. Conuocatos milites monuit, via omnes irent, nec diuerti quemquam, aut excedere ordinem agminis paterentur. *In theatro & ſpectaculis*] ludis, & gladiatoribus. ludi enim in theatro, gladiatores in arena. *Dominus*,] is, qui gladiatores dabat. *Aduocati*] qui cum eo ad ſpectandum venerant. & apparet, dominum gladiatorum ex Cæſaris & Pompeij amicis fuiſſe; quos populus oderat. vide illud, Cum gladiatoribus Gabinij, epiſtola 24. *Ludis Apollinaribus*] queis prætor vrb. præerat, de quorum origine & die Liuius libro trigeſimo & 27. Ludis autem pro In ludis, antiquo more. Ita locutus

est Cato censorius in oratione contra Cœlium: Quem credo in pompa vectitatum iri ludis pro Citeria. Festulus. *Nostra miseria*] hoc Diphilus, vt ait Valerius, directis in Pompeium Magnum manibus, pronunciauit. versus sunt ex vetere tragœdia, quæ ludis Apollinaribus agebatur. *Coactus*] clamore postulantis populi. *Eadem*] in omnibus plane libris, & scriptis, & impressis, ante legebatur, Eandem virtutē, coniunctę: ego multis abhinc annis correxi, & aliter distinxi ex Valerio lib. 6. cap. 2. *Virtutem istam*,] mire in Pompeiū; qui Cæsarem sero cœpit timere, quem ipse suis opibus extulerat. *Virtutem*] opes, facultates, vires in ciuitate. *Cum grauiter gemes:*] cum te, tantum potuisse, pœnitebit. Valerius, Gemas: sed, Gemes, futuram calamitatem certius minatur. *In tempus*] non vt multis ante annis, & a vetere poeta, sed vt scripti viderentur & ad huius temporis turpitudinē proprie notandam, & ab inimico Pompeij. *Mortuo plausu*,] plausu ita tenui, vix vt exaudiretur. μεταφορὰ a rebus animatis. *Curio*] cui priuato magis plausum est, quam Cæsari consuli. *Est insecutus.*] post Cæsarem in theatrum venit. *Plausum est*,] quod vnus Cæsaris & Pompeij nimiam potentiam libere insectaretur. epist. 7. & 12. *Capuam ad Pompeium*] qui Capuæ XXvir agros diuidebat lege Iulia. epist. 11. ideo in oratione post reditum in sen. magistratum in colonia nuper constituta, id est Capuæ, gerere dicitur. necesse igitur est, Capua Romam venisse ludorum caussa; Capuam, cum ludos spectasset, statim redijsse. nam certe ante ludos Apollinares, qui mense Quinctili celebrabantur, Capuæ fuit, vt epist. 12. & ludis interfuisse non dubium est, cum illud aperte indicet, Petulanter inuectus est: & Valerius Diphilum illa scribit pronunciasse directis in Pompeium manibus. *Inimici erant*,] Cæsar, & eius amici. *Stantes*] maior enim significatio beneuolentiæ, cum ad plausum dandū surgitur. & ludos equites spectabant in XIV. ordinibus sedentes, quos Roscia lex dederat; cum antea sedentes quidē, promiscue tamen cum plebe spectassent. Cur autem Curioni Cæsaris inimico plausum equites dederunt, cum ipsi Cæsari non dedissent, a quo in conductione Asianorum vectigalium tertia mercedum parte releuati magnum beneficiū acceperant? (vt in Suetonio legimus) quia non tam beneficij memo-

memores, quam iniuriæ. Cæsar enim, portorijs Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, publica vectigalia vel maxime imminuerat: quo publicani, id est equites, offensi, qui, conducendis vectigalibus publicis, lucrum facere solebant. epist. 15. *Omnibus.*] vniuerso populo: cuius persæpe exarente sibilis odium, e plausu beneuolentiam. *Minitabantur.*] se abrogaturos non modo Roscium legem, quæ XIV. ordines in theatro equitibus dedisset, sed etiam frumentariam, quæ ad vniuersum populum pertinebat: quam a C. Graccho latã, deinde a M. Octauio abrogatam, L. Appuleius Saturninus retulerat, vt populo frumentum semissibus & trientibus daretur. Liuius, Cicero, Pedianus, scriptor rhetoricorum ad Herennium. *Susceptum ab illis,*] a perditis ciuibus: vt, Susceptum, de flagitijs eorum dictum sit: quo modo & in oratione pro Quinctio: Quod turpissime susceperas, perseuerare, & transigere non potuisti. & in flagitijs verbum, suscipere, frequenter a veteribus vsurpatum. *Silentio transirí*] ab hominibus dissimulari. *Tamen ferendum.*] non quia rectum sit, sed quia corrigendi spes non est. *Impendet negotium:*] si Clodius fiat tribunus pl. nondum enim habita comitia erant. epist. 20. *Consularem exercitum*] bonos omnes Consularem appellat exercitum, quos sibi in consulatu præstantissimis actionibus obstrinxerat. *Cosconio*] XXviro agris diuidundis. Fortasse est C. Cosconius, qui prætura gessit, Cicerone consule. in orat. pro Sylla. *Inuitatus.*] a Cæsare: sed Cicero recusauit. epist. 2. lib. 9. & in oratione de prouincijs consularibus. *Vocari in locum mortui.*] ambiguo dicto iocum quæsiuit: quasi, In locum mortui, in eum locum significet, quem mortuus obtineat: cum tamen hanc sententiam habeat; In eum locum, quem is, qui mortuus est, viuens obtinebat. Aut ideo dixit, Vocari in locum mortui, quia, surrogari in locum mortui, minus honorificum est, quam eum magistratum, quem is, qui mortuus est, habebat, ipso consequi legitimorum comitiorum tempore. *Illi*] qui diuidendis agris præpositi sunt. *Meam*] veterem, quam apud improbos habeo, ex reip. defensione contractam. *Alienam*] recentem, ex aliena culpa. *Legatum.*] in Gallijs. epist. 16. lib. 8. *Honestior*] quam si XXviratum acciperem. Sed oritur dubitatio, vtrum XXviratum Cicero repudiarit, vt

est epistola 2. libri 9. an Vviratum, vt in oratione de prouinciis consularibus. hic nitendum est coniecturis, quibus, incertis & fallacibus, quandoque tamen locus est. mihi igitur non fit verisimile, Cæsarem Cosconio Vviratum detulisse, maioremque ei habere honorem voluisse, quam Balbo, & sororis suæ viro, & Pompeium, generum suum, artissima affinitate contingenti; cui non Vviratum, sed XXviratum dederat: vt est in Augusto Suetonij. At Cosconius dignitate præstantior. primum, ridiculum est de dignitate loqui Cæsare consule, qui collegam Bibulum armis foro pepulisset; M. Catonem, optimum ciuem, in carcerem duci iussisset; ad ambitionem & gratiam omnia referret: deinde, ne id quidem: neuter enim consularis, prætorius non minus Balbus, quam Cosconius: vt Suetonius tradit. *Periculi:*] quod mihi impendet a Clodio. *Hoc non repudio.*] legationis honorem non recuso; sed pugnare tamen malo, quam legatus exire. Eadem sententia epist. 18. Hanc ego teneo: sed vsurum me non puto: nec tamen scit quisquam. non libet fugere. aueo pugnare. magna sunt hominum studia. *Quid ergo est?*] si non repudias, cur ergo non accipis, & vsurum te dicis? cur animi dubius deliberationem non concludis? cur incertus pendes, cum videas hanc esse honestam periculi declinationem? *Iterum dico,*] dixit enim, Me miserum, cur non ades? epistola 19. *Quid aliud?*] quid aliud est, quod scribam? Sic libro 1. epistola 11. Ἀ'κων ξόμεθα] inuitus dissimulo. *Cæcilium*] auunculum tuum: qui Atticum postea testamento adoptauit. *Edicta Bibuli*] Bibulus consul domo abditus per edicta obnunciabat. Suetonius, Plutarchus, alij. *Dolore & ira*] quia Bibulus edictis eum acerbissimis lacerabat. epist. 21.

IN EPISTOLAM XX.

Cæcilium,] Attici auunculum. *Satisfacit*] quia Pompeium, amicissimum, in amicitia nostra confirmat, meque omnibus officijs colit. epist. 25. *Pragmatici*] rebus gerendis exercitati. *Simul quid*] sic epist. 6. lib. 9. Simul Cæsar Romam venerit. antiqui libri, Simul &. forte, Simul vt: ex Academicorum 4. & de finibus 2. *Ab Amalthea*] ab otio, quo frueris in tuo gymnasio Amalthea. epist. 11. *Ne nos prodat,*]

prodat,] ne litteræ aperiantur. infert enim, ἀπυγορίας obscurabo, id est figuris sententiam obscurantibus. epist. 19. *Nouo quodam morbo*] nouum enim & inusitatum est, ægrotantem agnoscere morbum, & sentire periculosum esse, nec tamen mederi. *Acta,*] a Cæsare consule. *Varietas in re nulla sit,*] quod omnes ea, quæ sunt acta, peræque detestentur. *Sine internicione*] quia res ad certamen deduceretur: vnde cædes & internicio ciuitatis. *Cedendi*] cum neque resistere possimus sine internicione, & cedendi consilium sit exitiosum. *Nouo quodam genere*] cum populo carissimus sit, quia populares odit. quod euenire non solet. *Diodotus*] non est, vt nonnulli putant, is, de quo in Bruto legitur: qui mortuus est post ortum ciuile bellum, id est multis annis post, quam hæc epistola scripta est. sic enim in Bruto: Stoicus Diodotus cum habitauisset apud me, mecumque vixisset, nuper est domi meæ mortuus. Quod si mortuus est Diodotus paullo ante, quam Cic. Brutum scriberet; Brutus autem scriptus est Cæsare IV. & Lepido cos. sequitur, vt Diodotus hic alius necessario sit, qui moritur Cæsare & Bibulo cos. id est, annis 12. ante Brutum scriptum. *HS fortasse centies.*] scutatorum, vt nunc loquimur, trecenta millia. immensa summa, minimeque credibilis, præsertim cum ipse Cicero, se non accepisse amplius ducenties, id est scutatorum sexcenta millia, ex omnibus amicorum hereditatibus, in secunda aduersus Antonium oratione fateatur. puto igitur legendũ pro Centies, Centum. *Archilochio*] acerbissimo; quales Archilochi poetæ iambi. *In ante diem*] In diem, si dixisset, idem significasset. *Distulit.*] Latinis ferijs edicendis, vel instaurandis: vt epist. 6. lib. 2. ad Q. fratrem. *Libros*] Alexandri poetæ. epist. 22.

IN EPISTOLAM XXI.

Quid ego subtulerim?] quid minuta persequar? *Illorum?*] Cæsaris, & Pompeij. *Irati*] Pompeius, quia, Catonis sororem cum vxorem peteret, repudiatus est; Cæsar, propter veteres inimicitias, & recentes iniurias. Plutarchus vtrumque. *Exarserint.*] hoc verbo impotens quædam ostenditur iracundia. libro 1. de orat. Cuius responso sic iudices exarserunt, vt capitis hominem innocentissimum condemnarent.

Et lib.3. Non tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribuſque ablatis, Craſſum inſtitit coercere. *Amicus noſter,*] Pompeius. *Deformatus corpore,*] qui tantum amiſerit de veteri dignitate. *Progreſſum*] in cauſſa turpi. *Præcipitem,*] temerarium, ſine conſilio. *De edictis Bibuli*] ipſum accuſantibus. 34. *Vni Craſſo*] qui, Pompeij vetus inimicus, paullo ante Cæſaris opera reconciliatus, animum tamen gereret occulta maleuolentia ſuffuſum. *Quia decciderat ex aſtris,*] quia ſummam laudem, ſummis rebus geſtis quæſitam, improborum coniunctione amiſerat: homines eum miſericordia potius, quam odio, proſequebantur, nec putabant ſponte & conſilio progreſſum in eam turpitudinem deueniſſe, ſed caſu & errore lapſum decidiſſe. cur enim circumfluens gloria, vniuerſæ ciuitati cariſſimus, infamiam ſibi ipſe & inuidiam ſtrueret? *Venerem,*] Coam, de qua Plinius, & de Ialyſo Protogenis. *Pictum, & politum*] omnibus litteris & rebus ornatum. *Acer in ferro,*] quod ea tempeſtate gerendis bellis nemo acrior Pompeio, aut præſtantior habebatur. *Diſtuliſſet,*] edicto comitia diſtulerat in ante diem x v. Kal. Nouemb. epiſt. 20. *Eares*] dilatio comitiorum, quæ populum offendebat, quia comitijs nummi diuidebantur. epiſt. 16. *Ad Bibulum.*] ad ædes Bibuli cum clamore. Bibulus enim, poſt agrariam legem, domi incluſus conſulatum peregit. Suetonius. *Ad tempus illud*] cum mihi Clodius negotium faceſſet. *Ad tempus*] in tempore, cum res poſtulabit. *Satis mihi facit.*] officijs & ſtudijs erga me. epiſt. 20. 22. 24. *Diuinitus.*] affirmat enim, ſe prius occiſum iri a Clodio, quã me violatum iri, epiſt. 28. *Diſceſſuros.*] eodem ſenſu dixit ſupra epiſt. 16. Si poſſum diſcedere, ne cauſſa optima in ſenatu pereat. Spero, inquit, nos perfuncturos hoc negotio aut cum gloria, aut certe ſine moleſtia; exituros ex hoc negotio, exitum rem habituram aut glorioſum, aut certe moleſtia vacuum. *Egeris*] num pecuniam ab ijs debitam exegeris.

IN EPISTOLAM XXII.

Quod egiſſes] abeſt hoc ab antiquis libris: & ſimile quippiã ſubaudiri poteſt: vt ſit ἀποσιώπησις. *Scire poſſemus.*] tu enim in ſermone, aut ex ipſo, aut e ſorore, quid in me cogitet, eliceres.

ceres. epist. 9. & 22. *Denunciat*,] minatur. *In eos*,] in Cæsarem, & Pompeium. ep. 12. *Exercitus*] quem Cæsar habebit Galliarum proconsul. *In nos.*] qui ab opibus & exercitu minus firmi sumus. *Iudicium*] populi: vt ad populum causſam Cicero diceret de ciuibus R. & contra leges, & indicta causſa summo supplicio affectis. *Appium*] P. Clodij frabrem, qui anno sequenti prætor est designatus. epist. 1. & 2. libri 4. *Varronem nostrum*] qui gratia valet apud Pompeium. fuerat enim eius præfectus bello maritimo contra piratas. de re rustica lib. 2. *Totum est in eo*,] maximi refert. Sic locutus est in epistola 1. lib. 3. ad Q. fratrem: Totum est in eo, tectorium vt concinnum sit. & in epistola ad Capitonem, libro 16. *Ineat magistratum.*] hoc dicit comitiis nondum habitis; sed fore videbat, vt Clodius tribunus pl. designaretur. epist. 24. *Pompeium Crasso vrgente*,] quoniam futurum est, vt Crassus Pompeium vrgeat contra me, intelliget, qua fide Pompeius mecum agat; & Clodiæ narrabit, illa tibi, si aderis. ita fiet, vt, si intelligam Pompeium bona fide mecum agere, sine molestia sim, Clodij furorem non timeam; sin aliter, credulitatis errore non decipiar. *Βώωτιδα*] Clodij sororem, qua Crassus plurimum vteretur. *Ex ipso*] Crasso. *Ab illis*] Pompeio, & Cæsare. *Pœnitet.*] quod societatem cum improbis coiuerit. ep. 21. *Eruptura.*] ad vim. ep. 22. *Libros Alexandri*] a Vibio acceptos. ep. 20. *Numerium*] Numerius & familiæ nomen est, vt, CN. NVMERIVS FRONTO, in lapide antiquo, quem in turri sancti Vitalis coædificatum videmus: & prænomen, vt hic, & in oratione pro Cluentio: Larinas quædam fuit Dinea, quæ filios habuit, Marcum & Numerium Aurios.

IN EPISTOLAM XXIII.

Sampsiceramus,] Pompeium. ep. 14. *Illius partis*] societatis contra causſam reip. *Consenescere*;] populi gratiam amittere, & in inuidiam adduci, nemine tamen eos oppugnante. *In multa commemoratione*] commemorantur cum desiderio eæres, quas in consulatu gessimus. epist. 22. *Βώωτιδος noster consanguineus*] explano sic: *Βώωτιδος* consanguineus, noster; vt, Noster, sit ironia; vt etiam epist. 19. Noster Publius mihi minitatur. epist. 22. Pulchellum nostrum facillime te-

neremus. Βοώπιδος, Clodiæ. ep. 9. *Consanguineus*] frater P. Clodius. *Denunciat*,] periculum nobis. ep. 20. *Declarato illo*,] postquam Clodius designatus fuerit tribunus pl. & ante quam ineat magistratum. ep. 22.

IN EPISTOLAM XXIV.

Noster index,] qui nobis olim Catilinæ socios indicauit. Dio, Suetonius. *Cæsari*] consuli, præmia promittenti. Suetonius, Appianus, in Vatinium. *Curio filius*] acerrimus Cæsaris & illarum partium inimicus. ep. 18. *Negabat*] eo consilio, vt, cum negaret, quod omnibus notissimum erat, suspicionem crearet in Curionem. *Restitisse*:] colloquendi caussa. Sic & Terentius in Andr. Daue: ades: resiste. *Fidem publicam*] vt ipsi daretur impunitas, si alios indicasset. *Paullus*] L. Æmilius Paullus, qui Macedoniam quæstor obtinebat. in Vatinium. postea consul fuit cum C. Marcello. *Initio*] cum Romæ esset, nondum in Macedoniam profectus. *Cn. Cæpio hic Brutus*,] M. Iunius Brutus, Seruiliæ filius, qui postea Cæsarem interfecit. adoptatum ab auunculo Seruilio Cæpione, de quo Plutarchus in Vticensi, credendum est; vt ex adoptionum institutio Seruilius Cæpio Iunianus Brutus appellaretur. ab adoptante enim prænomen, nomen, cognomen accipiebat is, qui adoptabatur. sed de Cæpionis, Seruiliæ fratris, prænomine Plutarchus nihil. ex Philipp. 10. Quinctum fuisse apparet, cuius in extremo de Q. Cæpione hoc Bruto sæpe iterata mentio. quod antiquus nummus, qui est apud me, confirmat, ita circumscriptus, Q. CAEPIO. BRVTVS. PRO COS. vt hic quoque videatur legendum, Q. Cæpio, non, vt legitur, Cn. Cæpio. nam quod in quibusdam libris est, Cn. Cæpio & Brutus, vt duo significentur, Cæpio, & Brutus; id vt perspicue falsum reiiciatur: cum, vnum significari Seruiliæ filiũ, aperte indicet, quod his verbis infra scriptum est: Cæpionem de oratione sua sustulit, quem in senatu acerrime nominarat: vt appareret, noctem, & nocturnam deprecationem intercessisse. *Hic Brutus*,] ad differentiam; quod alij essent Cæpiones eodem prænomine. *Lentulus*] L. Lentulus consularis candidatus, ex oratione in Vatinium. fuit autem non solum flaminis filius, verum etiam flamen ipse: quod eadem indicat oratio. *Conscio patre*:] L. Lentulo flamine Martiale. de

le. de haruſpicum reſp. ep. 14. lib. 15. Flamines autem, ſtante rep. tredecim fuere, Dialis, Martialis, Quirinalis, Volcanalis, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis, Carmẽtalis, Portumnalis, Perſillus Virbialis. additi poſtea duo ſunt C. Cæſaris, & Auguſti: de quibus omnibus Varro, Cicero, Feſtus, marmorea monumenta. *Cum gladiatoribus Gabinij*] non dubito, quin abundet particula, Cum: vt tempus ſignificetur, quo Gabinius gladiatores populo dedit, opinor, vt eo munere gratioſior eſſet in petitione conſulatus. nam petebat hoc anno, & deſignatus eſt cum L. Piſone. tempus autem id ſignificari, eo certius eſt, quia ſequitur proxime: In eo principem Paullum fuiſſe, quem conſtabat eo tempore in Macedonia fuiſſe. Omitto alia non dubia argumenta, vt hoc: non debuiſſe Vettium inter conſcios facinoris admiſcere Gabinij gladiatores, ne gladiatorum dominus Gabinius, qui erat Cæſarianæ partis amiciſſimus, in ſuſpicionem adduceretur. Et, vt opinio mea fert, gladiatores Gabinij fuere, de quibus ep. 19. Gladiatoribus qua dominus, qua aduocati ſibilis conſciſſi. *Cum telo fuiſſe*,] quod lex vetabat. itaq; P. Cornificius in ſenatu, vt inuidiam Miloni faceret, ferrum dixerat eum habere intra tunicam ad femur alligatum. Pedianus. *Id eſſe actum*,] ita rem eſſe compoſitam a Cęſare, & Vettio. *Catulum*] quem adoleſcens ætate profectũ ponticatu deiecerat. Suetonius, Plutarchus. *Iuſſerat dicere*,] cũ eum de refectione Capitolij ad diſquiſitionem populi vocauit. Suetonius in Iulio. *Produxit*,] nam priuato non licuiſſet de ſuperiore loco dicere, & concionem habere, niſi a magiſtratu concederetur. ep. 1. & 2. lib. 4. *Adſpirare non liceret*.] domi enim ſe tenebat armorum metu. Non dixit, Accedere, ſed, Adſpirare. quod minus eſt. *Voluit*,] non Vettius, ſed Cæſar. *De rep.*] quid hæc ad remp? poſſunt ſane & ad rẽp. tranſduci, ſed ita, vt non ſponte ſequi videãtur. Malim legere, De re. *Cæpionem*] M. Brutum. *Nocturnam deprecationem*] Seruiliæ, Bruti matris; quã Cæſar amauit. huius apud Cæſarẽ preces ſignificat, vt filius eius Cæpio Brutus de oratione Vetuj tolleretur. *Lucullum*,] L. Lucullum. In oratione in Vat. Et, cum Lucullus dicitur, ſine prænomine; de Lucio, non de Marco eius fratre, κατ' ἐξοχήν intelligendum. *In P. Clodium*] cum accuſatus eſt crimine pollutarũ religionum. ep. 10. l. 1.

Illum, qui] hoc addit, vt distinguat. nam erat alter C. Fannius, hoc anno tribunus pl. vt in oratione pro Sextio, & in Vatinium. *L. Domitium,*] Ahenobarbum, qui consul fuit cum Ap. Claudio. *Vicinum consulis*] vicinus erat Cicero Cæsaris consulis, quod ipse in Palatio, Cęsar autem in sacra via habitabat, quæ secundum radices Palatij a Carinis in Capitolium tendebat. epist. 4. Suetonius. *Ahalam Seruilium*] qui sua manu Q. Melium, regnum appetentem, occiderat. Liuius. *Brutum*] qui reges exegerat. nota historia. *Reperiri.*] qui occiderent ciues Melio similes, aut nouos Tarquinios expellerent. *A Vatinio*] qui cum Vettio, præsente populo Romano, collocutus, inculcauit, vt Pisonem & Laterensem, nominaret. In oratione in Vat. *Crassum Diuitem*] M. Crassum, qui a Parthis occisus est: de quo epist. 13. *De vi,*] lege Plotia: quia confessus esset, se cum telo fuisse. fam. libro 8. ep. 7. & pro Milone, & Sallustius in Catil. *Iudicium postulaturus.*] iudicium populi. erat tribunos pl. appellaturus. Sic aduersus Lucullum prætorē C. Antonius tribunos appellauit, Damio aduersus Flauium. Pedianus. *Iudicia fore videbantur.*] fore videbā, vt multi rei fierent, ex indicio Vettij. *Qui nihil contemnere*] ideo non pertimescimus, quia cauemus omnia. iudicium autem impendebat Ciceroni & ex indicio Vettij, & mox a P. Clodio de necatis ciuibus Romanis. *Timueramus,*] Plutarchus hæc: Cum senatores in curiam pauci conuenirent, Considius Cęsari causam dixit esse, quia milites illius arma timerent. cui Cæsar: cur tu quoq; ob eandem causam non domi te contines? quia, Considius, senectus me facit intrepidum. *Discusserat.*] aliis metu silentibus, Cæsari consuli declarauerat. *Quam quotidie timere potueramus,*] hoc Vettij indicio patefactum est, cædem quotidie nobis fuisse timendam ab iis, qui rerum potiuntur. quorum videmus quam scelerata consilia sint, cum pernicię bonis viris quacumque ratione machinętur. Non timebamus, cum indicia non extarent, sed timere quotidie potueramus, vt nobis insciętibus impendentem. *Catulo,*] Catulus anno proximo perierat, Afranio & Metello cos. vt hic ep. 17. lib. 1. & Dio. l. 37. Placeret igitur, Lucullo, cui negotium impendere videbatur e Vettij nominatione: aut, Catone, qui hoc anno, id est Cęsare consule, magnis contumeliis affectus est.

Sed

Sed antiqui libri, Catulo: mendose: neque enim ad mortuũ huius temporis miseriæ pertinent. *Cum splendore vita, tũ hoc tempore.*] cur infortunati? quia floruimus aliquando dignitate, nunc prorsus iacemus.

IN EPISTOLAM XXV.

Moratus est,] placeret, Inodoratus: quia, cum, Pompeio aut Cæsari credere, periculosum videret, eorũ animos nosse, magni putabat ad suas rationes interesse, propter insequentis anni impendentem a Clodio tempestatem. Subscribere videtur sententiæ nostræ, quod scriptum est ep. 16. Velim e Theophane expiscere, quonã in me animo sit Arabarches. & ep. 22. Per βοώπιδα intelligere poteris, qua fide ab illis agatur. Et, Inodorari ἐλικτὰ, proprie. nam odorari dicitur de rebus occultis, quæ minime iudicantur oculorum sensu. vt lib. 2. de oratore, Odorari, quid sentiant iudices. hic lib. 6. ep. 4. Ego μυσικώτερον ad te scribã: tu sagacius odorabere. & lib. 13. Odorare Antonij διάθεσιν. Neque vero particula In, præposita priorem significationem vt cõtraria tollit, sed facit quod in verbo Audio: vt, cũ dicimus, In audire, significamus, id audire, quod occulte agatur. item, Inodorari, indagare, quod in occulto latet. Si, Moratus, retinemus, erit, tardauit, repressit. sed fides mihi non fit, Varronis auctoritatem fuisse tãtam, vt morari potuerit consilia Pompeij: elicere quidẽ, aut odorari, pro familiaritate potuit. ἐλικτὰ, καὶ οὐδέν.] senarij apud Euripidem, quos Andromache, Menelao irata, in Spartanos cõmuniter iacit.

ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλεύματα,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτά, κ' οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πάντα πέρι ξ,
φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα.

Spartanis igitur similes Pompeius, & Cæsar, ἐλικτὰ καὶ οὐδὲν ὑγιὲς φρονοῦντες. *De Flacci prætura,*] Cicerone consule prætores L. Valerius Flaccus, C. Pontinius Vulturtium, vnum ex Catilinæ sociis, & legatos Allobrogum, in transitu pontis Miluij exceptos, comprehenderunt. *Quorum opera,*] quorum opera ita afflicta resp. est, vt desperetur. *Munitî*] contra impetus P. Clodij, tribuni pl. designati.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM TERTIVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

CVM *antea*] vt aliquid de ordine dicatur, primam huius libri epistolam opinor esse oportere, quæ nunc tertia est; secundam, quæ secunda; tertiam, quæ quarta; quartam, quæ prima; quinctam, quæ quincta itē est: vt in eius fine ita legatur, III. Idus Apr. Thurij. Vibone enim puto iter fuisse Thurium, inde Tarentum, inde Brundisium. *Rogationem*,] Clodiā; vt mihi intra quadringenta millia ne liceat esse. ep. 4. *Quamprimum*] ante quam ex Italia proficiscar. *Facilius potes*,] hoc dicit: Cum Clodij rogatio permittat, vltra quadringenta millia vt vbiuis esse possim; sequitur, vt mihi in Macedonia liceat esse. quo facilius, ante quā ex Italia proficiscar, consequi me potes. nō enim est, cur profectionem maturem: siquidem, quam mihi ad discedendum diem rogatio constituit, ante eam diem, vel nulla celeritate adhibita, vltra quadringenta millia licebit peruenire. quod si longius ire, vltraque quadringenta millia iuberet: difficilius cōsequi me posses. nam mihi esset properandi maior imposita necessitas.

IN EPISTOLAM II.

In fundo Sicæ,] ad Vibonem. Ex Bessarionis libro legi etiā potest, In fundum: qua figura in Diuinatione dixit, Exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionemque essent.

& in

& in Verrem lib. 7. Qui illam partem vrbis tenerent, in eorum poteſtatem portum futurum intelligebant. quod Gellius notauit libro 1. cap. 7. Idque recentiores etiam viderunt. *Præſertim nondum*] præſertim quod, rogatio Clodia cum nondum ſit correcta, nihil eſt quod me extrudat. *Correcta:*] audierat Cicero ſuſtineri a Clodio rogationis promulgationem, quod in ea quiddam ante vellet corrigere. epiſt. 4. *Si te haberem,*] tuo enim comitatu atque præſidio fretus, auderem Brundiſium petere. Se iter habere, Beſſarionis liber. *Brundiſium referre:*] quo iter diſcedens intenderam. *Autronium*] P. Autronium, vnum ex coniuratis, qui in illis partibus exſulabat, Ciceroni infenſus, vindici coniurationis. pro Sylla. *Ad nos*] in fundum Sicæ. *Totius rei*] itineris mei. epiſt. 3. *Tota calamitas*] in qua inſunt, præter mea damna, eæ moleſtiæ, quas ex moleſtijs meorum capio: vt nunc, cum te video mea cauſſa tam moleſtum iter ſuſcipere. *Narycı Locridis.*] de opido Narycæ Suidas. vt vel, Narycij, vel Narycæ, legendum videatur. *Locridis.*] in ora Locrorum.

IN EPISTOLAM III.

Cum tibi agam gratias,] agam enim, ſi quando meam dignitatem recuperabo: qua ſpe me viuere coegiſti. *Equidem me pœnitet:*] coniungitur, Equidem, & cum prima, & cum ſecunda, & cum tertia perſona, & cum vna, & cum pluribus. exempla notauimus in oratione pro Sextio, lib. 3. de fin. & apud Perſium poetam. *Multis de cauſſis*] duas poſuit in proxima ſuperiore epiſt.

IN EPISTOLAM IV.

Confectum] placet, Correctum: vt in epiſtola, quæ ante proximam legitur. Cogitaui ſic, natum errorem e vicinitate; quod veteres, Conrectum, ſcribebant. *Illo*] vltra quadringenta millia. Petieram Vibonem eo conſilio, vt vel in Siciliam tranſijcerem, vel Melitam adnauigarem: poſtea, rogatione lecta, intellexi, ſi peterem Siciliam, progredi vltra quadringenta millia ante rogationis diem non poſſe; de Melita vero non eſſe cogitandum; ſiquidem vltra quadringenta millia non eſſet. iter igitur pedibus Brundiſium verſus contuli, vt inde in Macedoniam nauigarem, quæ eſſet vltra

quadringenta millia. in epistola ad Terentiam, Brundisio, inquit, profecti sumus ad v. Kal. Mai. per Macedoniam Cyzicum petebamus. *Periret.*] ne pœnam subiret, quam Clodius irrogabat ei, qui Ciceronem intra quadringenta millia recto recepisset. pro domo sua. *Melitæ*] insula est inter Italiam & Epirum, ante Pachynum promontorium. hodie Maltæ insula vocatur. *Si modo recipiemur.*] nam, nisi recipior, iter mihi erit maturandum: ita me consequi nullo modo poteris.

IN EPISTOLAM V.

Meipsum] non opes meas, aut honores, quę mihi nunc inimici ademerunt, sed me ipsum, qui idem sum. *Thurii*] Thurium opidum Plinius lib. 3. cap. 11. inter duos amnes Crathin & Sybarim constituit. Bessarionis liber, Thauri.

IN EPISTOLAM VI.

In Epiro] in qua possessiones tuæ sunt. *Consisteremus,*] erat enim Epirus vltra quadringenta millia. supra.

IN EPISTOLAM VII.

Ad Kal. Maias.] Bessarionis antiquus liber, Ad XIV. Kal. Maias: & recte: vt Brundisij fuerit tredecim dies. datæ enim litteræ sunt pridie Kal. Maias, cum Brundisio proficiscerentur. in epist. ad Terentiam, Nos, inquit, Brundisij apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus. Et, quia proximam superiorem epistolam, Tarenti datam, post hanc scriptam esse perspicuum est: ideo datam suspicor non XIII. Kal. Maias, vt est in impressis, sed Kalendis Maij, cum iam in Asiam iter instituisset. *Post diem tertium eius diei*] tertio die post, quam priores acceperam. antiqua figura, vt Pridie eius diei, Postridie eius diei, post diem tertium, & post diem quartum eius diei. *Apud te*] domi tuæ, quam habes Buthroti. vel potius in fundis; cum inferat, Ista solitudo, quæ in vrbe Buthroto non fuisset. *Si liceret ibi omne tempus cons.*] non licet autem cum propter Autronium, & ceteros exsules, mihi infensos, qui ab Epiro tantum quatriduo distant; tum quia vereor, ne Clodius, & qui me eiecerunt, interpretentur, Epirum non satis abesse ab Italia. diuerti autem in Epirum paucorum

dierum

derum causſa quid attinet? recta igitur in Aſiam. *Sine te.*] nam tecum in Epiro tua libenter eſſem: ſine te autē cur? *Nam caſtellum, &c.*] ſcripſerat, opinor, Atticus, niſi vellet in ſuis fundis, quia minus tuto videretur, poſſe eum non longe eſſe caſtello munito. neque enim de Buthroto accipiendum puto: quæ fuit vrbs, non caſtellum. *Tranſeunti*] nam habitare vides me non poſſe. *Noſtri hoſtes*] Autronius, & ceteri exſules. epiſt. 2. & 8. *Illud quoque opidum*] quod ſi hoc de Athenis interpretarentur, multo magis de Buthroto: quod opidum Italiæ propius adiacet, quam Athenæ. *Noſtri conſilii*] qui ceſſerim inimicis; cum potius cadere fortiter deberim. fam. lib. 14. epiſt. 2. *Spes*] reditus. &, vt miſeri, aduerſa timet omnia. *Inuidorum*,] Hortenſium maxime deſignat: a quo ſe dicit ſceleratiſſime inſidioſiſſimeque tractatū, in epiſtola ad fratrem lib. 1. *Tempus honeſtiſſimum*] mihi, cum inimicis pro mea dignitate pugnanti, ſi contigiſſet vt caderem, glorioſum fuiſſet. nunc exſul præclaræ mortis occaſionem ſperare amplius non poſſum: finiendi tamen doloris poteſtas adempta non eſt: idque potius mihi videtur eſſe cogitandum, quam vt vllam medicinam faciam. Videtur de morte voluntaria cogitare. *Mutandarum rerum:*] mutato autem reip. ſtatu, meæ quoque res, quæ nunc perditæ iacent, commutabuntur. *Nihilominus*,] quamquam ex Italia proficiſcor. *Accedemus*] paruis itineribus. nam in acceſſu tarditas eſt. *Candauiam*] montem Illyrici, qui Macedoniam Illyricumque diſterminat. Strabo, Plinius. *Dubitationem*,] quia non affirmauit, in Epirum iter habiturum: ſed dixit, Aut accedemus in Epirum, aut per Candauiam tarde ibimus. *De fratre*,] ex Aſia Romam proficiſcente: cuius itineris ratio meum iter gubernabit. *Nec quo modo ſiſurus*,] afflictum dolore miſeriarum mearum. *Vbi dimiſſurus*] dolor enim & luctus alterum ab altero diuelli vix patietur. *Id*] congreſſus, & dimiſſio.

IN EPISTOLAM IIX.

Inimicorum,] de Autronio, & ceteris loquitur. epiſt. 2. & 7. *Haberet, cum inde proficiſceremur.*] ſi in Epirū iuiſſem, inde proficiſcens per loca difficilia iter habuiſſem. montibus enim Epirus a Macedonia diſcluditur. *Pedibus*] terre-

ſtre iter ſignificari notum eſt. *Iſtic quid agatur,*] timebat, ne quis accuſaret repetundarum Quinctum fratrem, ex prouincia redeuntem. epiſt. 9. & 16. *Vt acrius poſtularet:*] accuſaret fratrem. Accuſatorem Atticus in epiſtola ſua nominarat, Cicero nomen omittit. *Nauigatio*] fratris. *Reliqua*] quæ fratri meo ab inimicis noſtris videntur impendere. *Hoc metu*] ne frater poſtuletur. *Ad me conſolandum*] ſpes enim mei reditus in mutatione rerum ſita eſt. epiſt. 7. *Tigrane neglecto*] cum Pompeius Tigranem ſibi a Clodio ereptum neglexerit, ſublata ſpes omnis eſt mutandarum rerum. ego autem graues inter eos contentiones fore ſperaueram. Subſcribamus, quæ Pedianus in Miloniana: Pompeius, inquit, poſt triumphum Mithridaticum, Tigranis filium in cathenis depoſuerat apud Flauium ſenatorem: qui poſtea cum eſſet prætor, eodem anno, quo tribunus pl. Clodius, petit ab eo Clodius ſuper cenam, vt Tigranem adduci iuberet, vt eum videret: adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddidit: Tigranem dimiſit, & habuit extra cathenas, nec repetenti Pompeio reddidit: poſtea in nauem depoſuit; &, cum profugeret ille, tempeſtate delatus eſt Antiū. illico, vt deduceretur ad ſe, Clodius Sex. Clodium, de quo ſupra dixi, miſit, qui eum reduceret. Flauius quoque, re cognita, ad diripiendum Tigranem profectus eſt. ad quartum lapidem ab vrbe pugna facta eſt: in qua multi ex vtraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flauij, inter quos & M. Papirius, eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeio. Flauius ſine comite Romam vix perfugit. *Varroni*] qui Pompeium hortatur ad meam cauſſam amplectendam. *Hypſæo.*] hic Pompeij quæſtor fuerat; eumque, vt & Varro, hortabatur, vt Ciceronis patrocinium ſuſciperet. Cognomen eſt Plautiæ familiæ. *Impulſi ac proditi*] Pompeium notat: cuius fidem ſecutus, in eam calamitatem incidit: quam vitare potuit, legatione ſuſcepta. epiſt. 18. 20. & 22. *De fratre,*] de poſtulatione. *III. Kal. Iun.*] qua ratione non nulli, vt, III. Kal. Mai. legendum putarent, adducti ſint, nō facile poſſum intelligere. mihi contra veritatem videtur. id apparet ex hac ipſa epiſtola: in quā cum dixerit, ſe veniſſe Theſſalonicam ad x. Kal. Iun. certe, vt Theſſalonicæ III. Kalendas Maij ſe eſſe, deinde ſubiungat, fieri non poteſt.

Cum

Cum hac ratione, ita firma, vt euerti non possit, liber scriptus Bessarionis consentit. itaque locus iam dubitationi nullus supereſt: nisi si cui verum sensum contendendi cupiditas aufert.

IN EPISTOLAM IX.

Ne quid absens] ne absens postularetur. epist. 8 *Lictòres dimitteret*,] qui dimittendi fuissent, si mecum manere voluisset. nam imperatori transitus per alienam prouinciam dabatur, morari diutius in ea cum imperio non licebat. *Mei peccati*] peccaui enim, cum vobis viuendi auctoribus parui; cum perire satius fuerit, quam huiusmodi miserias subire. *A Pompeio nunc Hortensium allice, & eiusmodi viros.*] hoc totum est ex Attici epistola; ideo scribendum litteris grandiusculis. *Nondum perspicis?*] vis me in Pompeio & Hortensio spem ponere: non intelligis me horum insidijs & scelere perijsse? *Quorum insidijs, quorum scelere*] insidijs Hortensij, qui me summa simulatione amoris, summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractauit. ad Quinctum fratrem lib. 1. Scelere Pompeij; cuius promissis destitutus, in has miserias incidi. epist. 22. *Non licuit*,] per vos, qui mihi auctores viuendi fuistis, cum ego interitū gloriosum ærumnosæ vitæ anteferrem. epist. 7. *Negotium*:] metus accusationis. epist. 15. *Vt tibi placet*,] scripsisti enim, vt exspectem litteras tuas Thessalonicæ: si quod forte ex actis mensis Maij beneficium afferatur. ep. 8. & 10.

IN EPISTOLAM X.

Spem] vt ex tuis litteris de reditu in patriam sperare possim. *Ad te*] in tuas Epiroticas possessiones. *Ista euanuerint*:] quæ nunc agitis de salute mea. & opinor Atticus ita scripserat: Hæc si euanuerint, aliud aliquid videbimus. *Istorum*:] qui me eiecerunt. erat discordia maxime inter Clodium, & Pompeium, vt de Tigrane, alijsque rebus. epist. 8. & Dio lib. 38. *In tam bona causſa*,] qui patriam a coniuratorum scelere liberassem. *Ne viderem*;] ex Asia Romam redeuntem. epist. 9. *Luctum*] ex mea calamitate. *Intra parietes meos*] ab ijs, qui me quotidiana assiduitate infidiosissime tractarunt, vt Hortensius, vt Arrius. ad Q. fr. l. 1.

Vnus amitterem?] pugnare, inquit, debui, vt hæc aut retinerem, aut cum vita simul amitterem.

IN EPISTOLAM XI.

Tuæ litteræ,] quibus scripseras bene sperandum. *Rumoribus*] hoc est, quod dixit, Nuncij non optimis auctoribus. *Ad te*] in Epirum tuam. *Vt ego*] Vt, pro Quam, dixit, sicuti supra de Pompeio, Vt ille tum humilis, vt demissus erat. Est autem hic eo venustior sententia, quo minus aperta. Cum me, inquit, obiurgas, quia meo casu nimis excrucier; facis, vt neque me videaris amare, neque dolere dolorem meum: quem tamen ita affectum mea ærumna esse arbitror, vt te ipsum consolari nemo possit. in hoc, inquam, tuum amorem, & dolorem non agnosco. qui enim amat, æque dolet: &, qui æque dolet, non obiurgat.

IN EPISTOLAM XII.

Per senatum;] nam per populum minus sperandum videbatur, Clodio tribuno. *Idemque*] qui me sperare vis per senatum, idem scribis caput proponi rogationis Clodianæ. quo capite cautum erat, ne quis referret ad senatum de Cicerone restituendo: vt epist. 15. *Secundum comitia.*] habitis comitijs. epist. 19. *Eodem tribuno pl.*] Clodio tribuno, qui nostrã causlam, vt solet, acriter oppugnabit. quamquam non fuit Clodius iterum tribunus pl. *Consule designato?*] Metello Nepote. Videbat scilicet Cicero futurum, vt consul Metellus designaretur. *Oratione prolata.*] non puto significari orationem in Metellum Nepotem scriptam, sed potius in C. Curionem. nam cum Metello pluribus verbis Cicero concertauit, vt in epist. 2. lib. 5. fam. at hic se numquam vno verbo concertasse dicit. de Curione autem epist. 15. his verbis: Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ vnde sit prolata, nescio. *Sanari,*] si vllam spem vides mei restituendi. *Sin plane periit,*] si vides reditum meum desperari, de oratione prolata minus laboro. *Iaceo*] non dixit, Sum, sed, Iaceo, verbo vsus ad mærorem indicandum accommodato. *Cogitatione*] ita sum animo perturbato, nihil vt non modo loqui, sed ne cogitare quidem possim. *Sidona:*] locum hoc nomine prope Thessalonicam non video fuisse.

cumque

cumque iam de mendo suspicarer, confirmatus sum in sententia, posteaquam Bessarionis librum inspexi: cuius scriptura hęc est: Venire si domitam, vt intelligo. In Macedonia prouincia Plinius opidum enumerat Scydra: vt fortasse (neque enim affirmo, cum antiqui libri veritatis lumen obscurent) pro Sidona rectius legi possit, Scydra. aut, secutus Bessarionis librum, tribue locum coniecturæ, vt, sublata mendi labe, ita legas: Vt ad me venires: idem tamen intelligo, te &c.

IN EPISTOLAM XIII.

Temporis non longinqui] meq; ex tuis litteris aliquid sperasse, quod tamen non diuturnum fuit, molestè feram. *Matum*] discordiam istorum. epist. 10.

IN EPISTOLAM XIV.

Agi de nobis.] in senatu. *Remorari.*] non, quod ipse videres, quidquam mihi esse sperandum, sed, vt me a desperatione retraheres, ita scribebas illud, &, cùm omnes a me spes abirent, eas tu ijs epistolis remorabare. *Nostris multis peccatis*] qui inuidis credidimus, & legationem, a Cæsare delatam, qua vitari potuit hæc ærumna, nimis imprudenter repudiauimus: cum tantis miserijs vel mors fuerit anteponenda: cuius oppetendæ tempus honestissimum prętermisimus. epist. 7. *Casus*] fateor enim, ea peccata non iam vlla prudentia posse corrigi: spei fortasse aliquid est in fortuna positum. *Via celebritatem,*] qua frequentes Roma Thessalonicam proficiscuntur, qui litteras a vobis creberrimas afferre possent. *A Plancio,*] apud quem Cicero erat, quæstorem in Macedonia. epist. 22. *Minime appositio*] amo enim in hoc luctu solitudinem, odi celebritatem. *Vniuersi*] omnes, quotquot istinc veniebant. Vniuersum est enim, quod nihil excipit. *Nihil esse necesse*] cum de mea salute spei nihil esse videretur. *Si aliquid*] quid si, Nisi aliquid? hoc sensu: Nisi aliquid audiero, cur sperandum sit. epist. 15. *A comitiis*] quod actum sit post comitia. hic autem exspectabo, dum audiam. *In Asiam*] vt aliquo loco considamus, appositò ad tolerandam in hoc luctu calamitatem. nam hic me celebritas offendit. In oratione tamen pro Plancio, in Asiam non iuisse, legimus. Cum ad me, inquit, L. Tubero, meus neces-

sarius, ex Asia veniſſet, easque inſidias, quas mihi paratas ab exſulibus coniuratis audierat, animo amiciſſimo contuliſſet; in Asiam me ire Plancius, propter eius prouinciæ metum, non eſt paſſus.

IN EPISTOLAM XV.

Varrone] diximus ſupra, Varronem Pompeij familiariſſimum fuiſſe. epiſt. 25. lib. 2. *De voluntate Pompeii.*] Pompeium noſtram cauſſam ſuſcepturum. epiſt. 18. lib. 3. *Scindam*] augeam. a vulneribus tranſlatio, quæ ſciſſa recrudeſcunt. *Meis vulneribus*] quod paullo ante dixit, Ne ſcindam ipſe dolorem meum. *Simulationem aliorum,*] notat maxime Hortenſium & Arrium: quorum promiſſis deſtitutus, in eam calamitatem inciderat. lib. 1. ad fratrem. *Nihil puto ſincere*] ita credendum de inimici liberto. *Illam orationem*] in ipſum. epiſt. 12. Placet autem, vt de Curione patre potius accipiatur, quam de filio; vt poſſe cuius ſententiam, auctoritatemque in ſenatu pluris Cicero deberet æſtimare. Præterea, cum loquitur Cicero de filio, ſemper aliquid apponit, vt cum dicit, Curio adoleſcens, epiſt. 8. & 18. lib. 2. Curio meus, epiſt. 12. lib. 2. Curio filius, epiſt. 19. & 24. lib. 2. de patre cum loquitur, nihil adſcribit, vt epiſt. 12. & 17. lib. 1. & 20. lib. 3. De hac oratione in Curionem ſimul & Clodium mentionem faciunt Quinctilianus, Nonius, Rufinianus. *Axius*] ſenator, quem nominat etiam epiſt. 15. lib. 4. & 21. lib. 5. & Fronto, Gellius lib. 7. cap. 5. Alius autem fuit Axius fenerator, de quo epiſtola nona libri primi. *Quod erat,*] laudauerat in ſuis litteris Atticus Curionem. *Exſpectationem Cæſaris:*] habet, cur etiam a Cęſare opem exſpectemus. *Parum luxerunt,*] magna enim obſcura non ſunt. ideo in epiſtola ad Curionē clariſſima vocat, & maxima officia. *In te peccaui,*] quod officia & ſtudia, tibi a me debita, prætermiſi. *In me enim ipſum*] qui debita non præſtiterim officia. ideo infert paullo poſt: Id meo ſcelere prætermiſſum eſt. *Deberes, ac debuiſſes,*] ſi feciſſem, vt meo merito me amares. amabas enim tua voluntate adductus, non meis officijs impulſus. *Legem de collegiis*] quattuor leges tulit Clodius in tribunatu, reip. pernicioſas; annonianam, vt frumentum populo gratis daretur; alteram, ne quis per eos dies, quibus

cum

cum populo agi liceret, de cælo seruaret; tertiam, de collegijs restituendis, nouisque instituendis; quartam, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque censoris sententia damnatus esset. Hæc Pedianus in Pisonianam. Leges autem eas Cicero passus est a Clodio perferri, hac conditione, ne quid ille mox contra se moliretur. quam pactionem Clodius, perlatis legibus, non seruauit. Dio lib. 38. *De collegiis*] ex quattuor legibus eam nominat, quæ maxime contra ipsum pro Clodio fuit; qui, collegiorum nomine, opes & seruitia in Ciceronis perniciem conscripserat. in orationibus. *Potuit*,] oportuit, debuit. non perfectum est autem, quia merita mea nulla erant. Tale illud epist. 9. lib. 2. Orbis hic in repub. conuersus est, citius omnino, quam potuit. *Meo, non tuo scelere*,] grauiter enim peccaui, & scelerate feci, qui multa, tibi a me debita, officia non sum exsecutus. *Responso*] cum ab eo contra Clodij iniquissimam legem auxilium petij. Quid autem ei respondit Pompeius? nihil se contra Cæsaris voluntatem posse facere. de quo epist. 4. libro 10. *Turpissimo consilio*] abeundi in exsilium: cum potius morte occumbere deberem. *Nullo nostro*,] neque enim ita meritus vmquam de te sum, vt a te diligi deberem. *Tuo ipsius beneficio*] restitutum enim beneficio tuo non poteris non diligere. *De priuilegio*] vt priuilegium fieret de me restituendo, hoc est, vt, facto senatusconsulto, ad populum ferretur. Priuilegium autem hoc differt a lege, quod hęc ad multos, illud ad vnum pertinet. Cicero autem abrogari malebat legem Clodij, idque firmius videbatur: propterea quod priuilegio lex illa non tollebatur: quo timendum erat, ne quis rursus tribunus pl. exsisteret, qui lege vti vellet: post abrogationem autem nihil huiusmodi timendum. *Impediret*,] cum abrogabitur lex Clodij. *Ferri*] de abrogãda lege. *Senatusconsulto*] ex quo ad populũ ferretur, vt priuilegiũ fiat de me reuocando. *Prior lex*] duas leges Clodius tulit. prior fuit contra eos, qui ciues Romanos sine iudicio populi necassent; qua in lege nominatim de Cicerone scriptum nihil erat; itaque nihil eum lædebat: (Velleius lib. 2. & Dio 38.) altera nominatim in Ciceronem, quoniã is ciues Romanos, indicta caussa, condemnasset. *In vestitu mutando*,] nam, si legẽ

laudare noluerat, negligere saltem debuit. neutrum fecit; sed, vestitu mutato, populum rogauit, ne legem perferri sineret. quod ei pernicioſum fuit. populum enim offendit, cum de antiquanda ea lege rogauit, in qua popularia multa de industria Clodius admiſcuerat. *Si quid ageretur,*] ſi quid ageretis de ſalute mea. *Legem illam,*] priorem Clodij legẽ. *Ne tangatis.*] primum, quia nominatim in ea contra me nihil eſt: deinde, quia, popularem legem abrogare, aut infirmare ſi vultis, populus offendetur. alteram igitur, date operam, vt abrogetis: quando & minus popularis, & nominatim cõtra me eſt: priorem ne tangite. *Tute ſcripſiſti,*] is locus eſt ſupra epiſt. 12. *Ne referri, neve dici*] primum refertur, deinde dicuntur in ſenatu ſententiæ, rogante ſenatores conſule, aut eo, qui ſenatum habet. non enim is ſemper eſt conſul: vt latius in libris noſtratum Antiquitatum. *Domitius*] L. Domitius Ahenobarbus, qui hoc anno præturam gerebat, vt ex Suetonij Iulio, & ex epiſtola libri 1. ad Q. fratrem cognouimus. *Dere*] de me reuocando. *Omnium tribunorum pl.*] nam, ſi vnus modo intercedet, nihil agemus. *Quo modo potero?*] non enim videbor reſtitutus, niſi ſimul mihi domus reſtituatur. eam autem Clodius Libertati conſecrauerat. *In tuos ne agros*] Epiroticos. epiſt. 10. *Cyzicum.*] in Aſiam. quod faciam, niſi mihi tuæ litteræ ſpem aliquam oſtenderint. epiſt. 15. & 16. *Tuæ prudentiæ*] qui es paſſus, me, quo tu abundas, egere conſilio, ac mihi perſuaderi, vtile nobis eſſe, legem de collegijs perferri. epiſt. 16. *Præſidia*] amicos, ad pugnandum paratos. *Tuis tectis crederem.*] quia dixerat, ſe iturum in Epirum. *Me ipſum*] meam enim amentiam accuſo, quod a te tantum amari, quantum ego vellem, putaui.

IN EPISTOLAM XVI.

Datarum,] quas a te, vt opinor, eo die datas, exſpecto. & Kal. Sext. ſcripſiſſe Atticum putabat; quod, cum ex veteri cõſuetudine ſenatus Kalendis haberetur, ſtatim, ſenatu dimiſſo, quid actum eſſet eo die de Ciceronis re, ſcripturus Atticus videbatur. Kalendis autem ſenatum haberi ſolitum, ſuo loco infra docebimus. *Quam cum lectæ ſunt.*] malim ſic: Quod cum lætæ ſunt, tum id, quod attulerunt ad ſpem, infirmant. vt

ſit, Læ-

sit, Lætæ, quia spem ostenderent meliorum rerum; Infirmāt, quia certi nihil afferrent: quorum alterum ad cōsolationem, alterum ad veritatem.

IN EPISTOLAM XVII.

Tristes,] nunciabatur enim, reuersum ex Asia prouinciá repetundarum accusatum iri. *Ex ante diem non. Iun.*] erat idem, Ex nonis Iuniis: sed figura vsus est ea, qua & M. Varro in 1. de re rustica. *Liuinus*] Liuineius, puto rectius. nam & antiquus Bessarionis liber, Ei veniens, corrupte quidem, sed litteris tamen aliquanto propius ad nostram correctionem accedentibus. & in antiquis nummis Liuineius Regulorum est cognomen: vt omittam, quod fam. lib. 13. ex veteribus libris legitur, L. Liuineius Trypho, L. Reguli libertus. qui est idem, de quo nunc agimus. *M. Reguli*] in Bessarionis libro sic, i Reguli: vt ex antiqua nota potius videatur legendum L. quam M. præsertim cum & in eo loco, quem proxime ex fam. epist. adduximus, mentio fiat de L. Reguli liberto. *De C. Clodij filio;*] accusatorem fore Q. fratris C. Clodij filium, eum, qui postea Milonem accusauit, C. Clodio, Publij fratre, natus. duos enim fratres habuit P. Clodius, Appium, & Caium: quorum Caius perierat eius duo filij Milonem accusarunt ob necem P. Clodij, qui Ap. Claudij ambo appellabantur. Pedianus. *Sextij*] P. Sextij, tribuni pl. designati, pro quo exstat oratio. *Non tam exploratas a timore,*] quæ me non tam timore liberarent, quam Liuineij sermo. &, timore, de fratre. *In meo infinito mærore*] præter eum mærorem, quē ex mea calamitate suscipio, est, quod me de fratre solicitet: ne scilicet ab inimicis nostris postuletur. *Appij quæstio est.*] eo magis timebat. ne Q. frater repetundarum accusaretur, quod Appius, P. Clodij frater, anno insequēti prætor ei quæstioni præfuturus erat. tum autem prætor erat designatus. sed, antequam magistratum prætores inirent, sortiebantur, quo quisque de crimine quæreret, quique inter ciues, quique inter peregrinos ius diceret. Caualcantis tamen liber, Spectio: ego sequor Bessarionis, in quo, Quæstio, scriptum est. *Diiudicabitur,*] restituar, nec ne. *Adre*] in tuos agros, in Epirum, si spes erit. ep. 16. & 19. *Circum hæc loca*] Thessalonicæ adhuc erat. *Sustineri.*] sustētari, defendi, foueri. ep. 11.

Aut horter,] vt me, fratremque meum tuearis: quod tua sponte facis. *Caue,*] scribe, inquit, omnia, vt erunt, & diligenter, & vere: ac noli putare fore mihi aut molestam diligentiam tuam, aut acerbam veritatem. Videtur autem alterum verbum desiderari: vt legatur, Caue suspiceris, aut, Caue timeas.

IN EPISTOLAM XIIX.

Auctorem] qui referret in senatu, contẽpto Clodiæ legis capite; quo cautum erat, ne referri, ne ve dici liceret. Malim, Actorem, id est, qui ageret in senatu. non enim, qui agit, Auctor latine & proprie dicitur, sed qui hortatur, vt agatur. dixit etiam supra, Pompeium statuisse, vt, absolutis comitiis, ageretur in senatu de Cicerone. epist. 13. & 14. *Est aliquid in spe?*] spei aliquid est? *Secundum comitia*] habitis comitiis, de me in senatu actum iri. ep. 13. & 14.

IN EPISTOLAM XIX.

In Asiam] scripserat enim, Cyzicum se iturum. epist. 15. & 16. *Nouis magistratibus,*] tribuni pl. magistratum inibant IV. id. Decemb. consules & prætores Kalendis Ian. *Nouis*] designatis. *Ad salutem*] in patriam. *Ex tuo portu*] non accipio μεταφορικῶς dictũ, sed re vera ex portu: vt sit: ex quouis portu libenter ad salutem, ex tuo libentissime proficiscar. Ex tuo autem, ex quo tu soluis, cum in Italiam a tuis possessionibus redis. *Age, quoquo modo cœptum est,*] innuit, non fuisse caussam, cur sperarem. & ait: quoniam sperare cœpi, quamquam stulte, nullaque de caussa, tamen parebo fratri meo, mihi ipse ne desim, obsecranti. *Age*] cum dixisset, cœptum est, adscripturus aliquid fuit ad se reprehendendum, qui sperare cœpisset; deinde id omisit, & intulit, Age, quoquo modo cœptum est: hoc est, quamquam non sapienter cœpi, nec caussa sit cur perseuerem, perseuerabo tamen, nec deseram, &c. *Sextij,*] tribuni pl. designati: qui se promiserat laturum esse ad populum de Cicerone restituendo. *Aut, quod scripsi supra.*] aut nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo, vel, quod melius est, abiecero. *Consiliarijs*] Pompeio, Hortensio, Arrio. *Potest esse*

esse saluus,] frater seruari potest: ego prorsus perij. *Si putas*]si speras de reditu meo.

IN EPISTOLAM XX.

Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico.]T. Pomponio Attico, qui a Q. Cæcilio, auunculo suo, testamento adoptatus, heresque factus, Q. Cæcilius Q. F. Pomponianus Atticus appellabatur, vetere prænomine omisso, nomine ita conseruato, vt in anus desineret, cognomine eodem: ex vsitata adoptionum formula. vt in Varronis lib. 2. de re rustica, vbi legitur, Atticus, qui nunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius, cum nomine eodem; legendum videatur, Cognomine eodem. *Ita esse,*] coniungitur epistola cum tituli sententia; vt illa ad Valerium, Cur enim tibi, lib. 1. fam. & ad Tironem, Quid igitur, non sic oportet? lib. 16. *Officio,*] & quidem ita, vt L. Lucullum, cui maxime debebat, prætermiserit. Valerius lib. 7. cap. 9. *Si mihi*]non dicit, Cum mihi; quia incertum est, nũ id futurum sit; sed, Si mihi, dubitanter. *Hoc verbo*]tale illud ep. 7. l. 9. Bonis viris quod ais probari quæ adhuc fecerimus; valde gaudeo; si est nunc vllus gaudendi locus. Simile illud epist. 13. l. 5. fam. Gratus, & optatus amor tuus: dicerem, Iucũdus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. *Per fortunas*]genus obtestationis, quod vsurpamus in re misera, nec vmquam sine dolore. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus: in epistola ad Terentiam. Per fortunas tuas, dixit Cœlius, per liberos, Cicero, te oro, & obsecro, ne quid grauius de salute & incolumitate tua cõsulas. Denique ex antiquorum libris omnia vndique colligãtur exempla: nullum erit, dolorem quod non indicet. *Diemque natalem reditus mei*]Natalem appellat reditus diem, quod, cum si videret, iterum nasci videretur. *Maxime tamen, &c.*] cum nobis summa spes reditus ostẽdatur, summaq; in exspectatione res sit; maxime tamen cogitabamus in Epirũ tuã deuiam proficisci, locum eligendũ de exsilio cogitanti, bene autem speranti prorsus omittendum. aptior enim multo ad fouendam spem, & ad reditum parandum Thessalonica, quam Epirus. itaque, cum amici scribant, me cito in patriam rediturum, putaui cõmodius rei exitũ Thessalonicæ exspectare.

De domo,] cum Cicero ita scripsisset, Quid de domo? poterit ne restitui? aut, si non poterit, egomet quomodo potero? rescripsit Atticus his fere verbis: Nunc, vt domus tibi restituatur, laborandum non est: restituatur modo salus; in qua sunt omnia. ep. 15. *Curionis oratione,*] quia Clodius Ciceronis domum Libertati consecrauerat, ideo Atticus cum Curione, qui pontifex erat, sermonem habuerat de domo liberanda. *Tanta hereditate*] ex qua accepit circiter centies HS. Nepos in vita. *Omni occupatione*] magnæ enim exsistunt occupationes ex magnis hereditatibus. Atticus, quod ad eam hereditatem attineret, omnia scripserat explicata, nullam sibi iã occupationem superesse. *Secus a me erga te commissum, aut prætermissum*] respondérat Atticus ad id, quod Cicero scripserat, Mea officia & studia parum antea luxerunt, ep. 15. *Excelsior,*] in hoc videlicet, quod, cum ego multa in te officia a me sciam esse prætermissa, omnia tamen ipse pro mea salute ita nunc exsequeris, quasi ego nihil prætermiserim, aut secus erga te commiserim. *Rogatio Sextij*] Sextius tribunus pl. designatus rogationem scripserat de Cicerone restituendo; quam deinde in magistratu ferret. eam rogationem Atticus ad Ciceronem miserat. *Neque dignitatis*] cum de me nominatim non ferat.

IN EPISTOLAM XXI.

Ipse,] integri: locutio antiquis scriptoribus vsitata. Ego, inquit in epistola ad Cœlium, cum Athenis decẽ ipsos dies fuissem. *Quamcumque in partem,*] siue de mea salute spes aliqua erit, siue nulla. ep. 18. 22. & 24. Et, Quamcumque, pro omnem. vt epist. vlt. l. 2. fam. Quæcumque a me in te ornamenta proficiscentur. Et in Catil. or. 2. Quæ sanari poterunt, quacumque ratione sanabo. Et hic lib. 12. Et Virg. lib. 3. Æneid. *Quibus putabis opus esse,*] siue ad cohortandum, siue ad gratias agendas. *Vt des.*] meo nomine, sed a te scriptas.

IN EPISTOLAM XXII.

Piso,] C. Piso Frugi, Tulliolæ vir. ep. 2. lib. 1. *Retinet,*] Thessalonicæ. ep. 14. & fam. ep. 1. lib. 14. *Decedere:*] quæstor enim erat Plancius in Macedonia, prætore L. Appuleio. in oratione pro Plancio. *Milites*] quos L. Piso proconsul, L. Ap-

L. Appuleio prætori Macedoniæ successurus, præmiserat. Ab iis autem ideo timebat, quod sibi Pisonem inimicissimum cognouerat, vtpote cuius in consulatu a Clodio pulsus esset. *Lentulus*] cõsul designatus cum Metello Nepote. fam. lib. 1. *In illius potestate.*] quia debebat Lentulo Pompeius. vnde illud in epistola ad Lẽtulum, lib. 1. fam. Cui qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, nõ sunt amici. & eodem libro: Virum excellentem, & tibi tua præstanti in eum liberalitate deinctum, illa epistola retinuisti. *Metello*] Nepote, consule designato, fratre P. Clodij. *Mei studiosos*] quod eos semper defenderim. fam. epist. 3. lib. 14. *Ad te*] in Epirum scilicet. *Cuicuimodi*] siue læta, siue tristia sint.

IN EPISTOLAM XXIII.

Mensem Ianuarium] cuius mensis die primo Lentulus & Metellus cos. magistratum inituri erant, acturumq; se Lentulus in senatu de Ciceronis re promiserat, egitque. in oratione post reditum in senatu, & in aliis. *Voluntate,*] a Cicerone nõ amplius aliena. *Tota Pompeij ratione*] qui ad conficiendum Ciceroni reditum omnia studia, omnes opes instituerat conferre. quod re ipsa præstitit. in orationibus. *Ab octo*] collegis Clodij: veteres enim tribunos pl. intelligit, vt ipse paullo post declarat. *Promulgata,*] de reditu Ciceronis: quæ tamen lata non est, duobus reliquis tribunis intercedentibus, P. Clodio, & Ælio Ligure. pro Sextio. *Vtilitatis*] etiam si lex lata non sit, hæc tamen octo tribunorum promulgatio hoc attulit vtilitatis, quod mox a nouis tribunis maiore studio in magistratu caussa susciperetur: quippe cũ intelligent, Clodianæ potentiæ neruos iam esse magna ex parte præcisos, quando de reditu Ciceronis promulgarint octo tribuni pl. quorum nemo magistratus initio, promulgante Clodio legẽ in Ciceronem, ausus erat intercedere. hoc vtilitatis putabat Atticus eam promulgationem attulisse. *Cum hac lege*] quæ desperata erat, cum intercessissent duo tribuni pl. Clodius, & Ælius. *A nostris*] rectius legeretur, A nouis. sequitur enim ἀντίθετον, Veterum. &, Nouis, pro designatis accipe. aut, Nostris, nostram caussam adiuuantibus. *Veterum*] octo tribunos pl. significat, qui legem promulgauerant. *Ordinem,*] senatorium; quem, qui legibus eiiciuntur, cum ciuita-

te simul amittunt. sibi tamen ereptum lege Clodia non esse, in oratione pro domo probat his verbis: Vbi cauisti, ne meo me loco censor in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. *Cauenda*] cauendum autem fuerat de domo, & de bonis. quod tribuni pl. in lege omiserant. *Translaticium de impunitate,*] quæcumque lata vnquam lex fuit, in ea hoc scriptum est, vt, si quid eius legis caussa cõtra alias leges factum esset, id latori impune esset. Est autem, Translaticium, vsitatum, aliunde translatum. *A quo*] ex octo tribunis pl. quis caput hoc inculcauerit. *Sanxisse,*] pœnam enim irrogabat ei, qui suam legem abrogare, aut infirmare voluisset. *Numquam esse obseruatas*] cum enim leges abrogantur, simul abrogantur sanctiones, quæ ipsis legibus continentur. *Si id esset,*] si sanctiones manerent, leges abrogari non possent. leges autem abrogantur: sanctiones igitur non manent, sed cum ipsis simul legibus abrogantur. *Difficultate abrogationis.*] in omnibus legibus aliquid sancitur, quo difficilior sit earum abrogatio: vt cum vel populare aliquid admiscetur, ne populus deinde legis abrogationẽ probet: vel abrogationis auctori pœna irrogatur. ita se omnes leges muniunt difficultate abrogationis. *Illud ipsum abrogaretur,*] nihil muto; ne discedam sine caussa ab antiquis libris. sententia est. Si sanctiones non abrogarentur; leges quidem abrogari possent: sed, cum lex abrogatur aliqua, simul abrogaretur illa ipsa abrogatio, illa ipsa nouæ legis abrogantis pars, quæ veterem legem tolleret: id est, nulla prorsus esset abrogatio, si sanctio maneret legis abrogatæ. *Quo modo eam abrogari oporteat.*] omnis ratio abrogandi abrogaretur; illud ipsum abrogaretur, quod in noua lege abrogante, ad veterem legem abrogandam, scriberetur. *Si quid*] hoc est tertium caput, quo sibi octo tribuni pl. a sanctionibus Clodiæ legis cauebant, quod caput sine caussa inculcatum esse Cicero ostendit. quippe quid opus est cauere ab iis sanctionibus, quæ simul cum lege abrogantur? si enim Clodia lex tollitur, tolluntur & sanctiones Clodia lege scriptæ. stulte igitur hoc tertium caput inculcatum. *In hac rogatione*] de Cicerone reuocando. *Promulgare,*] promulgatur lex, cum propalam constituitur, vt, intercedat qui velit, antequam

antequam feratur. & est sensus. In hac rogatione si qua res promulgatur, abrogatur, derogatur, obrogatur ex ijs rebus, quæ in legem Clodiam scriptæ sunt, quasque per eam legem abrogare, derogare, obrogare sine fraude non licet, quodve ei, qui promulgauit; derogauit, ob eam rem pœnæ, multæve sit; eius hac lege nihilum rogatur. Quo modo locutus est pro Cæcina: Si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Et Frontinus de Aquæ ductibus, in extremo. *Abrogare,*] tollere. *Derogare,*] detrahere, & infirmare. *Obrogare*] contra rogare, opponere. *Sine fraude sua*] sine fraude huius rogationis. sic enim Clodius sanxerat; vt, si quid vmquã ex sua lege abrogaretur, derogaretur, obrogaretur, id eius rogationis, quæ abrogasset, derogasset, obrogasset, fraude actum iudicaretur, eiusq; rogationis auctoribus ob eã fraudem pœna, multaq; esset. *Quod vel qui*] hic emendarem, quodve ei qui; vt modo, totum caput interpretans, ostẽdi. Quod autem in extremo, EHINR; ipsum item eodem loco & emendaui, & exposui, allato eiusdem formulę exemplo ex oratione pro Cæcina. quod & alij viderunt. aliter tamen in Bessarionis antiquo libro scriptum video, sic inquam, EHIIII. *Hoc in illis, &c.*] in veteribus tribunis pl. quod Clodius in sua lege posuerat, vt ei pœna esset constituta, qui promulgasset, abrogasset, derogasset; eo collegæ ipsius non tenebantur: siquidem tribuni pl. si quam quis ex collegio suo legem tulisset, ea lege soluti erant. itaq; cum hoc tertium caput, de vitanda legis Clodiæ sanctione, qua ipsi non tenebantur, sine caussa posuerint; vereor, inquit, ex octo tribunis pl. ne quis malitiose fecerit, vt deinde noui tribuni pl. cum rogationem de me ferrent, multo magis eo capite sibi vtendum putarent, quo vsos viderent eos, qui tamen Clodia lege non tenerentur. Neq; vero necessarium videbatur, cum lex abrogaretur, ab ijs sanctionibus, quæ in ea lege essent, cauere. abrogata enim lege, sanctiones non obseruantur. *Non ludebat.*] non aduersabatur nobis hoc, quod cauere voluerunt veteres tribuni. *Ad III. nonas*] Nouembris: quod ex hac ipsa epistola cognoscitur. nonas enim significat, quæ mensem, quo promulgata rogatio est, consecutæ sunt. vide epistola 23. *Quid liceret.*] non licere ijs rogationem de me ferre. nam, si damnantur ea sanctione abrogatores; vtiq;,

quia faciunt contra legem Clodiam, damnantur. ea igitur lex viget, cuius obseruandæ sanctio suos abrogatores condemnat: nihil igitur licet contra eam legem. *Eiusmodi caput,*] nemo enim sibi cauendum putauit a sanctione legis, quam abrogaret. neque opus est: nam, si esset, omnes in abroganda lege eiusmodi capite sibi cauerent. *Ninnium,*] vnum ex octo tribunis: qui non viderant, tertiũ illud caput nullo consilio inculcari. hic est L. Ninnius Quadratus, de quo Dio lib. 38 & hic epist. 14. lib. 10. qui in oratione pro Sextio, & post reditum in senatu, mendose Mummius nominatur. Et apud Spartianũ, in Antonino Philosopho, pro, Mummio Quadrato, reponendum M. Ninnio. *Fugerit,*] latuerit. *Attulerit,*] inculcarit caput illud. *Siue quod*] non discrepant ab impressis libris scripti. nec dubium est, mendum subesse. aberit autem, si legatur: Si enim, quod: vt periodus interrogationis nota claudatur. nunc sententiam indicabo. Inuestiga, inquit, eius capitis addendi quis fuerit auctor, & quare octo tribuni pl. ad senatum de me referre non dubitarint. si enim iccirco non dubitarunt, quod obseruandum illud caput nõ putabant, quo Clodius sanxerat, ne de me referri, neve dici liceret: ijdem postea tam cauti esse voluerunt, vt caput illud, quod ad senatum referentes non obseruarant, in abroganda lege Clodia metuerent? *Soluti cum essent:*] quia lege collegij sui non tenebantur. epist. 23. *Qui lege tenentur,*] aliorum collegiorum tribunos pl. intelligit. nam sui collegij lege tribunus pl. nemo tenetur. *Curandum.*] quis enim legis, quam abrogat, sanctionem metuat? quis inquam de eo capite laboret, quod abrogari cum lege simul intelligat? *Id caput*] quod octo veteres tribuni pl. tulerunt. *Ferre*] anno sequenti, cum magistratum inierint. *T. Fadio*] quam T. Fadius tribunus pl. designatus anno sequenti de Cicerone ferret. de hoc in oratione post reditum in senatu, & lib. 1. ad Q. fratrem. *T. Visellius*] iurisconsultus, opinor: & fortasse pro Titus, Caius: vt sit C. Visellius Varro, Ciceronis consobrinus, qui iuris ciuilis a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. in Bruto. *Sextii nostri,*] cuius legem supra dixit neque dignitatis satis habere, nec cautionis; cum & nominatim ferri oporteret, & de bonis diligentius scribi. epist. 24. *Distinere*] morari, tardare. *Multitudine comparata*] vt ex omni

ex omni fere Italia Romam conuenirent ad diem rogationis ferendæ. quod factum Cicero sæpe gloriatur. *Perfringantur:*] ea, quæ rem distinent. *Grauius consulere de se,*] sic Thucydides lib. 3. locutus, a quo fortasse Cicero sumpsit: Κελεύσουιν ὑμᾶς αὐτὸς περὶ ὑμῶν αὐτῶν βουλεύεσθαι, μηδὲν αἰσχὸν ποιοῦντας. *Primorum dierum*] post initum a tribunis pl. magistratum: quod IV. id. Decembris fiebat: vt est apud Dionysium, & Liuium.

IN EPISTOLAM XXIV.

Vestro consensu] consensistis, vt senatus prouincias decerneret consulibus designatis Lentulo & Metello; quam rem noui tribuni pl. vsque differri volebant, dum ipsi magistratū ingrederentur: non vt senatusconsultum impedirent, sed vt non impedientes, eo quasi beneficio consules ad nostram causſam adiungerent. *Ornatas esse:*] verbum est sæpe de prouincijs vsurpatum ab antiquis scriptoribus. quod ita accipio, vt cum ipsis prouincijs simul decernerentur eæ res, quę prouincias administrantibus necessariæ putarentur, vt milites, pecunia, & huiusmodi. Sic ornare classem in oratione pro lege Manilia, pro instruere: ornatæ prouinciæ lege curiata, quarum rectoribus imperium, exercitus, stipendium, legati dabantur. sed lege curiata non omnes ibant in prouincias, ideoque non omnes publico sumptu. epist. 9. lib. 1. fam. *Expertes consilij*] hoc enim sine eorum consilio feciſtis. *Nostra concessione*] nisi enim concessum a nobis esset, vt a senatu consulares prouinciæ ornarentur: dilata res a veteribus tribunis pl. ad nouos deuenisset. quæ cum nostra concessione ante confecta sit, quam ingressi magistratum sui iuris vi & potestate vti potuerint; iure nobis succensent. *De consulibus ornandis,*] de prouincijs consulibus decernendis. Ita locutus est lib. 2. ad Q. fratrem. Referebatur de prouincijs quæstorum, & de ornandis prætoribus. Et Liuius lib. 42. de ornandis magistratibus exeuntibus mentionem facit. *Adiungerent.*] beneficio non impediendi. *Libere facere:*] quia nihil amplius a nobis exspectent, cum iam sui voti compotes facti sint, prouincias per senatum assecuti. *Nihil possse,*] nihil enim ipsi per se consules possunt, cum penes tribu-

nos pl. sit intercedendi potestas. *Se inuitis.*] ipsis tribunis pl. qui caussam habent, cur nobis succenseant. *Ni ita nobis placuisset,*] vt senatus prouincias decerneret consulibus designatis. *Per populum*] sæpe enim ad populũ confugiebant, vt per eum prouincias, a senatu negatas, obtinerent. ideoque paullo ante, vt scribit Suetonius, cum Cæsari Galliam Cisalpinam senatus dedisset, mox & Comatam adiecit, veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus & hanc daret. Et post Cæsaris interitum Celticam regionem cum desperaret M. Antonius a senatu impetrari posse, a populo accepit. Appianus, Plutarchus, Dio. *Nullo modo*] quia tribuni pl. cum lex de prouincijs cõsularibus ad populum ferretur, intercedere potuissent. quo metu consules ad conciliandos sibi tribunos omnia nostra caussa fecissent, si de nobis prius in senatu, quam de prouincijs, ageretur. nunc video vestro consensu factum esse, prius vt ageretur de prouincijs. ita neque iam consules tenemus: quibus, nulla nunc necessitate obstrictis, liberum est quidquid volunt: & tribunos pl. cum iure succensere possint, vereor ne amiserimus. *Inusitata ac noua.*] caussam subscribit, cur inusitatum ac nouum. *Illa constantia,*] cum senatus ante, quam de nobis actũ esset, negaret se quid quam decreturum. *Nihil iam posset non decerni.*] cum illa constantia sit immutata, idque vestra culpa, qui permisistis, vt ageretur de prouincijs consularibus ornandis; iam nihil erit, quod nostræ caussæ non anteponatur. *Ad quos relatum est,*] quos hac de re consultos a vobis esse scribis. *Lentulo, vel Metello,*] vt iam diximus, consulibus designatis. *Simultatem*] hic est enim, qui tribunus pl. Ciceronem consulatu abeuntem concionis habendæ potestate priuauerat. fam. epist. 2. lib. 5. & in Pisonẽ. *Quemadmodum ceciderit,*] quem exitũ habuerit, id est, quam postea consules voluntatẽ ostenderint, & tribuni pl. num succenseant. *Veritas*] litterarum tuarum. epist. 18.

IN EPISTOLAM XXV.

Tuum a me discessum] suspicor abundare, A me; vt, Atticum discessisse Roma, significetur; quod ex amicorum litteris Cicero cognouerat. nostram sententiam confirmat proxima insequens epistola. *Prospicio,*] quia tuum ab vrbe discessum

cessum significant. *Ingrati,*] si te accusemus, quod hoc tempore ab vrbe discesseris; cui potius gratias agere debeamus, quod maxima in nos officia contuleris. *Omnia*] omnem etiam spem salutis. ne videar nimis ad desperationē propensus, hanc partem omitto. *Affirmasti,*] litteris tuis.

IN EPISTOLAM XXVI.

De me] in patriam reuocando. *Legum*] in eo enim senatusconsulto scriptum erat, non solum vt lex de Cicerone, sed vt aliæ item leges alijs de rebus eodem tempore ferrentur. *Si obtrectabitur,*] si quis tribunus pl. legum lationem impediet. *Auctoritate senatus:*] de lege non laborabo; senatus auctoritatem secutus in patriam redibo; etiam si mihi ob eam rem dimicatio cum inimicis impendeat. legis tamen lationem exspectauit: redijt enim nō ante pridie nonas Sext. *Festina*] iam enim erat Atticus in itinere.

IN EPISTOLAM XXVII.

Ex tuis litteris,] quibus significas, legum lationem esse dilatam.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM QVARTVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

NEc *fortiorem, nec prudentiorem, quam me ipsum,*] tibi enim æque, vt mihi, & fortitudo, & prudentia defuit: qui me, animo debilitatum, meisque cedentem inimicis, confirmare tuis consilijs, atque hortatibus, & a turpissimo consilio reuocare debuisti. *Propter meam in te obseruantiam,*] diligens quidem in meæ salutis custodia fuisti: sed, meam in te obseruantiam si consideres, nimium id non fuit. quod si parem obseruantiæ meæ diligentiam adhibuisses; certe me, in exsilium abeuntem, id est ad exitium præcipitantem, retinuisses. *In custodia salutis meæ*] quod enim obseruantiæ meæ debebas, vt dies & noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te prætermissum est. epist. 15. lib. 3. *Eundemque te, &c.*] qui non satis diligens in meæ salutis custodia fuisses, primisque temporibus, potius, vt in exsilium abirem, quam ciuilem seditionem excitarem, cohortatus esses, quod id mihi duceres præstare, eodem scilicet, quo ego, errore inductus. idem tamen postea nostrum dissidium acerbissime ferens, ad reditum mihi conficiendum omnia tua studia contulisti. *Erroris nostri,*] cum turpissimum illud, ac mihi pernicioſum consilium cepi, te approbante, vt ab vrbe discederem. *Aut totius*] non dubito, quin rectius sit, Aut potius: vt furorem potius & amentiam dicat fuisse,

fuisse, quam errorem, cum discedendi rationem probauit. *Falsi rumoris socius*] cum tu quoque cum multis id diceres, breui me esse in patriam rediturum. quod falsum fuit: per sexdecim enim menses miserrimum exilium pertuli. *Exegero*,] hoc dicit: posthac, id quod antea minus feci, assidue tecum viuam, & eum fructum capiam, qui est in tua consuetudine suauissimus. *Forensem*,] existimationem, & gratiam in foro partam, multorũ caussis defendendis. *Magis quam optaramus*,] neque enim optandum putabamus, quod sperandum non videretur. *Fracta, dissipata, direpta*] post profectionem Ciceronis ex vrbe, bona eius P. Clodius sua lege publicauit. postea direpta sunt omnia, quæ aut in domo, aut in villis fuerunt. domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta. Pedianus in Pisonem. *Inscribam*] in his litteris. sic Horatius, Inscribam nomen in actis. *Lata*] ex senatusconsulto ad populum, de me restituendo. Lex autem centuriata, ferente P. Lentulo consule. *Brundisinæ coloniæ*,] dies erat idem, quo & Brundisium deducta colonia fuerat, & Salutis ædes in Quirinali colle dedicata. quam ideo vocat Attici vicinam, quod in eodem colle & Salutis templum erat, & Atticus habitabat. patet ex libello P. Victoris de regionibus vrbis Romæ, & ex Nepote in Attici vita. *Ordinum*,] hominum cuiusuis condicionis. *Italiæ*,] cum ad suffragia de nobis ferenda Romam vndique concurrerunt. *Comitiis centuriatis*] Comitia centuriata erant, cum populus non fuisset in tribus conuocatus, sed censu, ordinibus, ætatibus descriptus, suffragium, nec nisi singulis de rebus, ferebat. ideo centuriatis comitijs consules creabantur, & Cicero ab exsilio reuocatus. Hæc vberius in libro de Comitijs: siquidem, is ad quem ego omnia refero, Deus optimus maximus mihi hoc dederit, vt ea, quæ distincta decem antiquitatum Romanarum libris orsi sumus, liceat pertexere. *Honestissimis*] non de moribus, sed de nobilitate dictum: vt, Honesto loco natus. intelligit enim Brundisinæ coloniæ principes. *Id ipsum*] hoc videlicet, mihi eos esse inimicos. *Vsque ad Capitolium*] pro domo sua. Vnus, inquit, ille dies, quo me populus R. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate, lætitiaque comitatum honestauit, &c. *Gratias egimus.*] quæ exstat oratio, inscripta, Post reditum in senatu.

Ad theatrum] Pediani verba sunt in Miloniana: L. Cæcilius Rufus prætor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote cos. quo anno Cicero restitutus est. is cum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, vt omnes, qui in theatro spectandi gratia consederant, pellerentur. *Ad senatum*] quem in Concordiæ templo Metellus consul habebat. pro domo sua. *Mea opera*] quia, Ciceronis restituendi caussa, incredibilis multitudo Romam ad comitia confluxerat; vnde grauior annonæ caritas paullo post exorta. quod operæ Clodianæ ad inuidiam concitandam factum esse Ciceronis opera clamabant. *Decernerem*,] mea sententia. *Tuto se negarent*] propter multitudinem annonæ caritate concitatam, quippe quæ etiam L. Cæcilij prætoris domum ob eam causlam oppugnasset. pro domo, & pro Milone. *Meo nomine recitando*] cum meum nomen recitaretur. Actiue posuit in proœmio de Officijs, Orationem Latinam legendis nostris efficies plenioré. Post senatusconsultum, eius nomen recitabatur, cuius in sententiam factum esset. *Habui concionem:*] videtur esse oratio, quæ exstat, post reditum ad Quirites. quod si ita est, præpostere factũ ab ijs, qui eam ante orationem in senatu habitã collocarunt: cum pateat ex hac epistola, post fuisse collocãdã. *Dederunt.*] concionẽ. nam concionari priuato nõ licebat, nisi magistratus curulis, aut tribunus pl. concionem daret. epist. 2. Prætorem autem, qui concionem non dedit, intellige Ap. Claudium, P. Clodij fratrem: tribunos pl. Sex. Atilium Serranum, & Numerium Quinctum, de quibus in oratione pro Sextio, & Pedianus in Pisonem. Concionem Clodio prætor frater Appius dat in epistola sequenti. *Quindecim*] senatu concedente. Plutarchus in Pompeio *Legem*] quæ ad populum ex senatusconsulto ferretur. *Pompeio*] historiæ ratio, parum diligenter supputata, fefellit eos, qui Pompeium hoc tempore proconsulem appellant. nam, quod Cæsare libro sexto, Pediano in commentario Milonianæ, Dione libro trigesimo nono testibus vtuntur: infirmum est. data enim Pompeio est vtraq; Hispania rogatione Trebonia; quo anno consul iterum fuit cum Crasso: & post consulatum ad vrbem cum imperio mansit, Hispaniarum administratio-

nistratione tribus legatis, Afranio, Petreio, Varroni, mandata. de quo tempore Cæsarem, Pedianum, Dionem loqui, libros eorum qui diligenter inspexerit, intelliget. hanc autem epistolam biennio ante secundum Pompeij consulatũ, Lentulo & Metello cos. esse scriptam, quis non videt? Priuatus igitur erat hoc tempore Pompeius. *Quinquennium*] per quinquennium item traditam ei biennio post Hispaniarum administrationem, docet Dio lib. 39. quo fortasse numero annorum inducti, quæ diuersa erant tempora, nonnulli permiscuerunt. *Messius*,] qui legem conscriberet, in magistratu esse oportuit. placet igitur, Messenius. qui erat tribunus pl. & eo magis, quod, qui Bessarionis in libro scripsit, Messius, eiusdem manu in margine video scriptum esse, Mei sa is: vt varietas augeat mendi suspicionem. Quod si, Messius, retinemus; forte de eo licebit intelligere, qui ludos Florales ædilis fecit. Valerius lib. 6. Pompeij familiarem nominat Cicero infra epist. 9. lib. 8. *Nunc*] postquam alteram legem Messinius scripsit. *Familiares hanc.*] quo maior est suspicio Pompeij voluntatis. nam ipse quidem solet aliud sentire, & loqui. epist. 10. & fam. epist. 1. lib. 8. *Fauonio*] qui tamen consularis nõ erat, sed summa libertate vtens, acerrime, quæ minus probaret, oppugnabat. epist. 15. *Eo magis*,] neq; enim, ante quam de domo pontifices responderint, ere nostra putamus, cuiusquam animum offendere. *Si sustulerint religionem*,] si decreuerint, quam partem areæ Clodius Libertati dedicauit, eam partem, sublata religione, restitui mihi posse; aream, in qua exædificemus, ampliſſimam habebimus. consules autem vel æstimabunt, quod super solum antea ædificatum, dirutum a Clodio est; vel, si id minus, quod nunc est demolientur, ipsi curam suscipient extruendæ mihi domus, qualis antea fuerat. *Rem totam*] non seorsum domum, sed quæcumque amisimus, omnia simul vna æstimatione complectentur. singula tamen per se æstimata, proxima insequens epistola ostendit. *Fluxæ*;] quia non eædem, quæ paullo ante: cum quidam, absentem qui defenderant, inciperent præsenti occulte irasci, aperte inuidere. Sic in epistola ad M. Brutum. Huius belli fortuna, vt in secundis, fluxa; vt in aduersis, bona, *Quædam domestica*] de vxore accipiendum. nam & in epistola

sequenti, Amamur, inquit, a fratre, & a filia. vxorem non nominat: quasi quiddam esset, cur ab ea se non æque, atque a fratre & filia, intelligeret amari. *Alterius vitæ*] vt posthac rationem habeam non solum dignitatis, sed etiam salutis. nam antea, dum ad vnam dignitatem omnia refero, meque ciuium potentissimorum consilijs grauem aduersarium, reip. caussa, præbeo, me ipsum pæne perdidi, eiectus in exsilium.

IN EPISTOLAM II.

Deberi non potest:] edenda est, quia flagitari a iuuentute video. Figura eadem in epistola ad Trebatium: Quod præsenti tibi prope subnegaram, non tribueram certe, id absenti debere non potui. Et in Topicorum procœmio ad eundem: Non potui tibi sæpius hoc roganti debere diutius. *Qui se dedicasse diceret,*] is erat P. Clodius. *Iam partem aream*] eam partẽ areæ, mallem: vt ea pars intelligatur, in qua Clodius Libertatis atrium ædificasset. neque enim totam domũ, sed eam partem solum, quæ cum Catuli porticu iuncta erat, dedicauerat, reliquam euerterat. *Dubitat,*] dubitabat, ordo postulat: cum sequatur, Esset adiudicata. Nemo dubitabat, inquit, quin senatus pontificum decretum secuturus esset. quod ita post paullo euenit, facto senatusconsulto, quo statuebatur, videri Ciceronis domum iudicio pontificum religione liberatam; & vt magistratus curarent, vt ei fine vi ædificare liceret. de haruspicum resp. *Ille*] P. Clodius. *Dedit.*] quia prætor erat. alioqui non licuisset priuato Clodio concionem habere. epist. 1. *Suam libertatem*] atrium Libertatis, a se exstructum, dirui nepatiantur. *Illuc*] ad areã. *Porticum Catuli*] quam in domo M. Fuluij Flacci euersa de Cimbricis manubijs a Q. Lutatio Catulo factam P. Clodius cum Ciceronis domo euerterat. pro domo sua. Valerius lib. 6. cap. 3. *Qui erant senatores.*] ijs enim, qui senatores non erant, ingredi senatum non licebat. & pontificum collegium apparet non fuisse totum ordinis senatorij: cum pontificiam dignitatem, etiam qui senator non esset, consequi posset: vt in oratione de haruspicum resp. *Marcellinus*,] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ordinis patricij, consul designatus cũ L. Marcio Philippo, qui Cæsaris Augusti vitricus fuit. *Rogatus,*]

gatus,]designati consules primi sententias rogabantur. *Lucullus*] M. Licinius Lucullus pontifex, consularis, & triumphalis. *Legis senatum*]Legis Clodiæ iudicem senatum esse, religionis pontifices fuisse. *Loco*]ordine. vt quisque honoribus antecedebat. manifestum, in senatu nullam pontificum habitam rationem in rogandis sententiis, perinde ac si pontifices non essent. *Diem consumere*:]ne S. C. fieret. licebat enim senatori, & quam diu vellet, & qua de re vellet, dicere. Gellius lib. 4. cap. 10. *Præter vnum*]præter ipsum Clodium. *Serranus*]Sex. Atilius Serranus tribunus pl. *Referre*]esset intercessio a rep. nec ne. cum enim, non esse, statuitur: agit senatus cum eo, qui intercessit, vt tollatur intercessio. *Auctoritatem ordinis*] voluntatem senatus de Ciceronis domo, & Catuli porticu. quam appellat Auctoritatem ordinis, quia senatusconsultum fieri non potuerat, intercedente tribuno pl. Sic in epistolis ad Lentulum Senatus auctoritas dicitur, cũ senatusconsultum fieri ob intercessionem tribuniciam non potuisset. *Si quæ vis esset facta*,]quo minus posset Ciceronis domus, Catulique porticus restitui. *Cornicinus ad suã veterem fabulam redit*:] Cn. Oppium significat. nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit: vt apud Liuium lib. 3. Ad veterem autem fabulam ideo dicit, quod etiam antea idem Oppius hunc ipsum generum suum, Kalendis Ianuariis, quo die P. Lentulus cos. retulit de restitutione Ciceronis, intercedentem suppliciter rogarat, vt desisteret: quod tamen non impetrauit: idq; omnino caussæ fuit, serius vt Cicero restitueretur. in oratione post reditum ad Quirites, & pro Sextio. *Kalend. Ian.*] quo die, Lentulo referente, Serranus idem intercesserat: &, tamquam soceri precibus commotus, cum ad deliberandum tum quoque noctem postulasset, postea tamẽ intercessionem non omisit. *Sibi*]Serrano. & Sibi, pro Illi, contra regulam Vallæ. *Illam porticum*]necesse erat, vt redemptores, si euersam Catuli porticum restituere vellent, prius partem attrij Libertatis demolirentur. nam in ea porticu, quæ Ciceronis ædibus continens erat, itemque in ipsius Ciceronis ædium parte atrium Libertatis Clodius ædificauerat. *HS vicies*]Sestertiorum nummorum vicies centenis millibus, id est aureis scutatis sexaginta millibus, vt subducenti patebit. Emerat autem eam domum tricies quinquiẽs;

vt est in epistola ad Sextium: cum a P. Sulla HSvicies mutua sumpsisset, vt ait Gellius lib. 22. cap. 12. *Illiberaliter.*] ideo scripsit ad fratrem epist. 2. lib. 2. Lentulus multa fecit, quare, si fas esset, ei succensere possemus. *Quingentis millibus*] aureis scutatis quindecim millibus. HS] hoc videtur abundare. *Ducentis quinquaginta millibus*] aureis scutatis septem millibus & quingentis. *Legari*] cum quindecim sibi legaret rei frumentariæ caussa. epist. 1. & fam. epist. 5. l. 7. *Proximi consules*] Marcellinus, & Philippus, qui tunc erant designati. Proximus autem non de præterito solum, sed de sequenti etiam tempore a Cicerone vsurpatur. *Postulabant.*] vt legationem a Pompeio delatam acciperem: quod futurum esset quasi vinculum artioris cum potentissimo viro amicitiæ. in quo statuo firmum præsidium mihi esse constitutum ad impetus inimicorum. epist. 9. l. 1. fam. *Petendi,*] petendi, censuram: Exeundi, ad legationem. *Scis, quo sumptu, qua molestia*] de sumptu, qui fieret in ædificanda domo, ideo quæritur, quia superficiem consules, a Clodio diruta, minoris æstimarant, quam quanti fuerat, quippe scutatis tantum sexaginta millibus, cum ipse eam emisset centum quinque millibus. &, Scis, scire potes, facile tibi est cogitare; cum intelligas, si reficere velim, & ad pristinam formam perducere, multo plus mihi esse erogandum pecuniæ, quam quantum de publico ex consulum æstimatione datum est. *Nec relinquere possum, nec videre.*] nam & me delectat; & videre, euersum ab inimicis, non possum. *Proscripsi.*] hoc non reficio, vt Formianum, sed venditurus proscripsi. Proscribit enim domum, aut fundum, aut quiduis huiusmodi, qui diuulgato scripto se esse venditurum significat. hinc Proscripti, quorum nomina in tabula palam constituta legebantur, vt ad cædem quærerentur, præmio percussori promisso. *Suburbano*] hoc reficere cogitabat, propinquitatis caussa. *In eare,*] in exsilio meo, cum me sua pecunia sustentarunt. itaque nunc ab iisdem mutuari non licet. *Sensisti tu absens, præsentes*] quod proxime dixit, placet esse dictum de exsilio potius, quam de domo: vt quæratur, se sumptui fuisse amicis, non vt dignitatem aliquam, nõ vt commodum adipisceretur, sed ad sustinendam turpissimã exsilij fortunam. illud enim, Benignitas exhausta, de suppeditatis

ditatis pecuniis accipio. extrema verba, Senſiſti tu abſens, præſentes, quia ſuſpicor a mendo non abeſſe, nõ interpretor. quamquam nihil eſt adeo mendoſum, quin aliquid ſententiæ poſſit extorqueri, ſed ego, non vt extorqueam, ſed vt eliciam, operam do. *Copiis,*] alibi Copiæ pro diuitiis, aut pro exercitu: hic totum intelligitur, quantumcumque poſſumus ſiue auctoritate, ſiue gratia. *Meos defenſores*] eos, qui, cum mẽ abſentem defendiſſent, & ab exſilio reuocaſſent, reuerſo deinde inuidere cœperunt, neque in iis rebus, quæ mihi erant propter rei familiaris naufragia neceſſariæ, eam volũtatem, quam expectaram, præſtiterunt. ep. fam. l. 1. ep. 9. *Omnia*] quæ mihi omnia vis inimicorum ademerat. *Laboratur.*] quod in proxima epiſtola dixit, In re familiari valde ſumus perturbati. & in hac ipſa, Domeſticarum rerum conſilia valde impedita. vt eandem ſententiam varie ter exprimat. Μυκωτικά] de vxore ſignificat, vt etiam in proxima epiſtola dixit, Sunt quædam domeſtica, quæ litteris non committo.

IN EPISTOLAM III.

Ante diem III. *non.*] ſæpe diximus, idem eſſe, III. nonas. *Expulſi*] a Clodianis. *Lapidum ex area noſtra,*] lapides, ad noſtræ domus refectionem paratos, Clodiani ſumptos ex area coniecerunt in domum Quincti fratris. *Iudicium nolebat:*] Tollebat, magis placeret: vt vis intelligatur, qua Clodius a Milone accuſatus iudicia ſuſtulerat, ante reditum Ciceronis ab exſilio. itaque in oratione pro Milone, Quis, inquit, hoc credat, Cn. Pompeium iudicium exſpectaturum fuiſſe in eius iudiciis vindicandis, qui vel iudicia ipſa tolleret? cum de Clodio intelligat. Et infra poſt reditum Milo Clodium de vi poſtulauit. poſtea quam ab eodẽ iudicia ſublata eſſe vidit, ne ille omnia vi poſſet efficere, curauit. Eodem loquendi genere vſus eſt in oratione pro Sylla. Auctonius, inquit, ambitus iudicium tollere ac diſturbare voluit, conflato gladiatorum ac fugitiuorum tumultu. *Manifeſtamque*] vt a manifeſto crimine tuetiſe non poſſet. *Sed tamen cauſſam.*] erat tamen aliquis quaſi angulus excuſationis, quo cõfugeret: cũ poſſet inſitum a ſe factum, poſſet in alios culpã reiicere, poſſet etiã aliquid

defendere tamquam iure factum. *Designatorem,*]curatoris nomen: vnde Horatius lib. 1. ep. 7.

Designatorem decorat lictoribus atris.

Decimum] de hoc pro domo sua his verbis: Tu id te posse arbitraris, omnium facinorum & stuprorum omnium Decumis & Clodiis auctoribus, obtinere, quod M. Drusus in legibus suis plerisque, M. Scaurus, & L. Crassus non obtinuerint? *Gellium*] de hoc in oratione de haruspicum resp. in Vatiniũ, pro Sextio. exstat etiam Catulli epigramma in eũdem, quod infra subscripsi.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, & cum te octaua quieta
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est, an vere fama susurrat,
Grandia te medij tenta vorare viri?
Sic certe est. clamant Victoris rupta miselli
Ilia, demulso labra notata sero.

Sacra via] vnicam dictionem Carisius ait esse, vt Respublica. diuiditur tamen. Horatius:

Ibam forte via Sacra. Et in lasciuo carmine.

De Sacra nulli dixeris esse via.

Vide Commentarium de Orthographia Aldi filij. *Descenderem,*]cum, de Capitolio descendens Sacra via, quę a Capitolio ad Carinas pertinebat, domum abiret. *Insecutus est me*]alij putant periculum illud Ciceronis intelligi, de quo in oratione pro Milone his verbis: Hæc eadem fica longo interuallo conuersa rursus est in me, nuper quidem, vt scitis, ad Regiam pæne confecit. Ego aliter sentio. video enim hanc epistolam scriptam esse P. Lentulo, Q. Metello cos. orationem autem pro Milone habitam Pompeio tertium consule, id est quinquennio fere interposito: vt eadẽ res significari non possit, cum in oratione dicat, Nuper quidem; quod non diceret de re tanto ante confecta. *M. Tertij Damionis*] de Damione quodam, P. Clodij liberto, Pedianus mentionem facit in Miloniana: sed, hunc alium ab eo esse, manifeste appareret, quod neq; eadem res significatur, quæ in oratione, vt ratio temporis declarat, & in eius vestibulum Cicero, tanquam amici

amici hominis, aut certe non inimici, Clodianorum impetum fugiens discessit. Neque vero, Damionem vnum Romæ fuisse, necessario putandum est. *Diæta curari incipio: &c.*] ab ægrotantibus sumpta translatio. Sensus est, institui me tueri contra meos inimicos moderatione quadam, qua vtens, spero fore, vt huic malo dies quotidie magis medeatur, sicuti solet diæta non recte se habentibus. ferro vt res agatur, minime volo. *Trudi*] antiqui libri, Videri, mendose. *Acidinos*] L. Catilina, & C. Manlius Acidinus, aduersus patriam arma tulerunt. Sallustius, & Cicero. Acidinus autem, Manliorum cognomen fuisse, cognoscitur ex lib. 2. de orat. Velleio, & Fastis. *In Ceramio*] præpositionem In, neque Caualcantis liber habet, neque Bessarionis: Ceramio, autem vterque. inspiciundi plures antiqui libri, si forte ad veritatem aliquid afferant. nam nos quidem, Ceramio, quid hic sibi velit, ignoramus. Locum hoc nomine Romæ fuisse, nemo tradit. In Germalo, qui Romæ mons fuit, fortasse legendum. *Anniana*] quæ prius C. Annij fuerat, a quo adoptatus Milo, qui antea fuerat ex Papia familia, & nomen simul & hereditatem accepit, cum ex eius filia natus esset. *Eduxit viros*] eduxit viros, & occidit homines, non sine artificio dixit, vt, cuiusmodi fuerint vtriusque copiæ, ex nominibus appareat. *Ille se in interiorem partē ædium abdidit Sulla se*] Caualcātis liber, Ille ex interiorem ædium silla se. Bessarionis, Ille interiorem ædium fylla se. Omnino locus ita deprauatus, vt, nisi veteres libri opem ferant, desperandus videatur. quid tamen, si sic? Ille se in interiora ædium Syllæ: vt subaudiatur, Proripuit, abdidit. *Marcellinus:*] hunc primum nominat, quia primus sententiam rogabatur, quod esset consul designatus. *Metellus*] Q. Metellus consul: qui comitia ædilicia ideo fieri volebat, vt Clodius ædilis creatus, in iudicium de vi, maxime propter fabros de Ciceronis area pulsos, vocari non posset. nam eos, qui magistratus gererent, accusari ius non erat: itaque Clodius, ædilitatem consecutus, iudicio se eripuit. Dio lib. 39. *Calumnia*] cum astutia vteretur, multaque malitiosus iniiceret, vt dicendi tempus eximeret, ne senatus consultum contra Clodium fieri posset, qui, cum senatus censuisset, vt Ciceroni domum suam ædificare liceret, fabros tamen de area per vim expulisset. Sic in epistola ad Lentulum: Res

ab aduersariis nostris extracta est variis calumniis. & ad Q. fratrem libro 2. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Licebat enim senatoribus, quousque vellent, quæ de re rogati essent, dicere. epist. 1. lib. 2. ad fratrem, lib. 3. de leg. Gellius lib. 4. cap. 10. *Dicendi tempus*] quod tempus ad dicendas sententias senatoribus dabatur. *Oppio*,] potius crederem legendum, Appio: qui erat in senatu; & frater Clodij, vt adiuuare vellet; & prætor, vt facile posset. *Etiam herculefamiliari tuo:*] Q. Hortensium significat, quo Atticus intime vtebatur, vt scribit Nepos in vita. & in epistola vltima libri 2. Tuus familiaris Hortensius quam plena manu nostras laudes in astra sustulit. *Etiam hercule*] quasi dicat, quod equidem antea non putaram, cum & nostri, & publicæ causæ studiosus videretur esse. *De cuius constantia*,] ironia. nam Atticus exsulanti Ciceroni scripserat in hanc fere sententiam: Hortensij constantiam & virtutem in tuenda repub. cognosces. Et Constantia, virtute, sine copula, vsitate, vt hic ep. 9. l. 11. & fam. ep. 24. & 28. l. 13. *Furere.*] homo iracundus: quem etiam notat morositatis vitio in epist. quadam ad Q. fratrem. & *Furere*, quod a Metello diem eximi videret. *Ille*] P. Clodius. *Sua*] quibus ædilitatem petiturus erat, cum candidatus esset. *Aream*] de qua Clodius fabros expulerat, contra senatusconsultum. epist. 2. *Incendiorum*,] quia Milonis domum, Ciceronisque expugnare & incendere conatus erat. *Periculi mei*,] cum me, Sacra via descendentem, lapidibus, fustibus, gladijs est insecutus. *Iudicio*] vt iudicium fieret in eum, qui ea commisisset. *Comitijs anteferret*,] cum diceret iudicium de vi prius esse faciendum, quam comitia haberentur: quod tamen factum nõ est: itaq; Clodius iudicium effugit, comitijs creatus ædilis. *Proscripsit*,] an Marcellinus? rationes aduersantur duæ, consuetudo Latini sermonis, & mos legitimus auspiciorum. primũ, cui probatur hoc, vel mediocriter Latinæ linguę perito? Proposita Marcellini sententia, proscripsit Marcellinus, se per omnes dies comitiales de cælo seruaturum. deinde, seruare de cælo, cum magistratũ hoc tempore Marcellinus non gerat, prorsus ei non licet. id aperte declarat Varro, cuius hæc recitat Nonius verba, ex libro Rhetoricorum 20. Eo die cis Tiberim redeundum est, quod de cælo auspicari ius sit nemini, præter

præter magistratum. Nisi si quis adeo peregrinetur in rebus Romanis, vt ideo magistratū gerere Marcellinū putet, quia sit consul designatus. in quo fuit quidē auctoritas maior aliquanto, quam in ceteris priuatis; itaq; sententiā in senatu primi rogabantur consules designati, deinceps aūt magistratus, prætores, ædiles, reliqui; sed potestas tamen nulla. vnde illud in Pisonem, de Metello Celere, consule designato: Quod potestate nondū poterat, auctoritate obtinuit. Præterea nō sella curuli, non prætexta, nō viatoribus, non lictoribus, ne seruis quidē publicis, quod equidē legerim, fandove audierim, consul designatus vtebatur. quod si neq; potestatē habet, nec ea, quæ magistratus insignia sunt; sequitur, vt magistratus nō sit, & si hoc, simul illud, vt Marcellinus nō proscripserit. Quis igitur? Sextius, opinor, de quo dixit paullo ante; Sextius furere. Is autem, cum tribunus pl. esset hoc anno, quod ignorare arbitror neminem, poterat seruare de cælo. non enim maioribus tantū, sed minoribus etiā magistratibus id licebat. Id ostendit Cicero Phil. 2. cum ait; Nos nunciationē solum habemus, consules, & reliqui magistratus etiam spectionem. apertius etiam Gellius lib. 13. cap. 14. In edicto, inquit, consulum, quo edicunt, quis dies comitijs centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua; ne quis magistratus minor de cælo seruasse velit. Quibus etiam ex verbis perspicuū fit, quo die de cælo seruaretur, eō die fieri comitia non potuisse. Erant omnino leges, ne comitijs magistratuum de cælo seruaretur, quod in 2. in Antonium declaratur his verbis. Quisquam ne diuinare potest, quid vitij in auspicijs futurum sit, nisi qui de cælo seruare constituit? quod neque comitijs licet per leges, & si quis seruauit, non, habitis comitijs, sed prius, quam habeantur, debet nunciare. Vetabant igitur leges, comitijs magistratuum de cælo seruari, sed, quia sæpe leges contemnebantur, ideo consules edicto etiam id prohibendum putabant. nam, si leges valuissent, quid erat, cur edictum adderent? Nec longe absunt exempla auspicantis de cælo magistratus, contra quam legibus cautum erat, vt comitia impediantur. nam hoc ipsum, Proscripsit se per omnes dies comitiales de cælo seruaturum, non ad inijciendam comitijs ædilicijs moram spectat? Milo autem, cum obnunciat Metello consuli, non eadem caussa obnunciat?

Poterat autem, quia tribunus pl. erat. Comitijs vero, quibus leges ferrentur, seruari de cælo licuisse, cognoscitur ex oratione de prouincijs. *Dies comitiales,*] quibus haberi comitia poterant. Macrobius, Gellius, ad Q. fratrem, alibi. *Conciones*] vt adducerentur in inuidiam, qui comitia conabantur impedire. quæ res populi voluntatem solet offendere, lib. 2. epist. 21. *Hæc tamen summa,*] tamen, inquit, Metellus consul, neglecta illa futuri per comitiales dies auspicij proscriptione, comitia habuisset, nisi Milo in campum ipsum cum magna manu, vt, si opus esset, vim vi repelleret, profectus obnunciasset. Laudat igitur Milonem magis etiam, quam Sextium. nam ille tantum proscripserat, se de cælo seruaturum. Milo autem ad religionem auspicij, quam sperni videbat, fortitudinem adiunxit. *Nisi Milo in campum obnunciasset,*] cum libro Caualcantis, a quo minimum differt Bessarionis liber, (habet enim, Miloni campum) ita lego, priore lectione repudiata, cuius, vt mihi quidem videtur, eiusmodi sententia est, vt a veritate dissentiat. neq; enim quisquam erat, qui Miloni obnunciaret, (quippe, tribunus pl. cũ esset, comitiorũ ædiliciorum ius non ad eum, sed ad Metellum consulẽ pertinebat) verum ipse Metello consuli obnunciabat, vt comitia, quibus ædilitatem Clodius petebat, vsque eo protruderet, quoad iudicium ante fieret de vi, nihil dubitans, quin eo iudicio Clodius condemnaretur. Præterea, si legas, vt antea, C. Appius, prænomina simul erunt duo, quæ esse non possunt. Nam, quod ad locutionem attinet, Obnunciare in campum, me quidem non offendit, cum etiam verbo, Nunciare, quandoque veteres eadem ratione vterentur & in loco, & ad locum, vt, Ponere in gratia, & in gratiam, Esse in potestate, & in potestatem. quod Gellius obseruauit lib. 1, cap. 7. Sic, Nunciatum Romam esse, dicit Cicero in epist. ad D. Brutum, Nunciatur domum, in Verrem, & Plautus in Truc, Magna nuncias ad me gaudia. *Campum*] Martium, quo populus ad comitia conueniebat. *Obnunciasset,*] qui de cælo seruabat, obnunciare solitus erat, non, habitis comitijs, vt augures, sed prius quam haberentur. obnunciabat autem, seruaturum se de cælo die comitiali. quod cum fieret, agi cum populo nefas erat. oratio pro domo. *In campum venit.*] vt, consuli Metello, comitia habere cupienti, ipse

pse tribunus pl. obnunciaret. *Fugitiuorum*] seruorum, quibus libertatem Clodius pollicebatur. *Delectas copias*,] afflictas, & infirmas. itaque legitur in Bessarionis antiquo libro, *Fratrum trium*] Metelli, Appij, Publij. & Metellum etiam in oratione pro domo sua P. Clodij fratrem appellat; idque ob eam rationem, quod Cæcilia mater fuerat Appio & Publio, soror autē duobus Cæcilijs, ei, qui Metellum Nepotem, & ei, qui Celerem genuerat. ita duo Metelli, Nepos & Celer, Appio & Publio Clodijs fratres erant patrueles. nam & in oratione pro Cœlio, Quonā modo, inquit, cum de Celere loquitur, furenti fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipientem furere, atque conantem, sua se manu interfecturum audiēte senatu dixerit? Ipsos autem Metellos, Celerem, & Nepotem, fratres fuisse, ex duabus epist. lib. 5. fam. notissimum est. germanos fuisse ideo nō existimo, quod Quincti prænomine vterque vtebatur. fratribus igitur geniti: quorum soror Ap. Claudio nupserit, qui postea Appio & Publio pater fuit. *Turpis*,] non ideo turpis, quod iam esset approbata Marcellini sententia, sed quod homines intelligerent id agi, vt habendis comitijs iudicio Clodius eriperetur. nam, etsi de approbata Marcellini sententia legitur in epist. 1. lib. 2. ad Q. fratrem: tamen id factum esse eo senatu, qui habitus est mense Decembri, cum Clodius adesset, ipsa indicat epistola: hæc autem scripta sunt mense Nouembri; cum in eo senatu, quo sententiam ait de scripto a Marcellino dictam, Clodius non affuisset. scribit enim sic, Domi Clodius, egregius Marcellinus. XI. *Kal. Ian.*] quod aliquot ante annis scripsimus in nostris scholijs, id nunc, eadem coniectura ducti, sine dubitatione affirmamus; videri tollendam vocem, Ian. quæ, vt cuiuis facile est videre, locum hic habere non potest; cum dies significetur, qui XII. Kal. Dec. consecutus est. *Comitium*] Comitium in foro fuisse, vel hic locus ostendit; cum Metellus postulet vt sibi in foro obnuncietur; Milo autē in Comitium veniat. Plinius etiam capite de ficis. *Furtim*] vt Milonem falleret, cui dixerat se in Comitio fore; putans, ante se comitia in campo habiturum, quam Milo posset obnunciare. *Biduo*] decimo, & nono Kalendas, dum nundinæ fuerunt, quibus haberi comitia non licebat. Macrobius lib. 1. Sat. Plinius lib. 18. cap. 3. *Nulla.*] non, quod nundinis

concionari non liceret, sed quod opus non esset, cum haberi comitia non possent. *Iam campum tenebat.*] ne Metellus, confectis nundinis, 11x. Kal. comitia habere posset. *Marcellus candidatus*] ædilicius: qui tamen stertens parum laborare de comitijs videbatur. Hunc autem C. Marcellum potius, quam M. puto fuisse. nam Marcus, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio quadriennio post, ędilis esse non potuit Marcellino & Philippo cos. cum ædilitas a consulatu quinquennio distet; vt in libro de magistratibus ostendemus. *Sine laterna.*] vt eorum, qui Clodium exspectabant, ignobilitas, & infima condicio notetur, qui sine laterna noctu præstolarentur. *Fieri*] a Milone. *Si se inter viam*] inter vias, dixit Plautus; inter cenam, Cicero. correxit hunc locum aliquot ab hinc annis amicissimus meus, coniecturam secutus, quia videbat in Caualcantis libro scriptum, Si sentitur ve iam. neque nunc aliter video scriptum in libro Bessarionis, nisi quod Veniam habet, pro Veiam. *Casum illum nostrum*] exsilij calamitatem: in quam incidi, quia pessimos ciues occiderã. *Inuidi & perfidi*] Hortensium & Pompeium videtur significare: quorum consilio vsus, indignissimam exsilij calamitatem subierat. epist. 19. & 18. lib. 2. *Inerti nobili*] notat eos, quos a se defendendo metus auerterat. fam. lib. 1. epist. 19. *Pro facultatibus nostris,*] fratti reddimus, non quantum accepimus, sed quantũ nostræ facultates patiuntur; ne, si id fieret supra facultates, ipse deinde, omnino exhaustus, egerem.

IN EPISTOLAM IV.

Cincius] qui Romæ Attici negotia curabat. *Apud me*] domi meæ cenato, etiam si ego absim. Erat enim Antij: vt epist. 8. Sic etiam in epist. 2. lib. 2. in qua eum domum suam inuitat, cum ipse abesset. *Ad nos*] Antium, cum Romæ fueris. *Designationem*] ordinem, quo bibliotheca mea disponatur. *Tyrannionis*] grammatici. Suidas, Plutarchus in Lucullo, & Sylla, & epist. 4. lib. 2. ad Q. fratrem. *Reliquiæ*] quia multos amiserat in illo fortunarum suarum naufragio. *Duos aliquos,*] misit Dionysium, & Menophilum. epist. 8. *Quibus Tyrannio & tatur glutinatoribus,*] an vt librorum paginas conglutinarent more nostro? minime. nam librorum paginę tũc circa lignum, quem vmbilicum vocabant, inuoluebantur

uebantur, expertes glutini. quis igitur glutinatorum vsus? vt voluminum singulorum terga exornarentur, agglutinato insigni tegumento. *In his locis*] in Antiati. *Piliam adducere.*] si potes & a te ipso impetrare, vt in his locis consistas, & Piliam tecum adducere. Mirum autem, cur hoc de Pilia dixerit, quam nondum Atticus duxerat vxorem. nuptias enim celebrauit pridie id. Feb. vt est in epist. 3. lib. 2. ad Q. fr. hæc autem scripta 111. Kal. Febr. Accipiamus igitur sic, nuptias quidem nondum celebratas, sed desponsatam tamen fuisse. Et apparet, factis iam sponsalibus coniugium nõ semper esse consecutum: vt Suetonius de Iulia Cæsaris filia, primum Seruilio Cæpioni desponsa, deinde Pompeio collocata. *AEquum est,*] vt sine ea ne venias. *Tullia*] quæ nunc mecum est. *Natu*] cur, Næ? cum iam dixerit, Medius fidius. quid si, Nomenti? vbi, & Ardeæ prædia Atticus habuit, præterea nusquam in Italia. *Emisti*] locum Atticus, & simul gladiatores emerat. eos lanistæ in eo loco exercebant. *Pugnare*] cum exercerentur in ludo. *His duobus muneribus*] gladiatores in funere dabantur, vel empti, vel conducti. *His proximis*, quibus populo munus gladiatorium datum est. *Liberasses.*] tanti locasses, quanti emeras? ita eos libertate donare potuisses, recepta pecunia in eos impensa.

IN EPISTOLAM V.

Ain tu?] locutio ad ostendendam admirationem vsurpata. sic in epistola ad Pætum: Ain tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum fulmina? & ad hunc ipsum lib. 6. & 12. *Ad quem missi,*] aut Cæsarem, aut Pompeium. *Quid? etiam*] quid præterea cauillæ fuit, cur eum librum tibi non miserim? etiam hoc: subturpicula mihi videbatur παλινῳδία. Tale illud epist. 11. lib. 1. Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. Messalla consul Autronianam domum emit. & epist. 6. lib. 2. De muro, statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac vt sciã. *Dudum enim circumrodo*] inuitus dico, quod dicendum tamẽ est. vereor enim, ne me reprehendas, qui hoc in libro gratiæ caussa ea laudarim, quæ antea vituperabam. μεταφορὰ ab ijs, qui circumrodunt, quod non libenter comedunt. *Vt ipsi nolunt.*] nam re vera non sunt, quia nihil possunt. epistola 5.

Si quidquam haberent fidei.] fidei nihil habent, cum publicam causſam defendentes, me ſocium defenſionis non tuentur, vbi a potentibus oppugnor. *Senſeram,*] eorum perfidiã, cum, ab inimico meo nefaria in me rogatione promulgata, in periculo deſeruerunt. *Inductus, relictus, proiectus*] δείνωσις, cum in ſingulis ineſt augendi vis. *Qui fuerant.*] perfidi videlicet atque ingrati, vt antea. itaque, te monente, rationem mutaui, meque, quod antea non feceram, potentiũ amicitijs munire cœpi. *Non etiam vt ſcriberem.*] monuiſti tu quidem, vt ea facerem, quæ Cæſaris animum non offenderent, atque etiam quæ delectarent; non tamen, vt etiam ſcriptis eum laudarem: quod ego nunc, a te non admonitus, mea ſponte feci. *Coniunctionis*] cum potentibus, optimatibus relictis. *Ad illos,*] maxime Bibulum, Catonem, Domitium, Curionem, Cæſaris inimicos. *Modici fuimus* ὑποθέσει,] modice laudauimus: vberem ὑπόθεσιν non cepimus, ſed eiuſmodi, vt modice laudaremus. *Vt ſcripſi.*] in ipſo libro. *Vendere*] cum dicant, me poſt exſilium humili animo eſſe debuiſſe: cum reſp. maiorem etiam animum, quam vmquam habuerim, mihi det, quæ declararit, ſeſe non potuiſſe me vno ciue carere: & vendere aream, potius quam in ea domum ędificare. facit enim inuidia, vt in Palatio magnifice habitantem non ferant. *Contra Pompeii voluntatem*] latius hoc in epiſtola ad Lentulum his verbis: In illis autem meis actionibus, ſententijſque omnibus, quæ Pompeium videbantur offendere, certorum hominum, quos iam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me. qui cum illa ſentirent in rep. quę ego agebam, ſemperque ſenſiſſent, me tamen non ſatisfacere Pompeio, Cæſaremq; inimiciſſimum mihi futurum, gaudere ſe aiebant. *Nugigeram manum*] locus hic ex illis eſt, quos ego quidem ſine libris antiquis poſſe corrigi non ſperarim. itaque, vt aliquid ex ingenio liceat comminiſci, placet tamẽ fateri potius neſcire quod neſciam, quam afferre quod non probem. Alberti Ferri, & Beſſarionis libri habent: Noluiſſe aſt numgeram manum fuiſſet. *Inuiſis,*] quid ſi, Inuiſes? vt ſit, Te inuiſurũ ſcribis, cum eris Romæ. nam certe nondum Atticus Romam peruenerat. quod illud declarat proxime ſubſcriptum: Tu de via recta in hortos. *Viaticum Craßipes praripit.*] Cicero, poſt mortem L. Piſonis, cognomento

mento Frugi, Tulliolā Furio Crassipedi, Marcellino & Philippo cos. collocauit. ei pro dote pecunia erat numerandā: vt Ciceroni ad votiuam legationem, de qua obeunda cogitabat, viaticum præriperetur. Nam, quod villas inuisere vellet; quoniam id paucorum dierum viaticum futurum erat, vt in epist. 4. lib. 2. ad fratrem, ideo potius accipiendum videtur de viatico legationis, quo quidem opus esset haud paullo maiore in multorum mensium peregrinationē. *De via*] ne deflectas alio: recta ex itinere in meos hortos te confer. *Videtur commodius. ad te*] distingue sic: Tu de via recta in hortos. videtur commodius ad te. postridie scilicet. quid enim tua? Explana sic: Commodius domum tuam pergere. id scilicet postridie facies. quid enim tantum in vno die? quid tua, citius serius vno die? *Sed videremus.*] quasi dicat: sed hoc, vt tibi videbitur. *Bibliothecam*] Antij: vt apparet ex epistola, quam antecedit insequens proxima. *Tui*] librarij, Dionysius, & Menophilus. epist. 8. *Pinxerunt*] ita scienter & apte disposuerunt, vt, quasi picta tabula, intuentium oculos delectare possit, idque non solum constructione, id est ordine, sed etiam sittybis, id est membranulis; quarum integumento libri a pulueris temporisque iniuria diutius integri conseruantur. omnes igitur & apte constructi, & suis quique sittybis inserti.

IN EPISTOLAM VI.

Lentulo] L. Lentulo, flamine Martiale, de quo epist. 24. lib. 2. & de haruspicum resp. & Pedianus pro M. Scauro. *Non vt Saufeius, & vestri,*] non ideo vicem ipsius minime dolemus, quia Saufeium & reliquos Epicureos sequamur, qui nihil dolere soliti sunt, nisi quod ad ipsos pertinet, aliena non curant; sed mehercule, quia minime dolendum eius interitu videtur, qui tamquam deorum beneficio, cum patria ciuilibus discordijs arderet, ex eius incendio videatur esse ereptus. Saufeius, & vestri; quia & Saufeius & Atticus Epicurei. epist. 19. lib. 5. & Nepos in vita. *Naturā* πολιτικὸς,] quod Atticus abstineret administranda rep. vocat eum natura πολιτικὸν, non consuetudine. *Propriam seruitutem.*] serui omnes videmur: ita nobis erepta libertas est vitio ciuium improborum. in hac seruitute, quæ communis omnibus est, tu

quoque viuis ; ego autem habeo propriam & præcipuam, qualem prætere nemo habet. *Communi frueris nomine.*] non propriam, sed communem seruis seruitutem. hoc videtur significare: sed, verba num vacent mendo, haud satis scio. suspicionem augent Bessarionis & Alberti Ferri libri, in quibus video scriptum, Communi frueris non ne; & proximo membro, Virtutem, pro, Seruitutem. *Quod oportet,*] quod a bono ciue postulatur. *Insanus:*] qui contendere velim cum ijs, qui omnia tenent. *Quod opus est,*] opus est autem, vt loquar ad voluntatem potentium. *Oppressus, & captus:*] præmijs. *Dolere*] vicem reip. *Ingratus*] in Pompeium, qui remp. perdidit in quem ingratus esse non debeo; cum eius potissimum opera ex acerbissima exsilij calamitate emerserim. *Nequidquam,*] minime hoc faciendum est: eundum potius in bellum, & castra, si Pompeij res sit. epist. 5. Ταγοὶ] duces: cum sæptus comitatu bonorum, qui me ducem secuti essent, pugnare tamen cum Clodio nolui. epist. 9. lib. 1. fam. *Cui vtinam semper paruissem,*] tibi enim si paruissem, monenti iampridem, remp. quidem vt amarem, sed ita dignitati consulerem, vt salutis etiam rationem haberem, neq; cum ijs, qui omnia tenebant, spe eorum, qui nihil poterant, inimicitias susciperem; tibi inquam ita monēti si paruissem, nunquam profecto, fraude amicorum inductus, potentia inimicorum oppressus, indignissimam exsilij calamitatem pertulissem. epist. 5. *Reliqui est*] subintellige, Hoc quod dicam, vt, quam Spartam nactus sum, ornem: id est, vt, quando me cum Cæsare & Pompeio coniunxi, ornem eos, & tuear, quibus rebus possim. hoc quidem reliquum est: sed ego, vt faciā, a me impetrare non possum: ægre enim adducor, vt a rep. desciscam, cuius illi rationibus priuatas opes anteponunt. ac pæne mihi in mentem quandoque venit, iterum illam amplecti, vnam vel cum periculo curaret; vt potius iterum exsilij miserias perferam, quam ea probem, quæ recta esse non sentio: Philoxeni poetæ exemplo: qui, Dionysij tyranni versus quia libere improbabat, in carcerē Lautumias coniectus est: deinde eductus, cum idem Dionysius alios item versus ei legendos tradidisset, opinatus fore, vt metu carceris probaret; sententiam non mutauit, sed, versibus lectis, demisso capite, vltro ad Lautumias tacitus iter conuertit. cumque Dionysius

nysius ad abeuntem clamasset, Quo Philoxene? ad Lautumias, inquit: vt intelligeret tyrannus, ab eo versus non probari. Diodorus Siculus, Stobæus, Lucianus, Athenæus lib. 1. & interpres Aristophanis, in Pluto. τάνταν,] hic malo notam subdistinctionis apponere, quam post ἔλαχες. non enim sodietatem cum Pompeio & Cæsare Spartam appellat: sed, addendo hanc, significat, qualiscumq; sit. *Verumtamen*] hæc dictio non semper habet aduersandi vim, sed quandoq; concludendi, vt hoc loco, quasi dicat: Sed, ne longior sim, ne te multis teneam, vt indicem tibi animum meum, ego nunc mecum ipse rationem quæro, qua ista improbem. *In his locis*] Antij. *Vt*] quo modo. *Ista*] istorum acta, quæ ad tyrannidem spectant. & dixit, Commentor, quia rationem quæreret, qua, neque se illa probare, offenderet, & Cæsarem tamen ac Pompeium haud magnopere offenderet. Quę autem erat hæc ratio? vel vt scriberet de optima rep. quod fecit paullo post; quibus in libris, quod esse debeat optimi ciuis officium, cum offenderet, satis indicabat, acta se Cæsaris & Pompeij non probare: vel vt ab vrbe abesset; vt absentiæ suæ causam esse constaret, quod ea, quæ tum agerentur, non probaret. *Confirmabis.*] approbabis consilium meum de istorum actis improbandis: quamquam mihi auctor fueris, vt cum ijs me coniungerem. epistola tertia. *Fulmen.*] quibus, vt fulmine, sum ictus, quia Lentuli obitum nunciarent. *Non miser,*] qui ereptus sit ex incendio patriæ. *Serui.*] quibus adempta libertas est potentia paucorum. itaque nostra vita nihil fœdius. *Illa Hortensiana:*] illa, quæ antea quoque monuisti vt scriberem. Et videtur intelligere Hortensium librum de philosophia, quem postea scripsit. *In alia incidi,*] dedi me ad alia scribenda. *Incipiendo*] cum iam aggressus essem scribere illa Hortensiana, reuocaui me, &, quod institueram, abieci; ne, cum videar iniuriam Hortensij, quæ tamen non grauissima fuerat, parum sapienter tulisse, rursus in eodem illustrando parum sapiens haberi possim. neque enim sapientis est, cui antea maxime succenseris, eundem paullo post maxime laudare. *Videor stulte illius amici nõ intemperiem tulisse,*] alij aliter: quã recte, ipsi viderint. ego, quod est in Bessarionis libro, (est autẽ, vt impressum in nostro) verum, atq;

incorruptum, planeque ab ipso Cicerone scriptum existimo: itaque ad id meam interpretationem accommodabo. dicit hoc. Semel stulte feci, qui non intemperiem Hortensij tulerim: stulte rursus faciam, si eiusdem iniuriam illustrabo. Dicit autem qua de re? non, opinor, de eadem. non enim idem est, non intemperies, & iniuria: cum offensio quidem vtraq; sit, illa tamen leuior, quæ modum non transiliat, quæ ad intemperantiam non perueniat; hæc eiusmodi, vt, in quem infertur, afficiat grauiter; a quo infertur, intemperantem significet. Bis videtur, quod animũ Ciceronis offenderet, Hortensius commisisse. primum in aliqua re, vel multis etiam in rebus fortasse, qui Ciceronem, nouum hominem, æmulum in eloquẽtiæ laude non libenter ferret; in quo non intemperantem se præbuit; fecit aliquid minus amice; nunquam ita fuit infestus, numquã ita vehemens, vt inimicus potius, quam amicus, posset appellari. hæc est, non intemperiem quam appellat. Iterum læsit Hortensius; cum, rogatione a P. Clodio contra eos, qui ciues Romanos indicta caussa damnassent, promulgata, Ciceronem hortatus est, vt abiret in exsilium, pollicitus operam se studiosissime daturum, vt breui dignitatem ac patriam recuperaret. nec tamẽ id pro eo, ac debuit, satis accurate præstitit. hanc iniuriam vocat: quod astuto cõsilio, simulatione amoris, inclinantem eum ad exitium Hortensius impulerit. Hoc aperte declarat his verbis in epistola ad fratrẽ lib. 1. Quantum Hortensio credendum sit, nescio: me summa simulatione amoris, summaq; assiduitate quotidiana sceleratissime, insidiosissimeque tractauit; adiuncto quoque Arrio; quorum ego consilijs, promissis, præceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. & hic lib. 3. epist. 9. cum Atticus ita scripsisset, Hortensium allice, & eiusmodi viros; rescribit: Obsecro, mi Pomponi, nondum perspicis, quorum opera, quorum insidijs, quorum scelere perierimus? nos non amici, sed inuidi perdiderunt. Tuli igitur leuem offensiunculam Hortensij: quæ ferenda fuit, cum alioqui amicus esset. ac me tamen, quia tulerim, stultum homines existimant. rursus videbor stulte facere; cum eum meis in scriptis laudabo: quia renouabo in animis hominum memoriam illius, quam in me intulit, iniuriæ. illustrabo, quæ nunc latet, eius iniuriam. patefaciam quod obscurum quodam modo est.

itaque

itaque meum hoc officium non debet Hortensio, aut tibi, ejus amantissimo, gratum esse. Accedit illud, quod nec ipsi mihi, quod tu me facere vis, placere admodum potest. leuitatis enim nomen subibo, cum eum dolorem in scribendo occultabo, quem, ex Hortensij susceptum iniuria, in agendo ostendi. *Videor*] videor quidem aliis in eo stulte fecisse, quia tulerim: at ipse mihi non videor. tuli enim, non, iniuriam, sed, non intemperiem, eamque hominis amici. qui videor igitur in ea re stultus fuisse, in qua minime debeo; quanto magis videbor in hac, in qua iure possum? *Illius*] hic non addit, Amici, vt proxime: quia non est amicus, qui facit iniuriam: at non intemperies, leuis inquam offensiuncula, etiam inter amicos locum habet. βαθύτης *mea*,] intimis sensibus conceptus ex iniuria dolor. *In agendo*] in agendis caussis; in quibus, quo animo essem, quo esse deberem in Hortensium, ostendi. *Leuitatis*] si Hortensium laudarem, cui me ante nimis iratum ostēdi; ideo laudare eum viderer, vt illa quasi satisfactione lenitus mihi reconciliaretur. in quo leuitatis opinionem subirem, cum eum, quem in agendo læsissem, in scribendo ornarem. In antiquo Alberti Ferri libro video scriptum esse, Satis tacito leuitatis: in Bessarionis autem, Satis facetæ leuitatis. quod etsi non inconcinnam habet sententiā: veteres tamen alios libros libentius sequor, in quibus est, Satisfactio leuitatis. *Lucceio quam missi*,] hæc epistola legitur fam. lib. 5. *Inuisas*.] dum ædificatur. epist. 3. *Significes*:] ostendas & tibi rem gratam facere, quod in me liberalis sis: & me huius humanitatis immemorem non fore. *Nihil* εὐκαιρότερον.] propterea quod, re familiari valde commi-nutus, eam sine amicorum liberalitate non videbar posse restituere. epist. 2. & 4.

IN EPISTOLAM VII.

De Quincto nostro,] de Quincti pueri valetudine. *Venerat*] Roma. *Mera monstra*] grauiter eum ægrotare. tu autem, melius ei nunc esse, significasti. *Qui illi dij*] Qui pro Vtinam dixit, more comicorum. *Quod equitibus R.*] conturbare solis licet equitibus R. homo Græcus Apollonius putat idem sibi licere. Conturbare est, omissis veteribus creditoribus, satisfacere iis, qui posterius crediderunt. perspicuum

est vel maxime in oratione pro Plancio. Fac, inquit, me multis debere, & in iis Plancio. vtrum igitur me cõturbare oportet, an, ceteris, cũ cuiusq; dies venerit, hoc nomẽ, quod vrget, nunc, cum petitur, dissoluere? *Suo iure.*] conturbat: quia eques R. est. hunc in epist. sua cum Apollonio Atticus nominauerat. *De Metello*] Corradus, temporum inscitia lapsus, arbitratur hunc esse Q. Metellum Nepotem. sed annorum diligens examinatio, secus esse, ostendit. nam hæc epistola videtur scripta anno post, quam Cicero ab exsilio rediit, id est Marcellino & Philippo cos. adhuc enim suam domum ædificari significat, cum ait: Mea mandata de domo curabis: præsidia locabis: Milonem admonebis. & epistola, quæ sequitur, cum L. Domitij Ahenobarbi, consularis candidati, qui competitor fuit Pompeij Magni, mẽtionem faciat, plane demonstrat, has epistolas Marcellino & Philippo cos. esse scriptas. quo anno qui credam obiisse Metellum Nepotem, cum eum viuere videam biennio post, Domitio & Appio cos? reus enim Scaurus factus est, vt affirmat Pedianus, iis, quos nominaui, consulibus. & ante quam de eo sententias iudices ferrent, laudatum idem ait a nouem cõsularibus, in quibus Metellum Nepotem appellat. Verum facile est intelligere, quæ Corradum caussa in errorem induxerit. Legerat in Appiano lib. 2. de bel. ciu. Metellum Nepotem, cum Hispaniam proconsul administraret, obiisse. quod verum esse confiteor: sed hoc nego, Marcellino & Philippo cos. obiisse. siquidem, vt dixi, Scaurum laudauit biennio post, missa videlicet Romam laudatione. id quod Pedianus quoque significat. nam, cum nominasset eos, qui Scaurum laudarunt, subiunxit: Horum magna pars per tabellas laudauerunt, quia aberant. Eodemque anno, quo Scaurum laudauit, periisse eum existimo, cum Romam paullo post decessurus esset, Hispaniæ vtriusque administratione Pompeio data, qui tamen, missis eo legatis, ad vrbem ipse cum imperio mansit. Quem igitur hunc esse dicemus? an Metellum Pium, Numidici filium? temporum ratio non patitur. nam cum, eo mortuo, C. Cæsar in ædilitate pontifex max. surrogatus sit; satis constat, eum vita excessisse, Cotta & Torquato cos. Fortasse Metellum Celerem aliquis existimabit. at is perierat Cæsare & Bibulo cos. quod oratio in Vatinium demonstrat. puto igitur Metellum Creticum significari,

gnificari, qui Silano & Murena cos. triumphauit. οὐχ ὁσίῃ φθιμένοισιν]pium, inquit, non est, mortuis insultare. Homerus od. χ,

ἐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' αἰδεσίοισιν ἐυχεσθαι.

Cicero vocem, more suo, non sententiam, mutauit, cum pro κταμένοισιν, dixit φθιμένοισιν. *Cuius nemo erat mortuus.*]subaudi, qui minus publicam caussam tueretur. aut enim hoc, aut huiusmodi aliquid dicturus fuit; sed omisit; recordatus, Atticum, qualis fuerit Metellus, nunc minime curare, curaré autem illud, vt nūmos sibi ab illo debitos exigeret. ergo intulit, Quid quidem tibi? quid hoc ad te, quod ego instituera scribere de Metello? scribam igitur de nūmis, de quibus scio te laborare. nummi vero meo periculo sint: mihi crede, soluentur: spondeo ipse, in meque recipio. *Heredem fecit?*] Metellus. *Publium*] Clodium. *Improbo quamquam*] Bessarionis liber habet, Improbi quemquam. omnino subesse mendum puto. *Non retexeris:*]damni nihil facies: ordinem pecuniarum tuarum non mutabis horum nummorum caussa: nam exiges. *Præsidia*]ne, dum ædificatur, impetum aliquem Clodius faciat. *Admonebis.*] vt in locandis præsidiis operam tibi suam tribuat. *Arpinatum fremitus est incredibilis de Laterio.*]punctis male collocatis, sæpe fit, vt sensus peruertatur. quod quidem hic vsu venerat. nam in omnibus libris, qui typis impressi leguntur, ita scriptum erat: Arpinatum fremitus est incredibilis. De Laterio quid quæris? vt obscura, vel nulla potius fieret sententia. Fuit autem Laterio Q. Ciceronis fundus in ipsius patria Arpino; quem cum vellet vendere, Arpinatū erat fremitus excitatus. ep. 1. lib. 10. & ad Q. fr. ep. 1. l. 3. *Dolui,*]quod patriā villam cogitat vendere. *Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis,*]patet sententia: puto tamen rectius hoc modo. Quid superest? etiam puerum Ciceronem curabis. Sic locutus epist. 11. lib. 1. & 19. lib. 2. & 1. lib. 3. ad fratrem. *Ciceronem*] Quinctum.

IN EPISTOLAM IIX.

Tyrotarichi.]edulium fuit, de quo Apicius lib. 4. & in epistolis ad Papirium, fam. lib. 9. *Randusculo*] modico illo ære. Raudum enim pro ære apud veteres. Scribis, inquit, si domum habueris in Antiati, patina tyrotarichi, non pretiosa

edulij, te fore contentum, & rauduſculum, id eſt minimum ſumptum cogitare. Μή πω μέγαν] prouerbium de iis ſumptum, qui gloriãtur, ante quam aduerſarium occiderint. Loqueris, inquit, Attice & de tyrotaricho, & de rauduſculo, cum tamen domum nondum emeris. Vel ſic: Derides de tyrotaricho, & ais tenui me victu vti, vt ære meo alieno me exſoluam. ne dixeris hoc, niſi vbi factum videris. quaſi factu non facillimum eſſet. Rauduſculum certe Cicero pro debita pecunia aliis quoque locis videtur vſurpare, vt epiſt. 8. lib. 6. & 2. lib. 7. *Antium Buthrotum eſſe Romæ,*] vt Corcyra Buthrotum prope habet, opidum amœniſſimum & quietiſſimum; ita Antium Roma. *Vt Corcyræ illud tuum*] vt eſt Corcyræ Buthrotus illa tua, cuius te mire delectat habitatio. *Illud tuum:*] opidum Buthrotium, tibi gratiſſimum. *Alſius,*] quod æſtate quæritur. Id autem maxime tum locorum opacitate, tum aurarum fit adſpiratione. Ad Quinctum fratrem, ἀποδυτηρίῳ nihil alſius, nihil muſcoſius. *Mens*] cum antea, bibliotheca nondum a Tyrãnione diſpoſita, quaſi corpus eſſet ſine mente. *Dionyſij & Menophili*] quibus Tyrannio vſus eſt glutinatoribus. epiſt. 4. ΕΙΜΗΙCΗΤΩΦΙΛΟC. ΚΟC.] iiſdem fere litteris reſtituo ſic: εἰ μὴ ἴσῃ τῷ φίλος οἶκος: quod erit latine, niſi cuipiam paria faciat cæca domus: vt ſignificet, ſe tamen æque ſua domo delectari, ex ea voluptatem eandem capere, quam ex Antiati. Eadem eſt ſententia libro 15. Hæc loca venuſta ſunt, abdita certe, &, ſi quid ſcribere velis, ab arbitris libera: ſed neſcio quo modo οἶκος φίλος. *Pegmatã.*] lignei cancelli, in quibus libros tuos ſoles diſponere, quales mihi Dionyſius & Menophilus tui faciundos curarunt. vel, Pegmata, cõglutinationes, quibus te vti ſolitum in libris compaginandis Dionyſius & Menophilus aiebant. epiſt. 4. *Miſiſti*] Dionyſium & Menophilum: quos vt mitteres, petieram. ep. 4. Caualcãtis, Beſſarionis, & Ferri libri, Miſit. Quod ſi ab antiquis libris diſcedendum eſt: (diſceditur autem, ſi quidem in iis, Miſiſti, non eſt) malim ſic: Eos, quia mihi libros illuſtrarunt, laudes. vt ſupra de iiſdem, Bibliothecam mihi tui pinxerunt conſtructione, & ſittybis. eos velim laudes. Certe illud, Poſtquam miſiſti, frigidum & perinane eſt. quaſi potuerint illuſtrare, niſi miſſi eſſent. Vt omittam, quod in veteribus libris, Miſit, non, Miſiſti. *Illuſtrarunt*] venuſta gluti-

glutinatione, & ordine. Tale illud, Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sittybis. epist. 5. *De gladiatoribus:*] tuis. vide epist. 4. *Male sic egisse.*] videtur legendum, Male se gessisse. *A penas*] seruus. & hic videtur esse principium alterius epistolæ. *Discesserat*] cum litteris ad te meis, cum epistola mihi a te reddita est: in qua scribis fore, vt legem non ferat. quem autem legem non laturum, & quam legem intelligat, quoniam in diuinatione positum est, omitto. *Eo etiam melius*] quia, dum ludi sunt, neque iudicia in vrbe exercentur, neque negotij publici quidquam geritur. abesse igitur licet. *Conteremus.*] in litteris. nam infra, Nos hic voramus litteras cum Dionysio. epist. 11.. *De Trebonio*] hic Pompeio & Crasso cos. tribunus pl. legem tulit de prorogando Cæsari Galliarum imperio. *Tibi assentior.*] forte, tribunatum ad istorum voluntatem administraturum. quod euenit. nam, etsi tribunus pl. nondum erat: tamen ita constabat eum proximis comitiis designatum iri, vt Domitium, qui consulatum petebat, repulsam laturum. *πεῖσαις nostra.*] sic antea: ego, repugnantibus libris antiquis, tamen pro Nostra reposui Nostræ: vt sensus hic sit. status iste Domitij simillimus est nostro, cum in exsilium pulsi sumus; vel quod ab iisdem læditur, a quibus olim ego; vel quod præter opinionem; vel quod viri boni nusquam apparent, ideoque victrix regnat improbitas. vnum tamen dissimile, quod immerito nos olim afflicti sumus, Domitius nunc merito. nam casus ille noster forte etiam, quam hic Domitij, tolerabilior & leuior fuit. quid enim miserius, quam eum fieri consulem non posse, qui in tota vita tamquam designatus fuit? id est, quem suo anno fore consulem non secus homines crediderunt, ac si iam designatus esset. si vero etiam ipse videt, & in suis priuatis fastis notat, ex iis, qui potentium partes tuentur, non minus multos in posterum fore consules, quam eos, quos publicis in fastis esse videt: quid illo miserius? *Solus,*] quid est hoc? petit ne quisquam consulatum solus, cum duo consules rogentur? numquam certe. verum, Solus, opinor, dixit de plebeiis. nam, vel si decem patricij simul cum eo peterent; nihil tamen obstabat, cur fieri consul non posset: cum omnino de consulibus alterum plebeiæ gentis esse lex Licinia iuberet. *Cum altero*] aut C. Memmio, aut P. Nigi-

dio Figulo. vtrumque enim in prætura collegam habuit, vt in epist. 2. lib. 1. ad Q. fratrem, in extremo. Aut fortasse ludit hic Cicero, nec ad Memmium spectauit, aut ad Nigidium, sed ad vnum Pompeium Magnum, quem constabat fieri consulem velle: quod euenit, a quo Domitium in petitione victum iri, satis erat exploratum. erat autem plebeius vterque. itaque cum Pompeio potius, quam cum M. Crasso homine patricio, negotium erat Domitio. dixit igitur, Cum altero, cum ironia; quod mirari se fingat, si, qui cum altero tantum petat, consul tamen fieri non possit: cum in eo locus admirationi non esset. Pompeius enim ita gratiosus apud populum, vt facillime quiduis impetrare posset. *Codicillorum fastis*] argute. quasi dicat: adeo multos videt fore consules ante se, vt eos domi notans in suis fastis, longas paginulas compleat. nam in fastis publicis consulum nomina scribebantur, vt scribit Liuius libro vndecimo: consul tamen fuit cum Ap. Claudio Pulchro, post Pompeium & Crassum. *Factorum*,] alij explanant, Ex quo Domitius prensare cœpit. quibus assentirer, si per historiam liceret. sed, cum in Suetonio legam, Domitium eo anno prætorem fuisse, qui Cæsaris consulatū consecutus est, id est Pisone, Gabinio cos. præturam autem a cōsulatu biennio distare sciam: intelligo, Domitium ante hunc annum prensare ob consulatum non potuisse: siquidem alter hiç est annus post eius præturam. Accipio igitur, Factorum, superioribus annis: cum factos consules in publicis fastis videat esse pæne innumerabiles. *Effugere?*]in lucem exire. & fortasse hoc poema significatur infra ep. 18. *Quid sinat?*] forte, Quid? sinas. *Quod eram exorsus*,] cum dicerem de Natta. tum enim & de Lusco simul instituera scribere; sed interposui de poemate. *Tantula ne causſa?*]minima enim causſa, ideo commoueri, quia, cum Fabius Romæ fuisset assiduus, ad eum tamen non venisset. *De Firmanis fratribus.*]consilia aduersus me ineuntibus. *In eo γραμμὴν teneam*,]in antiquo libro, τὴν ἐω γραμμήν. quid si, τὴν ἔξω γραμμήν. vt sit sensus: Quod me mones, vt hoc statu reipublicę, qui impendet, in quo non optimates, sed potētes dominaturi videntur, ita me geram, vt sapientem, reique publicæ peritum ciuem decet; (hoc enim valet πολιτικῶς) id est, vt potentibus neque prorsus assentiar, neque, sine vlla proficiendi spe, stulte repu-

repugnem, sed quasi lineam quandam teneam exteriorem, seorsumque ab eorum rationibus cursum dirigam: ego vero ita faciam. *Odorere,*] caussam elicias, qua se a me remouit. *Degustes:*] leuiter in sermone tentes; vt scias, qui sit animus eius erga me. μεταφορὰ a cibis, quorum saporem degustando percipimus. & respexit ad illud, Odorere.

IN EPISTOLAM IX.

Esse in regno.] restitutum a Gabinio, Syriæ proconsule. nota historia ex Dione, Cæsare, alijs. *Pascor*] mire delector. *Bibliotheca Faustii:*] hic est L. Cornelius Sylla Faustus, Syllæ dictatoris filius, Faustæ Milonis vxoris frater, Pompeij gener: quem vnum cum Afranio & L. Cæsare filio C. Cæsar, deuicto Pompeio, voluit interfici. *Puteolanis, & Lucrinensibus.*] loca enim sunt, Puteoli, & Lucrinum, adspectu maris iucundissima. *Propter remp. sic*] particulam, Sic, non arbitror vacare mendo. forte, Hic; vt paullo ante, Ego hic pascor. *Sub imagine Aristotelis,*] in tua bibliotheca. *In istorum sella curuli:*] magistratus curules intelligit: quia censor, consul, prętor, ædilis curuli sella vtebantur. quod autem *Istorum* dicit, ideo dicit, quia tum in rep. ex Pompeij & Crassi, qui consules erant, voluntate omnia administrabantur. *Cum eo,*] cum Pompeio. *Video*] quia vadebat ad ipsum, cum hæc scripsit. *Fors*] quæ, inquit, de rep. Pompeius, & ego simul ambulantes colloquemur, hæc, vt fortuna vult, ita regantur. ludit in ambulationis nomine. primum enim actum ipsum ambulandi, deinde locum significat. *Si quis est,*] dubitat, vtrum dij curent mortalia. quia, cum in repub. neque bonitati, neque honestis artibus locus sit, magnum argumentum videtur, deos non respicere mortalia: quod sensit Epicurus. *Ambulationem, & Laconicum,*] in ipsius domo. vide Vitruuium lib. 10. cap. 9. 10. *Quæ Cyrea sint,*] quæ Cyrus architectus fabricatur: aut quæ fiunt ad exemplum formæ a Cyro designatæ. *Vt properet,*] vt vrgeat ipse architectos, & fabros. *Vt possim tibi, &c.*] vt ego quoque habeam, vbi te possim accipere, acceptus a te toties. quod nunc, nondum ædificata domo, non possum. *Parilibus*] IX. Kal. Maij. nam eo die Parilia. *Salutem nunciaret.*] erat igitur Cicero in Cumano agro & ipse, in villa scilicet vterq; sua.

Censum impendant] rectius, Impediant. Horum censorũ nomina nondum inuenire potui. puto alterum fuisse M. Valerium Messallam, qui consul fuit cum M. Pupio Pisone. nam censorium Messallam nominat Valerius. Quod sequitur, Vitiandis, placeret, Inijciendis, eo magis, quod in Bessarionis antiquo libro scriptum est, Initiandis. inijciuntur autem dies, cum intercalatur. intercalatio autem omnium rerum statuta tempora protrahebat, cum esset dierum interpositio. intercalatione igitur tribuni pl. impedire censum, & extrahere poterant. Vel Vitiandis diebus, obnunciationibus interponendis: quod fiebat a tribunis: vt epist. 16. *Hic*] locutus est cum Pompeio in Cumano, vt in epistola proxima superiore, in extremo, licet intueri. dixit igitur Hic, pro in his locis, in Cumano inquam, vnde iam pridie discesserat. quod epistolæ postrema verba declarant. *Vt loquebatur*,] solet enim aliud loqui, aliud sentire. epist. 15. & fam. lib. 8. epist. 1. *Syriam spernens, Hispaniam iactans.*] C. Trebonius tribunus pl. rogatione perlata, Syriam Crasso, Hispanias Pompeio cos. dederat. Crassus in prouinciam profectus est: Pompeius ad vrbem manfit, in Hispanias legatos misit, Afranium, Petreium, Varronem. *Iactans.*] ita exagitans, quasi fastidiret: vt ostenderet, se prouinciarum administrationem, quarum alij cupiditate flagrarent, minimi æstimare. *Sit hoc quasi, καὶ τόδε Φωκυλίδεω.*] cum de Pompeij sententia dicemus, semper opinor addendum, vt loquebatur. fit hoc simile illius dimidiati versiculi, καὶ τόδε Φωκυλίδου. eum enim Phocylides ijs præceptis, quæ ipse versibus tradebat, præponere solitus est. ex eo factum, vt Græci, cum Phocylidis sententiã aut versum recitare vellent, ipsi quoque dicerent, καὶ τόδε Φωκυλίδου. Fuisse autem Phocylidis consuetudinem, vt scribens hoc hemistichio sæpius vteretur, declarant versus, qui apud Stobæum leguntur ἐν τῷ οα.

Καὶ τόδε Φωκυλίδεω· τετόρων ἀπὸ τῶνδε γένοντο
Φῦλα γυναικείων. & apud eundem ἐν τῷ πε.
Καὶ τόδε Φωκυλίδε· τὸ πλέον γένος εὐγενὲς εἶναι,
Οἷς ἔστ' ἐν μώνοις ἔπεται χάρις, ἔστ' ἐνὶ βιλῇ.

Idem

Idem animaduerti scriptum esse apud Dionem Chrysostomum in ea oratione, quæ inscripta est, Borysthenitica. Strabo autem libro de geographia decimo satis ostendit, hæc ipsa verba vsurpari, cum de Phocylidis sententia veteres loquerentur. Ἔστι δὲ, inquit, ⲥ Ἀμοργὸς τῶν σποράδων, ὅθεν ἦν Σιμωνίδης ὁ τῶν ἰάμβων ποιητὴς, ⲥ Λέβινθος, ⲥ Λερία. ⲥ τόδε Φωκυλίδου, Λέριοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ. *Componenda*] in theatro Pompeij. de quo Plutarchus, Plinius, alij. *Ad me*] in villam meam. nam in Cumanum venisse, iam significauit, cum dixit, Nos hic cum Pompeio fuimus. *Ac se*] non placet hoc; primum quia nemo de veteribus, vt opinor, ita locutus est, visus est se nihil minus velle: deinde quia Bessarionis antiquus liber aliter habet, nempe sic, Asi. Ferri alter liber, Ac si. hæ caussæ faciunt, vt, Ac se, non placeat. quid autem placeat, & cur placeat, ostendam. Satis putantur belle corrigere, qui vnius litteræ mutatione corrupta loca restituunt. nō igitur temere faciam, si pro, Ac se, reponam, A se. quamquam ne vnam quidē mihi videor litteram immutare. nam primas duas a Bessarionis libro, tertiam ab alijs veteribus libris accipio: cum in illo sit, vt dixi, Asi; in alijs, Ac se. & ita distinguetur. Venit etiam ad me in Cumanum a se. nihil minus velle, &c. vt sit, A se, a villa sua; sicuti, Ad me, valet, ad villam meam. Nec est, cur hoc loquendi genere quisquam offendatur. sic ipse locutus est epist. 31. lib. 13. Ego autem tibi confirmo, a me non habere: pro, ab ædibus meis. & lib. 1. de Orat. Quem ruri apud se esse audio: id est, in villa sua. & in dialogo de Fato, Cū esset apud se, ad Lauernum Scipio. Sic ille, quem hic noster tanti fecit, Terentius in Heauton. Hinc a me quisnam egreditur? & alibi cum ipse, tum, optimus latinitatis auctor, Plautus. *Nihil minus velle*] quia fauebat Æmilio Scauro. videbat autem duos patricios simul esse consules non posse: vetabat enim antiqua lex. ideo timebat, ne, deiecto Scauro, Messalla crearetur. quod euenit. *Nostram gloriam*] vt nostrum nomen illius historijs celebretur. *AEdificium nostrum*] domum, quæ ædificatur. *Tecum haberet,*] mallem, Tecum haberes; vt ea caussa iret ad Atticum Quinctus frater. & certe apud Atticum Quinctus filius, non apud patrem. epist. 7. *Lætum*] placeret, Pætum; vt sit Papirius Pætus, de quo epist. fam. lib. 9.

IN EPISTOLAM XI.

V. Kal.] sic omnes, quos viderim, antiqui libri. mihi mendosa dies videtur. nam, si epistolas Attici vno die duas, V. Kal. accepisset; non id ei significasset proximis litteris, quas IV. Kal. iens in Pompeianum scripsit? accepit igitur eas epistolas non modo post V. sed etiam post IV. Kal. sic enim necesse est. quod etiam huius argumentum epistolæ declarat. scripta enim est post superiorem, cum in ea de Pompeij sermone, habito in Cumano, iam narrauerit. quod si accepit eas post IV. Kal. nimirum aut III. aut II. accepit. II. autē potius existimo, quam III. cum ob alia quædam, quæ placet omitti; ne quis fortasse meam, quasi nimis argutam, rideat diligentiam; tum quia mutatio facilis est a V. in II. item vt a II. in V. itaque alibi quoque alterum pro altero mendose positum inueni. *A Demetrio.*] scire. is enim erat apud Pompeium gratiosissimus libertus. Plutarchus, Plinius, Dio. *Dixit*] vbi? in Cumano. quo die? maxime postridie Parilia. epist. 8. IV. *Kal.*] non loquitur de II. Kal. tamquam de die, cum hæc scripsit, futuro, (nam hanc epistolam post superiorem esse datam constat: illa porro IV. Kal. Neapoli, in discessu: itaque non est, vt ante IV. Kal. opinemur datam) sed, vt de die, qui, quo tempore locutus est cum Pompeio, futurus erat. sermo autem ille cum Pompeio, vt iam dixi, aliquot diebus ante, hoc est postridie Parilia, habitus erat. *Putarent.*] subducerent. &, Rationes, publicorum vectigalium; quæ publicani conduxerant. ea putatio ad consules Pompeium & Crassum pertinebat. *Gladiatoribus ne*] putare ne vellent rationes, quibus diebus gladiatores pugnarent? ante, Pompeius respondit. *Is*] Pompeius: a quo Demetrius omnia cognosceret, tu autem a Demetrio. *Voramus litteras*] hinc heluo librorum M. Cato in libris, opinor, de finibus. *Homine mirifico*] refertur ad doctrinam: & eundem appellat doctissimum epist. 7. lib. 7. οὐδὲν] desit fortasse verbum ἐστὶν: vt sit,

Οὐδὲν γλυκὺ περόν ἐστιν, ἢ πάντ' εἰδέναι.

Est autem senarius iambicus. *Primus dies,*] an, gladiatorum? vt quærat ἐπισημασίας. nam gladiatoribus, ludisque, de bonis

bonis improbisve ciuibus quid populus sentiret, perspiciebatur. epist. 5. lib. 1. & 18. lib. 2. An, primus dies, & secundus, & ceteri, postquam vrbe exiui? at hoc superioribus potius litteris Attico mandasset. An, primus dies, vbi consules, Pompeius & Crassus, Romam venerint? forte hoc verisimilius: vt, quemadmodum de censoribus, ita de consulibus, ab Attico quærat: cum præsertim, quod exspectaret, non esset nihil, vt de comitijs prætorum huius anni; quæ non ante III. id. Maij habita esse a consulibus, locus indicat in epist. ad Quinctum, lib. 2. epist. 11. *Censores*,] num ciuitatem censeant, an id desperetur. epist. 17. *Appius*,] forte de Appio quærit, quia videbat eum hoc anno consulatum petiturum. anno enim proximo consulatum gessit. de Appio consule designato minime credendum. consul enim creatus ex interregno, vt omittam, quod nec dum aduenerat legitimus comitiorum mensis Quinctilis. hanc enim epistolam Aprili mense scriptam, intelligitur. *Appuleia*,] Appij frater P. Clodius, qui populum in tribunatu non secus, atque Appuleius Saturninus, concitat. Appuleiam autem appellat per contemptum, quasi effeminatum & mollem. *Nostrum librum*] commentarium earum rerum, quas in consulatu gessimus: vt habeat, vnde sumat ad historiam conficiendam. epist. 12. lib. 5. fam. *Demetrii Magnetis*] librum περὶ ὁμονοίας.

IN EPISTOLAM XII.

Ante] antequam Roma proficiscerer: aut, antequam Egnatius Romam rediret. *Aquillio*] iuris consulto: vt sit C. Aquillius Gallus, qui Ciceronis collega fuerat in prætura: vt in oratione pro Cluentio, & Officiorum lib. 2. *Præsto esse*:] Macronis caussam non video posse defendere, cum auctioni constituerim interesse. Forte autem vel emere quippiam Cicero volebat in auctione: vel ad eum bonorum pars, quæ vendebantur, ex hereditate pertinebat. hereditates enim cum in plures essent dispertiendæ, quo id fieret commodius, auctione diuenditæ in pecuniam redigebantur. *Postridie Kalendis*] quo die Romæ ero. Kalendis quibus? Maij, non puto. nam in proxima superiore epistola, quam diximus post IV. Kal. Maij esse datam, verbum nullum posuit, vnde pateat Romam ire velle: potius indicat, per aliquot dies

non esse in vrbem rediturum. itaque litteras ab Attico flagitat. *Apud me*] domi meæ. nam, Apud aliquem cenare, non est, cum illo cenare, sed in eius ædibus. ideo dixit epist. 6. lib. 5. Se cum, & apud se; pro, & cum ipso, & in eius ædibus. potest enim aliquis cum aliquo, nec tamen apud eum cenare: rursus potest aliquis apud aliquem, nec tamen cum eo cenare: vt hic Cicero cupit Atticum apud se cenare, cum ipse Romæ nō esset. Sic locutus epist. 2. lib. 1. fam. & in dialogo de Fato apud Macr. & epist. 9. lib. 1. fam. Cenauit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Et hic epist. 6. lib. 5. Et lib. 1. de orat. Quem non longe ruri apud se esse audio. Et Catul. epist. 13. ad Fabullū, Cenabis bene mi Fabulle apud me, &c. Terent. in Heaut. Vbi nam est quæso? apud me domi. Et in Eun. Apud Antiphonem domi. Pro Sextio, Apud se ruri. *Crassipedis*,] generi mei. epist. 9. lib. 1. fam. *Facio fraudem S. C.*] cum senatus vocabatur, senatores, qui erant in vrbe, adesse iubebantur in senatu; qui non erant, iuberi non poterant. Cicero autem, ne citari posset, vrbem non est ingressus Kalendis, quo die senatus habebatur, sed in hortis suburbanis consistere & cenare voluit. fraude igitur subterfugit S. C. quo in S. C. scriptum erat, vt senatores, qui in vrbe essent, in senatum vocati venirent, non venientibus pignora auferrentur. orat. 1. in Antonium. *Milonī.*] quem Clodius de vi accusabat. hoc opinor intelligi. quod si ita est; hæc epistola ante duas superiores fuit collocanda. scripta est enim Marcellino & Philippo cos. (tum enim a Clodio Milonem accusatum, multis argumentis declarat epist. 3. ad Quinctum fratrem) proximæ autem Pompeio & Crasso cos. Alij, Præsto Miloni, in eius nuptijs, interpretantur. sed dies non conuenit. hic enim Romæ vult esse postridie Kalendas; in epistola vero, quæ sequitur, ad XIV. Kalendas; quo modo vtrumque nuptiarum caussa? *Promouebo.*] puto, quid significetur, minime multis liquere. sunt etiam, qui mutandū existiment. ego tueor antiquum verbum, & explano, Promouebo, proficiam aliquid in Alimenti re. quo sensu & Terentius in Andria dixit, Nihil promoueris. *Domus tota*] domestici omnes. Sic locutus & M. Cœlius epist. 16. lib. 8. fam.

IN EPISTOLAM XIII.

Milonis nuptiæ.] duxit vxorem Faustam, Syllæ dictatoris filiam.

filiam. Pedianus. *Opinio*] mense Nouembri scripta est epistola, Pompeio & Crasso cos. neque dum habita comitia fuerant, nec omnino habita sunt eo anno; sed ex interregno Appius & Domitius consules creati. *Vt sit rata. Abfuisse*] Bessarionis liber, Etsi irata fuisse. correctione opus est: quam, a me non inuentã, qui ingenio præstant, inuestigabunt. *Quod non placeret:*] quod mihi non probaret. *Defuissem,*] Pompeio de me bene merito. *Resistas,*] vrbanas. *Consules*] Pompeius, & Crassus. etsi Crassus proximis diebus vrbe, iturus in prouinciam, exierat. sed eius animum, cum adesset, nosse Atticus potuerat. *Crassum quidem nostrum*] iocatur. nõ enim amor erat inter eos, licet redijsse in gratiam viderentur, intercedente Cæsare, vt scriptum est in epist. 9. lib. 1. fam. atque etiam Publio, ipsius Crassi filio. Plutarchus. ideo paullo post: O hominem nequam. *Minore dignitate*] & hic iocatur. quod enim sciebat omnibus esse notum, id Attico tamquam ignotum significat. quis enim nesciebat, nulla Crassum dignitate, contra C. Ateij Capitonis tribuni pl. obnunciationem, exijsse? *AEqualem eius L. Paullum,*] eius filium, qui consul perijt Cannensi prœlio; Africani minoris patrem naturalem. Is in secundo consulatu paludatus exijt ad bellum Macedonicum; nec multo post victor, capto etiam rege Perse, triumphauit. æqualem Crassi, vel cum ioco nominat, quod vterque iterum consul ad bellum sit profectus; vel serio, quod eadem ætate essent, cum ad bellum exiere. nam, sexagenarium vtrumque fuisse, tum ex Liuio, tum ex Plutarcho licet conijcere. *Paludatum,*] paludamentum vestis erat imperatoria, qua induti ad bellum exibant. *Hominem nequam.*] qui, C. Ateij Capitonis, tribuni pl. obnunciationibus diris que neglectis, auri Parthici cupiditate præceps, ante finem consulatus iuit in prouinciam. Cicero lib. 1. de Diuin. Plutarchus, Dio, alij. Eius tamen absentis dignitatem defendit in senatu. epist. 8. lib. 5. fam. *Libris oratoriis*] tribus ad Q. fratrem. epist. 16.

IN EPISTOLAM XIV.

Eos, quos in manibus habeo,] de rep. epist. 16. *Quinto fratre*] qui ad Cæsarem hoc ipso, quo epistola scripta est, mense profectus erat, Appio & Ahenobarbo cos. patet ex epistо-

lis ad Quinctum. *De comitiis,*] quorum tempus non ita longe aberat. eo tamen anno habita non sunt. *Festine*] Festiue potius, quam Festine, postulat sententia. *Totoque ttinere*] Asiatico. epist. 15.

IN EPISTOLAM XV.

De Eutychide] seruum Eutychidem Atticus liberaturus, eum de suo vetere prænomine, nouo nomine, quod ipse a Cæcilio auunculo adoptatus acceperat, T. Cæcilium Eutychidem appellare constituerat. *Dionysius*] is, qui postea Cicerones pueros erudijt. vide epist. 6. *In meo dolore*] in exsilij calamitate. *Pituanios*] deprauatam dictionem vnius litteræ mutatione corrigo, & pro Pituanios, lego Pituanius. Pituaniorum enim familiam constat ex antiquis monumentis Romæ fuisse. Tacitus lib. 2. L. Pituanium de saxo deiectum esse tradit. & Pituaniæ mentionem in lapide vidimus, id est mulieris ex Pituania familia in aliam adoptatæ. *Ad* III. *non. Quinct.*] miror: cum in vetere Romano Kalendario dies hic sit nefastus. forte, IV. hoc est IIII. vt errorem creauerit inscitia librarij; qui, cum non intelligeret IV. diuiserit V. in duas lineolas, & fecerit II. vnde IV. non. abijt in III. Quod idem accidisse crediderim in Pediani argumento orationis pro M. Scauro, vbi agit de C. Catone cõdemnato. eodemque in loco, cum ait summum iudicij diem IV. non. Sep. fuisse: adducor eadem ratione, vt legendũ potius existimem, III. qui nefastus dies totus non fuit, sed partim nefastus, partim fastus: quod indicant appositæ ad eum diem in Kalendario duæ coniunctæ litteræ N P: quas suo loco explanauimus. *Cato*] C. Cato, de cuius absolutione & infra epist. 16. *Procilius*] huius familiæ fit mentio in vetere nummo clarissimi viri Andreæ Lauretani, & in Varrone lib. 4. de lingua Latina. *Ex quo intellectum est,*] ex quo iudicio. nam Suffenatis, Catonis, Procilij consilia de corrumpendis tribubus patefacta sunt. duo tamen absoluti, vix vnus condemnatus. *Tres ἀρφοπαγίτας*] εἰρωνικῶς de Suffenate, Catone, Procilio: quod, qui in iudicijs, quæ administrare cõsueissent, ἀρφοπαγίται, id est seueri & iusti iudices, haberi vellent, ij deinde, dum magistratum assequerentur, nihili facerent neque ambitum, quo se tam turpiter inquinarent; neq;

comitia,

comitia, quæ differrent, vt largitioni spatium longissimum daretur: neque interregnum, quo res fluere videretur comitijs dilatis; neque maiestatem populi R. quam negligere viderentur: quia, cum grauissimam iudicum personam sustinerent, flagitiosi tamen in petitione fuerunt, vt, ipsorum scelere, iudicia populi R. male audirent: quo maiestas minuebatur. *Publius*] Clodius. *Otalus*] vna interposita littera legerem, Hortalus: vt Q. Hortensius significetur. Hortensiorū enim cognomen Hortalus fuisse, patet ex Cornelio Tacito, qui de quodam Hortalo loquitur, huius Hortensij nepote. *Veritas est enim pusilla*,] in hoc verborum ambitu suspicor latere mendum. & forte locus ita corrigendus: Verita est enim filia, quæ nunc laborat, ne animum Publij offenderem: Vel, ne animus Publij offenderetur. vt eum Tulliola rogauerit, ne Procilium defenderet contra P. Clodij accusationem; verita scilicet, ne Clodius eo facto grauius irritaretur. *Laborat*,] morbo affecta. Τέμπη] amœnissima enim regio. Varro lib. 1. de re rust. *Consulem*] Ap. Claudium Pulchrum. & de hac Reatina caussa Varro lib. 3. cap. 2. de re rust. & Tacitus in primo annalium. *A M'. Curio*] Varronis verba sunt apud Seruium in commentario Æn. lib. 7. Lacus Velinus in Narem deriuatus a quodam consule. Vt fortasse cōsul fuerit M'. Curius Dentatus. & hic, M'. non M. vt antea, legendum est: quod est, Manius, prænomen veteribus vsitatum. *In Nar*] vel indeclinabiliter posuit, vel neutro genere. Virgilius virili,

Sulphurea Nar albus aqua.——

Ex quo est illa siccata, & humida tamen modice, Rosia.] sic in duobus antiquis libris, Caualcantis, & Bessarionis. est tamen, cur aliquid desiderem. placeret tale quippiam, Ex quo est illa quidem siccata, sed humida tamē modice Rosea. quale illud in epistola ad Quinctum fratrem: De nouis tribunis pl. est ille quidem in me officiosissimus Sextius, sed valde aduersante Clodio. Aut, si veterem lectionem conseruari placet, explanemus, Illa, cuius maxime laudatur vbertas. Festus enim hæc de Rosea. Rosea in campo Reatino campus appellatur, quod in eo arua rore humida semper seruantur. & Plinius lib. 17. cap. 3. *Vixi cum Axio:*] iucundissime fui: vt infra in epistola nescio qua: Cum Pansa vixi in Pompeiano. & villam habuisse Axium in agro Rosiano, testis est

Varro libro 3. capite 2. de re rust. *Septem aquas*] Dionysius Halicarnasseus libro 1. *Fonteii caussa*] vt agerem Fonteij caussam. *Magno & æquabili plausu*] qui mihi theatrum ingredienti a populo datus est. & addidit, Æquabili, quia, Magno, per se non referebatur ad laudem. nam & plausus magnus datur odiosis hominibus, sed minime æquabilis, clamoribus, sibilis, omni strepitu permistus; magnus autem & æquabilis ijs, qui diliguntur. *Manumissus*,] quia histriones omnes serui. Antiphon, inquit, vix productus erat, cum populus ei libertatem postulauit. vel, Manumissus, re vera, ante quam productus. *Nihil tam verum.*] quod in histrione reprehenditur: cuius est, fingere, quæ susceptæ personæ conueniant. *In Andromacha, & Astyanacte*] personis, accipio, potius quam fabulis. *Arbuscula.*] Fuere eodem tempore tres insignes meretrices, eædemque mimæ, Arbuscula, Cytheris, Origo. Seruius ecl. 10. Arbusculam, & Horatius nominat Sat. vltima lib. 1. In lapide autem antiquo, qui Romæ est, ad Agonem, mentio fit Volusiæ Arbusculæ. Et in aliis lapidibus nominatur Cytheris. Quorum lapidum inscriptiones vna cum aliis innumeris in vnum redegit Aldus filius. *Ludi*] ludos Apollinares intelligit: de quibus infra. *Dilata.*] cum ludos Apollinares consequi soleret. itaque infra de venatione legitur, a Bruto prætore post ludos Apollinares populo data. *Sequere nunc me in campum.*] hoc dicitur: Accipe nunc de ratione petitorum. petebantur enim in campo Martio magistratus. *Fenus, &c.*] idibus Quinctilibus feneratores pecuniam dederunt bessibus: id est vt pro centenis octoni in anno vsuræ nomine penderentur: cum antea supra trientẽ, dimidium quod est bessis, vsura non fuisset. eam pecuniam ambitiosa candidatorum manus sumebat, vt tribubus pro magistratu alius alio plus promitteret. Idibus autem vt vsuræ soluerentur, in consuetudine fuisse, & Horatius testatur, & Cicero ipse in Catilinam & Antonium. *Non molestè fero.*] non quod amaret lucrum, auunculi Cæcilij feneratoris heres: (nam is, Attico adoptato, decesserat, vt apparet epist. 20. lib. 3. & apud Valerium lib. 7. cap. 9.) sed quod priuatæ rei finibus se continens, de rep. non magnopere laboraret. *O virum, o ciuem.*] ironia: quasi neque viri boni esset, neque ciuis, id, quod & turpe esset, & ad remp.

remp. pertineret, non moleste ferre. *Confirmant:*] ad consulatum. epist. 16. *Consules*] Ap. Pulcher & Domitius Ahenobarbus, Memmio & Domitio Caluino consulatum pactione polliciti. pactio autem quæ fuerit, aperte scribit in extrema epistola huius libri. *Fremit,*] ob pactionem a consulibus cum Memmio & Domitio factam. ipse enim Scauro studet, consulatum petenti. studet autem non tam ob eam causam, quia Scaurus bello Mithridatico quæstor eius fuerat, vt Appianus lib. Antioch. & Iosephus de bello Iudaico lib. 1. tradiderunt, sed etiam, quia sororem eius Æmiliam Pompeius habuerat in matrimonio: de quo Plutarchus in Sylla & Pompeio. erat autem hic ad petendum consulatum Scauro legitimus annus. fuerat enim prætor biennio ante, Lentulo & Philippo cos. in oratione pro Sextio. *Dubitatur.*] quia sæpe animũ occultat simulationis integumento. vide ep. 9. & sane ad extremum Pompeius Scaurum abiecit. epist. 8. lib. 3. ad Q. frat. *Messalla*] consularis candidatus: qui deinde consul factus est cum Domitio Caluino. *Coitio consulum*] Appij & Domitij, qui coierant, vt Memmium & Domitium consules crearent. epist. 18. *Pompeius*] qui Scauro studebat. videbat enim, Scaurũ & Messallam, cum vterque patricius esset, consules simul fieri non posse. quod vetus Sextia tribunicia lex prohibebat. ideo contra Messallam incumbebat. *Ea comitia puto*] consularia. de tribuniciis enim nunc subiiciet. vere autem Cicero putabat. nam tribunicia sunt habita hoc anno, consularia vero non sunt. Plutarchus in Catone de tribunis hoc anno creatis: de consulibus autem sequenti anno ex interregno factis, Appianus. In Bessarionis libro, Pompeius absens est ex comitiis puto. *Arbitrio Catonis peti-turos.*] M. Catonem, postea Vticensem cognominatum, qui tum erat prætor, arbitrum constituerunt, vt damnaret quemquem eorum putasset in petendo pecuniam dedisse. Plinius Secundus in procœmio. *H S quingena*] singuli aureorum scutatorum quindecim millia deposuerunt. & recte cõuenit ei cum Plutarcho: qui hac ipsa de re in Catone loquẽs, ait depositas a tribuniciis, δέκα δύο ἡμῶν μυριάδας δραχμῶν ἀργυρίου. Idem in epistola 14. libri 2. ad fratrem. *Gratuita*] vt tribunatus pl. non pretio, sed gratis, a populo detur. *Plus annus Cato potuerit,*] quandoquidem eius metu gratuita fuerint co-

mitia: quæ non solent esse gratuita omnium iudicum metu. *Meßius*]is, de quo in epistola 1. huius libri. *Reuocatus.*]a propinquis, vt opinor, aut ab amicis. nam iudicij causſa neminem de legatione in vrbem inuitum reuocari licebat. quare non a prætore, sed a suis reuocatum existimo; ne iudicij pœnam videri posset effugisse legationis præsidio potius, quã innocentia. *Seruilius edixit, vt adesset.*] P. Seruilius, Isauricifilius, hoc anno prætor, vt in epistola sequenti, qui consul fuit cum C. Cæsare. *Adesset.*] ad causſam dicendam. Sic Pedianus in argumento Cornelianæ: Cum P. Cassius prætor decimo die, vt mos est, adesse iussisset. *Tribus habet*] tribus hæ Messium videntur absoluturæ, Pontina, Velina, Mæcia. *Agitur tamen satis.*] aliquid tamen proficitur; etsi acres habemus aduersarios. *Ad Drusum:*]vt post Messium defendam Drusum. epist. 10. *Ad Scaurum.*] qui accusatus erat a P. Valerio Triario repetundarum ex Sardinia. iudicium M. Cato prætor exercuit. Pedianus. *Consules designatos.*]ij, qui consules designabuntur. *In Britannia.*] quo Cæsar cum legionibus transiecerat. epist. 16.

IN EPISTOLAM XVI.

Librarij manu]sua enim scribebat, cum occupatus non erat. idem epist. 3. lib. 3. ad Q. fratrem. *Quod erat abs te,*] non est locus sine mendo. Supra Bessarionis liber, Plerique, non, Pleræque: &, Esset, non Esses. *Bruto datæ:*]mallem, Buthroto: vt epist. 16. *In aliquem locum,*] in mea scripta. *Lælij,*]antea, Pæti: & in Bessarionis libro, Pætij. nos, Lælij, reposuimus, ex epistola 5. libri 3. ad Q. fratrem, in qua ita scribit: Sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem Lælij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis. Macrobius etiam cum Scipione locutum Lælium in libris de rep. testatur. ἐξωτερικοὺς]hanc dictionem neque hic Cicero, neque Gellius intellexit. sunt enim ἐξωτερικοὶ libri, omnes extra rem propositam. Simplicius, Philoponus in libros de anima, & de cælo. *Istum appellarem:*] Varronis mentionem facerem. *In iis libris*] in oratorijs. epist. 16. *Valetudine*] infirmissima: vt in oratione pro Rabirio. *Non alienus a Scæuolæ studiis.*] erat enim de iure ciuili: & Scæuola iurisconsultus. itaque adest in primo libro: in duobus reliquis, præcepta tradẽtibus, vir grauissimus recte non adest. *Disputationi*]hæc dictio a tribus

antiquis

antiquis libris, Bessarionis, Caualcantis, Ferri, abest. *Iocularia*] ad τεχνολογίαν refer, Scæuolæ, vt leuem & ioculatoriam, persona minime dignam. *Luculenta*] Bessarionis & Ferri libri, Luculenta res Aureliani, vt scribis, indiciis: vt Aurelianum indicasse dicat, luculentam rem esse. *Vt ille intelligat*,] tibi gratum esse, quod ei non desum. *Nihil dificilius*] Vestorio: cum tamen te & me vtatur facillimis. *Lege Iunia & Licinia*] ne idem iteretur, vide supra, epist 9. l. 2. *Fusia*] vide supra, ep. 14. l. 1. *Patronis*] patronum C. Catonis fuisse M. Scaurum, scribit Asconius in argumento orationis pro Scauro. *In gratiam rediit.*] altero enim ante anno, Marcellino & Philippo cos. tribunus pl. rogationem in Milonem promulgauerat. epist. 3. & 4. lib. 2. ad Q. fratrem. *Drusus*] in epistola extrema lib. 2. ad Q. fratrem, Drusus, inquit, erat de præuaricatione a tribunis ærariis absolutus, in summa quattuor sententiis, cum senatores & equites damnassent. Liuiæ gentis fuit, patriciæ, pater fortasse Liuiæ Augustæ: cuius etiam filiorum alteri cognomen Drusi videmus impositum. *Iudicibus reiiciendis ad v. nonas Quinct.*] vt ad v. nonas Quinct. reiicerentur iudices, deinde iudicium fieret. *De prelio*] mihi locus videtur deprauatus. De Procilio, rectius putarem: de quo in epist. proxima superiore. *Rumores non boni*] condemnatum iri. *Iudicia*] quibus etiam nocentes absolui non ignoras. *Domitio*] Aheno barbo, consule. *Quicumque posthac*] verba S.C. *Non mihi videtur quod*] sic in libris antiquis, Bessarionis, & Caualcantis. mendum apparet: neque potest esse certa diuinatio, cum sententia lateat. quid tamen, si sic? S.C. quod hic consules de prouinciis fecerunt, Quicumque posthac, nõ nihil Pompeio iam intelligebamus, enũciationem illam Memmij valde Cæsari displicere. vt respondeant inter se, Non nihil Pompeio, & Valde Cæsari: &, Pompeij causam prouincialem hoc S.C. deteriorem esse factam, significetur. *Enunciationem*] cum C. Memmius pactionem in senatu recitauit, quam ipse & ius competitor Domitius cum consulibus fecissent. vide ep. 18. *Cæsari*] cuius opibus in consulatus petitione Memmius cum vteretur, enũciatione illa eũ offẽdit, ep. 15. *Domitius*] Caluinus, plebeius; Messalla, patricius, cõsules proximis comitiis designati. *Liberalis in populo*] munere dato. ep. 17.

Certi] sane consules creati, sed, quia comitia eo anno habita non sunt, ex interregno. *Tacitum iudicium*] quod factum non ederetur. Hoc autem decreuit senatus, vt, qui nullo pudore prohiberentur ab effuso ambitu, largitionem omitterent; cum intelligerent futurum, vt irrita esset designatio, si damnati tacito iudicio fuissent. erat igitur ad cohibendã largitionis impudentiam quasi frenum quoddam taciti iudicij timor. *Ante comitia*] ne, si post comitia fieret, potentia designatorum deterriti iudices minus libere iudicarent. *Consilius*] iudicum. *Omnibus sortita in singulos*] iam facta erat in singulos candidatos iudicum sortitio, (nam non eadem erant omnium candidatorum consilia) sed iudicia nondum facta. *Quidam iudices,*] de ambitu. *Veietorantius*] in Caualcantis antiquo libro, Veietorancius: in Bessarionis, Veiotorãtius. Opimij cognomen puto fuisse, sed potest esse mendum in litteris. *Iudicarent*] tacitum iudicium facerẽt in candidatos. *Rescidit*] placeret, Res ad S. id est, Res ad senatum: quam sententiam & proxima verba confirmant, & illa paullo infra, Senatus decreuerat, ne prius comitia haberentur, quam lex lata esset. & infra loquendi modus idem est: Intercessum non inuitis: res ad senatum. *Terentius*] tribunus pl. *Leui brachio*] non vehementer: qui ad populum de tacito iudicio leuiter tulissent. *Hic Abdera*] hic summa fuit senatorum stultitia: vt Abderitæ viderentur: de quorum stupore atque insania multi scripserunt. & ipse infra, ep. 7. lib. 7. Est, inquit, ἀβδηριτικόν, id est, ratione carens, quasi factum Abderitarum. *Non tacente me.*] reprehendente leuitatem, stultitiamque senatorum: qui cum antea decreuissent, vt ante comitia tacitum iudicium fieret, mox decernerent, vt primo quoque tempore comitia haberentur, omisso tacito iudicio. *Res integra ferretur.*] ad senatum. &, Res integra, vt ageretur super tota re, quid omnino agendum, haberentur ne comitia consularia omisso tacito iudicio, an comitiis iudicium anteponeretur. Eodem sensu dixit oratione quarta in Catilinam, Referre tamquam integrum, id est, tamquam nihil esset actum a vobis. multa enim feciſtis, quamobrem iam damnasse coniuratos videamini. Sunt, inquit, hæc eiusmodi, vt ij, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine vlla dubitatione a vobis damnati esse videantur. sed ego instituí referre

ad

ad vos P.C. tam quam integrum, & de facto, quid iudicetis; & de pœna, quid censeatis. *Ferri leuiter.*] a consulibus, molli brachio. *Non inuitis.*] consulibus, qui tulerant. *Haberi censere.*] censuit senatus, haberi censere comitia. libentius omnino legerem sine dictione, Censere. *Partem eius*] aliis placet, Patrem eius, ex Pediano: recte fortasse: verum ego hoc in Pediano, vt accurate legerim, tamen non comperi. filium quidem, Pacuuiis subscriptoribus, a C. Valerio Triario video accusatum, a Cicerone defensum: quo de Scauro agitur in hac epistola; cum eius pater Syllanis temporibus, adolescentulo Cicerone, periisset. nec meas tamen aures offendit locutio, Cum partem eius defendissem. at ita locutus alibi Cicero non est. quid? non & alia sunt apud hunc ipsum singularia? *Singulis diebus*] singulos dies comitiales Q. Mucius Scæuola tribunus pl. obnunciatione sustulerat: id autem, ne cum populo posset agi, itaque comitia traherentur. omnes enim magistratus de cælo seruandi potestatem habebant: quod & Cicero Philippica 2. & apud Nonium Varro significat. sic Milo tribunus pl. ne comitia ædilicia haberentur, obnunciauit se de cælo seruaturum. vide epist. 3. *Satisfecerat.*] nummos distribuerat, vt ea liberalitate consul designaretur. *Qui occuparant.*] qui ante dederant: vt Domitius, Messalla, competitores. *Hæc negotia multarum nundinarum fore.*] hoc pendet ex eo, Rem non habes nullam. magnum, inquit, hoc tibi videri oportet, tam frequentes esse largitiones, vt nundinæ potius suffragiorum, ac mercatus quidam comitiorum, quam populi iudicium in designandis magistratibus, videantur. *Antium & Fauonium*] Antium Restionem, de quo Plutarchus, & alij. Fauonius autem Catonis imitator dictus, qui de rep. quidquid sentiret, libere loqueretur. *Cato*] prætor eo tempore. *Nihil timueris:*] noli vereri, ne in senatu ita libere loquar, vt eos, qui rerum potiuntur, offendam. *Non fecisse videntur.*] reus, a iudicibus absolutus, his verbis innocens pronunciabatur, Non videri fecisse. ergo hic Drusum & Scaurũ dicit, absolutos, Drusum de præuaricatione, Scaurum de repetundis, Cicerone vtrumque defendente. epist. 15. Hanc autem absoluendi consuetudinem commemorat Cicero libro secundo Academic. his verbis. Quam rationem maiorum etiam comprobat di-

ligentia: qui voluerunt, quæ iurati iudices cognouissent, ve, ea non esse facta, sed, videri, pronunciarent. *Rei*] de ambitu. quattuor autem rei fuerunt, non tres. ep. 2. l. 3. ad Q. frat. *Q. Pompeio Rufo,*] hic, occiso Clodio, acerbissimas conciones tribunus pl. habuit in Milonem & Ciceronem. Pedianus in argumento Milonianæ. *A Triario,*] qui iam de repetundis eundem accusauerat. defendit eum Cicero etiam de ambitu. Quinct. l. 4. c. 1. *Pro iis dicere?*] cum eos de ambitu reos defendes. *Tribus libris*] oratoriis. *Vt opinionem habeas rerum,*] vt habeas, mea quæ sit his de rebus opinio. *Ferendum est.*] Gabinij turpem absolutionem significat. *Ille*] Pompeius, Gabinij amicissimus. *Meaque dignitatis,*] cuius caussa constanter & libere me gessi. *Quo ad mihi satisfactum esset,*] quoad mihi satisfeciisset; vsque, dum mihi satisfactum vidisset. ΠΟΡΠΑΥΜΗΑ] ex perturbatis litteris corrigerem, πρῴρα πρύμνα. vetus adagium est, Prora & puppis, quo totum significatur: quod vsurpauit etiam in epistola ad Tironem: Mihi prora & puppis, vt in prouerbio Græcorũ est, fuit a me tui dimittendi, vt rationes nostras explicares. Quod Gabinius igitur absolutus sit, potissimum id fuit accusatorum infantia. *L. Lentuli,*] flaminis filij. ad Q. fratrem epist. 1. & 4. lib. 3. *L. F.*] vt distinguatur a L. Lentulo Crure, P. F. qui postea cõsul fuit. alibi, eadem caussa, flaminis filium appellat. *Iudicia reliqua*] erat enim de maiestate absolutus; sed præterea de ambitu, & de repetundis accusabatur. vide ad Q. fratrem epist. 2. & 3. lib. 3. *Nobis gubernantibus,*] hoc est, quod dicit in epistola nona ad Lentulum, Cum nostræ sententiæ magnum in senatu pondus haberent vsque ad Cæsarem & Bibulum cos. tum enim quasi gubernatores in puppi sedebamus: nunc vix est in sentina locus. *Vnum*] Pompeium, cuius opes etiam nocentissimos reos absoluunt. *Multa mihi dant solatia:*] multa me consolantur, id autem in primis, quod eos, qui mihi nullam gratiam retulerunt, inuidentes dignitati meæ, magnis in rempubl. beneficiis quæsitæ, nunc infinitam vnius potentiam cernentes video disrumpi. *De meo statu*] de statu dignitatis meæ. *Vnde ceciderem,*] casum intelligit exsilij. *Pedibus trahuntur:*] non laboro, etiam si pessime administrentur. Sic locutus est in epistola ad Volumnium, famil. epist. 33. lib. 7.

Stomachus

Stomachus vbi habitabat] vbi sedes iræ fuit. *Concaluit.*] calorem concepit ad concoquenda, quæ dura sunt: id est, vt non ferenda feram tamen. *Fluit ad interregnum.*] interrex creabatur, cum vrbs sine consulibus & reliquis patricijs magistratibus esset; vt is haberet comitia consularia, ijsque comitijs consules creati, haberent comitia reliquorum magistratuum. dum autem vnus esset patricius magistratus, auspicia ad patres redire non poterant: ita nec creari interrex: quem & a patribus, & auspicato creari oportebat. Qua de re diximus in commentario in epistolas ad M. Brutum. *Fluit*] tendit. quia, cum hæc scriberet mense Nouembri, nondum habitis consularibus comitijs, quæ nec in exspectatione essent, futurum videbatur, vt res vsque eo protraheretur, vt, anno confecto, cum nulli consules essent, interrex comitiorum caussa crearetur. quod ita factum est. nam consules ex interregno creati Domitius & Messalla, sic vti Appius quoque & Ahenobarbus, itemque Pompeius & Crassus. Quod autem in antiquis libris, Fuit, legitur; falsum esse constat; probabilius autem, vt correximus, Fluit: siquidem in epistola ad Quinctum fratrem 2. lib. 3. eadem de re eandem sententiam posuit, his verbis: Res videtur spectare ad interregnum. *Apud timidos iudices*] qui a Pompeio, ad quem dictaturam delatum iri putabant, sibi timentes, si eius amicissimum Gabinium damnassent, absoluerunt. ad Quinctum fratrem epist. 7. lib. 3. *Gabinius:*] qui & ipse de ambitu postulatur. epist. 3. lib. 3. ad Quinctum fratrem. *P. Sylla*] forte is, quem Cicero defendit, accusante Torquato. exstat oratio. *Quin foris esset,*] quin accusatione excluderetur, Torquato de diuinatione contendente. Alij sic explanant: Non dubitans, quin Gabinius in vrbem non introiret, sed foris maneret triumphi caussa, cum ex prouincia reuerteretur. quod si feciſſet, accusationem Sylla faciliorem sperabat. *Contra dicente,*] contenderunt Torquatus & Sylla, vt accusandi munus alter alteri eriperet. obtinuit Sylla: cum id ante non speraſſet. *Hoc tamen agitur seuerius:*] non de parricidijs accipio, neque de ambitus crimine accusatis, sed γενικῶς de omnibus reis. *Indicia*] sic antiqui libri, non, Iudicia, quotidie, inquit, nocentes homines indicio prodũtur. *Multi alii*] quo modo, cum proxime dixisset, Omnes absoluen-

tur, de multorum condemnatione subiecit? quia, Hoc tamẽ, scriptum est non eodem die, quo superiora. quasi enim se corrigens, intulit, Hoc tamen agitur seuerius. *Vrbani*] per iocum: vt vrbanos & festiuos homines per iocum appellet, qui accusati ne responderent quidem; ne defensionem inutilem stulte dicerentur suscepisse. *Et tamen,*] quamquam Gabinius absolutus sit. *Absoluto*] maiestatis iudicio, Lentulo accusante: quod paullo ante cum scripsisset, de liberto condemnato per obliuionem omisit, hic omissum repetit, non suo loco. ad fratrem epist. 1. 2. & 3. lib. 3. *Solidũ pectoribus*] animi non infirmi; qui, postquam reus iudicatus est læsæ maiestatis, statim magna libertate dixit, quæ sequuntur. fuit autem vel Græcum adagium, vel initium versus ex aliquo vetere poeta. *Lege Papia*] hæc videtur fuisse de maiestate. *Pontinius*] C. Pontinius, qui prætor fuerat Cicerone consule, moxque in prouinciam Ciliciam legatus cum eo profectus est. Et videtur ab vrbe deriuatum nomen. nam, vt a Gabijs Gabius, & inde Gabinius, sic a Pomœtia Pomptinus, & Pomptinius, siue Pontinius. vtroque enim modo scribebatur, sicuti & tribus modo Pontina, modo Pomptina. *Ad* IV. *nonas Nou.*] qui dies ludos plebeios primus, vt opinor, consequebatur. vide infra de ludis, epist. 11. lib. 7. *Triumphare.*] de Allobrogibus. Dio lib. 39. in oratione de prouincijs. *Cato*] M. Catonem hoc anno fuisse prætorem, & iudicium repetundarum in M. Scaurum exercuisse, perspicuum fit ex Pediano. itaque, quod sequitur, Prætor, mallem, Prætores. nam etiam ad Q. fratrem lib. 3. epist. 4. Cato & Seruilius prætores prohibituros se minantur. vt omittam, quod supra de Catone & Seruilio prætoribus patet, epist. 14. *Mucius*] Scæuola. epist. 16. *Latum de imperio:*] vnius diei, quo ingressus vrbem, triumphum ducturus erat. alioqui imperium habere intra vrbem licebat nemini. huius generis exemplum exstat apud Liuium lib. 45. his verbis: Tribus his omnibus decretus ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, vt ijs, quo die vrbem triumphantes inuecherentur, imperium esset. *Insulse.*] quia legem de imperio Pontinij Ser. Galba prætor clam ante lucem tulerat: quod a Dione traditum est: &, agi quidquam

cum

cum populo ante horam primam, leges vetabant. *Appius consul.*] eius amiciſſimus, vt apparet ex epiſt. 9. lib. 3. fam. *Triumphare*] Beſſarionis liber, Triumphaturum. vtrumque recte. *Sine lege*] curiata: qua populus proficiſcentibus in prouincias imperium dabat. epiſt. 9. lib. 1. ad Lentulum, &. epiſt. 2. lib. 3. ad Q. fratrem. *Confecta Britannia,*] cum Cæſari, quod ageret in Britannia, reliquum nihil eſſet. *Proximo*] proximis diebus; cum & alias ante accepiſſet. Sic arcano, & arcane, commodo, & commode, indifferenter veteres dixere. epiſt. 6. lib. 9. & 3. lib. 16. Quod item obſeruauit Cariſius. *Pilius*] Piliæ propinquus, quam Atticus habebat in matrimonio. epiſt 7. lib. 8. fam. *Noſter,*] Beſſarionis liber, non. placeret, Noſtri; cum ſequatur, Tuorum. *Vlla veritas,*] ſi præſtare vis, quod promiſiſti. *Cicero meus*] quem Dionyſius erudiebat. epiſt. 15. Illud animaduertendum, eſſe in hac epiſtola multa inter ſe pugnantia: vt neceſſe ſit, aut pluribus diebus ſcriptam, aut non vnam eſſe.

IN EPISTOLAM XVII.

Gratum aduentum:] aduentum Attici in Italiam. Buthroti enim fuerat. infra. *Promiſſi,*] hoc eſt, quod in proxima dixit, Si vlla eſt in te veritas, aduentare iam debes. *Tranſmiſſionis.*] cum ex Italia in Græciam cum periculo nauigaſti. *Nam Veſtorio dandi ſunt dies,*] nam Puteolis merito pones aliquot dies in Veſtorij noſtri ſuauiſſima conſuetudine; vt illius vrbanitatem, & quaſi Atticos ſales ex interuallo reguſtes. Erat autem Veſtorius Puteolanus: & Puteoli in via, quæ ex Apulia Romam fert. *Germana puta Vide*] etſi nihil immutaui: tamen non dubito, quin ita legendum ſit: Germanam: peti vide. vt ſit ſenſus. aduola mi Attice, & inuiſe ſimilē remp. reip. illi noſtræ, quam laudare ſolebamus. dicit enim, Germanam illius noſtræ reip. cum ironia, quaſi prorſus diſſimilem, & plane mutatam. deinde ſequitur: Vide magiſtratus peti, nummis ante comitia tributim vno loco diuiſis palam. Quæ verba ſi quis diligentius expendat, ſingula emphaſim habere cognoſcet. vide item, inquit, Gabinium abſolutum, cum nocentiſſimus eſſet. concedatur etiam, vt auctoritate floreat, & gratia. *De Meſſalla*] conſulatum petente. ſupra. *Reum*] de ambitu. nam de repetundis iam fuerat abſolutus.

epist.16.& epist.2.lib.3.ad Q.fr. *Nulla est, &c.*] nemo fere condoluit. *AEdilitas*] Asconij verba sunt: Ædilitatem summa magnificentia gessit, adeo vt in eius impensas opes suas absumpserit, magnumque æs alienum contraxerit. *Est pondus*] magni ponderis est, multum valet apud rusticas tribus memoria Scauri patris, optimi & clarissimi viri, qui princeps senatus sæpenumero electus est. absolutum patris egregia memoria, Valerius tradit lib.8.cap.1. *Duo plebeii*] nam Messalla & Scaurus patricij, plebeij Domitius & Memmius. ergo cum Messalla Scaurus, cum Domitio Memmius contendebat. *Adiuuetur*] adiuuetur munere, tametsi nõ gratissimo. epist.16. *Cæsaris commendetur militibus,*] ad suffragia venientibus. *Pompeii Gallia*] forsan Pompeij Galliam eos colonos appellat, qui ab eius patre Strabone deducti sunt in Galliam: vt Galliam Pompeij dicat Pompeij clientes a patre relictos. suspicor tamen in dictione Pompeij mendum esse. non enim fautor Memmij Pompeius; aduersarius potius, vt supra, epist.15. Pompeius fremit, queritur. *Si non valuerit,*] si Memmius intelliget, hæc sibi ad consulatũ obtinendum haud satis esse, tribunum pl. aliquem inveniet, qui, obnunciationibus interpositis, comitia in aduentum Cæsaris detrudat. Sic ad Quinctum fratrem epist.2.lib.3. Consules comitia habere cupiunt, rei nolunt, & maxime Memmius, quod Cæsaris aduentu, sperat se futurum consulem. Aduentum autem Cæsaris in Italiam intelligit, (nam Romam ingredi proconsul cum imperio non poterat) quemadmodum venit triennio post, vt M. Antonij, quæstoris sui, commendaret colonijs & municipijs sacerdotij petitionem. lib. 8.belli Gallici. *Catone præsertim absoluto.*] tribuni pl. iam nihil non audebunt, cum C. Catonem, qui nihil non ausus erat in tribunatu, videant absolutum. vel proprie de comitijs impediendis intellige. facile enim, vt id faciant, adducentur tribuni pl. cum Cato, qui tribunus pl. biennio ante comitia in annum sequentem detruserat, sit absolutus. ad Quinctum fratrem, epist.5.lib.2. *Pacciana epistola*] hic apparet, diuulsa esse, & alieno loco agglutinata harum epistolarum membra. nam Paccianæ epistolæ incipit respondere in epistola proxima superiore: vt, in hac quo modo respondere possit, non videam. *Musicis eruditos*] sic veteres libentius, quam Arte musica.

musica. Lib. 1. de orat. In musicis numeri, & voces, & modi. pro, in musica arte. Et in procœmio eiusdem libri: Quis musicis penitus se dedidit? pro, arti musicæ. Et Tusc. 5. Musicorum perstudiosum accepimus Dionysium; poetam etiam tragicum. Terentius in Eun. Fac periculum in musicis. Hic lib. 12. Hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis exercitatum. *Paullus*] L. Æmilius Paullus, qui duas basilicas, veterem restituit, nouam exstruxit. *Disrumparis licet*,] inuidia; quia me videas inter præcipuos esse Cæsaris amicos, hominis florentissimi, nobilissimi. dictum quasi ioco. *Monumentum*] quod laxationem fori. ipse enim proxime sequentibus verbis interpretatur. *Vt forum laxaremus*] Suetonius hæc de Cæsare: Forum de manubijs inchoauit: cuius area H S super millies constitit. *Contempsimus*] abiecimus: quia cum priuatis non poterat transigi lexcenties H S: & quia rem gloriosissimam, sæpta scilicet in campo Martio marmorea, minore pecunia faciemus. Postea tamen cum priuatis transactum esse millies, id est scutatorum tricies centenis millibus, e Suetonio & Plinio cognoscitur. *Sexcenties H S*] decies octies centenis scutatorum millibus. *Cum priuatis*] quorum ædes, vt forum laxaremus, erant euertendæ. *Tribunicijs comitijs*] Caualcantis & Bessarionis duo antiqui libri, Tributis comitijs. placet: vt, populum, qui ex regionibus & locis ad suffragia conueniebat, (hæc enim Tributa comitia dicta, docet Gellius ex libro Lælij Felicis) marmorea sæpta, non, vt ante, lignea, concluderent. Qua de re plenius in libro nostro de Comitijs. *Ad quid laboramus res Romanas?*] quorsum igitur de rebus Romanis laboramus? qui enim hoc monumentum contemnit, apparet eum de rebus Romanis nihil laborare. sin autem laboramus; non est, vt hoc monumentum contemnere possimus. *De lustro*,] censores post censum vrbem lustrabant: sed censum lustrumque simul tribuni pl. obnunciationibus impediebant. epistola 10. *Lege Plotia*] qua iudicia inter tres ordines communicata, senatores, equites, plebem, declarat Asconius his verbis: M. Plautius Siluanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. anno 11. belli Italici, legem tulit adiuuantibus nobilibus, qua lege tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio

creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum est, vt senatores quoq; in eo numero essent, & quidã etiam ex ipsa plebe. Bessarionis tamen liber, item Caualcantis, & Ferri, Lege Coctia. & sane de lege Plautia, vix est vt putem intelligi posse: primum quia non de genere iudicum queri Ciceronẽ existimo, sed de criminibus, quorum impunitatem improbi assequerentur. at lex M. Plautij Siluani tantum fuit de genere iudicum, de crimine nullo fuit. alia igitur hæc. deinde, ideo hic de genere iudicum non agitur, quia iudicia hoc tempore non iam lege Plautia fiebant, sed Aurelia, quam tulerat L. Aurelius Cotta Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso cos. vt cum senatoribus simul equites Romani & tribuni ærarij iudicarent. eaque lege iudicatum esse in causa Clodij, supra legimus lib. 1. item in causa Scauri apud Pedianum, in Miloniana, in alijs. Quod si, Plautia, legimus; ab alio Plautio latã intellige, qui tulerit non de iudicibus, sed de certo crimine, & fortasse de vi. nam legis Plotiæ de vi mentionem facit Cœlius in epistola ad Ciceronem, fam. lib. 8. *C. Domitius*] sic antea. reposui, C. Decimius, vt & Caualcantis, & Bessarionis, & Ferri libri habent: primum, quia libenter sequor veterum librorum auctoritatem; deinde, quia, C. Domitius, mendose legi video. numquam enim Domitia gens Caio prænomine vsa est, sed tantum Cnæo & Lucio; vt in Tranquillo legimus. *Ne toties*] nondum in Italiam Atticus redierat, cum in Asiam eundi consilium cepit. *Integrare*] ante quam ire in Asiam decreuisses. *Reprimam*] quia futurum non spero, vt consilium mutes. *Reditus*] si profectionem tuam impedire nõ potest, saltem valeat ad celeritatem reditus. *Quid egeris.*] num eum libertate donaueris. epist. 15.

IN EPISTOLAM XIIX.

Non oblitum] non quia sim oblitus. *Committamus*] scribendas demus. *Excidat*] Excidant. Bessarionis liber. locus deprauatus. *Pactionem*] pactio hæc erat. Memmius & Domitius consules fieri cupiunt: Appius autem Claudius & L. Domitius Ahenobarbus consules id agunt, vt consulatu functi in prouincias mittantur. promittunt igitur, se operam daturos, vt consules creentur Memmius & Caluinus: illi cõtra, se tres augures daturos, qui dicerent se affuisse, cum lex curiata

curiata de imperio prouinciarum ad populum ferretur; & duos consulares, qui se affuisse dicerent, cum senatusconsultum de ornandis & instruendis consularibus prouincijs scriberetur: nisi hoc fecissent, H S darent ambo quadringena Appio & Ahenobarbo. *Ipse suus*] mallem, Ipse, & suus: & paullo post, Fecissent. *Ambo*] Memmius & Domitius. *H S quadringena*] quæ sunt omnino aureorum scutatorum duodecim millia. *Consulibus*] Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo. *Ipsi*] Memmius & Caluinus. *Tres augures*] nam, cum lex ad populum fertur, adsint necesse est qui dicant licere per Iouem legem ferri, tres autē plane, cum lex curiata ferebatur; quia x x x. curiæ tres veteres tribus repræsentabant, quas singulas in denas curias Romulus diuisit. porro veteres tribus suum quæque augurem habuit. Liuius lib. 10. *Qua lata non esset:*] augures igitur pretio erant adducendi, vt latam mentirentur. non licebat autem sine curiata lege militare imperium in prouincijs habere. *Ornandis prouincijs*] instruendis, vt soleret. *Cum omnino*] nam re vera neque lata curiata lex, neque senatus fuerat: sed, quasi vtrumque fuisset, ita prouinciarum administrationem, & lege curiata, & senatusconsulto se daturos consulibus promittebant Memmius & Caluinus, si modo ipsi essent consules facti. *Affuisset*] puto, Fuisset, rectius. *Nominibus*,] Nomen dicitur, quod in codicem refertur. *Perscriptionibus*,] certa pecuniæ promissione, vt cautum esset consulibus de H S quadringenis millibus. Hinc illud apud Terentium: Perscripsi omnibus, quibus debui. *Multorum tabulis*,] cum multi, Memmio & Caluino amicitia aut affinitate coniuncti, solutionis promissione se obstrinxissent, perscriptione suis tabulis facta. *Erat idem:*] ita non commouebatur, quasi nihil turpe commisisset. *Alter*,] alter consul Domitius Ahenobarbus. *Diremptæ coitione*,] coierant candidati Memmius, Caluinus cum Appio & Ahenobarbo cos. eam coitionem Memmius inuito Caluino diremit, cum prolatam pactionem in senatu recitauit. *Refixerat*,] amiserat amicorum studia, cum illa pactionis enunciatio Cæsarem offendisset. epist. 16. *AEquitatem animi mei*,] quem videas nihil his rebus commoueri. *Seleuciana prouincia*,] nobilis prouinciæ Ciliciæ, quam Seleucus vrbibus auxit.

Perſpice] vides enim, me nihil prorſus laborare, vt proconſul in Ciliciam mittar: quam alij tam turpi pactione quærunt: cum ego multo ante conſul fuerim, ideoque multo, quam illi, facilius conſequi poſſim. quare laudes velim æquitatem animi mei, cum his pactionibus nihil commoueor. quod tibi argumento eſt, prouinciam a me contemni. niſi enim cõtemnerem, commouerer. ideo autem non commoueor, quia contemno. *Coniunctionem*,] mira eſt, inquit, æquitas animi mei: neutram in partem valde me iacto: & ſuauiſſimam cum Cæſare coniunctionem tueri conſilium eſt. *Ex hoc naufragio*] cetera cum amiſerim, teneo, quaſi tabulã ex naufragio, ſuauiſſimam cum Cæſare coniunctionem. *Hibernam legionem*] vt ſumeret quam vellet legionem, in hiberna ducendam. *Commodum*] paullo ante: vt ſæpe apud hũc ipſum. *Scribit.*] Quinctus. *Legatum Pompeioꝝ*] ituro in Hiſpaniam, ei lege Trebonia in quinquennium anno ſuperiore demandatam. quo tamen numquam iuit. De legatione autem frumentaria hic Cicero non loquitur. nam ea res triennio ante Pompeio mandata fuerat. epiſt. 1. lib. 3. ad Q. fr. *Vt tu tamen aliquid exſpectes.*] ne nunc ex meis litteris omnia cognoſcas. *Ad me*] hoc aut abundat, aut mendoſum eſt. dicit enim, cum Romam venies. aut explana, Ad me, in aliquam villarum mearum, vbi tum ero. Scripſit enim iam extra vrbem ſe fore ex idibus Ian.

Illud addo, omnes huius libri epiſtolas, præter priores tres, perturbato eſſe ordine, neque ſolum ipſa corpora, verum etiam membra: quæ ſuum in locum ſingula reſtituere, neque audendum eſt ſine vetuſtis libris, neque audentibus fortaſſe ſuccederet.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM QVINTVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

IBAT Cicero proconsul, cum annuo imperio, in Ciliciam prouinciam, & senatusconsulto, & lege curiata datam, Sulpicio & Marcello cos. Ac de tota Cilicienſi prouincia, locus postulat, vt paullo vberius agatur. nã etsi prouinciam suam Cicero sæpe Ciliciã appellat; scire tamen oportet, primum non omnem Ciliciam Romanis, sed partem quandam regibus subiectam fuisse; quam Vespasianus, vt ait Suetonius, in prouinciæ formam redegit: deinde, ad Ciceronis imperium sex præterea diœceses pertinuisse, primum tres, Ciliciæ proconsulibus aut proprætoribus cum Cilicia attributæ, Pamphyliam, quę Ciliciam attingebat, Lycaoniam, & Phrygiæ maioris partem vltra Mæandrum; cum eius altera pars citra Mæandrum, ab eo, qui Asię præerat, administraretur; deinde, tres alteras, Laodiceam, Cibyram, Apameam: quas ipse vocat διοικήσεις Asiaticas in epistola ad Seruilium, lib. 13 fam. Ex prouincia, inquit, mea Cilicienſi, cui scis πρὸς διοικήσεις Asiaticas esse attributas, nullo sum familiarius vsus, quam Androne Laodicenſi. Quibus verbis cõstat, ex tribus diœcesibus Asiaticis Laodiceam vnam fuisse; quæ postea, ex pristino more, ad imperium Seruilij, Asiam regentis, translata sit. nam Asiæ Seruilium præfuisse, indicat idem in alia ad eundem epistola his verbis: Si tibi vtilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse,

& istam partem reip. male affectam tueri. Septem igitur omnino diœceses complectebatur prouincia Ciceronis, Ciliciam ipsam, vnde tota administratio nomen accipiebat, Pamphyliam, Lycaoniam, Phrygiæ maioris partem vltra Mæandrum; tres præterea, Laodiceam, Cibyram, Apameam, ipsas quoque Phrygiæ maioris partes, sed citra Mæandrum; quæ ideo Asiaticæ vocabantur, quod antea in Asiæ administrationem includebantur. Et, quoniam de Cilicia satis constat, reliquarum exempla, ne qua superfit dubitatio, ex ipso Cicerone proferemus. De Pamphylia igitur in epistola 21. huius libri, vbi Pamphylium forum nominatur, & lib. 1. de Diuin. De Lycaonia in eadem epistola, cum Isauricum forum appellatur. Isaurum enim in Lycaonia Strabo lib. 12. cõstituit. De eadem aperte in epist. 15. huius libri, & epist. 10. ad Appium, lib. 3. fam. De Phrygia in epist. 21. huius libri. nam, ad forum Synnadense Phryges conuenisse, inde conijcio, quod Synnadem in Phrygia maiore vltra Mæandrum veteres geographi ponunt. & epist. 1. lib. 7. & 10. lib. 3. fam. De Cibyra epist. 21. huius libri, vbi mentio fit fori Cibyratici. De Apamea ibidem, & epist 16. 20. & lib. 3. fam. & alibi. Ne quis autem plures, quam septem, in Ciceronis prouincia fuisse diœceses arbitretur, ipsius verba recitabo, ex epist. 21. huius libri: Idibus Febr. forum instituerant agere Laodiceæ, Cibyraticum, & Apamense: ex idibus Mart. ibidem Synnadense, Pamphylũ, Isauricum: ex idibus Maij in Ciliciam. Ex hoc loco septem fora constant, Laodicense primum, Cibyraticum, Apamense, Synnadense, Pamphylium, Isauricũ, Ciliciense, quamquam Ciliciense non, vt reliqua, actum est Laodiceæ, sed in Cilicia, quo se iturum scribit post idus Maij. & epist. 2. lib. 6. idem cõfirmat his verbis: Hoc foro, quod egi ex idibus Febr. Laodiceæ ad Kal. Maij, omnium diœcesium, præter Ciliciæ, &c. Nec vero dubitandum est, quin forum etiam egerit in Cilicia, quo se peruenisse epist. 4. lib. 6. significat. Idemque de celeberrima vrbe Laodicea credendum est, præsertim cum in ea reliquarum diœcesium forum egerit, ipsaque inter tres Asiaticas diœceses vna nominetur in epist. ad Seruilium, lib. 13. fam. Quod enim ait Plinius lib. 5. ad iurisdictionem Cibyraticam Laodicenses conuenisse; consuetudinem sui temporis ostendit, omnium pæne rerum mutatione facta. nam,

si Laodi-

si Laodiceam ad forum Cibyraticum adiungimus: quænam erunt tres diœceſes Aſiaticæ? non enim de Pamphylia, aut Lycaonia, aut Phrygiæ maioris parte trans Mæandrum, in qua Synnadem vrbem fuiſſe diximus, licet ſuſpicari. nam & Lycaoniam, & Phrygiam trans Mæandrum ad Ciliciæ adminiſtrationem pertinuiſſe, iam oſtendimus. Pamphyliam vero ideo non fuiſſe inter Aſiaticas diœceſes conſtat, quod eam P. Seruilius Iſauricus cum Cilicia, & Piſidia, & Phrygia trans Mæandrum ad populi R. ditionem adiunxit, multis annis poſt Aſiam ab Attalo rege Romanis legatam. ideo ſemper eas nationes vnus rexit, tamquam vnam prouinciam. Aſia vero, quæ Attali fuerat, modo tota a proprætoribus, aut proconſulibus Romanis eſt adminiſtrata, vt a P. Seruilio, Iſaurici, quem proxime nominauimus, filio: cuius in prouincia Laodiceam fuiſſe, iam ſignificauimus: &, opinor, a Q. Cicerone, a quo Epheſum & Apameam ſimul cum reliqua Aſia gubernatas eſſe conſtat: modo non tota, ſed ademptis tribus diœceſibus, Cilicienſi prouinciæ attributis. Quæſtio ſupereſt de Piſidia, & Cypro inſula, quæ ad Ciceronis imperiũ ipſæ quoque pertinent, nec tamen inter diœceſes nominantur: de quibus vtriſque dicam, quod ſentio. Propriã non fuiſſe Piſidiæ diœceſin, ſed cum Pamphylia coniunctã, exiſtimo, eo quidem magis, quod Piſidiæ pars libera erat. In quam ſententiam illa me verba epiſt. 5. lib. 6. adduxerunt: Exercitum infirmum habebam, auxilia ſane bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum. certe enim non ſubiecti Ciceronis imperio Piſidæ, cum inter auxiliares numerentur. alteram vero Piſidiæ partem vt a Cicerone adminiſtratam putem, commoueor iis verbis libri 1. de Diuin. Cilicum & Piſidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipſi. Cyprum vero Ciceroni, & ante eum Appio ac Lentulo attributam fuiſſe, cognoſcitur ex epiſtola prima lib. 6. & epiſt. 7. lib. 1. fam. cuius inſulæ incolas ad aliarum diœceſium fora non licebat euocari: ſed eo mittebat aliquem de ſua cohorte, is, qui Ciliciam regebat. hoc ab ipſo Cicerone didici, qui epiſtola vltima huius libri, Q. Voluſium, inquit, miſi in Cyprum, vt ibi pauculos dies eſſet; ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius ſibi dictum negarent. nam euocari ex inſula Cyprios non licet. Cyprus vero lege P. Clodij tribu-

ni pl. Pisone & Gabinio cos. Ptolemæo regi ablata, prouincia prætoria, vt ait Strabo l. 14. facta est: & in eam M. Cato missus, quæstor cũ iure prætorio, vt lib. 2. tradidit Velleius: postea Ciliciæ proconsulibus, Lentulo, Appio, Ciceroni tradita: postremo a quęstoribus videtur administrata. vt epist. 48. libro 13. fam. *In discessu*] cum a tuo complexu in Tusculano diuulsus sum, in prouinciam Ciliciam proficiscens. *Ne quid noui*] ne prorogetur annuum prouinciæ tempus: quod esset nouum & inusitatum. *Desiderium*] vrbis, & meorum. *Satisdationes secundum mancipium,*] puto eas esse, quæ de rebus mancipio emptis, pretio nondum soluto, fiant. nam etsi mancipia venditor possidet ab emptore data: quia tamen ea possunt fieri deteriora, vt deinde eiusmodi non inueniantur, qualia emptor promiserit; satisdationem secundum mancipium venditor quærit, vt sibi de mancipiis caueatur. *Prædiorum,*] pro quibus Memmius & Atilius cum ab emptoribus mancipia accepissent, satisdatione præterea de mancipiorum probitate, & fructu sibi caueri voluerunt. *De Oppio*] Cicero Cæsari debebat HS DCCC, id est aureorũ viginti quatuor millia. exigebat Oppius absentis Cæsaris nomine, cuius inter amicos præcipuum locum obtinuit. ep. 4. & l. 6. fam. epist. 8. *Aperuisti*] exposuisti, ostendisti te daturum, si vrgeret. epist. 4. *Versura facta*] versuram facit, qui, vetus vt æs alienum soluat, nouum contrahit. fit enim cõuersio quædam, & mutatio creditoris. *Nostrorum nominum*] pecuniæ mihi ab aliis debitæ. cuius exactionem si exspectare vellem, sine versura DCCC soluerentur. *Transuersum versiculum*] cum pagina, versibus recto ordine subsequentibus completa, nihil vltra capit; tum, si quid eiusmodi supereſt, quod multorum verborum non sit, scribere solemus de transuerso. *De sorore:*] tua, Quincti fratris vxore. *Ego & tu*] vt inter fratrem meum & sororem tuam vterque gratiam componeremus. *Dies fecit:*] non dies in vesperum iam vergens, (nam & Marcum fratrem eadem caussa in Arcano retinuisset) sed dies festus Arcani pagi, quem sibi Quinctus in suo fundo celebrandum putauit. *Mulieres,*] Terentiam, & Tulliolam, quæ Ciceronem prosequebantur. *Pueros.*] Quinctum filium, & Marcum, fratris filium. *Hospita:*] itaque inuitandi partes meæ non sunt. *Statius*] libertus Quincti, gratiosissimus

mus apud eum, ideoque vxori odiosus. *Videret.*] pararet, curaret, vt alibi. Sic & Græci loquuntur: nam Theocrius ἐν τῷ εἰδ. ιε, ὁ ῥηδίφρον εὐνόα αὐτῆ. *Quid, quæso, istuc erat? magnum. itaque me ipsum commouerat.*] plane, & dilucide: veteres tamen libri aliter & hic, & in aliis locis, vbi nos ex ingenio, Quæso, pro Quasi, reposuimus. vt in Oratore, Quem, quæso, nostrũ fefellit ita vos esse facturos? & in Bruto: Quid quæso, nos aliud fugimus? & in epist. ad Hirtium, apud Nonium: Dicis, quid, quęso, istuc intererat? nescio: nisi tamẽ erat mihi iucundum. Hic quidem & in antiquo libro, & in omnibus ante nostram correctionẽ impressis ita legitur, ac distinguitur: Dices, quid? quasi ista erat magnum. quod ita sententiam perturbat, ac dissoluit, vt probari non possit. de nostra coniectura docti homines iudicent, quam ab antiquis libris dissentire, ingenue fatemur: nec tamẽ eo minus arridet: quippe cum in oratione pro Roscio Am. scriptũ videamus: Quid, quęso, eius intererat? quæ sunt eadẽ verba in epistola ad Hirtium, de qua mentionem fecimus. *Antequam proficiscare,*] in Epirum. *Pontinium*] legatum meum. Quatuor legatos habuit Cicero in Ciliciensi administratione, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, Ciceronem fratrem. fam. epist. 4. lib. 15.

IN EPISTOLAM II.

Iusta itinera] non vt adhuc, interrupta, aut inæqualia, sed quantum procedi quotidie posset, quantum iustis, id est satis longis itineribus possem. *Mea mandata,*] vt mandarem, si quid eum, me absente, curare vellem. *Nobis prouincias.*] nobis, qui prouincias administramus. γενικῶς de prouinciarum rectoribus dixit. nam ipse vnam habuit prouinciam Ciliciam: aut, Prouincias, quia simul habuit Cyprum, & diœceses tres Asiaticas, Pamphyliam, Lycaoniam, Isauriam, tutelam regis Cappadociæ. *Ad annum*] sic locutus est lib. 3. de oratore: Vt tibi Cæsar faciendum est ad annum. *Tribunum pl.*] qui, si quis vellet prouinciarũ tempora prorogare, posset intercessionem impedire. *Rufio noster,*] hic est C. Sempronius Rufus, de quo in ep. fam. ep. 8. l. 8. quem hic per iocum appellat Rufionem. quoniam autem cum Vestorio nescio quid ei erat controuersiæ; arbitrum statuerant Ciceronem, vt cognosceret. deinde cũ Sempronius se a Vestorio

videret obseruari, (obseruabat autem Vestorius, vt, si Ciceronem Sempronius adiisset, statim & ipse accurreret, transigendæque controuersiæ arbitrum moneret: quod Rufio nolebat, vt qui se non bonam habere caussam intelligeret) hominem stratagemate fefellit: nam ad Ciceronem nõ accessit. hunc Cicero gratissimum sibi feciſſe dicit, quod de cõtrouersia audiri noluerit, id est quod ad se arbitrum non accesserit, vt de controuersia, quam habebat cum Vestorio, transigeret. in quo quasi gratiam referre Ciceroni pro accepto beneficio visus est, quod eum audiendi molestia liberauerit. Hic Rufio per iocum a Cicerone vocatur Vestorianus epist. 14.l.14. ob insignem & diuturnam cum Vestorio controuersiam. *Tam longe*] Baulis in Cumanum. Baulis enim habuisse villam Hortensium, constat ex Varrone, lib. 3. de re rustica, etiam ex Academicis. *Hortensius*] hic non hominem, sed dignitatem indicat. *Agentem aliquid*,] ementem, aut vendentem, vt in emporio. *E Panſæ villa*,] Caualcantis liber, Epense villa, corrupte, sed vnde facile possit erui vera lectio. Beslarionis, Expense sua villa. vt aut legi possit, Exiens e sua villa: aut, quo modo ego correxi Caualcantis librum secutus, E Pansæ villa. *Num quid vellem*,] num quid sibi mandarem, proficiscens in prouinciam. *Ingentis moleſtiæ*,] provincialis. *Aliorum*.] quibus prouinciarum administratio quo longior, eo, rapinarum spe, gratior. *De auctoritate perſcripta*.] Senatus auctoritas quid sit, aperiendum est. Cum aliquid senatorum maior pars decreuerat, S.C. scribebatur, nisi tribunus pl. aliquis intercederet. intercedente, S.C. nõ erat, sed scribebatur tamẽ, quod senatus eo die statuisset; eaque Perscripta auctoritas dicebatur. Ergo, cum senatus decreuisset, M. Marcello consule referente, vt Cæsari Gallias obtinenti ante tempus succederetur, itemque ne absentis ratio comitiis consularibus haberetur, intercesserunt tribuni pl. itaque S.C. non est factum, sed auctoritas perscripta. Hac de re legendus Dio libro 41. & quæ in commentario in familiares Ciceronis epistolas diximus. *Iuſſos IV. viros creare*.] vt, cum essent omnes Latinæ coloniæ, aliquam, creatis IV. viris, municipiorum formam acciperent. nam IV. viri municipiorum erat, non coloniarum, magistratus, vt Romæ cõsules. (epist. 11. lib. 10.) id erat inducere paullatim eos in iura

ciuium

ciuium Romanorum, vt & suffragij ferendi, & petendi honores facultatem, Latinis coloniis negatam, municipiis & Romanis coloniis concessam, adipiscerentur. semper enim Cæsar, quod e Suetonio quoque constat, id spectauit, vt Transpadani, id est Latinæ coloniæ, ciuitate donarẽtur, vt qui etiam nouum Comum Romanam coloniam consul miserit. De Transpadanis aũt cum a senatu numquam impetrasset, postea rerum potitus effecit, vt apud Dionem scriptum est. Ideo infra ep. 7. l. 7. in partibus Cæsaris Transpadanos numerat. & fam. lib. 16. Gallias habet inimicissimas, præter Transpadanos. Nec dubito M. Cœlium in epist. ad Cic. de his comitiis, quibus IV. viri crearẽtur, significare, cum ait: Illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerũt. *Iussos*] a Cæsare, cuius in prouincia erant coloniæ Transpadanæ. *Magnos motus*] quod auderet Cæsar sine senatus auctoritate iura municipiorum, id est ciuitatis Romanæ, municipiis dare. *Ex Pompeio*] cum quo Tarenti sermonem habuit de rep. epist. 5.

IN EPISTOLAM III.

Quid de iis cogites, & quando,] quid futurum putes de iis rumoribus, & quando futurum. *Edictum P. Licinij*] edictum prouinciale, vt edictum Asiaticum Q. Mucij. ep. 1. l. 6. Ex iis edictis Cicero, quidquid vtile prouinciæ putaret, in suum edictum transferebat. *Dionysius*] Ciceronum pueroꝝ magister, qui & ipse cum pueris in prouinciam proficiscebatur. *Nicanor*] Attici seruus. ep. 2. l. 6. *Continentia & diligentia*] in administranda prouincia. *A Pontio*] cum essem apud Pontium.

IN EPISTOLAM IV.

Scriba] meus, M. Tullius Laurea. Plinius. *Primo, maximo mandato,*] de Tulliæ matrimonio. *Ac ne ille*] cum in Bessarionis libro scriptum videam, Ac me illud quidem labat, fit, vt ita corrigendum putem, Ac ne illud quidem labat, hoc sensu, Ac ne illud quidem, de quo ante discessum meum collocuti sumus, ex animo excidit, sed hæret. *Non quo,*] subaudi, probem. *Contenti esse.*] vt ei Tulliola matrimonio iungatur. hoc enim intelligit. *Non alienum,*] a Tulliæ

nuptiis. *Vt noſtris poſſit*] vereor, vt is adduci poſſit, vt noſtris mulieribus, Tulliæ, & Terentiæ, in conſuetudine obſequatur: etſi ſumme facilis ſit. generum enim Cicero cupiebat, cuius comitate & obſequio mulieres lætarentur. quod infra ſcribit de Dolabella, ep. 6. l. 6. *Et tuis δυσδιάγνωστον*] & quod ſcribis, tuas mulieres putare generum fore, qualem noſtræ maxime velint; id eis difficile cognitu. *πρὸς νεῦσιν eſſe*] ad aſſenſum, ad obſequium: vt aſſentiatur, vt obſequatur noſtris mulieribus. *Et quidem ſumme facilis*] horum verborum iam ſententiam oſtendi: ſed antiqua lectio, Equidem ſum facilis. cuius hic eſt ſenſus: quemquem illæ probabunt, ego probabo, facilis in omnes partes. *Rei habebis rationem meæ.*] ſuſpecta ſententia eſt, eo magis, quod in antiquis Beſſarionis & Ferri libris video ſcriptum, Res habibis mirationem nã. Suſpicionem autem de mendo facit, quod, cum ſcribat Atticum abfuturum, deinde ſubiungit: Rei habebis rationem meæ. qui enim, ſi abfuturus eſt, Atticus rem Ciceronis poterit curare? *Agente Seruio*,] libri tres veteres, Agente Seruilio Seruio. vt ſenſus ſit: negotium ſuſcipientibus P. Seruilio Iſaurico, & Seru. Sulpicio, grauiſſimis viris, & ſumma auctoritate præditis, nobiſque haud vulgari amicitia coniunctis, poſſet aliquid fieri probabile: ſed, vtroque noſtrum abſente, neque Seruilius aget, neque Seruius. Et, vt ſine copula duo nomina iungantur, ita Ciceroni vſitatum eſt, vt exempla recitare putidum videatur. *De Marcello*] M. Claudio Marcello conſule, collega Seru. Sulpicij. *S. C. ſi erit factum, &c.*] ſi decreuerit ſenatus, vt omnibus prouinciarum rectoribus ſupplementum ſcribatur. *Rem tamen conficies.*] ages tamen de ſupplemento. nam certe, vt de cæteris ſenatus non probet, mihi tamen, & Bibulo, qui proconſul in Syriam ibit, attribui oportebit. Attribui, autem explano, pecuniam: cum ſequatur, Compendium populi. *Probe.*] quod ei in ſermone ſignificaſti; me ad te de eo ſcripſiſſe. epiſt. 1. *Cum venerint.*] ages cum iis. *Quod Cherippus.*] ſubaudi, de me locutus eſt. *Hic quoque πρὸς νεῦσιν ſuſtuliſti:*] ne hic quidem ſcripſiſti, quid mihi agendum putes, ſicuti nec de illo ſcripſeras, qui tibi a Tulliæ nuptiis viſus erat non alienus. Suſtuliſti igitur *πρὸς νεῦσιν*, id eſt, non ſcripſiſti, ad aſſenſum tuũ quid ſit, quid tibi videatur agendum, quid probes. *O prouincia*] cum indignatio-

indignatione. etiam ne, inquit, quid Cherippus libertus de me cogitet, aut dicat, mihi curandum est? *Hactenus; ne quid ad senatum.*] hactenus mihi est curandus; ne, si a nobis contemnatur, impulsus ab eo patronus eius consul ad senatum referat de supplemento non attribuendo. & protulit cũ dolore, Hactenus; ne quid ad senatum: quasi maxime curandus, cum tanta res agatur. *Consule, aut numera.*] aut consilium mihi Attice da, quo pacto me geram: aut, alia via si non est, pecuniam liberto numera. minimum in eo damni faciemus: nam capies eum DC nummis sestertijs, id est, pecuniæ nostratis aureis XIIX. (& posuit exigui numeri notas, non quæ pecuniam definirent, sed quæ pecuniæ minimum significarent) qua summa facile adducetur, vt patrono suo, quod contra existimationem aut voluntatem nostram sit, (puta, de non dando supplemento, aut de proroganda prouincia) nihil persuadeat. Ceperis, autem ex ingenio legimus, non, Ceteris, mutatione fere nulla: & DC pro DE. qui error etiã est in vulgatis libris, ex antiquarum notarum ignoratione & litterarum similitudine ortus. *Quod cum Scrofa,*] subaudi, locutus de illo, quod Cherippus de me dixit. Scrofa autem, Tremelliorum cognomen. *Annius, & Tullius.*] legatos suos significat, sed nominat Anneium, epist. 55. lib. 13. fam. *Recte scribis.*] scripserat Atticus; quoniam Brundisij ante Kalendas Iunias Pontinius legatus futurus esset, vt inde in prouinciam profecturus transijceret; non fuisse caussam, cur Cicero reliquos legatos vrgeret, Annium, & Tulliũ. quamquã cum epist. fam. legatur Anneius, pro Annius; necesse est alterutrũ esse mendosum. *De Siccio*] hunc puto peritũ fuisse in conscribendis edictis prouincialibus. *Ne illa exceptio*] exceptionẽ quandã dixerat Siccius in edicto sibi placere: quę Ciceroni suspecta erat, ne forte in amicũ negotiatorẽ, aut publicanũ, cũ damno incurreret. *Quinq; præfectis,*] vide epist. 7. *De Oppio*] vide ep. 1. *Quoniam Philotimũ habes,*] libertũ Terentiæ, qui te huius oneris parte leuabit. *Cognosce rationẽ,*] vide, quantũ debeã. *Et vt agã amplius,*] & vt vehementius a te contendã. Deinde intulit, Si me amas. *Proficiscaris,*] ex vrbe. ep. 4. *Pane præterij,*] pæne ad eã partẽ nõ rescripsi, in qua chartã scribis tibi deesse. *Mea cautio*] mea interest cauere, ne tibi charta desit.

Ducentos] sestertios nummos ad emendam chartam. sume de meo ducentos; vt posthac longiores a te litteras accipiã, quibus & de meis, & de publicis rebus certior fiam. *Vellet.*] a te quærere.

IN EPISTOLAM V.

Quid narrem: noui enim nihil:] coniectura ducti, sic correximus. veteres libri, Noui enim mihi. nostram correctionem non dubito quin docti probent, eo magis, quod in epistola sequenti idem scribit: Nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandaui omnia; quæ quidem tu, vt polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui. Ferri liber, Nec, quid narrem, noui. etenim mihi, &c. *Eo autem die*] nam fere senatus nonis, idibus, Kalendis habebatur. *HS* XX *&* DCCC.] quæ Cæsari debemus. epist. 1. *Quod auctore te velle cœpi,*] Cæsaris amicitiam auctore te sum amplexus. hinc illud epist. 5. lib. 4. Te auctore respui. *Adiutore*] in soluenda pecunia. sic enim amicitia retinebitur.

IN EPISTOLAM VI.

Cum Pompeio] quid agebat hoc tempore Pompeius Tarenti? valetudini recuperandæ operam dabat, cum grauissime prope vrbem Neapolim laborasset, post tertium consulatum. Plutarchus, Cicero Tusc. 1. & hic epist. 25. lib. 8. *Secum, & apud se*] & consuetudinem, & domum significat, vt in epistola sequenti, Cum Pompeio, & apud Pompeiũ. nam, Apud se, est domi suæ: vnde illud in libro de Fato: Cum esset apud se ad Lauernium Scipio, acipenser est ei allatus. *Nostrum negotium.*] administrationem prouinciæ. *Exhauries:*] conficies, vt nihil supersit. epist. 1. *De Cæsaris nomine*] de HS CXX & DCCC, quæ Cæsari debemus.

IN EPISTOLAM VII.

Quinos præfectos, &c.] vt præfectis quinque vterer in mea iurisdictione ab ipso datis. epist. 4. *Nouos,*] non eosdem, qui superioribus annis præfuerunt, sed nouos, qui non præfuerint. vel, quod magis placet, Quinos præfectos, nouas vacationes, iudiciariam causſam. vt nouæ sint vacationes, quas præfectis Pompeius petebat, iudiciorum causſa. *Vacationes, iu-*

nes, iudiciariam cauſſam.] vt ob hanc cauſſam vacarent a prę fecturis, ſi in iudicium vocarentur. id autem Atticus mandarat, quia, ſi locus a Pompeio relinqueretur, forte & ipſe amicum aliquem deferre præfectum vellet.

IN EPISTOLAM IIX.

Curſum] idoneam tempeſtatem. *Romæ*] Roma, videtur legendum. non enim Romæ a Milone, ſed in itinere ab amicis, de Milone ſcribentibus, litteras acceperat. itaq; paullo poſt, Rem, inquit, totam perſpicias velim. nobis enim ſcribuntur ſæpe maiora. *Quod Philotimus ſocius eſſet in bonis ſuis.*] volebat enim Milo, ſuis neceſſarijs (nam ipſe Maſſiliæ exſulabat) a Philotimo bona reſtitui. nec dubito, quin ea bona Philotimus ab haſta emerit, ſed ea condicione, vt Milo recuperare aliquando poſſet, ipſi autem Philotimo, quantum Cicero æſtimaſſet, pro fide & ſedulitate daretur. apparet ex epiſtola M. Cœlij, in qua ita ſcriptum eſt: Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet; dedimus operam, vt & Philotimus quam honeſtiſſime Miloni abſenti, eiuſque neceſſarijs ſatisfaceret; & ſecundum eius fidem & ſedulitatem æſtimatio tua conſeruaretur. Qua in epiſtola, Æſtimatio, accipio, id quod Cicero Philotimo dandum cenſuerat, pro bonis fideliter ſeduloque ſeruatis. Dixit autem, Philotimus ſocius, quia partem Milonis bonorum Cicero quoque emerat. infra. *In poteſtate noſtra*] cum ſciremus, Philotimum bona fideliter Miloni redditurum. quę ſi malus emptor, id eſt non æque amicus, emiſſet, abduxiſſet a Milone mancipia, quæ ille permulta ſecum habebat. cur enim, quæ in auctione emiſſet, Miloni vellet relinquere? fecimus autẽ, vt Philotimus emeret, eo conſilio, vt & ijs mancipijs Milo poſſet vti, &, redimere ab eo ſua bona cũ vellet, liceret: quod ab alio emptore minus licuiſſet. *Alienis*] non iam Milonis, ſed eius, qui ab auctione emiſſet. *Fauſtæ,*] Milonis vxori; cui videbatur de dote caueri, ſi ea bona Philotimus emiſſet, a quo Milo recuperare aliquando poſſet, pecunia Philotimo vel ſine vſura reddita. *Ratum*] certa cautio. *Ipſe nos,*] cum & ipſe Cicero ſocius eſſet in bonis. ideo Philotimus ſocius; idque confirmatur in extrema epiſtola, cum ait, Reque mea. *Seruaremus.*] alius enim ſi emiſſet, recupe-

rādi nulla Miloni ſpes eſſet. prorſus igitur perijſſent ea bona. *Nihil nobis fuerat tanti,*] hoc enim conſilio emimus, vt id denique fieret, quod ipſe Milo vellet. vt vero eius bona ipſo inuito poſſideremus, nihil nobis fuit tanti. *Leuiora*] quia fortaſſe non ſunt, vt ſcribuntur. nobis enim ſcribuntur ſæpe maiora. *Fide, fama, reque mea*] fide, quia promiſerat Cicero Philotimo, quod ei Milo pro conſeruatis bonis daret, cum ſua bona recuperaret. Fama, quia turpe Ciceroni fuiſſet, non reddi Miloni ſua bona, quæ ipſe a Philotimo emi voluiſſet, vt aliquando redderentur. ideo dixit, Queri Milonem iniuriam meam. Re, quod ipſe Cicero ſocius eſſet in bonis: quod proxime demonſtratum eſt in eo, Philotimus ſocius; & in eo, Ipſi nos.

IN EPISTOLAM IX.

Muneribus tuis,] Attici res agebant Areus & Eutychides liberti, Corcyrę, & Sybotis: eius igitur nomine ad Ciceronem munera detulerunt. *Conceſſerant,*] Congeſſerant, corrige: aptius erit ad ſententiam. *Saliarem in modum.*] copioſe admodum, quales erant cenæ Saliorum ſacerdotum. *Sine his impedimentis,*] quæ ſcis me multa habere. & His, (vt eſt in Beſſarionis libro) nemo non videt eſſe rectius, quam Iis. *Summa modeſtia, & ſumma abſtinentia*] modeſtiam & abſtinentiam non ſine cauſſa coniunxit; quia multi, quod ſuperbe & auare prouincias adminiſtraſſent, condemnati. *Extraordinarium*] multis enim poſt conſulatum annis in prouinciam proficiſcebatur: quod erat extraordinariũ; cum alij ſtatim poſt conſulatum ſolerent. *Parthus*] Parthorum incurſiones timet. epiſt. 11. *Noſtra*] nam, cum armis res geritur, fortuna dominatur. in pace autem, quæ requiruntur, ea præſtabo, modeſtiam, abſtinentiam, & quæ in nobis ipſis, nõ in fortuna, poſita ſunt. *De* CXX, *& de* DCCC,] Cæſaris, vt opinor, nomen intelligit, de quo ſupra, epiſt. 1. 4. & 5. in hoc libro. *Annus noſter maneat*] quæ nobis data eſt annua prouinciæ adminiſtratio, ea ne prorogetur, ſed eadem maneat. *Ne interkaletur.*] nam interkalatio dies interponebat: ita, diebus interpoſitis, longior fiebat adminiſtratio prouinciarum. *Dionyſium*] hominem Græcum, pueri M. Ciceronis magiſtrum, ab Attico traditum.

IN EPI-

IN EPISTOLAM X.

XV. Kal.] perspicue mendosum, vt in duabus, quæ proxime sequuntur, epistolis apparet. malim igitur, VII. Kalend. *Pontinium,*] legatum. *Vestigiis tuis*] quia diu Atticus vixerat Athenis, multamque & iucundam sui memoriam reliquerat. *Comitum.*] e cohorte ipsius. *Lege Iulia,*] cum lex Iulia concedat, vt accipiam, nihil tamen accipitur. epist. 15. *Ab hospite:*] publice enim hospitia magistratibus in prouincias proficiscentibus dabantur, cum hospes cuique suus assignaretur: sed Cicero sumptum vbique fecit de suo, accipi ab hospitibus vetuit. *Ex hoc negotio emerserim.*] quod prouinciam non recusauerim. Εὐρδοιτὶς] verissimum est illud, Nemo artem, quam non nouerit, exerceat. Aristophanis versus in Vespis. *Quid adhuc?*] quid accidit adhuc, vt te prouincia offendat? *Nescio,*] non fere quidquam accidit. *Vt puto, & vultu*] placet, quod scriptum est in antiquo Bessarionis libro, Vt puto, & volo. *Dicuntur, & tacentur*] a comitibus meis, ineptis hominibus: vt de vxore difficili dicere solemus, neque loqui, neque tacere, cum oporteat. Ανσευκοίμητα *sunt.*] non est, vt ea sedare possis, & tollere. βαθύτητα,] summam taciturnitatem, summam in ferendo & dissimulando grauitatem & prudentiam. epist. 21. *Huius virtutis*] quæ est in ferendo & dissimulando. *Ergo hæc quoque hactenus.*] ergo nihil addam: hæc ipsa satis sint: vt in hoc quoque meam βαθύτητα cognoscas. *Quid de Cæsaris,*] pecuniam debuisse Cæsari Ciceronem, supra diximus, epist. 1. *De Milonis*] & Miloni Philotimum debuisse, diximus epist. 8. *Turbæ dumtaxat?*] in Bessarionis antiquo libro, Vrbe: vt legi possit, Vrbs: quod tamen haud scio an maxime probem, cum intelligam, si, Vrbs, retineatur, superuacaneum illud videri, Et vrbis ornamentum: si quidem vrbe ornamenta vrbis continentur, vt ciuitate ciues. Placet igitur, & rectius videtur, Turbæ, hoc sensu: Athenæ me delectarunt, hominum dumtaxat multitudo? immo & vrbis species, atque ornamentum, & amor in te ciuitatis, quadam in nos beneuolentia coniunctus, sed multum ea philosophia, quæ sursum deorsum agitatur, Academia, inquam, leuis & incerta, quæ nihil affirmat. O Academiam, inquit infra, volaticam, & sui similem, modo

huc, modo illuc. *Si quidem est in Aristo,*] quandoquidem eius philosophiæ princeps est hospes meus Aristus. in libro de claris oratoribus, in extremo, Aristus, inquit, heres veteris Academiæ, hospes, & familiaris meus. *Tuum,*] videtur Xeno Attici res curasse. epist. 13. *Quincto concesseram:*] vt eius domi Quinctus frater esset. *Simul eramus inuicem.*] amicus meus Cosmus Gherius, Fanensis episcopus, doctissimus & sanctissimus adolescens, quem nisi mors immatura præripuisset, veram antiquæ virtutis imaginem habituri fuissemus, cum ego Romam proficiscens, eius visendi ac salutandi caussa, Fanum diuertissem, hunc locum vt ita corrigerem, admonuit. Cum ex eo quæsissem, correctio illa esset ex ingenio, an ex libro scripto: vetustum librum Patauij se affirmauit vidisse ita scriptum. postea Caualcantis in antiquo libro, cuius mihi, Benedicto Accolto Cardinali commodante, ad paucos dies copia fuit, animaduerti esse, Eramus inuecim: nunc in Bessarionis exemplari plane video, nulla prorsus varietate litterarum, Inuicem.

IN EPISTOLAM XI.

Marcellus sedendi comes] placet doctissimi viri coniectura, Caroli Sigonij, vt legatur: Marcellus fœde in Comensi. subaudi se gessit. Comensem enim, vt scripsit Appianus lib. 2. de bel. ci. in Cæsaris contumeliam cædi M. Marcellus consul iusserat; vt ostenderet, eum ciuem Romanum non esse: contra legem Vatiniam, iussu Cæsaris latam: ex qua lege Cæsar, vt ait Strabo lib. 5. quinque millia hominum, ex quibus illustres quingentos Græcos, Comum deduxit, & Latij iure donauit, sicuti antea reliquos omnes Comenses, & colonias transpadanas Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, iure Latij donauerat. Ius autem Latij hoc erat, vt, qui annuum magistratum gesserant, ciues Romani fierent: quod idem Appianus ostendit. ideo autem fœde Marcellus, quia, licet magistratum Comensis ille in patria non gessisset, tamen, cum transpadanus esset, cædendus non fuit: quia Cn. Pompeius, Magni pater, transpadanos omnes sua lege ornauerat. ex quo Marcellus iniuriam facere visus est non Cæsari tantum, inimico suo, sed etiam amico suo Pompeio, contempta patris eius lege ac voluntate erga transpadanos omnes. Pompeium enim

enim Cicero significat, cum ait, Cæsari nostro: quasi eodem nomine possent appellari, qui principatu pares essent. *Varronem*] qui scire poterat, cum & Pompeij familiarissimus, & eius in Hispaniæ administratione legatus esset, nondum tamen profectus, sicuti nec ipse Pompeius. *Hispaniam*] vt proconsul administraret. *Theophani*] Mitylenæo, liberto: (vt in oratione pro Balbo) cuius erat summa apud Pompeiũ auctoritas. *Nusquam illum discedere.*] vt vrbi & reip. præsidio esset, si quis motus exoriretur. epist. 17. *Ipsos*] integros. *Cn. Volusius aderat quæstor.*] tres igitur quæstores habuit Cicero. nam & de Mescinio, & de Cœlio tum ex his epistolis, tum ex illis, quæ familiares dicuntur, notum est. Opinor tamen duos duntaxat eodem tempore fuisse, in diœcesibus tribus Asiaticis Mescinium, in reliquis quattuor Cn. Volusium; cui successerit Cœlius, qui venit in exitu anni, cum Volusius aliquam ob caussam discessisset, vt & Pontinius legatus discessit. epist. 3. lib. 6. *Tuus*] legatus mihi ab amico tuo Titinio datus: quem te rogante accepi. epist. 14. & 21. *Dicrota*] biremes. οἷα τ' ἂν δέσποινα,] adagium est, Catellam dominæ similem esse. id si verum est, possum de meis comitibus sperare, vt in hoc imperio se mihi similes præstent. *Vt singuli dicunt,*] dicunt hanc abstinentiam non esse mihi familiarem, sed ad illam me composuisse per vnum annum. *Excusatio:*] excusa me. posthac deferto præfecturam, quibus voles: non tergiuersabor, vt in Appuleio: statim sine vlla mora satisfaciam. epist. 21. *Patronem,*] philosophum Epicureũ. *Barones*] cum ioco dictum. nam Baro mulier philosophiæ studiosa: molles autem, vt feminæ, & dediti voluptatibus Epicurei. *Rem illam curæ fuisse,*] vide epistolam, quæ prima est lib. 13 fam. tum omnia patebunt. exsulabat autem Memmius Athenis, de ambitu condemnatus. ad Q. fratrem lib. 3. epist. 2. & Appianus lib. 2. *Epistola Piliæ:*] missa ad Ciceronem, vt is ad Atticum, Romam iam profectum, deferendam curaret, cum inter ipsos irent redirent frequentes tabellarij. Νομανδρίαν *excusationem*] legitimam, ac viro dignã: occupationum videlicet. nam hęc inualetudinis mollior est, nec satis viro digna: occupationum contra: quoniam agere virorum est. *Ne acceperis.*] neque enim occupatio vlla potest esse tanta, quæ cursum officij nostri debeat interrumpe-

re. eam igitur quia nostra respuit amicitia, tollamus, cum aliis potius vtamur.

IN EPISTOLAM XII.

Negotium magnum] quo enim tempore satis commoda esse nauigatio consueuit, eo ipso accidit, vt incommodissime nauigaret; qui sex diebus vix Athenis Delum peruenerit. *Ad Ceo*] omnino pro, Ad, veteres libri habent Ab. sed malo, Ad, vt absoluta maritimi cursus ratio constet, A Peiræo ad Zostera, a Zostere ad Ceo, inde ad Gyarum, a Gyaro Scyrũ, inde Delum. nam, si legas Ab Ceo, discessus quidem apparebit, aduentus autem silebitur. placet igitur, Ad Ceo: vt sit nomen ex ijs, quæ variari casibus non solent. *Ἀκρατυρέων iura*] placet *ἀκροτυρέων*, obseruationum a promontorijs. *Vt audiui,*] accusatum de ambitu post consulatum. Accusatus autem erat & ante, cum esset cãdidatus. ep. 2. lib. 3. ad Q. fratrem. *Id ipsum consilium*] quod ad te scripsi vt fieret, idem scripsi & ad Hortensium. Erat autem amicus Atticus Messallæ, vt epist. 15 lib. 4. Hortensius etiam patronus. fam. epist. 2. & 4. lib. 8. *συνηγωνίων*] condolui, ob communis amici casum. *Meos*] scriptos *πρὸς τῆς πολιτείας*. *Tallumeto*] litteratus Attici seruus. *Habebimus consules.*] iam erunt designati. *Ipsis*] quia iam de iudicio Messallæ mentionẽ fecit. aut, quod post comitia plerumq; crebra soleret fieri iudicia.

IN EPISTOLAM XIII.

Sexagesimo & quinto post pugnam Bouillam.] cum de cæde Clodij ad Bouillas facta non possit accipi, quæ multis ante mensibus fuerat; libenter legerem, Septuagesimo & quinto. tot enim dies a nonis Maijs, quo die a Cicerone in prouinciam proficiscente Atticus discessit, (sic enim patebit rationem attente subducenti) ad XI. Kal. Sextilis numerantur. & Attici discessum ideo pugnam opinor Bouillam appellari, quia, cum Ciceronem proficiscentem Bouillas vsque prosecutus esset, vlteriusque progredi vellet, Cicero autem recusaret, ortum est inter eos quasi certamen humanitatis, ægreque discessus factus. hoc autem eo magis opinor, quia, simul eos in Tusculano fuisse, cum in prima huius libri epistola videam, prosecutum deinde Atticum vsque ad Bouillas, facile

cile mihi fit verisimile. Ephesum igitur, inquit, veni ad xv. Kal. Sext. septuagesimo & quincto postquã a te discessi. *Legationum*] obuiam prodeuntium, extra prouinciæ terminos, cuius initium fuit Laodicea. epist. 14. Vel legationes fuere vrbium Asiæ, extra Ciceronis prouinciam, quia in epist. sequenti, Nos, inquit, Asia accepit admirabiliter. *Græci*] etsi Ephesus in Ionia, & Ionia in Asia, Græci tamen incolæ dicebantur, quia Græco sermone vterentur. *Verumtamen de-cumanis*] sic & in Bessarionis libro. placeret, Verumtamen cum Romanus. vt hoc dicat: Græci, qui Romanos magistratus odisse soliti sunt, quia prælati fasces quasi minari videntur eorum libertati, me tamen cum imperio venientem non minus læti exceperunt, quam si Ephesius prætor, hoc est ex ipsis vnus, essem, *Ostentationes meas*] quem enim permultos annos me ostentaui, eum nunc re præstem necesse est, modestum, abstinentem, iustum. *Vtemur ea palæstra*,] ita me exercebo, ita geram, vt tu monuisti. *Confectæ actiones*.] huius anni. nam sequentis confecit ipse: quod infra gloriatur. epist. 1. lib. 6. *Thermoque*,] Q. Minucio Thermo prætori, Ioniam regenti. fam. epist. 18. lib. 2. & 3. lib. 13. *Edidi*.] cum ei tantundem me dicerem redditurum, quantum a te accepissem. epist. 13. *De illo domestico*,] de filiæ, opinor, intelligit matrimonio: de quo discedens Attico mandauerat. vide epist. 4. & in epist. fam. epist. 12. lib. 3. *De Cæsare*:] de HS xx & DCCC, quæ Cæsari debita solui cupiebat. epist. 1. 5. & 9. *Te auctore*] vide epist. 5. lib. 4. & 5. lib. 5. *Si cura est*,] si æstimas eam, quanti in sermonibus ostendisti, epist. 11.

IN EPISTOLAM XIV.

Ex ea die παράγγελμα ἐνιαύσιον commoueto.] mandatum de annuo munere prouinciali incipito curare: ne scilicet mihi tempus prorogetur. Ex ea die, autem, quia fuisset absurdum agere de prouincia non proroganda, ante quam in prouinciam esset peruentum. *Seditio*] ideo facta, quia stipendium non persolueretur. puto esse eam seditionem, de qua epist. 6. lib. 3. & 4. lib. 15. fam. *Appio*,] proconsuli, qui prouinciam Ciceroni traditurus erat. *Asia*] Asiam est ingressus, nec dũ tamen peruenit in prouinciã suam. eius initiũ Laodicea, vrbs Phrygiæ, quæ regio est minoris Asiæ. *Tullium tuũ*,] ep. 11.

Rei militari] non vt bellum gereret, sed vt rem militarem collocaret. fam. epist. 13. lib. 2. *In primis, quid illud*] placet, In primisque illud. significat, quod in proxima epist. dixit, Scrupulum quem non ignoras: videlicet de filia collocanda. *Subtiliores*] scriptæ diligentius.

IN EPISTOLAM XV.

Ex hoc die clauum animo verbis.] hoc totum abest a Bessarionis & Ferri libris, & a duobus item antiquis, qui Romæ sunt apud amicissimum meum. nec hercule, si tollitur, erit, quod in sententia desideremus. sin retinemus, legi poterit, Ex hoc die commouebis. vt sit, quod in proxima dixit, παράγγελμα ἐνιαύσιον commoueto. &, Ex hoc die, quia, si ageretur de prouincia non proroganda, ante quam in prouinciam esset peruentum, absurdum ac leue quiddam videretur, erat autem Laodicea prouinciæ Ciceronis prima ciuitas, nec tamen in Cilicia, sed in Asia; cuius tres διοικήσεις sibi attributas esse, scribit epist. 67. lib. 13. fam. *Magnum campum*] hoc est, quod dicit in epist. ad M. Cœlium: Totum negotium non est dignũ viribus nostris; qui maiora in rep. onera sustinere & possimus, & soleamus. *Ius Laodiceæ, &c.*] nihil, inquit, inter me & A. Plotium interest. nihil ego hic plus ago, quam Romæ Plotius prætor. *Noster amicus*] C. Cassius; vt epist. 18. qui, mihi dignitate non comparandus, tamen habet exercitum: ego duas tantum legiones, ac ne legiones quidem, nomen dumtaxat legionum. tres enim cohortes aberant. epist. 6. lib. 3. fam. Alij Bibulum significari putant. sed is nondum venerat in prouinciam. (epist. 18.) & iustior indignationis caussa, si de Cassio accipiatur, nondum consulari, quæstoria tantum potestate ornato. *Exsilium*] tenuium, infirmarum: quod erant infrequentes. *Denique*] denique, etiam si & exercitum, & quæ optari in prouincia possunt, omnia habeam; tamen hæc non desidero. *Hoc instituto.*] vt de meo sumptus fiant, de alieno nihil sumatur. epist. 10. & 14. *Quod tecum permutaui,*] quam a te pecuniam accepi, tuis procuratoribus hic reddendam. epist. 13. *Appii vulnera*] quæ prouinciæ imposuit illius auaritia. vide epist. 15. *In castra,*] vt rem militarem constituerem. epist. 13. *Lycaoniam.*] de qua diximus initio huius libri. *Cum Morphagene*] latronum duce, ad

ce, ad quem fugitiuus Attici seruus confugerat. *Promagistris scripturæ, & portus, & nostrarum diœcesium.*] sic habent duo antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis. forte legendũ, Et portus nostrarum diœcesium, vt est in Alberti Ferri antiquo libro: vt sit sensus: dare poteris tabellariis publicanorum, & dare item poteris promagistris scripturæ, & portus nostrarum diœcesum. certe enim & scripturam, & portum intelligit intra ipsius diœceses. epist. 10. lib. 11. & 7. lib. 14. & in orat. in Verrem. Quod si quis legat, Per magistros; subaudietur, mihi reddendas in prouincia, vt tabellarij ad promagistros deferant, promagistri reddendas curent Ciceroni.

IN EPISTOLAM XVI.

In ipso itinere & via discedebant tabellarij,] maiorem festinationem tabellariorum ostendit, cum subiungit, Et via. est enim in via, qui discedit, a loco ad locum iturus, est in itinere, non solum qui discedit, aut statim discessurus est, sed etiam qui subsideat in diuersorio, aut in hospitio, discessurus post aliquot horas, aut etiam post aliquot dies. itaque sæpe ita loquimur, Longo itinere, difficili via. Tabellarij igitur, Ciceronis litteras exspectantes, non modo in itinere, sed in via etiam erant, statim, acceptis litteris, discessuri. *Perditam*] vide ep. 1. l. 6. *Imperata ἐπικεφάλια*] imperatum ab Appio procos. tributum in singula capita. vide fam. ep. 8. l. 3. *Non hominis,*] vt, qui hæc tam immania ediderit, non hominem, sed feram dicas fuisse. *Omnium nos vitæ.*] rectius, Omnino vitæ, putarem: vt de prouincialibus accipiatur. *Lege Iulia*] legem de prouinciis tulerat consul C. Iulius Cæsar: de qua in epist. fam. ep. 17. l. 2. & in Pisonem. *Aduentu nostro*] hic locus in impressis libris non recte distinctus. ego sic interpũgo, Ex domibus me hercule etiam, aduentu nostro. reuiuescunt iusticia, &c. Reuiuescere autem antiquum verbum est: quod & hic aperte legitur in antiquis libris, & a Lucretio vsurpatur. *Forum agit.*] quod ne ab iis quidem fieri soler, qui breui tempore sibi successum iri putant: eo minus ab Appio debebat, qui posset iam suspicari, sibi esse successum. epist. 6. l. 3. *Prouinciam suam*] Syriam. ep. 18. *In castra*] vt æstiuos menses rei militari daremus. ep. 13.

IN EPISTOLAM XVII.

Philotimi] qui tibi non dixit, esse qui ad me proficisceretur. *Paucis diebus habebam*] aperta sententia, sed notandum genus loquendi, Paucis diebus habebam, pro, Ad paucos dies habiturus eram. *Tamen etsi*] sic locutus epist. vltima lib. 4. fam. & Q. Cicero de Petitione consulatus. *Tribunorum*,] Tribunorum mil. *Lepta*] Q. Lepta, præfectus fabrum. fa-mil. lib. 3. epist. 7. *Pacoro*,] quem postea Ventidius cum vniuerso exercitu cecidit. Iustinus lib. 42. *Orodis*] Orodæ, & hic, & infra liber antiquus habet. *Nondum*] cum tamen circiter idus Sext. ab Epheso nauibus in Syriam profectus esset, ventosque secundos habuisset. epist. 3. l. 15. fam. *Ciceronem*] filium, & fratris filium. *Domestica, & maxima cura*] de collocanda filia. ep. 4. & 14. *Bruto nostro*] Appij genero.

IN EPISTOLAM XIIX.

Cassius] qui, Crasso a Parthis cæso, reliquias exercitus Antiochiam reduxerat. *Et multa*,] videbis. *Inter cæsa, & porrecta*] in ipso articulo discessus mei. sumpta similitudine a Sacrificiis, cum inter cæsa exta & porrecta sinistri quid accideret, ne litari posset, sed instaurari sacrificium necesse esset. verebatur Cicero, ne, quo tempore discessurus esset, eo tempore eiusmodi quid accideret, ne posset discedere. *Oneris*] vt belli Parthici curam sustineret. *Temporis*.] vt, etiamsi ad Parthicum bellum alius mitteretur, ipse tamen ne discederet, qui videretur socios posse in officio fideque continere. *Dimittere*.] ad bellum Parthicum mittere. *Copioso a frumento*,] in Bessarionis libro, Quo Piso a frumento. recte putamus, Copioso a frumento. figura eleganti, & vsitata: vt Copioso referatur ad, Exercitu. itaque olim coniectura ductus emendaui. Quod autem supra nonnullis in libris est, Et in Amano tuto consedimus, non, vt in nostris, Etiam manu: tuto consedimus: id perspicue falsum: cum nunc ad montem Taurum Cicero sit, ad Amanum autem post contendat: vt epist. 20. *Locum*] forte rectius, Loco. *Deiotari*] Galatiæ regis. epist. 1. lib. 6. *Duplicaturi*] vt essent omnino quatuor legiones. duas enim Cicero habuit. epist. 15 huius libr. & 1. lib.

1.lib.6. *Bono animo es.*] Pro, Bono animo sis. antiqua locutione. *Si integra in senatu*] nisi in senatu ante Kalendas Ianuar. de prouinciis agetur. *Nihil accipiam iniuriæ,*] esset autem iniuria, si mihi prouinciæ tempus prorogaretur. *Consules*] qui Kalend. Ian. magistratum inibunt, &, vt moris est, eo die ad senatum referent de rep. Intelligit autem L. Paullum & C. Marcellum, consules designatos. *Tribunum pl.*] designatum: qui tum in magistratu nostra caussa impediet, ne quid noui de prouinciis decernatur. epist.2. *Necessarium.*] agitur de maxima mea re, maximeque necessaria. *Si opus erit,*] si Parthus coget. tuto enim erunt in insula Rhodo. *Rem*] vide epist.1.l.6. *Exhibeo pupillum,*] Ariobarzanem regem, qui mihi a senatu in tutelam est traditus, exhibeo creditoribus, vt exigant ipsi. *Neque defendo.*] tutores enim dicti, quia pupillos tueantur. ego, inquit, iam non tueor; tutelam me abdico. *Et lenta, & inania.*] lenta, quæ non explicantur, ad exitum non perducuntur; inania, quia, quod Ariobarzanes sperare possit, non est. eget enim. ep.1.l.6.

IN EPISTOLAM XIX.

Vt Pompeium exspectaris,] Vt, valet etiam si. & proxime; Etiam, est pro, Tamē, vt in epist. fam. lib.7. epist.3. Ego cum meis, si quidquam nunc cuiuspiam est, etiam in meis esse mauult. *Arimino*] ab exercitu. fam. ep.3.l.7. *Solicitus sis*] de rebus vtbanis, vt nos hic de Parthis. *Messallam.*] qui pro Atilio promiserat. Et, Appellare, verbum creditorum. appellare autem quo tempore de ambitu reus erat Messalla, hominis videbatur de humanitate parum laborantis. *Itineris nostri*] dum in prouinciam proficiscitur. *Reliqua*] postquam in prouinciam peruenit. *Iam Romæ*] cum Romæ es. iam enim profectum Atticum in Epirum existimabat. & dixit, Iam, quasi paucis ante mensibus natam. Posset etiam sic, nisi repugnarent antiqui libri, Iam mire iucundam. Ea post vxor Agrippæ fuit, eius, qui Pantheon, quod nunc quoque integrum magna cum admiratione spectatur, Romæ condidit. *Tuis condiscipulis,*] reliquis Epicureis: quorum philosophiæ deditum Atticum fuisse, aut supra diximus, aut, quia notum est, omisimus. *Tarentinis*] legendum, Pariensis, puto: de quibus & Patro, & reliqui Epicurei laborabant,

vt sibi a Memmio concederetur. vide ep. 11. & fam. ep. 1. l. 13. *In militia*] suum in prouinciam iter Militiam appellat, quia cum agmine proficiscereturr: vt ep. 2. l. 6. In hac peregrinatione militiaue nostra sæpe incensum ira vidi, sæpe placatum. & epist. 4. l. 6. *Quod scribis libenter*] quod scribis, libenter te scribere de repulsa, quam C. Hirrus tulit in ædilitatis petitione: agnosco amorem tuum. *Cum sororis tuæ filij patruo*] mecum, qui sororis tuæ filio patruus sum. περίφρασις. *Certaret*,] certare soleret. respexit enim ad certamen de auguratu: de quo fam. ep. 3. & 6. l. 8. *Magni amoris*] non sine ironia: quasi dicat: an hoc, te etiam non scribente, mihi dubium esse potuit? *In mentem non venerat.*] iocatur, quia scripserat Atticus, Moneo te, vt gaudeas. vel, In mentem non venerat, vt de homine contemnendo. τὸ νεμεσᾶν interest τῷ φθονεῖν.] indignatio distat ab inuidia: indignari, & inuidere, non idem sunt. Respondet Cicero tacitæ obiectioni. Gaudeo, inquit, nec tamen est, cur quisquã reprehendat. non enim, quia lætitiam capio ex Hirri repulsa, propterea, si ædilitatem is esset adeptus, inuiderem, sed indignarer potius. iure igitur gaudeo: quoniam ab indignatione, non ab inuidia, proficiscitur lætitia mea. contra vero, si quis eius ignominia damnove lætatur, cuius honoribus aut cõmodis inuideret, non iure gaudet. Quid est autem, cur damnetur inuidia, excusetur indignatio? quia, cum vtraque sit, vt ait Aristoteles Rhet. lib. 2. λύπη ταραχώδης, καὶ εἰς ἐυπραγίαν, id est molestia mẽtem perturbans ob secũdam fortunam; tamẽ hoc differunt, quod indignatio gignitur ob secundam eius fortunam, qui dignus ea non sit; inuidia vero, non, dignus indignusve sit, spectat, sed aduersus parem & similem commouetur. itaque semper in bonum virum cadere videtur indignatio, ægre ferentẽ, quod improbi ea consequantur, quæ ad bonos deferri par sit; inuidia, non item. Recte igitur Cicero suam lætitiam ad indignationem, non ad inuidiam, refert: quod Hirrus, qui repulsam tulerat, secunda fortuna minime dignus esse videatur.

IN EPISTOLAM XX.

Saturnalibus] Saturnaliorum diem XI v. Kalend. Ian. fuisse, tradit Macrobius lib. 1. *Pindentissa*] infra Pindenissum opidum

opidum vocat, & fam.l.2. Apud Græcos tamen πεδινήλισσος. *Nomen*] inauditum Romæ. Sic in epist.ad Cœlium: Pindenissum tantis opibus oppugnabam, vt mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen opidi. *Iis, quæ erant,*] inter Ephesum, & Laodiceam. *Perillustres fuimus,*] Fuerunt, antiquus liber Bessarionis. *Omnes iniurias reuellimus superiores,*] hoc puto dici: Quæcumque Appius vulnera impoluerat, omnia sanauimus. *Quod Dein*] Bessarionis liber, Quod idem quod idem. dein. vt fortasse repetitum sit, Quod idem, negligentia librarij. erit enim aperta sententia, si legatur, Quod idem dein Apameæ, &c. & patebit verbum, Fecimus, referendum esse ad Reuellimus iniurias superiores. Cũ hæc iam diuulgassem, confirmari meam coniecturam Vrbinatis Ducis antiquo libro, significauit Gabriel Bartolucius, iuuenis ingeniosus, & bene moratus. *Quinque dies*] aliter epist.16.& fam.epist.4.lib.15. *Iurisdictione*] Iconij tamen Quod idem dein. Apameæ, &c. & patebit verbum, Fecimus, referendum esse ad Reuellimus iniurias superiores. Cũ hæc iam diuulgassem, confirmari meam coniecturam Vrbinatis Ducis antiquo libro, significauit Gabriel Bartolucius, iuuenis ingeniosus, & bene moratus. *Quinque dies*] aliter epist.16.& fam.epist.4.lib.15. *Iurisdictione*] Iconij tamen ius non dixit, vt ex epistola ad Catonem lib.15. fam. cognoscitur. *Aquarum diuortio*] antiqui libri duo, In, præponunt. ad sententiam nihil interest. Aquarum diuortio diuidi montes dicuntur, cũ in eos imbres delapsi, quia consistere in summo iugo non possunt, bifariam diuiduntur, & deorsum præcipitant. Hinc illud.fam.epist.10.lib.2, Mons Amanus mihi cum Bibulo cõmunis, diuisus aquarum diuortiis. Et Liuius libro 38. In iugo montis castra posuit ad aquarum diuortia. Iulius Frontinus in libro de qualitate agrorum Aquarum diuergia vocat; itemque Aggenus Vrbicus, & vbi hunc Frontini locum explanat, & in commentario libelli de controuersiis. *Ea ipsa, quæ*] eo ipso in loco, vbi, &c. fam.epist.10.l.2. & 4.l.15. *Imperator haud paullo melior, quam aut tu, aut ego.*] eodem modo Horatius Sat.1.lib.2.

——*Me pedibus delectat claudere verba,*
Lucili ritu, nostrum melioris vtroque.

Osaces] de hac Osacis nece, Cassiique victoria, Dio lib.40. *Appellatione hac inani*] imperatoria. nomen imperatoris concupiuit: quod nos, vt inane quippiam, nihili ducimus. *Laureolam in mustaceo*] iocatur, quoniam mustaceis lauri folia subiicerentur, vt ait Plinius lib.15. Mustaceorum confectionem Cato docet in lib. de re rust. Bibulus, triumphi cupiditate adductus, voluit cum obscuris, paucis, infirmis ho-

ſtibus confligere. *Cohortem primam totam perdidit,*] cohortes in legione decem Vegetius nominat. Polybius nullam de cohortibus mentionem facit: de legione, & manipulis dumtaxat loquitur. quod mirari aliquis poſſit. ſed Polybius deſcriptionem legionis exponit; cohortes autem ab imperatore interdum fiebant ex coniunctis manipulis rerum gerendarum cauſſa. Porro, quin duas legiones habuerit Bibulus, minime dubito; cũ & is eſſet conſularis exercitus; & duas item Cicero legiones, vt Plutarchus memoriæ prodidit, in Ciliciam prouinciã duxerit; & maius Syriæ, cui Bibulus præerat, a finitimis Parthis periculum impendere videretur. Primam cohortem vocat, quæ tribus primis manipulis, id eſt, vno primo Haſtatorum, altero primo Principũ, tertio primo Triariorum conſtaret. vt enim numero manipuli, ſic numero cohortes, ex iiſdem manipulis factæ, notabantur. Vegetius Primam nominat, quæ numero militũ & dignitate præſtaret: eamque cõſtituit ex peditibus ∞ C V. reliquas autem nouem ex D L V. vt omnino eſſent peditum ſex millia centum, mutata prorſus militiæ ratione, auctoque numero militum in ſingulis legionibus. nam Polybius neque plures quattuor millibus ducentis in legione numerat; &, cum ex iis triginta manipulos faciat, denos e quolibet militum genere, ſingulos cuiuſque generis eodem ſemper numero, id eſt Haſtatorum CXX, Principum item C X X, Triariorum L X; rationem non inuenio, qua potuerint in vna cohorte ∞ C V milites conſcribi. quamquam, vt dixi iam, cohortes Polybius, numquam nominat, manipulos tantum deſcribit, & vtitur his nominibus, τάγμα, σημαία; quæ Latine dici videntur, Ordo, Signum. addit etiam, ασπίδα, parum proprie: nã apud Latinos Cohors eſt, non manipulus. verum cohortes multis ante Polybium ætatibus fuiſſe, Liuius docet. Varro etiam ita ex manipulis copulari cohortem dixit, vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam fit vnum. Omnium autem cohortum primam cæteris fortitudine præſtitiſſe crediderim. nam, licet omnes decem cohortes ex quattuor militum generibus, e Velitibus, Haſtatis, Principibus, Triariis, conſtarent, ternis manipulis cuique cohorti attributis: (velites enim neque proprios habebant manipulos, neque centuriones, neque ſigna, verum ad ſingulos Haſtatorum, Principum,

cipum, Triariorum manipulos adiungebantur) tamen haud omnes Hastatos Principesve vsu militari & viribus excelluisse verisimile videtur. nam, si non omnes Hastatorũ aut Principum centuriones honore pares erant, sed alij alijs præstabant; quod infra docebitur: sequitur, vt nec omnes omnium manipulorum milites virtute pares fuerint, exceptis fortasse Triarijs: quorum si centuriones omnes pariter Primipili vocabantur, (quod ideo facile arbitror, quia nec vsquam primi, secundi, tertij, quarti pili, vel reliquorum mentio fit; & vnamquamque Triariorum partem Primum pilum esse dictam, asserit Liuius lib. 8.) consentaneum videtur, eandem de omnium Triariorum robore opinionem fuisse. Itaque fortissimos Hastatorum, & Principum, præter Triarios, qui fortitudine pares omnes habebantur, in primo manipulo delectos esse arbitror, qui primam cohortem constituerent; post eos, qui secundam; deinde, qui tertiam; eodemque modo vsque ad decimam, habita semper in hoc ordine virtutis ratione. quo plus detrimenti Bibulum accepisse, perdita cohorte prima tota, Cicero significat. In verbo autem, Perdidit, magis indicatur ducis culpa, quam si dixisset, Amisit. perdimus enim vitio nostro, amittimus etiam alieno. Cœlius hac de re, Amisit, dixit, epist. 9. lib. 8. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularũ amisit. Vsus est leniore verbo, quam Cicero, ambitione scilicet minus impeditus. *Centurionemque primi pili*] vide Aldi filij scholia in Sallustij Iugurtham. *Nobilem sui generis,*] non familiæ suæ nobilem, sed nobilem inter Centuriones Triariorum, qui ceteris Hastatorum & Principum Cẽturionibus nobiliores erant: vel nobilem inter omnes plane Centuriones, qui ceteris militibus virtute præstabant. *Eleutherocilicum*] liberum: cuius incolæ ne regibus quidem vnquam paruissent. vide fam. epistola 4. libri 15. *Tertiũ.*] triduum igitur Saturnalia celebrabantur Ciceronis ætate. qua de re Macrobius plura. *Ad HS CXX*] mancipiorum, quæ iam auctione venierant, pretium erat aureorum 3600. *Ligurino μώμῳ*] momo satisfacere quam non facile sit, vel prouerbium declarat, in rebus difficillimis vsurpatum. & puto M. Catonem intelligi, seueriſſimum hominem, cui satisfacere magni negotij fuit, vsque eo, vt sua morositate & sibi, & reip.

pernicioſas excitarit inimicitias. recte igitur Cato momus. Ligurinus cur, compertum mihi nondum eſt. poteſt tamen ἀφελῶς eſſe ſcriptum: vt vere Ligurinus aliquis fuerit maledicentiſſimus. *Elegantius.*] ea parte, in qua ſcribis de Ligurino momo. *Nec tamen ego, &c.*] venuſta ſententia. Continentia, inquit, virtus eſt, voluptati contraria: ſed, cum ego ex hac integritate abſtinentiaque mea tantam capiam voluptatem, quantam antea numquam; continentiam non vocabo, quæ voluptati reſiſtit; integritatem potius dicam, aut quidvis aliud. *Fui tanti.*] tanta in me fuit, me ipſo inſciente, integritas & abſtinentia. πεφυσίωμαι.] intumeſco, effero me. vt a φυσιόομαι, verbo tamen, quod putem, inuſitato, deducatur. *Ariobarzanes*] in Cappadocia tres Ariobarzanes regnaſſe, poſtea redactam in prouinciæ formam, a Strabone didicimus. *Opera mea ſtetit,*] hoc exponit multis verbis in epiſt. ad ſenatum lib. 15. fam. Ἐν παρόδῳ, &c.] in curſu: quaſi enim præteriens, & alias res agens, belli Parthici cura occupatus, ἐν παρόδῳ regem Ariobarzanem, præſentibus inſidijs circumuentum, nec opinantem liberaui. *Conſilio*] quia conſilij mei fuit, vt triduum illud, dum in caſtris ad Cybiſtra moror, in magno officio ponerem, quodque ſenatus ad me de Ariobarzane ſcripſiſſet, id ad ipſum deferrem. *Auctoritate,*] quia, mei præſidij ſpe, inſidias ij patefecerunt, qui ante meum aduentum, periculi metu, occultauerant. fam. lib. 15. epiſt. 2. & 4. Ἀπρόσιτον me,] tantum abeſt, vt me regis Ariobarzanis inſidiatores muneribus corruperint, vt ijs ne accedere quidem ad me, aut alloqui licuerit. ergo, præter conſilium, atque auctoritatem, etiam integritas in me fuit. *Ne pilum quidem.*] quod mirificæ fuit abſtinentiæ, cum regem Cappadociæ ſeruaſſet, ex eius regno ne pilum quidem auferre. *Brutum abiectum excitaui:*] hoc dicit: Rem Bruti deſperatam reſtitui, quia rex, mihi tanto beneficio deuinctus, pecuniam Bruto debitam, quam ſoluiſſet numquam, me contendente ſoluturum ſe promiſit. epiſt. 1. & 3. lib. 6. *Eſt totum,*] in hoc omnia ſunt. ſic locutus eſt epiſt. 4. lib. 15. fam. *Kal. Martiis*] quo die de prouincijs ad ſenatum ex S. C. referent noui conſules, L. Paullus, C. Marcellus. epiſt. 8. lib. 8. & 10. ibidem. *Reſiſtet,*] ſi Cæſaris amici repugnabunt, ne ſucceſſor ei mittatur; vereor, ne ſit eadem

eadem prouinciarum omnium condicio, itaque nec de successore mihi mittendo agatur. epist. 6. lib. 8. *Iucunde de Cæsare,*] grata mihi sunt, quæ de Cæsare scribis a senatu decreta. Intelligit autem S. C. M. Marcello consule referente factum: quo senatus voluntas aperte significabatur de successore Cæsari mittendo. epist. 8. lib. 7. fam. *Quæ tu speras:*] Cæsarem senatus voluntati cessurum, prouinciam successori traditurum. *Salui sumus.*] de prouincia, ita vt cupimus, decedemus, annuo imperio terminato. *Incendio Plætoriano*] grauiter fero de incensa Plætorij domo: sed eo minus molestum est, quod adusta simul est propinqua Leij domus, hominis non amici. Aut sic. Eo minus molestè fero Plætoriũ condemnatum, quod ex appendice iudicij Plætoriani vocatus est Leius in iudicium, quo ea pecunia peruenerit: vt Rabirius ex damnatione Gabinij. Sic & Liuius lib. 29. Serius, inquit, ei triumphandi caussa fuit, ne, P. Terentio Culeone prætore, caussam lege Petillia diceret, & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret. *Lucceium de Q. Cassio*] Q. Cassio Longino; qui anno sequenti tribunus pl. cum Antonio collega ad Cæsarem profectus, propensum ad ciuile bellum impulit. contentio igitur inter Lucceium & Cassium, cum alter Pompeio, alter Cæsari faueret. *Togam puram*] virilem togam; quam sumebat prætexta deposita, anno XVI. finito. epist. 1. lib. 6. *Iubeor*] a fratre meo, sororis tuæ viro, epist. 1. lib. 6. *Moderabor*] vt minus modesto, minus continenti: qualem se postea Quinctus filius magis quotidie præstitit. *Vt habeam rationem*] vt ex tuis, quę sit negotij, atque etiam otij tui ratio, cognoscam: vt mihi rationem reddas & negotij, & otij tui. *Alexis*] Attici seruus amanuensis. epist. 2. lib. 7. *Adscribat,*] in litteris tuis, ab ipso scriptis. *Cur non suis litteris, &c.*] cur non litteras ipse ad me mittit, sicuti amanuensis meus Tiro ad te mittit? *Quæritur κέρας*] do operã, vt cornicini Phemio cornu, quale scribis, inueniam. epist. 1. lib. 6. *Tuo, meoque beneficio*] cum vterque puero fortasse tutor esset. *Conuellatur.*] eripiatur.

IN EPISTOLAM XXI.

Meo tempore perneccssario,] cum de prouincijs agetur, Ka-

lendis Martij.epist.20. *Cassius*] hic M. Crassi quæstor in Parthos est profectus; Crasso interfecto, collectis exercitus reliquijs, in Syriam profugit. quo Parthi postea cum irruissent, eos Antiochia, magna cæde edita, reiecit. post ciuile bellum, facta cum M. Bruto cõiuratione, Cæsarem occidit. Philippensi prœlio, cum victum M. Brutum opinaretur, desperata victoria, sua sibi manu mortem consciuit. *Q. Cassii*] qui tribunus pl. cum esset, Lentulo & Marcello cos. cum M. Antonio collega, & C. Curione, qui anno ante tribunus pl. fuerat, ad Cæsarem profugit. tres fratres fuerunt, C. Q. L.. omnes tribuni pl. fuerunt. de C. satis historiæ loquuntur: de Q. nominatim Cicero in epist. ad Tironem, Cæsar comment. lib. 1. & alij: de L. in Philip. 3. & hic lib. 14. epist. 2. quem etiã significat in epist. ad C. Cassium, fam. epist. 2. lib. 12. *Nullo nostro εὐημερήματι*:] non pulsũ a nobis. *Orodis*] legendum, Orodæ, vt in antiquo Bessarionis libro. ita enim variatur Orodes Orodæ, vt Anchises Anchisæ. quam veterem flectendi rationem qui ignorarunt, ex Orodæ fecerunt Orodis. *Prouincia nostra*] Cyrhestica, Syriæ parte, Ciceronis prouinciæ proxima. epist. 18. Nostra, igitur, populi Romani. *Artauasdis*] Armeniorum regis, cuius nupta soror erat cum Pacoro, regis Parthorum filio, ex quo scire poterat Deiotarus aliquid de Parthorum consilijs. epist. 3. lib. 15. fam. & Appianus in Parthico. *Ipse*] rex Parthorum Orodes, Pacori pater. epist. 1. lib. 6. Hiemant, inquit, in nostra prouincia Parthi: exspectatur ipse Orodes. *Nullus honos*] cum senatus ei prouinciam, per decennium a populo traditam, ante tempus velit eripere. qui erit difficillimus nodus: vt verear, ne successio prouinciarum non facile expediatur. &, Nullus honos, quia Pompeius adesset: qui si quo dimitteretur, nemo Cæsarem magnopere oppugnaret. *Legatos præesse.*] rectores enim prouinciarum, sine successore decedentes, legatos, qui præsent, relinquebant. fam. lib. 12. epist. 27. & 32. & Pompeius Hispaniam prouinciam diu per legatos Afraniũ & Petreium administrauit. *Ne intercessor quidem*] si prorogabitur prouincia, tribunum pl. inueniemus, qui prorogationem intercessione impediat. sed vereor, ne S. C. eiusmodi fiat, quo tribuni ab intercessione summoueantur: quale illud epist. 3. lib. 4. *Struere.*] qui hæc molestissima cogitem,

quæ

quæ fortasse non erunt. *Velim ita sit.*] vt, inania cogitans, mihi ipse solicitudinem struam. *A Lentuli triumpho*] post P. Lentuli triumphum ex rebus in Cilicia gestis: vt multis mensibus post, quam decesserat, triumpharit, fortasse a tribunis pl. impeditus: quod & L. Lucullo obuenerat. Rexit autem Lentulus per triennium Ciliciam. id ex eo constat, quod, cum in prouinciam ierit Marcellino & Philippo cos. vt ex lib. 1. fam. liquet, Appio Claudio succedente decessit, vt ex lib. 3. fam. intelligitur. γλυκύπικρον] quia partim affirmas, partim dubitas: vt sit spes cum metu, quasi dulce simul, & amarum. dubitare autem videbatur Atticus in eo, Si quid secus. *Moram*] ad decedendum. *Centurionis Scamulæ*] mallem, Centurionis Camuiæ: liberto videlicet, aut seruo. *De Cibyratis pantheris.*] M. Octauio ædili curuli designato, M. Cœlij collegæ, rogãti num Cicero pantheras Cœlio missurus esset ad ea munera, quæ seorsum ab ipso daturus esset, Atticus respondit, se non putare. epist. 1. lib. 6. & fam. epist. 11. lib. 2. & lib. 8. *Auctoritate tua*] auctor enim fuisti, vt ita me gererem, vt etiam Ligurino momo satisfacerem. epist. 20. *Transita*] quid si, Transitans? vt transitans L. Tullius acceperit, sed & semel in diem, & tamen lege Iulia: quæ, transeuntibus, magistratuumque comitibus, vt senum aliaque, ab opidis & vicis sumministrarentur, iubebat. (epist. 10. & 16.) ergo semel in diem L. Tullius, tantum quod necessarium esset: cum alij, Iulia lege abusi, ex omnibus vicis, etiam quod necessarium non esset, transeuntes acciperent. In Bessarionis lib. Transitam, item in duobus apud amicissimum meum. *Q. Titinio*] qui mihi legatum dedit L. Tullium. *Ciliciæ præfecit*] ipse in Asiam proficiscens, partem prouinciæ meæ. *Certum hominem,*] grauem. *Sed mirifice*] aut, Sed, accipe dictum ad augendam laudem; vt si dicas, homo eruditus, sed eloquens in primis: aut pro Sed, repone Et. *Ciues Romani pauci,*] cur nõ Cyprij simul & Romani? quia, cum Cyprij alios in iudicium vocant, possunt de suo iure decedere, atque extra insulam ad eum, qui ius dicit, ire; cum vero vocantur ab alijs, vtuntur priuilegio suo, nec inuitos ex insula licet euocari. *Asiæ nostrarum diœcesium,*] non Asiæ vniuersæ, sed tantum nostrarum in Asia diœcesium, id est trium, quæ ipsi præter consuetudinem erant attributæ.

vide epist. 67. ad Seruilium, lib. 13. fam. *Eana*] sic duo antiqua exemplaria, Caualcãtis, & Bessarionis. ego, Fana: cum in libris antiquis E sæpe reperiatur pro F, errorem creante similitudine. Sententiam autem ipse confirmat in epist. 1. lib. 1. ad Quinctum fratrem, cum pecunias ad templum decretas non accepisse scribit. *Τέθριππα*] ne dicarentur ei quadrigæ æneæ, aut marmoreæ. *In hac mea Asia*] in hac parte Asiæ, mei imperij quæ est. *Optanda fuerit.*] nunc enim apparet magis nostra abstinentia; qui iter per Asiam ita fecimus, vt ne in fame quidem alieno vti voluerimus. ipsi de nostro sumptus omnes fecimus. *Cibyraticum,*] totus hic locus multis verbis explanatus a nobis initio huius libri. *Cum Phemio*] cum operam dabo, vt *κέρας* Aonium Phemio reperiatur. Aonium autem, quod Aonum regio cantoribus celebrata, ideoque in ea cornua præclarissima. *Isauricum:*] nõ respicit *κέρας*, sed forum. Bessarionis liber non, Aonium, sed, Omnium. *Ciliciam,*] vt ibi quoque forum ageret. vide quæ diximus initio huius libri. *Sulpicio & Marcello cos.*] consules hic esse adscriptos a Cicerone, credibile nõ est. quasi vero ita peregrinaretur Atticus in rebus Romanis, vt, qui essent eius anni consules, ignoraret, præsertim sex mensibus post, quam magistratum inierant. glossema igitur sine dubio fuit. *Ad* 1 v. *Kal. Sext.*] integer non erit annus, si venit pridie Kal. decedit ad 1 v. probabilius igitur, Ad 1 1 1. vt est epist. 2. & 3. lib. 6. *Pontinium*] legatum meum, hominem prætorium. fam. epist. 15. lib. 2. *Postumia.*] vel vxor Pontinij, vel amica. *Præfecturam*] iuris dicendi. epist. 1. lib. 6. *Negotiantí*] vide epist. 1. lib. 6. *Torquato in Lenio tuo*] cui petenti, vt Lenio tuo præfecturam deferrem, negaui, quia Lenius negociator. epist. 1. lib. 6. *Syngraphæ caussa,*] si præfectus ideo esse vellet, vt ea potestate nummos a Salaminijs exprimeret; non esse, cur præfecturam peteret: me enim curaturum, vt exigeret. *Fidem meam*] vt, quod promiseram, re præstarem. *Iniuriis.*] equitibus Salaminios vexarat. supra ibidem, & epist. 1. lib. 6. *Meis in ciuitatem beneficiis,*] quia non accepissem, quod prætori dare consuessent: & quia Scaptij equites ante certam diem ex insula decedere iussissem. epist. 1. lib. 6. *Prætori*] proconsuli: antiquo more, cum omnes magistratus, quibus pareret exercitus, prætor appellabantur.

labantur. Sic in Verrem lib. 3. Cohorti prætoriæ, pro, comitibus consularibus. Præfuerant autem Cypro insulæ ante Ciceronem proconsules duo, P. Lentulus triennium, Ap. Claudius biennium. *Vectigali*] a me remisso. *Translaticio*] in suum enim edictum ex aliorum edictis, qui Ciliciam administrauerant, cum alia multa, tũ caput de centesimis transtulerat. epist. 1. lib. 6. Centesimis autem maiores vsuras pendi, L. Lucullus, Ciliciæ proconsul, primus vetuerat. qua de re, quod in eius vita Plutarchus tradidit, operæ pretium est videre. *Centesimas*] vt creditoribus centesimæ vsuræ solue-rentur, id est, duodeni annui pro centenis: quæ grauissima erat omnium vsurarum. vide epist. 10. lib. 1. *Cum anatocismi anniuersario*] quæ est vsurarum in singulos annos quasi regeneratio. accrescebat enim ad sortem id, quod, vsurarum nomine, suo tempore dissolutum non erat. ita, aucta sorte, ad vsuras quoq; necessario fiebat accessio. atque hæc est, quã Cicero παλιγγενεσίαν vocat: ego dum rudibus seruio, verbum de verbo exprimens, quasi regenerationem conuerti. Hoc mihi, in hac tertia commentariorum meorũ editione, paullo fusius explicandum putaui: quia quosdam animaduerteram, qui, propter eam, qua vsus fueram, breuitatem, sententiam meam minus peruidere potuissent, parum de ea considerate pronunciasse. *Quaternas*] centesimas, cum ego vnas haberem in edicto. *Ex illa syngrapha*] quas Scaptius quaternas petebat: quas Gabinia lex, centesimis tantum concessis, exigi vetabat. Hic Cicero cohorruit primo, veritus ne ex illo S. C. cogeretur ius dicere de quaternis centesimis: postea animaduertit, illud S. C. non de quaternis exigendis cauere, sed ne feneratores sortem ipsam amitterent, quia contra legem Gabiniam dedissent; neve Salaminij multarentur, qui contra eandem legem accepissent. lex autem Gabinia, vsuram centesima grauiorem vetans, non modo pœnam irrogabat feneratoribus, & versuram facientibus, a qua liberauit vtrosque primum S. C. sed vetabat quoque ius dici ex ea syngrapha. cui rei fuit remedio secundũ S. C. ijsdem consulibus factum, vt ius diceretur ex illa syngrapha, qua Salaminij Scaptio debebant, itidem vt ex alijs, quibus centesimæ tantum, non quaternæ, deberentur, dici solebat. *Fraudi esset.*] vt neque feneratores creditam pecuniam amitterent,

neque Salaminij multarentur, quod contra legem versuram fecissent. Fraudem pro pœna & damno veteres vsurpabant. epist. 26. lib. 7. fam. & Vlpianus. *Nihil se iuuare illud*] S.C. iuuabat quidem, ne præter amissam pecuniam etiã damnarentur, quod contra legem fecissent; sed non iuuabat, vt fortẽ cum senore quaternarũ petere possent e syngrapha. quod nec alterum S.C. nominatim dedit, sed tectis verbis, hoc modo; Vt ex ea syngrapha ita ius dici posset, sicuti ex ceteris: qd primum S.C. non dederat. *Vt & ea syngrapha*] corruptus locus; qui sanus id significaret, quod proxime ostendimus. *Dedi veniam*] concessi: quod tamen non debebam. Salaminij enim, vt vsura consisteret, aut numerare volebant, aut in fano deponere: sed ego Bruti caussa in Scaptium propensior: itaque rem sic reliqui. Illi, inquit, impudenter petenti veniã dedi: Salaminijs autem, querentibus id fieri, &, vt in fano deponerent, postulantibus, non concessi. Sic lib. 1. de or. Date nobis hanc veniam, vt ea, quę sentitis de omni ratione dicendi, subtiliter persequamini. & Suetonius in Tiberio: Honorũ satietatem, ac requiem laborum prætendens, comme atũ petijt: neque aut matri supplici ter precanti, aut vitrico deseri se etiam in senatu conquerenti veniam dedit. *Stultus*] stultus non erat: quia rem sic relinquens nihil amittebat. neq; enim periclitaturus vm quam de centesimis cum anatocismo, cum de his intelligeret Salaminios numquam recusaturos. etiam vsuram capiebat, quoniam in fano depositа pecunia non esset. ergo in hoc minime stultus: impudens autem, quia quaternas, contra quam esset in edicto, speraret. *Bono nomine*] honesto: quia centesimas cum anatocismo concedebat edictum. *Contentus erat*,] contentus erat futurus, cum quaternas plane desperasset. nam tum quidem aperte ostendebat, contentum se non esse. tacite igitur sic ratiocinabitur Scaptius, vt contentus tum esset centesimis, cum de quaternis non succederet. secum ipse videlicet ita loquebatur: De quaternis non impetro: quid agam? rem sic relinquere, e re mea est: impetrabo fortasse ab alio proconsule, Brutigratia, cuius commendatio apud hunc minus valet, quam speraui: differam, cum in dilatione spes sit, neque tamen damni quidquam; quoniam vsura non consistit, pecunia non depositа. Hoc est, quod queritur Cicero, Salaminijs timens, epist. 1. lib. 6.

lib.6. Quid, inquit, ijs fiet, si huc Paullus venerit? qui erat Bruti affinis. *Non bono*] turpi: quia quaternæ contra edictum. *Auunculo*] M. Catone, cuius vterina soror Bruti mater Seruilia. *Perpetuo fenore*] sine renouatione singulorum annorum, sine anatocismo, ne vsuræ vsurarũ soluerentur, sed centesimarum perpetuum esset fenus, alio præterea fenore non adiecto. *Ducerentur.*] in supputatione. inde Subduco, & Rationes subducere. *Quid interfit,*] quid lucri creditoribus fiat ex hoc S.C. ὁ δὲ πάρεργον,] quasi præter propositũ, interponam hoc de Lucceio. epist. 8. lib. 3. ad Q. fr. *His decretis*] quæ pro creditoribus fiunt. quibus decretis tribunus pl. aliquis excitabitur ad legem de nouis tabulis ferendam, quia senatus voluntatẽ animaduerterit in creditores esse propẽsiorem. *C. Iulius*] C. Cæsar in consulatu. *Cum dieculam dixerit.*] malo, Duxerit. vt diem Cæsar solutionis produxerit, qui consultũ debitoribus vellet. Puto etiam, pro Deduceret, legendum Duceret, lib. 1. Acad. in extremo. Dieculam autem potius, quam diem: quia parua res quæ videbatur, summum detrimentum attulit reip. Vel: Dieculam dixerit: dieculam, id est tempus, interponi, æquum esse dixerit. est enim hic contracta Ciceronis oratio: itaque infert: Numquam resp. plus. *Plus.*] tulit mali, perspicuum est subaudiri. *Meditare*] vt defendas. *Integram rem*] nihil enim a me factum est contra Scaptij voluntatem: rem sic reliqui: quod ille me rogauit. epist. 21. *De ἐνδομύχῳ*] de filia collocanda. vide epist. 14. *Postumiæ filiæ, &c.*] mallem, Filio: vt Postumiæ filium genere probet: quoniam Pontidia, de alio locuta, certi nihil afferebat. epist. 1. lib. 6. *Taurus*] quem tabellarij, ex Cilicia Romam euntes, transirent, necesse erat. Quinctus autẽ Cicero, Ciliciæ præfectus, trans Taurum: Marcus in Asia, cis Taurum; vt mittere tabellarios Romam posset. *Fulcio.*] vt tuis ne desit. epist. 13. & 20. *P. Valerium*] Attici puto debitorem. *Quo die mysteria*] in quem diem incidant mysteria. nam intercalatio ordinem dierum mutabat. sed Atticus, qui Roma propius abesset, intercalationis dies, & dies item reliquos certius nosse poterat. epist. 20.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM SEXTVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

AD *quinctum termilia*] placet, Ad v. Terminalia: vt sit, die v. ante Terminalia, sicuti ad v. Kalendas, die v. ante Kalendas. *Sic enim postulas.*] hoc si quis transijciat, & post verbum Instituam, collocet; vt ego existimo, non inepte faciat. *οἰκονομίαν meam*] οἰκονομία est ordo in re domestica: μεταφορικῶς hic sumitur pro ordine, quem scribentes seruamus. *Equoturico*] opido, quod nominatur in Itinerario Antonini. conditum a Diomede post euersam Troiam, vnaque Beneuentum & Argos, ait Seruius super illo versu,

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,

Æn. lib. 8. *Meam βαθύτητα*] patientiam; cum ea fero & dissimulo, quæ ille commisit. Sic lib. 5. epist. 16. Appij vulnera non refrico, sed apparent, nec occuli possunt. *Libertatem*] quod non omnia Scaptio, quem mihi Brutus commendauerat, concessi. epist. 21. lib. 5. *Cum ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit,*] iocus ex medicina sumptus. nam, cum veteres medici, vt ait Hippocrates, vel ἐξ ἀφαιρέσεως, vel ἐξ ἀποθέσεως, id est vel diminuendo, vel addendo, ægrotos curare consuessent; Appius τῇ ἀφαιρέσει in curanda prouincia vsus est. Exhaustam ab eo sumptibus & iacturis prouinciam, Cicero significat. quod paullo post aperte dicit. *προσαναπεφορτίω*] insuper recreatam, meis institutis, quæ ab institutis

Appij

Appij differunt. *Præfectis,*] ius in prouincia dicentibus: vt M. Scaptio, de quo in epist. 21. lib. 5. & in hac infra. *Hanc nonnulli*] vel, Hanc, interpretare, dissimilitudinem administrationis; vel, Hæc, repone, pro Hanc. *Cæperam:*] mea sponte. *Sed dico?*] sed eum nunc quidem minus amo, hoc dicturus fuit: deinde reuocauit se, ne Atticũ offenderet, Bruti amantissimum. Dico? dico ne, quod volui? non faciam: & tacui quod eram dicturus, ne te offenderem. *Mandatis*] Bruti. *Poliicebatur,*] ob acceptum a me beneficium. *Illi*] Bruto, cui debebat. lib. 5. ep. 20. *Premi cæptus*] vt solueret eam pecuniam, quam a Pompeio, bellum in iis regionibus contra Mithridatem gerente, mutuam acceperat. *Talenta Attica*] Talentum Atticum scutati 720. *In usuram menstruam.*] soluit Ariobarzanes vsuræ nomine singulis mensibus talenta Attica XXXIII. nec ea tamen in vsuram satis sunt. *Sorte*] pecunia Ariobarzani credita. *Accusare regem.*] qui Bruto non solueret, præsertim cum mihi promisisset. *Vt pro Glabrione Scaeuola,*] pro Glabrione pupillo tutor Scęuola fenus & impendium reculauit aduersus creditores pupilli. ita ego alterum duorum faciam, vt aut tutelam regis, mihi a senatu traditam, renunciem ac deponam, aut aduersus eius creditores fenus & impendium recusem: hoc est, ita pergam in tutela, vt, quod pupilli nomine fenus & impendium est soluendum, id non soluam. Impendium, est vsura. Várro lib. 4. Vsura, quod in sortem accedebat, Impendium appellatum. Hoc intellecto, patet sententia illius loci in libro de claris oratt. Vt etiam impendiis augere possimus largitatem tui muneris. Et in Catone: Terra numquam recusat impendium, nec vmquam sine vsura reddit, quod accipit. Sic enim legendum putat homo eruditus. *Detuli:*] vt supra infraque (ep. 21. lib. 5. & 1. lib. 6.) dicit se Scaptio petenti negasse. nisi si duo Scaptij fuere, quod opinor; vt hic in regno Ariobarzanis negotiaretur, ille in prouincia Ciceronis. epist. 21. lib. 5. *Intercessisse se*] apparet, quam pecuniam Scaptius & Matinius Salaminiis Romæ dederãt, eam pecuniam & ipsos mutuam sumpsisse, sponsore Bruto. nam, intercedere, verbum est de sponsionibus vsurpatum: vt oratione 2. in Antonium: Tãtum pro te interfuisse dicebat. & hic libro 1. Accersiuit ad se, promisit, interfuit, dedit. *Vt soluerent, &c.*] vt omnem pecu-

niam Salaminij soluerent; quoniamque per sexennium ea pecunia vsi fuerant, eius sexennij centesimas vsuras soluerent. *Centesimis*] singulis, vt in edicto. infra. *Ductis*] subductis: vnde Ducere rationes. *Cum renouatione singulorum annorum.*] cum anatocismo anniuersario, id est, vt vsurarum centesimarum, quæ solutæ non fuerant, vsuræ cum centesimis simul soluerentur. id enim est Renouare fenus per singulos annos; vt summa fiat, pro centesimis non solutis quantum noui fenoris sexennio creetur, ducta ratione per singulos annos. *In Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam,*] Cyprus Catonis erat clientela: epist. 4. libr. 15. famil. item Bruti, quia cum auunculo suo Catone fuerat, cum is lege Clodia Cyprum insulam Ptolemæo regi ademit. Plutarchus, Strabo libro 14. Velleius libr. 2. & alij. *Quæ erat in edicto meo:*] centesimæ vsuræ consistere debuerunt, quas habebam in edicto meo, me esse obseruaturum cum anatocismo: consistere autem ab eo tempore, quo tantum pecuniæ depositum fuisset, quantum deberetur ductis centesimis cum anatocismo. Id Salaminij volebant: sed ego postulantibus vt deponerent, non concessi. *Si huc Paullus venerit?*] si, inquit, acciderit, vt L. Paullus, qui nunc consul est, consulatu functus, huc proconsul mittatur: male cum Salaminiis agetur. Brutus enim cõtra eos omnia Scaptij caussa impetrabit: quatenus dare cogentur. Erat autem affinis Bruti Paullus; quod eius frater Lepidus Tertullam, Bruti sororem, habebat in matrimonio. *Meo decreto*] habent antiqui libri, quorum mihi copia fuit, omnes sic: Soluta res Scaptio statim quam decretum sit tu iudicabis. vnus, Soluta res captio: videamus num tueri liceat antiquam scripturam: quod opinor licet. primum interpunge sic. Igitur meo decreto soluta res Scaptio, statim quam decretum sit: tu iudicabis. deinde explana: Igitur datum hoc sit a me Bruti gratiæ, vt quaternæ Scaptio soluantur meo decreto, idque statim quam decretum sit: sit inquam res Scaptio soluta. tum decreti mei iudex ipse eris: plane tuo iudicio stare constitutum est: ad neminem prouocabo, ne ad Catonem quidem: quem certo scio, inique decretum a me, dicturum. te vnum, inquam, decreti mei iudicem constituam: certe, quæ tua est æquitas, decretum meum probare non poteris; quamquam Bruti caussa omnia cupias.

pias. patere igitur, a me non decerni. Non enim, fe uera se esse decreturum, Cicero dicit, sed vtitur quodam simulacro; vt Atticus, re ante oculos posita, turpitudinem cernens, excuset eum, quia pro Scaptio, id est, pro Bruto, non decreuerit. Forte etiam, cum, vt dixi iam, vno in vetere libro scriptum sit, Soluta res captio; legi rectius possit, mutatione parua, Soluatur Scaptio statim. quam directum sit, tu iudicabis. atque in hanc opinionem eo me facilius demitto, quod eodem modo non dubie videtur esse corrigendus locus in Agraria secunda, legendumque, Directo, & palam; non, vt est in impressis libris, Decreto, & palam. τὸ γὰρ ἓν] hunc locum infra, vbi integer recitatur, vberius explano, epistola nona libri octaui. *Sex libris,*] de republica, & de optimi ciuis officio. prius tamen nouem libros confice in animo habuit. vide epist. 9. libri 3. ad Q. fratrem. *Cn. Flauio Cn. F.*] legebatur antea, Cn. Flauio Annij filio: corrupte. nam filij a prænomine patris ostendebantur. Annius autem non prænomen, sed nomen, id est, familia. mendosam igitur dictionem semper credidi, mutare vero non audebam, cum & a Plinio libro trigesimo tertio, capite primo, & a Gellio libro sexto, capite nono, hunc esse appellatum viderem Cn. Flauium Annij filium. postea, Liuij libros percurrens, cum ad eum locum libri noni veniissem, in quo Flauium hunc scribam Cnæi filium vocat: Cn. F. ego quoque in Cicerone scripsi: itaque Plinij Gelliique locus emendandus. Infra idem attigit. *Istam tabulam,*] Flauius scriba, cum populus, qui dies aut nefasti, aut fasti essent, ignoraret, eorumque notionem a iurisconsultis peteret, ipse fastos circa forum in albo proposuit, vt, quando lege agi posset, sciretur. quo beneficio populi gratiam, indeque curulem ædilitatem, libertino patre natus, obtinuit. Tabulam igitur fastorum. *Actiones*] quibus diebus lege agi posset. οὐκ ἔλαθες *illud, &c.*] est hoc ἐκ τῶν αἰνιγμάτων. nam neque supra, neque infra quidquam est, quo niti coniectura possit: nec diuinare nostrum est. *Imperatore*] appellato. libro quinto epist. 20. *Philotimi litteris*] Roma scriptis. *Binas*] vnas, quarum est principio, Saturnalibus mane, lib. 5. ep. 20. alteras, hoc principio, Te in Epirum, lib. 5. ep. 21. *Mihi placere:*] vt nubat ei, de quo scribis:

quem ex equestri ordine fuisse, proxima verba declarant. epist.4. *Tuum veterem gregem*] mallem de equestri genero, quam de patricio, cogitasses. opinor enim, de patricio discedens Cicero mandauerat. parui, inquit, tibi monenti vt me in meum veterem gregem referrem, id est, vt cum equestri loco natis iungerem. *Correcta vero epistola Memmiana,*] quod antea scripseras de Memmio, Pontidiam scilicet nugari, postea correxisti, cũ eam certa loqui significasti. ep.21.lib.5. *Nihil negotij fuit.*] perducere me in eam sententiam, vt de vno Memmio cogitarem. *Malo*] generum. *A Pontidia*] de quo Pontidia sermonem habuit. ep.21.lib.5. *Adiunges*] ad consultationem de Tullia. *Fratris Appij*] nõ puto intelligi de Ap. Claudio P. Clodij fratre, (hic enim tunc viuebat) sed de alio, cuius paullo ante mortui hereditatẽ Aufius adierat. *Amorem*] vt non solum rei, quam Appius habuit, sed amoris etiam, quo me viuens prosecutus est, heres Aufius sit. Est autem nota locutio, Cernere hereditatem, & hereditate. vtroque enim modo veteres Latini loquebantur. *Qui*] Appius potius, quam Aufius. *In Bursa*] cum T. Munatium Plancum Bursam lege Pompeia de ambitu accusaui. famil. epist.2. & 10.lib. 9. & Philippica 5. hunc Bursam postea Cæsar, victo Pompeio, cum aliis non paucis, lege Pompeia damnatis, restituit. *Liberaris.*] si de Tullia mea confeceris. *Furnij exceptio*] Furnium tribunum pl. (epist.18.lib.5.) Ciceronis studiosum, legem opinor tulisse de rectoribus transmarinis, nisi Parthus moueret intra Quinctilem mensem, eos posse decedere. at id ipsum tempus Cicero timebat, ideoque exceptionem illam minime probabat. volebat autem omnino ferri, vt, annuo imperio terminato, decederent: quod ipse non magis odio prouincię, quam Parthorum metu, cupiebat. *Remouendumque censeo*] quod attinet ad otium & salutem reipub. nihil eum dissimulaturum putemus. Et hoc adscripsit Cicero, quia, cum supra dixisset, Vsquequaque, de hoc cum dicemus, sit hoc quasi καὶ τόδε φωκυλίδου, quibus verbis perpetuum in Pompeio notauit dissimulationis vitium; exceptione hic vtendum putauit, cum de communi otio loqueretur. Remoueamus, inquit, ab eo vitium dissimulationis. Οἰκονομία] ordo & dispositio rerum, quæ scribuntur. Σχεδιάζοντα.] qui scribis non ordine, sed

dine, sed vt quidque in mentem venit. *Sed alter, &c.*] frenis egebat Quinctus, vt ingenio valens plus etiam quam satis esset; calcaribus Marcus, vt tardior. ergo hic Ephoro, ille Theopompo similis, vtrique Isocratis discipulo. Suidas. *Dare.*] Laodiceæ. epist. 20. lib. 5. *Obseruabo,*] quo die Liberalia de more celebrantur, eo die (nempe XII. Kal. Apr.) togam puram Quincto daturus sum. Quoniam autem mutare dies solebat intercalatio; (&, intercalatum esset, nec ne, Cicero ignorabat) ego, inquit, Liberalia sic obseruabo, quasi intercalatum non sit; suo inquam die obseruabo; quando mihi est ignota intercalatio. epist. 1. & 3. lib. 6. *In amoribus est.*] carissimus est. nota locutio. famil. epist. 32. lib. 7. *Aiunt eum*] alij, Aiunt se. malo, Eum, ex antiquo libro Bessarionis: idque magis postulat Latini sermonis probata consuetudo. *Thermum, Siluium*] vicinarum prouinciarum rectores. *Bibulum*] Syriæ proconsulem. *Scrofa*] nostri cupidissimus. cui si daretur occasio, iure posset me laudibus efferre. *Lautum negotium*] egregia mea prouincialis administratio. *Infirmant πολίτευμα Catonis.*] non ita publicam rem administrant, vt Cato iubet. *Causſam meam*] ne patiatur mihi prouinciam prorogari. epist. 13. lib. 5. *De Amiano*] hi tres, Amianus, Terentius, Meragenes, videntur Attico pecuniam debuisse. & quod sequitur, Spei nihil, explano, de exigenda pecunia. *Dionysius.*] Ciceronum magister, tui amantissimus, qui adest, &, rem tuam mecum curat. *Nullum vestigium*] hominem conuenire volebam, vt agerem de tuo nomine. non modo non potui, sed nec vllum eius vestigium agnoui. *Meragenes certe periit.*] Attici debitor est, ad inopiam redactus. *Periit:*] decoxit, perdidit omnem rem: vt de pecunia tua prorsus actum sit. *Mandaui.*] dedi negotium, vt, quod de Rhosio scripsisti, ageretur. *Infelicitatis?*] quasi infelicitatem quærat, qui tam frugaliter cogitet viuere. *Lancibus, &c.*] iocus, quia scripserat Atticus, vasis fictilibus se esse vsurum. quid, inquit, cogitas? in lancibus & splendidissimis canistris oluscula apponebas, iisque nos pascere solitus es, cum præterea nullum esset obsonium: in vasis fictilibus, quæ humiliora sunt, quid appones? certe viliora esculenta. *Reperietur,*] ij, quibus mandaui, polliciti sunt se reperturos. l. 5. epist. 21. *Ineptas*] scripsit enim, vt ex

Arrij litteris cognoui, cõfectum per se Parthicum bellum: est non ita res sit. l. 5. ep. 21. *Aliquando commoueatur*] aliquãdo Parthici belli curam suscipiat. quod non esse confectum, ex Bibuli litteris intelliget; contra quam Cassius scripsit. ep. 21. l. 5. *Habeo Iunium & Quinctilem in metu.*] qui sunt postremi duo menses imperij mei annui. venit enim in prouinciam Cicero pridie Kal. Sext. vt est. l. 5. ep. 2. & ad Appium epist. 7. lib. 3. *Sustinebit*] impetum Parthorum, vsque eo, dũ annua mihi finiatur administratio. Erat autem Parthis, antequam Ciceronis in prouinciam peruenirent, per Syriam, Bibuli prouinciam, transeundum. *Si non tam cito*] si prouincię mihi tempus non prorogatur; nec mihi liceat, casu aliquo, vt fit, anno confecto decedere; quid me fiet? *Quid illo fiet?*] antiqua locutio: vt in epist. ad Terentiam, Quid Tulliola mea fiet? fam. ep. 4. l. 14. *Quadringenarias,*] quadringentorum militum singulas, numero triginta, omnes armatura Romana. supputa: duæ legiones erunt. hoc & ep. 18. l. 5. significatur in illo verbo, Duplicaturi. Hirtius in libro de bello Alexand. vnam tãtum Deiotari legionem Romana disciplina & armatura constitutam nominat. oratione in Antonium 11. Deiotari exercitum, Romano more instructum, Cicero appellat. Quod sequitur, ∞ ∞; significare duo millia, supra docuimus in narratione de numerorum antiquorum notis. *In nostra prouincia*] non cui ego præsum, sed in prouincia populi R. ep. 21. l. 5. *Ipse Orodes.*] rex Parthorum, Pacori pater, qui iam Euphratem transierat. ep. 18. & 21. lib. 5. *Aliquantum negotij.*] non multum, quia Parthi nihil mouent. sed aliquantum tamen, quia sunt in nostra prouincia. vt in eo quiddam mihi sit negotij, quia, propinqui cum sint, a subitis excursionibus timendum. *Præter illam exceptionem*] exceptio erat ex prouincialium commodo cõtra publicanos, id est contra ordinem equestrem. nam publicani omnes equites. *Nimis graui præiudicio in ordinem nostrum.*] Attici verba de exceptione edicti. In ordinem nostrum, equestrem. nam Atticus equestri loco natus erat, & in equestri ordine permãserat: senator enim numquam fuit. Cicero autem ab equestri ordine in senatorium adscẽderat. Publicanis porro fere semper cum prouincialibus negotium erat e vectigalium exactione. & Bibulus equitibus infensus, quia Cæsarem, inimicum suum, magno

magno beneficio deuincti, studiosissime obseruabant. Suetonius. Ἰσοδυναμοῦσαν,] exceptionem similem, quæ prouincialibus magis, quam publicanis, consulat, translatam in meum edictum ex edicto Q. Mucij Scæuolæ, Asiæ proconsulis. lib. 5. epist. 17. & fam. epist. 9. lib. 1. *Tectiorem,*] ne aperta exceptione, vt Bibulus, equestrem ordinẽ offenderet. *Q. Mucii P. F.*] prænomen patris addidit, distinctionis caussa. vixerant enim eodem tempore duo Q. Mucij Scæuolæ, vterque iuris prudentia clarus. vnus Q. F. augur, socer L. Crassi oratoris, qui consulatum gessit cum L. Metello Dalmatico, anno vrbis DCXXXVI. quem Cicero loquentẽ induxit lib. 1. de oratore. hic prætor Athenas profectus est, vt lib. 1. de Fin. & lib. 1. de orat. Alter fuit Q. Mucius P. F. Pont. Max. collega in consulatu L. Crassi, anno vrbis DCLVIII. Asiam rexit proconsul: vt hic, & lib. 5. epist. 17. & in Verrem, & pro Plancio, & Val. Max. lib. 8. cap. 16. epitome lib. 70. Pedianus bis. Interfectus est iussu C. Marij consulis, vt epitome lib. 86. & lib. 3. de or. *Extra quam*] cũ in pactionibus prouincialiũ & publicanorum multa fierent contra fidem bonam, Bibulus in edicto suo scripserat, se non staturum tabulis pactionũ. hoc idem Cicero, sed tectius, his, in quam verbis γενικῶς: Extra quam si ita negotiũ gestum est, vt eo stari nõ oporteat, ex fide bona. Extra quam: cũ hac exceptione. *Ex fide bona*] vt ex bona fide cõuenit. tectior aũt: ideo Ciceronis exceptio, quia neq; pactiones, neq; aliud quidquam nominatim, γενικῶς omnia complexus est: Bibulus aũt de pactionibus expresserat, graui præiudicio in ordinẽ equestrem. nam, si pactiones non seruarentur, magnũ in eo damnũ publicani facerẽt. *Omnia de publicanis:*] de omnibus controuersijs, quæ inter publicanos & prouinciales possunt exsistere. *Magistris faciundis,*] magistros auctionũ intelligit: de quibus epist. 1. *Vendendis:*] vt ex edicto primũ a creditoribus possideãtur bona, deinde, magistris factis, vendãtur. *Peregrinis*] nõ Romanis, sed peregrinis, id est suis. ep. 2. *Nugatoribus*] leues, inquis, erũt iudices, siquidẽ Græci erunt quid refert? ipsi tamen ita exsultant, quasi summũ a me beneficiũ acceperint. *Vestri*] qui Romæ iudicant. εἰρωνικῶς dixit. *Mancipem.*] quasi non grauis iudex esse possit, qui ob quæstum publica conducat, vel emat. *Ne cui molesti sint.*] acerbiore vectigalium exactione, itaq;

hoc accidit παραδοξότατον, id est maxime præter opinionem. ante enim molestissimi prouincialibus publicani. *Vsuras eorum,*] quas prouinciales ex pactione publicanis penderēt, donec debitum vectigal soluerent. quod & Seruilius, cognomento Isauricus, Ciliciæ proconsul, ratum esse voluit. ego autem (inquit) prouincialibus amicior: qui vsuras, pactionibus adscriptas, non seruo; sed diem statuo satis laxam, qua vectigal publicanis debitum soluant: quam ante si soluerint, ad vectigal vsuras tantum centesimas addent: si non soluerint, tum, quæ pactionibus adscriptę sunt, eas vsuras soluant. quod ne accidat, consulto diem statuo satis laxam, quo possint matura solutione vsuras illas intolerabiles effugere. *Centesimas ducturum.*] hoc seruaturū, vt centesimas dumtaxat cum vectigali soluant publicanis. quod illis multo erit facilius, quam si vsuras illas, quæ pactionibus adscriptæ fuerant, centesimis videlicet non comparandæ, ex instituto Seruilij cogerentur soluere. *Expactione.*] soluant, vt pactionibus adscriptum est: adscriptum autē erat grauissimum fenus: quod seruauerat proconsul Seruilius. *Soluunt tolerabili fenore,*] soluūt vectigal iam ante debitum, cum centesimis: quod est fenus tolerabile. *Si illam iam habent:*] Caualcantis liber, Illa, etiam alter antiquus. mendum tamen remanet in particula, *Si.* sequitur translatio a mensura, copiam significans. publicanos valde verbis orno, crebro inuito. *Maxime puter.*] esse mihi familiarem. Μηδὲν αὐτοῖς.] nihil ipsis tribuo: quamuis eos habeam in delicijs, nihil tamen ipsorum caussa facio, quod reprehendi possit. *Reliqua.*] quæ perficiunt Græcam sententiam. *De statua Africani*] de qua vt putem locutum esse Ciceronem in libris de rep. facit illud infra, Nā illud de Flauio, & fastis. videtur enim Atticus ad Ciceronem scripsisse, eius opinionem a Scipione Metello reprehendi, propterea quod in libris fortasse de rep. transdidisset, eam statuam, quæ ad Opis ædem posita esset, cum hac inscriptione, P. CORNELIVS. P. F. SCIPIO. CENSOR, Africani esse: quam Scipio Metellus non Scipionis Africani, sed Scipionis Serapionis aiebat esse. quem refellit Cicero his verbis: Cum habeat ea statua inscriptum, CENSOR, qui potest de Serapione intelligi, qui censor num quam fuit? an hoc Scipio hic Metellus ignorat, proauum suum Serapionem censorem

forem non fuisse? Est autem Serapio, Nasica ille Scipio, qui Ti. Gracchum pontifex max. interfecit. ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων] o perturbatum rerum ordinem, quo tu vteris in litteris tuis. supra dixit, Te enim sequor σχεδιάζοντα. *Iam*] hoc ipsum, quod scribis ordine perturbato. *Scipio hic Metellus*] hic est Pompeij Magni socer, P. Scipio, qui post in Africa contra Cæsarem pugnauit, victusque sibi ipse mortem consciuit. adoptatus a Q. Metello Pio, Numidici filio, & prænomen ab eo, & cognomen acceperat, vetere tamen cognomine conseruato, vt appellaretur Q. Metellus Scipio: quod patet ex S. C. misso ad Ciceronem a M. Cœlio, epist. 7. lib. 8. fam. Pedianus etiam in argumento Milonianæ Q. Metellum Scipionem nominat. alibi Scipio tantum, vt apud Cæsarem, Ciceronem ipsum, & historicos omnes. Metellus simpliciter, quod meminerim, numquam dictus. Idem, nisi fallor, Nasica vocatur a Cicerone, epist. 1. lib. 2. seruato cognomine patris, aui, maiorumque suorum. Etiam illud obseruaui, licet adoptati prænomen eorũ, qui adoptassent, assumerent, hunc tamen in oratione pro domo P. Scipionem appellari. Dixit igitur, Scipio hic Metellus, vt in epist. 24. lib. 2. Cæpio hic Brutus, gemino cognomine, quia Brutus ab auunculo Cæpione adoptatus erat. *Proauum suum*] hoc ordine. P. Scipio Nasica Serapio, eius filius, qui Corculum vocatus est, genuit Scipionem Nasicam oratorem, qui consul fuit cum Bestia, anno vrbis DCXLII. hic autem Nasicam, Crassi oratoris generum, ex quo Nasica hic vltimus, quem diximus a Metello Pio adoptatum. *Censorem non fuisse?*] censor quidem fuerat Africanus Æmilianus, quod Cicero scripserat, non Serapio, quod Scipio Metellus opinatus, Ciceronem, vt ignarum historiæ, reprehenderat. *Censor*] censor fuerat Africanus cum L. Mummio, anno vrbis DCXI. *Eastatua*] Africani. *Ad Opis*] ædem. e Græcis fontibus figura deriuata. *Aperte*] Bessarionis liber, Ab Opis parte: recte fortasse: malo tamen, Ad Opis aperte. *Serapionis*] cognomen hoc Scipio Nasica accepit a mancipio, ob similitudinem formę. Valerius, Plinius, epitome Liuiana. *Video Metelli ἀνισορυσίαν turpem.*] bis errauerat Scipio Metellus, primum, quod putauerat statuam illam, ad Opis positam, Serapionis potius esse, quam Africani: in quo eum inscriptio refellebat: non enim

censor vmquam Serapio fuerat: deinde, quod in Capitolio imaginem Africani posuerat, cum subscriptione Serapionis: vt nō ex historia tantū, sed ex facie quoq; suos gentiles ignorare videretur. ἀνιστορησίαν, ignorationem historiæ. *Nam illud de Flauio*] fastos a Cn. Flauio, libertino homine, publicatos esse, de quo iam diximus, ex oratione pro Murena, Plinio, Gellio, & alijs notum est. Hac de re locutus erat Cicero in lib. 1. de rep. quod ex Nonio constat. supra, in hac ipsa epistola. *Si secus est*,] si aliter est, atque ego scripsi in libris de rep. *Belle ἀπόρησας*,] acute, nec sine caussa dubitasti, vtrum de Flauio & fastis ita sit. epist 1. τὸν τῆς ἀρχαίας] illum ex veteri comœdia celebrem. Horat. sat. 4. lib. 1.

Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; poetæ,
Atq; alii, quorum comœdia prisca virorum est.

Errauit,] de Eupoli. *Non dixit?*] dixit & Valerius. *Tuo familiari*,] ex assidua lectione. *Nemo Cornelius*,] ne errandi quidē occasionem vllā habuit: cum nemo Cornelius, illo viuo, censor fuerit. quo turpior videtur error. ΧΧΡC.] quæ Philotimo soluta sunt a debitore meo. *Reliqua mea*] quæ mihi reliqua debebantur. τί λοιπόν?] quid superest, quod ad te scribam? *Inaudisti?*] huius verbi vis hæc est, vt non nisi de rebus occultis vsurpetur. vt in epistola ad Pætum: Aquini & Fabrateriæ consilia sunt inita de me, quæ te video inaudisse. & apud Plautum, alioq;, eiusdem generis sunt exempla: vt legentes ad vsum Latinæ locutionis obseruauimus. *Nihil eiusmodi est*.] non est, vt quidquam inaudire potueris a me turpiter commissum. nihil enim committo, πρὸς γε καλὰ δεῖ. *Probe respondisse*.] cum respondisti, te non putare, pantheras mandato meo quæri, vt ad Cœlium mittantur. epist. 21. lib. 5. *Fidentius*.] nam, cum dixisti, te non putare, non satis fidenter respondisti. vellem affirmasses; non esse, cur pantheras Cœlio, collegæ tuo, seorsum ab ipso venationem adornanti, suspicetur a me missum iri. *Cœlius libertum*] M. Cœlius Rufus, ædilis curulis designatus cum M. Octauio, Philonem libertum miserat. fam. lib. 7. epist. 8. *Sed a ciuitatibus*.] sic in antiquis libris. puto rectius. Et de ciuitatibus. litteratum mutatione parua: si quidem pro, Sed, veteres librarij scribebant, Set; item, it, quit, pro id, quid: aliaque huius generis multa. Scripserat ad Ciceronem Cœlius, vt & panthe-

pantheras sibi mitteret, & M. Feridij agros, (fam. lib. 8. epist. 9.) qui ciuitatibus fructus penderent, immunes esse vellet. de agris respondit Cicero: In mea prouincia nihil cuiquam adimitur, nisi si quid quis debeat. nam, creditoribus vt satisfiat, volo. itaque non est, quod petas, vt ciuitatibus adimam fructus, qui ex agris capiuntur. ac miror, cur petas: cum Romæ audire possis, nullum in mea prouincia nummum, nisi in æs alienum, erogari. quod si non auditur, meaque sunt obscura facta, vt tamquam in tenebris lateam: moleste fero. *Nec mihi conciliare*] qui pecuniam non debitam vel ipse cepisset, vel alteri conciliasset, is lege tenebatur. in Verrem lib. 3. *Nec illum capere:*] significatur, inter Feridium & Cœlium conuenisse, vt, si Feridius, a Cœlio Ciceroni commendatus, de immunitate agrorum impetrasset, Cœlio pecuniam eius rei caussa numeraret: quod quidem flagitij nemini esse committendum, minime vero omnium Cœlio; cui pecuniam capere liceret eo minus, quod crimine repetundarum accusasset C. Antonium. *Illud autem alterum,*] de pantheris. *Cibyratas*] ab vrbe Cibyra, homines venandi studio deditos. fam. lib. 8, epist. 9. *Magna in gratia*] quia scripsisti ad eum, me scripsisse ad te, mirificum illum esse. epist. 17. lib. 5. *Mandauit,*] ante quam Roma discederes. *Quem iampridem numquam videt.*] supra tamen, epist. 19. lib. 5. dixit, Quam numquam vidi; vt videatur hic quoque legendum, Quem numquam vidit. *Adscribito.*] cum Romam ad vxorem tuã Piliam litteras mittes. *Litteras daturum pridie Kal. Ian.*] locus ex epistola Attici: qui Ciceroni memoriam attulit clarissimi iurisiurandi, cum scilicet pridie Kal. Ian. iurauit rempub. a se esse seruatam. fam. lib. 5. epist. 2. in oratione pro Sylla, & in ea pro domo. *Prætextatus*] cum effeci, vt summa tribuni pl. Metelli Nepotis iniuria summo mihi esset honori. Prætexta magistratuum toga, & puerorũ ad annum XVII. *Paria paribus*] qui in scribendo nihilo sum ornatior, quam tu es. *Potuit Lucceius Tusculanum:*] vendere. nisi forte sibi retinet animi caussa. solet enim ibi se cum suo seruulo tibicine oblectare. *Expeditos*] molestia æris alieni. *Quibus omnibus est*] in quos omnes conuenit illud Homericum, αἴδεσθεν, &c. quod pecunias in iudicio, cum propter æs alienum cuperent, tamen, deterriti metu, non accepissent,

De Memmio] exsule reducendo. exsulabat de ambitu condemnatus. Appianus lib. 2. *Curio*] C. Scribonius Curio tribunus pl. fam. epist. 4 lib. 8. *Nomine*,] pecunia ab Egnatio exigenda. *In mensem Martium*] vide epist. 20. lib. 5. *Genuarios*] nummos Genuæ percussos, quæ erat in Cæsaris prouincia. *Talenta Attica L.*] scutati scilicet aurei triginta sex millia nostræ monetæ. *Extorsistis.*] ad Marathonis ædificationem. *Odium Pompeii*] prorsus hæc non conuenire videntur in Pompeij personam. si quid opis afferrent veteres libri, mallem, Posidonij: qui moleste ferret a Cęsare pecuniam Athenienses abstulisse ad Marathonem ædificandũ, quam ipse suis Rhodijs datum iri non dubia spe crediderat. *Suos*] quos suos certo putaret. *Comedisse*,] auide præripuisse. *In merito reædificando*] in Marathone ædificando, esset apertius, nec ἄλογον, vt opinor. scribit enim Tranquillus, Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Asiæ quoque & Græcię potentissimas vrbes Cæsaris munificentia præcipuis operibus exornatas. *Diligentiorem*] vobis instantibus. *Nequiorem:*] verbum proprie vsurpatum de hominibus luxu diffluentibus. *Vindullum:*] aut libertum Pompeij Magni, ideoque patroni nomine vtentem, aut gentilem. *Quæ res*] quæ hereditas. liberti enim patronis, & patroni æque libertis heredes erant, cum aut intestati, aut sine filijs obijssent. sin gentilis erat, de gentilicia hereditate accipiemus. *Lagunculæ*] clarius, Imagunculæ. Bessarionis liber, Languncularum. *Hominis Bruti*] ioco significat, Brutum re vera Brutum esse, qui Vedio vtatur. & argute, Hominis Bruti, quasi non hominis magis, quam bestiæ simillis esset. &, Lepidi, plane hominis lepidi, si quidem hæc de vxore ferat. *Illius Lepidi*] subaudi, Vxoris: vsitata figura: vt, Terentia Ciceronis, Mucia Pompeij. Ex sororibus Bruti alteram habuit in matrimonio M. hic Lepidus, postea triumuir cum Antonio, & Octauiano; alteram C. Cassius, is, qui Cæsarem occidit. *προπύλαιον Eleusine facere.*] per amicos videlicet. nam Appius iam ad vrbem peruenerat. προπύλαιον autem, vt esset in vrbe celebri monumentum nominis sui. *Id ipsum*] te putare, nos ineptos fore, si προπύλαιον Academiæ fecerimus. *Ipsas*] ipsam vrbem. nam Eleusin non tam Athenis propinqua, quam Academia, quæ propemodum in portis erat. *Post Leuctricam pugnam*]

pugnam] post pugnam, qua Clodius a Milone apud Bouillas cæsus est. Leuctricam cur vocet, minus notum, nisi forte quia memorabilis e Clodij nece, vt illa e Spartanorum & Cleombroti regis occisione. *Die* DCCLXV.] recte: tot enim dies a Clodij nece (is III. Kal. Febr. est interfectus) numerantur ad hunc diem: vt scripta sit epistola ad III. nonas Martias, L. Paullo, C. Marcello cos. altero post Pompeij consulatum anno. epist. 12. lib. 5.

IN EPISTOLAM II.

Ab Cincio] Romæ res Attici curante. *Id consilium*] cõsilium Quincti fratris de dimittenda Pomponia, Attici sorore. Statius autem Quincti libertus. *Illum autem*] Quinctum. *De istis rebus*] de quotidianis litibus cum vxore. epist. 1. lib. 5. *Militia ve nostra*] militiam vocat, quia cum agmine armato proficisceretur. vide epist. 19. lib. 5. *Necsatis est, &c.*] non mihi satis est, me tibi eum præstare, qui esse debeo: curam etiam suscipiam, ne quid ab illo secus, quam volumus, fiat. *Soleo hortari:*] vt ista sedet inter patrem & matrem. *Nequam.*] inconsiderati, indiligentis, qui temere scriberet, quidquid in buccam. *In Trophoniana Charonis narratione*] Chæronem loquentem induxerat Dicæarchus in libris περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως. Athenęus. *Magna re tam secuti*] cum vrbes ædificarent. *De isto Dicæarcho*] glossema, Dicæarcho, suspicor. *Non minus bene, &c.*] dignum, cui crederetur, ita Dicæarchum putabat, vt tu C. Verrem historiũ, ego M. Cluuium. Et, quoniam, M. Cluuio, primi correximus; nostra correctio si cui minus probabitur, huic opponemus duorum antiquissimorum exemplarium auctoritatem, Caualcantis, & Bessarionis. quam nos eo facilius secuti sumus, quod & Vestorium Attici fuisse amicissimum, & Ciceronis Cluuium, vtrumque Puteolanum, ipse nobis Cicero narrat tum in his epistolis, tum in ijs, quas posterior ætas Familiares inscripsit. *Lepreon*] qui potest esse maritimum, cum Arcadia sit regio mediterranea? Tene autem, Aliphera, & Tritia, maritima opida, ideo putabat Dicæarchus antiqua non esse, quod Homerus τῷ τῶν νέων καταλόγῳ, cum naues enumerat e Peloponneso discedentes, mentionem istorum non facit. *Transtuli.*] in libros de rep. de quibus ep. 1.

Vt habeas.] vt corrigas. nam Phliuntios non recte scripserã, analogia deceptus; quod vt ab ὀπὸς, σιπὸς, ὀπάντιοι, σιπούντιοι, item Phliuntios a φλυὸς deduci putaueram. *Præter Cilicia,*] Asiaticarum igitur diœcesium, nõ Cilicien sium, forum egit. epist. 21. lib. 5. & fam. lib. 13. epist. 60. *Suis legibus*] vide epist. 1. *Ipsorum furtà Græcorum*] cur, Ipsorum? quia Romani magistratus iuri dicundo, pecunijs autem publicis administrandis Græci ipsi præerant. primus autem Cicero permisit, vt ad ius dicendum suis etiam legibus iudicibusque vterentur: cum antea Romanis legibus ius dicerent Romani homines, aut qui prouinciæ præerat, aut ab ipso dati. *Reddiderunt.*] debitas pecunias. Vectigalia autem publicani quinto quoque anno de censoribus redimebant: & quinquennale spatium Lustrum dicebatur. Varro. *Ex illa vetere militia.*] quod me iampridem antelucanis ambulationibus consuetudo assuefecit, cum ita me excitabat, exercebatque ambitio, vt in bello milites victoriæ cupiditas. *Emerentur.*] annua prouincię administratio terminatur. sic Emeritum annuum tempus, (epist. 5.) pro confectum. & emerentur proprie stipendia militibus. *Curionis nostri*] tribuni pl. qui S. C. fieri de prouincijs non patiebatur. *Te videbo*] quia nihil noui de prouincijs decernetur: itaque vtar ea condicione, qua profectus sum, vt annuo imperio terminato, reuertar. *In mea prouincia*] cum Salaminijs. *Regno*] Ariobarzanis. epist. 1. *Turbulentis in rebus,*] cum pæne ciuilibus insidijs oppressus est. lib. 5. epist. 20. fam. lib. 15. epist. 2. *A proximæ quidem syngrapha,*] quid, si, A prima quidem syngrapha? vt centesimæ ducerentur & a prima syngrapha, & cũ anatocismo. *Nec perpetuis,*] nec sine fenoris renouatione, sed vt & ipsæ a Salaminijs soluerentur, & ipsarum item vsurę, ducta ratione per singulos annos, quantum e centesimarum fenore noui fenoris crearetur. ita centesimæ non perpetuæ ducebantur, sed renouatæ quotannis: quod supra dixit, Cum anatocismo. epist. 1. *Qui ais*] qui verum est id, quod scribis? *Habebat in syngrapha.*] non simul stant, velle aliquid perdere, & habere quaternas in syngrapha, quod est hominis prętet modum cupidi. *Fieri non poterat:*] etenim erat interitus ciuitatis. epist. 21. lib. 5. *Ego pati possem.*] qui in edicto translaticio, centesimas me obseruaturum, haberem, cum anatocismo

cismo anniuersario, nihil vltra. epist. 1. *Auli lex.*] Auli Gabinij. *De ita sumpta*] de versura. vetabat lex Gabinia ius deci, hoc est, debitores in iudicium vocari a creditoribus de pecunia, quam versura facta sumpsissent. id ob eam caussam, ne prouinciales homines Romæ versuram faciendo exhaurirentur. *Ius diceretur ista syngrapha.*] vt Salaminij, Scaptio & Matinio non soluentes, iudicio cogi possent. *Habet iuris idem,*] ista syngrapha nihil habere debet præcipui iuris, sed idem, quod ceteræ: hoc inquam, vt obseruentur centesimæ cum anatocismo. tantum enim senatus decreuit, vt neve Salaminijs, neve ijs, qui dedissent, fraudi esset; iusque diceretur ex syngrapha inter Salaminios & feneratores facta: quod sine S.C. non potuisset, lege Gabinia vetante. ergo hoc senatus decreuit, vt & dantibus, & accipientibus caueretur: id non decreuit, vt a feneratoribus exigerentur quaternæ: quod Scaptius postulabat. epist. 5. *Ordine*] sapienter. inde ductum, quod in ordine consideratio inest, & in consideratione sapientia. Sic Philippica 3. Recte, atque ordine, eque rep. fecisse & facere. *Spartaco*] qui seruile bellum excitauit. *Tenera insula*] imbelli, & delicijs potius quam armis dedita: quam vel paucis equitibus posset Scaptius ad libidinem vexare. contra dixit Virgilius, Scipiadas duros bello. *Negotiatorem neminem:*] præfectum haberemus. *Cur potius, quam cohortes?*] fingit se mirari, cur Scaptius, cum pedites minore impensa possit alere, equites tamen malit: sed occulte significat, Scaptij consilium esse, vt equitibus ad extorquendas pecunias, insulamque diuexandam vtatur. quod peditum non ita firmo præsidio minus auderet. Et de peditibus, Cohors dicitur; de equitibus, Turma. itaque in oratione pro Marcello pedites equitesq; significat, cum inquit: Huius gloriæ, Cæsar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem: nihil tibi cohors, nihil turma decerpit. *Nepos*] is est, qui rem temere profundit. sed est in Scaptium ironia, qui, non quia nepos esset, sed, quia rapinas & vim cogitaret, ideo turmas mallet, quam cohortes. *Principes.*] Cypri. *Scio.*] ἐφωνικῶς: ex hoc, inquit, iudica, num velint, quod ad me Ephesum, &c. *Eos libros,*] quos de rep. & de optimi ciuis officio scripsi. lib. 4. epist. 16. lib. 6. epist. 1. lib. 7. epist. 3. l. 8. ep. 11. l. 10. ep. 4. & ad Q. fr. l. 3. ep. 8. *Nimis, inquam,*]

inquam, dicit, quasi eandem sententiam repetat. nam supra, licet non plane dixerit, non obscure tamen significauit, nimis ab Attico Brutum amari. vt in eo loco, Ausus es hoc ex ore tuo? *Scripsisse te ad me.*] vt equites Scaptio ad cogendam pecuniam darem. *Hæc omnia facimus,*] ne, a Dolabella accusatus, prouincialium hominum testimonijs oppugnetur. fam. epist. 10. lib. 3. ad ipsum ita scribit: De me tibi sic promitto, atq; confirmo; me pro tua dignitate in hac prouincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis apud ciuitates; grauitate, imperatoris susceperum officia atque partes. *Honeste tamen,*] quatenus honeste possum. quasi essent nonnulla, quę fieri pro Appio non honeste possent. *Nec enim ipsum odimus,*] quamquam & inimici mei frater fuerit, & inimicus ipse. *Brutum*] Appij generum. fam. lib. 3. epist. 4. *Pompeius*] cuius filius Appij filiam habebat in matrimonio. fam. lib. 3. epist. 4. *Quæstorem*] quem postea decedens prouinciæ præfecit. fam. epist. 15. lib. 2. *Pammenia illa*] quæ acta sunt de domo pueri Pammenis. supra lib. 5. epist. 20. *Corcyræa.*] quam Corcyra dedisti. *Potentia Vestorii.*] cui cõtrouersia fuerit cum homine tam fatuo, tam nullius consilij. Hic est Sempronius Rufus, qui Rufio per irrisionem vocatur epist. 2. lib. 5. idem qui in ep. M. Cœlij, fam. epist. 7. lib. 8. *Cæciliam*] Attici filiam. *Litteris:*] cum Romam scribes.

IN EPISTOLAM XII.

Iuuare possēs.] non ideo scribendum ad te fuit, quod me iuuare posses: quippe res dilationem non fert: tu autem ab vrbe longe abes. lib. 5. epist. 20. & 21. *πολλὰ, &c.*] quid significat? hoc: magnum est interuallum: multa interiacent. Est autem hemistichium, & senarius integer, ex vetere aliquo tragico. *Nemo igitur potior:*] neminem igitur fratri debeo præferre: si honos est, fratre mihi nemo debet esse potior. Alij, Bonos, pro, Honos, contra veteres libros Caualcantis & Bessarionis, nec mihi satis probata sententia. *Pontinius*] qui erat & prætorius, & triumphalis. *Ea lege*] vt, cum veller, a me discederet. *Quæstorem*] Cœlius nondum venerat. Mescinium igitur intellige. de quo epist. 4. & 5. *Sagax.*] quæro dictionem, quæ vituperet. nam Sagacitas neque vitiũ signifi-

significat, neque laudem. Rapax, aut quid simile, cum sententia congrueret: sed libri veteres, Sagax. vt fortasse referri possit ad furta: quasi prædæ latentis callidus indagator. *Decretus*] mihi ad annuam prouinciæ administrationem. cuius anni cum circumactus orbis sit, (adest enim dies ad decedendum constituta, III. Kalend. Sext.) frater, publico sumptu destitutus, qui tantum bellum sustinebit? *Fratrem*;] cum bellum periculosissimum impendeat. *Nugarum aliquid*] leuem hominem Mescinium. non pius, si fratrem relinquo; non diligens, si quæstorem, rei militaris expertem. Nam, si fratrem relinqueret, esset quidem diligens, at non pius. ep. 4. *Tua prouincia*] tua Epirotica negotiatio. *Thesprotia, & Chaonia.*] rebus tuis curandis in Thesprotia, & Chaonia: quæ sunt Epiri loca. *Conueneram,*] reuerterat ex Asia in Ciliciam, in qua fratrē hibernis præfectum reliquerat, sed eum tamen nondum conuenerat. l. 5. epist. 21. *Si id placeret,*] si mihi placeret, eum prouinciæ præponere. *Quid vellem,*] vtrū mihi placeret, relinquere, nec ne. *Satisfactum,*] quod difficillimum est, prouincialibus simul, & publicanis satisfacere. epist. 1. *Res gestæ*] quas enumerat epist. 10. lib. 5. & famil. lib. 2. epist. 10. & lib. 15. epist. 4. *Clausula difficilius in transdenda prouincia*] hoc extremum non facile possum explicare, quis me decedente prouinciæ præficiatur. *Certiora*] qui ab vrbe propius absis. *De Curione, de Paullo:*] C. Scribonio Curione tribuno pl. L. Æmilio Paullo consule, vtroque Cæsaris caussam defendente, accepta grandi pecunia. *Vicem*] quod publicam caussam deseruerint. *Contentus non fuit.*] quaternas centesimas postulauit. epist. 21. lib. 5. *In Pompeium, &c.*] Ariobarzanis creditorem. epist. 1. *Prolixior*] facilior, liberalior. vnde Prolixa & benefica natura, in epistola ad Appium, nec alibi semel, & fere in hanc sententiā. *Per ipsum,*] ipsius Pompeij caussa. *Præstare*] Præstare aliquem dicimur, cum efficimus, ne quid is committat secus, quam volumus: vt ad Q. fratrem libro 1. In hac custodia prouinciæ non te vnum, sed omnes ministros imperij tui sociis, & ciuibus, & reip. præstare debes. & ad eundem lib. 3. Ego Messallam Cæsari præstabo. *Liberius*] maneo in mea veteri sententia, vt, Liberalius, reponendum sit. non correxi tamen, quia libri scripti in dictione, Liberius, omnes consen-

tiunt. *Promissa*] Pompeio promissa, Bruto curata. *ec.*] vsuræ nomine, vt apparet epist. 1. dixit autem, cc. numero absoluto, cum tamen ea summa duobus talentis minor esset: siquidem singulis mensibus soluebantur talenta 33. vt legimus epist. 1. *In Appij negotio*] quem a Dolabella accusatum, omnibus officiis, Bruti maxime caussa, subleuaui. epist. 2. & fam. l. 3. epist. 10. *Quod laborem?*] quid est igitur, quod animum meũ solicitet, cum in Ariobarzane, & in Appij negotio cumulate Bruto satisfecerim? solicitat, quod proxime scribam: in quo vereor, ne Bruto satisfactum non sit. *Amicos habet meras nugas,*] dubitatur, cum Amicos dicat multitudinis numero, cur proxime vnum nominet M. Scaptium. dubitantibus respondetur, plures nominari, primum M. Scaptium, deinde alterum Scaptium, postremo Caium. nam, quod Non omnis accusandi caussa subiecit; figura est Ciceroni vsitata, vt epist. 2. His ego duobus facultatem ciuitatibus ad se ære alieno liberandas dedi: vno, quod omnino nullus in imperio meo sumptus factus est. Hic cũ exspectari videretur Altero, quod, Vno, responderet; attende, quid subiecit. Hac autem re, incredibile est, quantum ciuitates emerserint. accessit altera. mira erant. &c. *Meras nugas,*] leues homines, & quos amicorum numero habere Brutus non debeat. *M. Scaptium:*] in Bessarionis libro, Manium Scaptium. supra tamen de M. Scaptio legitur, non Manio, epist. 21. libr. 5. & 1. libr. 6. Nam, quod alij Matinium ex Manio faciunt, necessariam correctionem putantes: mihi secus videtur. tantum enim eos nominat, quos re cognitos Meras appellare potest, duos Scaptios, & Caium. Matinium dixit libro quinto, epist. 21. non nouisse. præterea iam ostendi, non esse cur mutetur; cum dictio Amicos, inferiora spectet. hoc addam, obseruasse me, in antiquis libris Manium sæpe esse, vbi in impressis Marcum. addam & hoc, quod fortasse non nullis alienum a proposito videbitur, ego tamen gratum fore puto veterum monumentorum studiosis: Manium tam prænomen esse, quam Marcum; deriuatum a mane, vt & Lucium prænomen a luce. & vt a mane Manius prænomen, a Manius Manilius nomen: (nomen pro familia vsurpabatur) sic a luce Lucius, a Lucius Lucilius, nomen a prænomine. Et, quoniam, vt diximus, in duobus prænominibus, Manio, & Marco,

Marco, scripti libri sæpe dissentiunt ab impressis: inde natus error, quod prænomina veteres fere vna littera significabant: vt diuinandum fuerit, M. vtrum significaret, Manius, an Marcus: cum Manius vnica litera, sicut Marcus, scriberetur, vna tantum adiecta lineola, quæ M. ad Manij significationem, ante secat, sic, M' *Me seruaturum*,] ne præfecturam negotianti darem. lib. 5. epist. 21. & lib. 6. epist. 1. *Noluit?*] contentus enim centesimis & anatocismo Scaptius non fuit. epist. 21. lib. 5. & 2. lib. 6. *Scaptio*,] non is, de quo proxime supra, sed is, de quo ep. 5. *Tribunatum*] militum. *Caius*] Bestarionis liber, Gaius. forte, Gauius: vt sit is, de quo epist. 5. *P. Clodij canis.*] cum Clodius viueret. Tamen, inquit, amicum, & assectam inimici mei ornare volui præfectura, rogatus a Bruto. Sic in oratione in Pisonem, Clodianum canem appellat Sex. Clodium. *Si in præfectis habuissem*,] apparet, Ciceronem Caij opera vsum non esse, cum tamen ei præfecturam detulisset. epist. 3. *Culleolum sex auderem*] fam. libr. 13. ep. 41. scribit ad L. Culleolum pronunciæ præfectum: sed, eum hic significari, mihi non fit verisimile. Culleolum alium, nullius pretij hominem, videtur intelligere. *Petere cibaria?*] quæ præfectis de publico dabantur. *Operatione*] reponunt nonnulli, Oratione: quod languidius videtur. Operatio valet turpis instigatio. *De Appio*,] cum Appium, socerum suum, a Dolabella accusatum, mihi commendat. familiar. epist. 9. lib. 8. *Granius autem*] sine dubio sumptum ex vetere poeta. & forte ita scribendum:

——*Granius autem,*
Non contemnere se, & reges odisse superbos.

Vt Granium, falsum hominem & dicacem, cuius mentio in libro de claris oratoribus, poeta nominet, ita dicere solitum. Ego neminem contemno, ne me quidem, sed superbos odi. Vides igitur, Attice, superbiam ex illo versu non amandam. *In quo*] cum ad me arroganter scribit. *Inscriptam patri suo*: a te missam. *Aperire*,] ante quam ad Quinctum patrem mittatur. is autem, Cicerone in Asiam proficiscente, præfectus in Cilicia manserat. epist. 21. lib. 5. *De sorore*,] te audisse, illum velle sorori tuæ Pomponiæ nuncium remittere. *Nihil fore aliter, ac deceat*] diuortium minime futurum. *Nihil amplius.*] alij sic interpretantur: Hotensiũ filiũ

non reprehendi, ne patrem offenderem. quasi vero patres reprehendentibus flagitiosos filios irasci, aut soleant, aut debeant. Ego potius sic. ad cenam vocaui, quod esset Hortensij filius: aliis eum officiis non sum prosecutus; ne pater, cui scio odiosum, inuisumque esse, moleste ferret, quasi ipsius iudiciū reprehenderem. odit enim Hortensius orator filium, quam diu vixit: heredem tamen moriens reliquit. hæc Valerius l. 5. cap. 9. *Ne offendam patrem*;] si filium habeam in comitatu meo. *Moderabor*] si comitem effugere non potero, quod reliquum erit, ita eum tractabo, vt facile intelligat pater, quē ipse oderit, nec a me diligi. *Si nihil fuerit*,] hic videtur legendum, Etiam si nihil fuerit. Bessarionis liber pro, Fuerit, habet, Fieri.

IN EPISTOLAM IV.

Discessus noster,] si a fratre seiungar. *De Tullia mea*:] de matrimonio. ep. 1. *De litteris meis*.] ad senatum, supplicationis honorem postulantibus. ὁ ἀπελεύθερος] libertus Philotimus. πεφυρακέναι τὰς ψήφους] rationes miscuisse, turbasse: id est, minus bona fide egisse in emptione bonorum Milonis. κροτωνιάτης] Milonem designat, Milonis Crotoniatæ, cuius insignis fortitudo fuit, cognomine. & τυραννοκτόνον appellat, quia P. Clodium, pernicioſa molientem, occiderat Μήτι νοήσῃς.] ne quid intelligas. hoc Græca verba significant. ego tamen aliquid desidero; vt potius, Ne quid nō intelligas, dixerit. neque enim aperte scribebat, sed μυστικώτερον. aut, μήτι νοήσῃ: ne quid resciscat Philotimus. εἰς δήπου] placeret, ἐν δήπου, nisi veteres libri repugnarent. esset enim ἓν δήπου τοῦτο, hoc quidem vnum. *Quantum vereor*,] de rationibus a Philotimo minus sincere administratis. *Agmine*.] militum. ep. 20. lib. 5. & 2. lib. 6.

IN EPISTOLAM V.

Quam si domi esses:] quam si esses Romæ. & tamen minus a me aberas, in Græcia cum esses. *Quam argutissima*] quæ vel tenuissima quæque subtiliter admodum & curiose persequantur. Argutum enim valet tenue & subtile: vnde Arguta ilex Virgilio, quasi tenui sibilo susurrans. & de muliere apud Propertium, Argutat noctibus ignes: pro, narrat suos

suos amores ea voce, quæ sua tenuitate femineam mollitiem indicet. Ita locutus est M. Cœlius fam. lib. 8. ep. 1. Data opera paraui, qui sic omnia persequeretur; vt verear, ne tibi arguta nimium hæc sedulitas videatur. ἐξ ἄστεως ἐπαλόφου, &c.] ex vrbis septicollis mœnibus scripsit ad me Camillus ęs alienum vxoris meæ: ipsam tum ex bonis Crotoniatæ debere minas XXIV. & ex bonis Cherrhonesiticis XXIIX, & ex quibusdam bonis heredem fuisse DCXL: tum vero eam ne obolum quidem dissoluisse ex omni ære alieno Kalendis alterius mensis: eiusdem vero libertum, cognominem patri Cononis, in vniuersum nihil curasse. hoc igitur primum, vt omnia seruentur: alterum vero, vt ne vsuras quidem floccifacias, quæ decendæ sunt ab ante dicta die. sane per eos dies, quibus illum pertuli, magno in timore fui. erat enim apud nos, vt exploraret, ac nonnulla etiam spe adductus: qua cum excidisset, temere abiit, fatus, turpe remanere diu, vacuumque reuerti. Nunc interpretemur. *Crotoniatæ*] Milonis. *Minas*] exactas. *Cherrhonesiticis*] in Cherrhoneso exactis. epist. 1. *Cognominẽ patri Cononis*] Timotheũ igitur. *Ab ante dicta die.*] a Kalendis alterius mensis. *Nonnulla etiam spe adductus:*] ex quo apparet, eum inopia rei pecuniariæ laborare, cum a me dona exspectarit. *Turpe*] Homeri versus est in Iliade, lib. Φ, ab Vlysse pronunciatus. τὰ μὲν δεδόμενα.] quæ dantur: & subaudi, tenenda: vt dicat, bonorum Milonis possessionem non esse dimittendam. *Mœrore suo*] propter duos filios, a Gabinianis militibus interfectos. Cæsar lib. 3. de bello ciu. & Valerius lib. 4. cap. 1. *Quæstor*] Caninius: ad quẽ scribit fam. lib. 2. epist. 17. *Galatarum, Pisidarum, Lycaorum,*] quæ nationes non parebant populo R. excepta Pisidię parte. de quo diximus initio libri 5. Lycios a Sylla libertate donatos, ait Appianus in Mithridatico. *Molestus mihi non erat:*] non rogabat, vt subsidio venirem. famil. lib. 2. epist. 17. *Articulate*] huius verbi vim video multos ignorare: & fuere etiam, qui mutandum censuerunt; & legendum, Atticæ, pro Articulate. Articulate, valet distincte, sumpta metaphora a membris in corpore articulatim diuisis. erat autem adhuc infans Attica, quæ neque satis integre proloqui, neque loquentem quiret intelligere, nisi articulate pronunciasses. est enim articulus in oratione, vt inquit scriptor rhetoricorum

ad Herennium, cum singula verba interuallis distinguuntur, cæsa oratione, hoc modo: Acrimonia, voce, vultu aduersarios perterruisti. libro etiam primo de legibus contraria posuit, Fuse, & articulatim. & Gellius libro quinto, capite nono, satis aperte huius verbi significationem ostendit. Filius, inquit, Crœsi regis, cum miles patrem stricto gladio inuaderet, regem ignorans; plane & articulate elocutus est, ὦ ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Et Lucret. l. 4. 67.

Ac, vbi non longum spatium est, vnde illa profecta
Perueniat vox quaque: necesse est verba quoque ipsa
Plane exaudiri, discernique articulatim.

IN EPISTOLAM VI.

Accusatoris eius] P. Cornelij Dolabellæ. *Mecum egerat,*] de Tulliæ coniugio, & Nero hic est, opinor. de quo fam. lib. 13. epist. 63. & 64. qui Tiberij imperatoris pater fuit. Est autē Nero cognomen Claudiæ gentis patriciæ. nam & Claudij plebeij fuere, sed hi cognomine Marcellorum; patricij, Pulchrorum, & Neronum. Hæc vberius in libro de Familiis. *Ad mulieres*] Terentiam, & Tulliam. *Factis sponsalibus.*] cum Dolabella. ἐξακανθίζειν] tamquam spinas euellere. & puto hoc dici. Noli exulcerare animum meum numeratis vitiis illius. non enim opus est, cum confecta res sit. hoc quidem lætari debemus, quod eius obsequio & comitate mulieres valde, vt audio, delectantur. neque enim satis probata superior Dolabellæ vita: quod & Cœlij epistola declarat, fam. lib. 8. epist. 13. *Placet hoc tibi?*] donasti frumento populum Athenienſem: probas igitur huiusmodi largitiones? *Non impediebant*] licet hoc per meos libros de rep. scriptos: quibus in libris improbaui equidem largitionem in ciues, (videtur enim ad tyrannidem spectare) sed tua fuit in hospites liberalitas, in ciues largitio non fuit, quia tui non ciues, (Romanus enim, non Athenienſis ciuis es) sed hospites Athenienſes: cum Athenis diu vixerit; ciuis autem fieri cum posses, recusaris. Nepos in vita. *Quoniam Appius*] puto scriptum fuisse, Quom iam, antiquo more, id est, Cum iam. sententia patet. Quamquam Appius de προπύλῳ Eleusine faciundo iam non cogitet, me tamen de προπύλῳ Academiæ iubes cogitare. ep. 1. *De Hortensio*] de interitu Q. Hortēsij oratoris.

In

In Bruti procœmio. *De relinquendo,*] qui prouinciæ præesset. *Fratri autem*,] prouinciam tradere. *Nemo erat*] præter fratrem, & Pontinium, legatos, vtrumque prætorium: sed fratri non vtile: Pontinius discesserat. reliquos duos legatos, Annium videlicet, & Tullium, neutrum prætorium, quæstori, præsertim nobili, sine contumelia non possum anteferre. fam. lib. 2. epist. 15. *Contra S.C.*] vltra annum a senatu decretum. *Triennium.*] triennium enim Asiæ Quinctus præfuerat. fam. lib. 2. epist. 15. *Ad populum*] dicerem, afferrem, cum excusarem me, quod fratrem prouinciæ non præfecissem. tibi autem alias causas exponerem. dicerem enim, timuisse me, ne quid in prouincia Quinctus committeret iracundius, contumeliosius, negligentius. *Quæ fortuita hominum?*] placeret sic: Quæ fert vita hominum: vt fratrem excuset; qui potuerit aliquid committere iracundius, contumeliosius, negligentius, non deprauatæ vitio voluntatis, sed quod ita ferat hominũ vita, vt accidere & hæc, & similia possint. Sic, Ætas fert, in oratione pro Cluentio: Natura fert, de Somnio Scipionis: Adolescentia fert, Terentius in Heaut. &, Vita hominum, pro Sex. Roscio. Sin, Fortuita, placet, ad vitia fratris addentur fortunæ casus. *Non dimittebat,*] mansisset igitur in prouincia cum patre; facileque quia puer, & puer bene sibi fidens, commisisset, quod esset nobis magnopere dolendum. *Id censere*] dimittendum. censebat autem Atticus, quia patris indulgentia deprauari filium intelligeret. epist. 9. *Non dico equidem, &c.*] hoc significat: Non dico equidem, quod egerit, nõ laboro; sed tamen multo minus, quam si fratrem reliquissem. *Sine sorte*] quem illi sors nõ dederat quæstorem, vt mihi Cœlium. *Delegit,*] quem Hispaniæ præficeret. hic Marcello & Sulpicio cos. Pompeij quęstor Hispaniæ præfuit: post annũ, Marcello & Lentulo cos. tribunus pl. cum M. Antonio collega pro Cęsare intercessit; &, deuictis Afranio & Petreio, in Hispania proprætor a Cæsare relictus. Dio lib. 41. *Antonium:*] M. Antonium: quem in Gallia Cęsar hibernis præfecit. Hirtius lib. 8. de bello Gal. & oratione 2. in Antonium his verbis: Quæstor es factus: deinde continuo sine S.C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi. quo planum fit, quæstoribus prouincias assignari solitas S.C. sorte, lege. nam senatus decernebat, vt quæstores sortirentur,

vel inter se compararent: deinde sortitio, aut comparatio: tū de his lex curiata ferebatur, si ordine res confierent. *Offenderem?*] non relinquerem? *Aut etiam inquirerem in eum?*] appone hic interrogandi notam; vt sit sensus. ne inquirere quidem in eum debui, nedum non relinquere. inquirere scilicet in eius mores, vtrum hoc honore dignus esset, an secus. tantum, inquit, abest, vt eum relinquere non debuerim, vt nec, vtrum hoc munere dignus an indignus esset, inquirendum mihi fuerit. quem igitur reliquissem, nisi ipsum reliquissem? *Hoc melius,*] quod quæstorem potius, quam fratrem, in prouincia reliquerim. *Senectuti quidem nostræ*] cui, si tam nobilem adolescentem offendissem, impendebant inimicitiæ. παλιγγενεσίαν] alij referunt ad generis nouitatem, ego ad dignitatem post exsilij tempora renascentem. ante exsilium enim, vt ipse testatur in epistola ad Catonem epist. fam. lib. 15. & prouinciam ornatam, & spem non dubiam triumphi neglexerat: auguratum denique, cum non difficillime consequi posset, non appetierat: idem, post iniuriam acceptā, studuit quam ornatissima senatus populique R. de se iudicia intercedere: itaque & augur fieri voluit; & eum honorem, qui a senatu tribui rebus bellicis solet, sibi expetendum putauit.

IN EPISTOLAM VII.

Ἐν αἰνίγμοις.] obscure, qualia sunt ænigmata. Nec dubito, quin ad Euripidis locum in Rhœso respexerit. *Percunctando*] ages hoc tantum cum Philotimo: percunctaberis, de Milonis bonis ecquid agatur: &, vt rem explicet, id est vt ipsa bona restituat, hortaberis. lib. 5. epist. 8. & lib. 6. epist. 5. *Aliquid ita tu*] suspicor hoc esse ex ingenio. nam antiqui libri, Caualcantis, Ferri, & Beslarionis, Aliquid aut. probarem, Aliquantum. *Apud duas ciuitates*] deposuit Laodiceæ, & Apameæ: easdemque totidem verbis ad ærarium retulit, sicuti lex iubebat, quam consul C. Iulius Cæsar tulerat. fam. epist. 20. lib. 5. *Puerorum*] vt inde Cicerones pueros secum deduceret. lib. 5. epist. 18. & 17. lib. 2. fam. *Sed volo*] cupio Romam peruenire ante exitū anni, vt eo facilius impetrem de triumpho, dum ij sunt in magistratu, qui supplicationes mihi decreuerunt. fam. lib. 8. epist. 11. *Esse*] sic in Caualcantis

tantis libro: Bessarionis autem, Esse. vtrumque deprauatum. forte, Issi. nam ex Cilicia nunc Cicero proficiscebatur in diœceses Asiaticas, vt Laodiceæ, & Apameæ rationes confectas prius relinqueret, dein nauim conscenderet. Issus aût est nota Ciliciæ vrbs. est etiã scriptus liber apud amicissimũ meum, in quo simpliciter, Nisi eum grauiter ægrum reliquissem.

IN EPISTOLAM IIX.

Nauigationis tuæ,] commode, & sine periculo ex Epiro in Italiam nauigasti. epist. 2. lib. 7. *Opportunitate Piliæ,*] quæ tibi obuiam progressa, opportune aduenienti occurrerit. *Sermone eiusdem*] quod tibi Pilia narrauerit de Tullia mea Dolabellæ collocata. epist. 5. *Exercitum n. m. d.*] anno insequenti petendi consulatus caussa. cum enim lex esset, vt absentes consulatum petere non possent, obtinuerat Cæsar decem tribunorum rogatione, consule Pompeio, vt & absens, & cum imperio posset petere. *Cassium trib.*] Q. Cassium Longinum, tribunum pl. designatum, & L. Cornelium Lentulum Crus, consulem item designatum. *De illo, qui, &c.*] C. Hirrum intelligit, qui repulsam retulerat in ædilitate, cũ se Ciceroni solitus esset anteferre. fam. ep. 6. lib. 8. *Sororis tuæ filii?*] Q. Ciceronis, quem frater meus ex tua sorore genuit: cui ego patruus sum. *Aphractus Rhodiorum.*] quo tum periculose, tum tarde nauigauimus, vt integros viginti dies consumpserimus. epist. 9. lib. 10. *Expeditius*] breuiore naui. *Aucupaturi*] captaturi: vt, quæ prima se idonea tempestas obtulerit, ea vtamur. translatio ab aucupibus, vocantibus. *De rauduſculo Puteolano,*] forte, quod lucres pecuniam dissolueris, C. Vestorio Puteolano a me debitam. vide epist. 6. lib. 4. pecunia certe debita videtur significari. epist. 7. lib. 4. & 2. lib. 7. *Vnus hospes*] plus est, quam, Dum vnus hostis: cum non modo hostes, sed & hospites, Bibulus timuerit. epist. 2. *Domo sua,*] cum domo consul se tenuit metu Cæsaris collegæ. *At multa,*] at longior fui.

IN EPISTOLAM IX.

Solent tuæ compositissimæ,] bellissime constructæ, nunc autem scripsisti vacillantibus litterulis, manu a morbo minus firma. Lucilij versus in Oratore sunt:

Quam lepide lexeis compostæ, vt tesserulæ, omnes,
Arte, pauimento, atque emblemate vermiculato.

Scripsisse.] vt intelligerē, non grauiter ægrotare, qui cum febri tamen scripsisses: quam etiā Febriculam nominares. Φυρατῆ φιλοτιμίαν] assentior ijs, qui φιλοτιμίαν e Suida interpretantur auaritiā. vt Philotimus designetur, qui rationes turbauerat in nominibus Milonis. ep. 4. l. 6. & 1. l. 7. *Ne attingat.*] Philotimus. ep. 1. l. 7. *Dices*] Philotimo, vt sciat eā me conseruari velle ad apparatū triumphi. ep. 3. *Prudentiā litterarū tuarum?*] quia, cum significare velles, ἀθετεῖν te consiliū de fratre relinquendo, aperte nō scripsisti, sed tecto verbo, ἐπέχειν, vsus es. in quo tuam prudentiā perspexi. *Dubitationem dignū?*] dubitandum non erat, quin quæstor Cœlius prouinciæ præponendus esset. quod si quid esset dubitatione dignū; fratrē tamen relinqui, cur placeret? Τοῦμὸν ὄνειρον ἔμοιγε.] meum mihi somnium: subaudi, narrabas. sententiā aperiūt quæ proxime sequuntur verba. Prouerbiū. *Eadem omnia,*] quid a fratre, si eum reliquissem, quid a fratris filio timendū esset. ep. 7. *Non fuit faciendū aliter,*] atq; feci; qui Cœlium reliqui. *Dubitatione liberauit.*] cum enim ἐπέχειν te videre, id est hærere, & suspensum pendere, incertū, quid esset mihi faciendū de relinquendo; ἐποχὴ hæc tua mihi omnem dubitationem eximebat; cum intelligerē, fratrem relinqui, tibi nō placere. dubitare igitur non debui, quid mihi esset agendum. Ἐπιχρονία] diuturna. quo verbo adduci possumus, vt supra legamus, ἐπέχειν ter scribebas. Bessarionis tamē liber, Te. *Censoribus,*] Ap. Claudio Pulchro, L. Calpurnio Pisone Cęsoniano. *Referatur ne.*] a censoribus ad senatum, vt S. C. fiat de sumptu signorū & tabularū coercendo. fam. lib. 8. epist. 14. *Macte scribas. Athenis*] sic in ante impressis. Bessarionis liber, Marce Athenis: Caualcantis, In arce Athenis. verbū quidē, Scribas, in neutro reperitur, ne in duobus quidē, quos habet amicissimꝰ meus. reposui igitur sic, & opinor, recte: Quęso, quid nobis futurū est? vt hoc dixerit reip. timens. deinde, In arce Athenis statio mea nunc placet: vt Attico, qui diu vixerat Athenis, significet, qua maxime vrbis parte delectetur. De hac autē arce sic Plinius lib. 7. cap. 56. Opidum Cecrops a se appellauit Cecropiā, quæ nunc est arx Athenis. *Statio*] castrensi verbo vsus est, quia cum militibus erat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM SEPTIMVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

VT philosophi ambulant,] philosophus enim Saufeius ex hęresi Epicurea: & omnes philosophi, quia præter sapientiam nihil curent, tarde solent ambulare; tardissime autem Epicurei, quia molles, & laborem fugientes, ex Epicuri magistri doctrina. *Legionibus Cæsaris*] quas Cæsar Placentiã idibus Octobribus adducturus esset. ep. 9 lib. 6. *Φιλοτιμία eius*] Philotimi: de quo ep. 9. l. 6. *Secus*] falsum, de prouincia scilicet fratri transdita. ep. 9. l. 6. *Dimicationẽ*,] inter ciues. *Meum proprium πρόβλημα*] quæstionẽ ad me vnũ pertinentem, vtrã partem eligam, Cæsaris, an Pompeij; cum mihi vterq; sit amicissimus. *A principio*] iam ante exsilij mei calamitatem: quam ideo subij, quia me ad Cæsaris & Pompeij pernicioſam reip. societatẽ, cum inuitarer, non adiunxeram. *Α'λλ' ὅμον*] Homeri versus in Odyssea lib. 9. quem etiã in epistola ad Cæsarem fam. lib. 13. epist. 15. vsurpauit. Non potuisti, inquit, persuadere. *ὡς οὐδὲ νηλὺκιον ἦς πατρὶδος.*] Homeri versu suum consilium probat; qui persuasus ideo non sit, quia patriam amicitiæ Cæsaris & Pompeij prætulerit. *Optime meritus*;] cum mihi exsulanti reditum in patriam vnus maxime confecit. *Nec mihi iuncto*] ita putabam, ea coniunctione consuli tum dignitati meæ, tum etiam saluti. Iuncto, Pompeij ad amicitiam referturi

Sentienti, ad opinionem de rep. Neque me, inquit, ob amicitiam Pompeij peccaturum aliquando in rep. putabam; neque Pompeium ea sensurum, quæ ego si sequerer, contentionem cum Cæsare susciperem. *Nunc sentiat*,] quod eadem non semper senserit. *Cum altero vinci*] cum Pompeio. *Ne ratio absentis*] ne posset absens Cæsar consulatũ petere. quod ei, lege lata a decem tribunis pl. populus concesserat. *Vt exercitum dimittat.*] deposito imperio vrbem ingrediatur, consulatum petere si vult. Hæc agentur a Pompeianis, id est a consulibus, & omni fere senatu. *Non est locus*] id agam, ne contra Cæsarem sententiam dicam: tergiuersabor, quantum in me erit: sed Pompeiani non permittent, vrgebunt. *Densa dexteræ*] quas Cæsar mihi cum suis obijciet, quasi eas vel oblitus sim, vel contempserim. *Vt illi hoc liceret*,] vt posset absens consulatum petere. *Ab ipso*] Cæsare. *Rauennæ*] quo Cæsar quotannis ad conuentus agendos venire solitus erat. *De Cælio*] vt M. Cœlium, amicissimum meum, tribunum pl. inducerem ad legem ferendã de habenda Cæsaris absentis ratione. quod factum est. latum enim a decem tribunis pl. id est ab vniuerso collegio, consule tertiũ Pompeio: quo anno tribunus pl. fuit M. Cœlius, vt ex Pediano cognoscitur in argumento Milonianæ. *A Cnæo nostro*,] vide infra epist. 3. lib. 8. & fam. lib. 6. epist. 6. *Illo diuino*] hoc videtur dictum esse ad gloriam Pompeij, quia consul sine collega ex S. C. creatus fuerat, quo liberius posset perturbatam ciuilibus discordijs remp. constituere: sed cum ironia dictum: quippe, cum ipse consul pugnauerit, vt de habenda Cæsaris absentis ratione lex ferretur: quod contra morem maiorum, contraque remp. fuit. epist. 3. lib. 8. *Aliter*] contra Pompeium. *Αἰδέομαι*] vide supra, epist. 5. lib. 2. *Hanc ego plagam*] quam mihi nunc video esse accipiendam, quia necesse est, vt in dicenda sententia aut Pompeium offendam, aut Cæsarem. *Effugi*] quoniam abfui. *Marcellorum*] quia profectus est ante in prouinciam, quam M. Marcellus referret de successione Galliarum. & anno proximo, consule C. Marcello, de prouincia decedens, tamen ad vrbem non peruenit, tribus mensibus in itinere consumptis. & dicit, Effugi, quia, licet C. Marcellus consulatum nondum peregisset; tamẽ, quod erat eius anni reliquum, videbat sibi esse in itinere

here ponendum. *Vt stultus*] primum in senatu sententiam rogari, honorificum videbatur. nunc, inquit, ea me non tenet ambitio. quin ideo triumphum petam, vt extra vrbẽ maneam cum iustissima causa, dum de prouinciarum successione conficiatur. dicat igitur vel stultus suam sententiam in senatu primus, non laboro. *Nil miserius.*] prouincia. *Omnia illa prima*,] quæ primis litteris ad te scripsi de comitũ meorum continentia. *Vt ego amictor inuenirer*] quasi deberem ærarij nostri emolumentum negligere, qui Cilicum & Phrygum ęratijs consulueram, nullum ab ijs sumptum neque in me, neque in meos fieri passus. epist. 2. lib. 6. ἐκβολὴ λόγου] orationis egressio. quia, cum agere cum Attico de suo statu cœpisset, interposuit de prouincia. redit igitur, vnde diuerterat. *Ex supplicatione*,] mihi decreta: quæ solet esse triumphi prærogatiua. fere enim triumphus eam consequitur. *Plus decreuit*,] quia, cum mihi supplicationem non decerneret, tamen in sententia sua summis me laudibus ornauit; cum diceret, innocentia potius & mansuetudine mea, quam vi militum, aut benignitate deorum, prouinciam esse seruatam. is autem fuit M. Cato, vt fam. epist. 5. lib. 15. *Iratus Hirrus.*] vt a me in auguratus petitione superatus. vide fam. lib. 8. epist. 3. & 9. *Scribendo*] S. C. quod ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, fieri solet. fam. epist. 6. lib. 15. *De sententia Catonis:*] supplicationem non decernentis. epist. 2. *Quid ille sententia dixerit*,] iniuriam Catonis in supplicatione non decernenda Cæsar commemorat; laudes, quas mihi idem Cato sua sententia tribuit, dissimulat. Disiungere videlicet a Catonis amicitia Ciceronem cupiebat Cæsar. *Potuisse impedire*,] si, cum de hostibus ageretur, numerum postularet. fam. lib. 8. epist. 11. *Mirus est, &c.*] placeret, Merus: & germanus Lartidius, explano; quod Lartidij, famosi furis, persimilis esset. intelligit enim Philotimũ: quem & supra non optima fide bona Milonis administrasse ostendit, epist. 9. lib. 6. *Hoc primum*,] quod proxime sequitur de Prætiana hereditate. *Accessit cura doloris*] ad dolorem ex amici morte susceptum accessit cura expediendæ hereditatis. epist. 9. lib. 6. *Quidquid est*,] etiam si non ita magna sit hereditas, vt de ea valde laborandum videatur, epist. 8. lib. 6. *Ille*] Philotimus, nam & supra, Prorsus ille ne attingat. cum

de hac ipsa hereditate, & de Philotimo loquatur. *Ἀμεμπτία*] si ad te pecunia in triumphi apparatum redigetur, non erit quod factum meum Philotimus accuset, tamquam ei non confidentis, cum te, non quemuis, illi præferam, in pecunia triumphali, non domestica: *ἀμεμπτία*: caussam accusandi nullam. *Vt lubebit*] tibi; faciam de Philotimo, quod suadebis: tuum consilium sequar. refertur enim ad illud, Dijungere me ab illo volo. In Bessarionis libro, Videbit, pro Lubebit: quod fortasse, Videbitur, esse debuit. *Experiamur.*] de triumpho. nisi enim caute, considerateque experimur, fortasse tribunorum pl. intercessionem eliciemus. hoc tu cogites velim, tecum simul ego cogitabo, vt ad euitandam intercessionem aliquid excogitemus.

IN EPISTOLAM II.

Auster mitis.] duabus caussis adducor, vt suspicer de mendo, primum, quia, Mitis, non necessaria dictio, cum idem significet, quod lenissimus, atque etiam multo minus: deinde, quia veteribus in libris scriptum video, Anches mitis. quod ipsum nõ intelligo: sed assentior doctissimo viro, Latino Latinio, Viterbiensi, qui, mutatione vnius litteræ, locum corrigit, Onchesmitis, vel *ὀγχισμίτης*, legens: vt sit nomen venti, ab Onchesmo, Epiri portu, quẽ nominat Ptolemæus. *Manum non amabam,*] abundare puto, Manum, & esse non necessarium glossema: vt legatur, Ad similitudinem tuæ litteræ. quod enim solet esse in repetendo verbo venustatis, id sentitur in verbo, Amabam: si Manum iteres, non item. alijs aliter fortasse videbitur: ego de meo sensu iudico. *Tironem*] qui mihi in memoriam redigitur mentione Alexidis: quoniam vterque similem nobis operam præbet. Alibi: Quod meus Alexis facit. erat enim vterq; a studijs & epistolis. *Diligi,*] ipsum. *Eo*] eius consuetudine. *De Tortorio*] consentiunt cum impressis veteres libri: ex ingenio autem possum equidem afferre, quæ verisimilia videãtur: sed in obscurissima re diuinantes cur inania captemus? Veri autem simile hoc sit, Deporto Ro. id est, deporto Romam. id confirmat, quod infra scriptum est epist. 3. A Curio tabulas accepi, quas mecum porto. *Ciceronum*] puerorum. Sic lib. 5. epist. 18. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum. *Cohortis prætoræ*

prætoria] Cohors prætoria est, quę tum in castris, tum in agmine, atque acie semper adest prætori. erant autem duæ, vna euocatorum militum, altera nobilium adolescentum, qui sua sponte cum proconsulibus exibant, dumtaxat ob hanc caussam, vt vsu rerum peritiores domum redirent. *Fecit palam*] fecit heredem præsente cohorte prætoria vniuersa: cum alij non palam, sed paucis adhibitis, testamentum facere solerent. *Te ex libella,*] omnium bonorum heredem. nam Libræ nomine significatur omnis hereditas. *Me ex teruncia*] Teruncia quarta pars est libræ: ergo & quarta pars bonorum. Scriptum erat in testamento, vt Atticus, heres ex libra, quartam deinde partem Ciceroni attribueret. &, Libella dixit, familiariter iocatus de Attici emolumento. *Thyamim*] fluuium, qui, vt inquit Thucydides libro 1. Thesprotidem, Cestrinamque discriminat. &, Atticum in Thesprotia habuisse possessiones, dixit epist. 3. lib. 6. Puer autem Q. Cicero significatur. De Thyami & Plinius libro 4. cap. 1. *Fiola tua*] Attica, quæ postea M. Agrippæ vxor fuit. *Probari tibi*] contra sententiam Epicuri tui: qui cum diceret, alterius caussa fieri nihil oportere, ad seipsum omnia esse referenda, tollebat φρεγὴν φυσικὴν πρὸς τὰ τέκνα. *Si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio:*] si amor erga filios naturalis non est; quid erit, in quo hominem homini natura conciliet? *Bene eueniat, inquit Carneades,*] videndum est, quo modo hæc ad superiora referantur. Non placet, probare Carneadem id, quod proxime dictum est, Vitæ societas tollitur: vt, Bene eueniat, verba sint assentientis, & cupientis ita esse. nam, si Carneades illam sententiam laudasset, quæ vitæ societatem tollebat; germanissimus fuisset Epicureus. vitæ enim societatem tollebat Epicurus, cum ad seipsum omnia referret, nihil alterius caussa faciendum putaret. Carneades autem, cum diceret, Bene eueniat, in eo Epicureus erat: in reliquis Academicus. proterea subiunxit Cicero: Sed tamē prudentius, quam Lucius noster, & Patron. in quo significauit, dissentire Carneadem ab Epicureis, ad vtilitatem suam omnia referentibus, nihil omnino de honestate, vel de aliena vtilitate laborantibus: quamquam cum ijs in optanda felicitate sentiret: itaque dicebat, Bene eueniat: pro, nihil aduersi contingat.

quod spurce dictum ait Cicero: quia fuit eadem Epicureorũ sententia, qui, summum in dolore malum, summum in voluptate bonum collocantes, ex animi sententia euenire omnia cupiebant. Sed in eo prudentior Carneades: quod illi ita bene euenire cupiebant, vt bonitatem per se nihili æstimandã, vtilitatis tantum gratia colendam dicerent: ipse vero, cum, Bene eueniat, diceret, ita secunda omnia expetebat, vt bonitatis habendam esse rationem duceret, nec de se tantum, sed de alijs quoque laboraret. conseruabat igitur vitæ societatem, quam tollebat Epicurus. epist. 12. lib. 7. fam. *Lucius noster,*] L. Torquatus, qui sententiam Epicuri tuetur. lib. 1. de Fin. *Patron,*] is, de quo epist. 11. lib. 5. *Non quo id natura rectum sit;*] non curabant igitur, quæ natura recta sunt, ipsa per se, sed vt malum vitaretur. qua ratione qui vitam instituit, vere bonus non est, sed malitiosus, & callidus: vtitur enim artificio simulato, vt ea vitet, quæ mala esse putat. *Non intelligunt*] non igitur prudentes, vt Carneades. *Hæc,*] in quo vir bonus a callido homine differat. *In iis libris,*] de Rep. non de Finibus, quos post ciuile bellum scripsit. *Quos tu laudando,*] quis eos non laudauit? nam Cœlius in epistola ad Ciceronem, Tui politici libri, inquit, omnibus vigent. Idem Cicero epist. 3. lib. 6. Reliqua plena laudis, & gratiæ, digna ijs libris, quos dilucidas. *Pedem porta non extulerit,*] hoc & Cæsar lib. 3. de bello ciuili scriptum reliquit. *De rauduſculo Numeriano*] quod paruam pecuniã, mihi a Numerio debitam, exegisti. sic locutus epist. 8. lib. 4. & 8. lib. 6. *Integritatis, iustitiæ,*] cum, hæc in me esse, dixit in sententia sua. *Negauit.*] supplicationem. *A puero*] M. Cicerone filio. *Qui eadem liber non iuraret:*] Drusus prætor, cum is, quem manumiserat, eadem liber non iuraret, quæ seruus iurauerat, negauit se manumisisse. negabo ego quoque: quoniam istos, memores beneficij quos putaui futuros, improbos ingratosque experior. *Addixisse:*] iussisse, pronunciasse. *Vindicarentur.*] in libertatem: quod præter ipsum alios quoque adesse oporteret, qui vindicarent. aderant enim coram prætore dominus, seruus, vindex, testes, scriba: neque sine his iusta erat addictio liberorũ in hoc genere manumissionis. *Parthi faciunt,*] sic explano. Parthi, a quibus maxime timebamus, cum repente discesserint, faciũt, vt nihil mihi iam

hi iam magnopere timendum putem: cum videam solere ea, quæ magnopere timeantur, quandoque ad nihilum recidere. *Repente*] summa nostra felicitate. ep. 1. *Semiuiuum*] metu exanimatum, qui portam pedem efferre non auderet. *Reliquerunt.*] ex ipsius prouincia discedentes. ep. 5. lib. 6.

IN EPISTOLAM III.

A te ipso scripta:] ex quo de tua valetudine coniecturam feci. nam Alexidis manus indicabat te non valere. *Dicæarcho assentiri*] non quod Dicæarchus nominatim prouinciarum administrationem, sed quod πολιτικῶς πρακτικὸν βίον laudaret: ergo & prouinciarum administrationem. Atticus contra, vt qui Ciceroni auctor esset decessionis, cum primum ei per S. C. liceret. alioqui Dicæarchus valde Attico probatus. epist. 16. libr. 2. *Nostra contentione*] quod cupidissime expetiui, ne diutius anno in prouincia manerem, id perfectum quidem est, sed non nostra contentione, aut studio, verum quia non est verbum vmquam in senatu factum, quo diutius anno maneremus. patrui S. C. quod erat, ne quis prouinciam diutius anno administraret. itaque culpam istius rei non sustineo, quod minus diu fuerim in prouincia, quam fortasse mihi fuerit vtile. vtile autem fortasse fuit, quia, cum in ipsam flammam ciuilis belli nunc intelligam me venire, in dimicatione duorum mihi amicissimorum vtram partem eligam, maximo est cum animi dolore cogitandum. epist. 1. *Hoc melius?*] quod decesserim. *Opportune dici*] vulgo: vt in hac re. *Haud multum requireres*] diceres me illum ipsum, quem in sexto libro de republ. informaui. agerem enim, & libere dicerem, quæ de repub. sentirem. quod ne faciam, impedimento est triumphi cogitatio. fore enim intelligo, vt, libere agens de republ. multos offendam, quos in triumphi petitione aduersarios habere nollem. ep. 4. *Nunc ipsum*] nunc cum iam de triumpho statuerim. & est genus loquendi cum emphasi vsurpatum, vt lib. 12. Nunc ipsum ea lego, ea scribo, vt ij, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. *Rem tantam*] triumphi cogitationem. *Esse cum imperio,*] extra vrbem manere. nam vrbem ingredientes imperium deponebant. epist. 1. *Illum*] Cæsarem. *Fabio, Caninioque*] Fabio Gallo, Caninio Rebilo, vtroque

Cæsaris legato: vt est in eius Commentariis. *Custos vrbis,*] Mineruæ statua, quam, in exsilium proficiscens, in templo Iouis Capitolini posuit, cum hac inscriptione, Custos vrbis. epist. 33. *Quibus tu es contentus;*] scribis enim, in hac ciuili controuersia te satis putare, si ego tantum id agam, quod Volcarius Tullus, & Ser. Sulpicius, homines consulares, qui se neutram in partem valde iactabunt. *Si liceret,*] non licet, quia video pugnari vtrimque non de rep. sed de vnius hominis potentia. *Consule isto ipso*] Cæsare. *Defensa non est?*] a Pompeio, contra Cæsarem consulem, exitiosas reipub. leges per vim ferentem. *In cuius caussa respub. salus consisteret,*] quod exsilio Tullij infirmarentur acta senatus. senatus enim Catilinam damnauerat. *Defensus*] a Pompeio. *Postero anno*] Pisone & Gabinio cos. cum in exsilium indignissime sum pulsus. *Illo modo*] per vim: quia C. Trebonius tribunus pl. qui legem ferebat de prorogãdo in alterum quinquennium Cæsaris imperio, M. Catonem legi obsistentem in carcerem duxit. *Pugnatum*] a Pompeio, tertium consule. epist. 1. libr. 7. & 3. lib. 8. *Vno ciue*] Cæsare: in quem vnum translatæ vires reipub. *τὸ σκάφος τῶν ἀτρειδῶν:*] tutiorem partem, vt in classe Achiuorum tutissima nauis Agamemnonis & Menelai Atridarum. Vel: vtram principum partem sequar. *σύντομα.*] breuia, dic breuiter, quid sentias. *Damnatos,*] a iudicibus. *Ignominia affectos,*] a censoribus. *Illam vrbanam, ac perditam plebem,*] plebs. n. rustica laudatur, vrbana nõ itẽ. quia rusticę tribus in genuorũ, vrbanæ libertinorum. Plinius, Pedianus. *C. Cassio.*] prænomen suspicor abundare, & intelligendum de Q. Cassio trib. pl. qui ad Cæsarem cum Antonio & Curione confugit. fam. ep. 10. libr. 16. *Omnis*] vel, Omnis, pro omnes; & subaudiendum, oportet, par est, aut aliquid simile: vel, Omnis, pro, vnusquisque; & subaudiendum, debet: quod mihi magis probatur: etsi non satis vsitatum. In epistola quidem 6. libri 5. fam. scripti libri habent, Omni semissibus magna copia est. at impressi, fortasse mendose, Omnino. quo in loco videtur, Omni, dictum esse, pro cuilibet. Sententiam fortasse sumpsit a Terentio, apud quem in Eunucho miles ait: Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. *Qui are alieno premantur,*] in quibus Dolabella. *In alteram partem*] in Cæsaris partem, quia

quia rebus omnibus abundat. *Bibulus de prouincia decessit: Veientonem præfecit: in decedendo erit, vt audio, tardior.*] videtur loqui repugnantia, si, Decedere, vtrobique idem significet. quod secus est: valet enim modo, de prouincia discedere, administrandi potestate terminata, quod melius exemplis licet cognoscere; modo ex prouincia ad vrbem proficisci; & vsurpatur etiam de priuatis hominibus. Prior significatio patet in iis verbis: Bibulus de prouincia decessit: Veientonem præfecit; posterior in iis: In decedendo erit tardior. Quod ne nouum, aut insolens videatur, addamus locũ similem, ex frumentaria Ciceronis: Negotiatores, inquit, inuiti, raroque Romam decedunt. *Ornauit*] supplicationes ei decernens, quas idem mihi ante negauerat. epist. 13. *Vnum etiam*] vnum addam de repub. *De sua sententia*] quod, ob amicitiam Curionis, & odium Appij, a rep. defecerit. familiar. epist. 17. lib. 8. *Cuncti Lucceius sint additi?*] Bessarionis liber, Enuci Lucceijs sint additi. vulgata lectio nõ magna correctione satis aptam sententiam haberet: si pro Lucceiis, reponatur Lucellis, vt Cœlium pecunia corruptum a Cæsare significet. hæc enim cum Cælare multos, belli ciuilis initio, non honesta causa coniunxit. *Id reliquum,*] illud pecuniæ. *Non accusabimur*] vt negligentes. *Amicorum multitudine*] vel creditorum: vt exhaurire nobis omne ęs alienum non licuerit, cum nimium multis deberemus: vel temporibus eorum: quod ait in procœmio libri 2. de Off. *Serperastris*] Serperastra sunt, vt ait Varro, instrumenta, quæ geniculis puerorum, dum ambulare discunt, alligantur, ne vari fiant, aut compernes. vocat igitur eos Cicero serperastra, cũ quibus ambularet, vt cum serperastris pueri ambulant. quorum hominum causa ne quid infamiæ subiret in prouincia, Atticus se timere significauerat. ep. 1. *Vitæ*] non esse huic dictioni locum, & indicat sententia, & antiquus item Bessarionis liber satis demonstrat. non. n. habet, Vitę, sed, In re; quod est principium proxime sequentis dictionis, incuria librarij repetitum. *Neminem*] minime omnium, vt illud, Corũbus adhuc nullus venerat. pro, Minime venerat. Bessarionis liber, Nemo. *Tabulas*] testamenti, quibus heredem fecit te ex libella, me ex teruncia. ep. 2. *Hortensii legata*] non oratoris, sed filij. & Legata, quæ heres debebat testamento patris.

Quid hominis sit,] quid agat, vt se gerat. *Nescio enim*] Puteolanum fuisse M. Cœlium, apparet ex oratione pro ipso Cum, inquit, omnia, quæ ad portam Flumentanam sunt, Cœlius Puteolanus emerit; nescio, cur ego contra omnia, quæ Puteolis sunt, non emam: si modo ab Hortensio filio in actione vendentur. & periocum, Homo Puteolanus portam vrbis occupauit, cur ego Puteolos non possim? IN *addiderim:*] in principio epistolæ vltimæ libri 6. *Et tamen*] contra sententiam tuam. *De re videro.*] sit opidum, an locus, nunc non disputabo: ego quidem vt de loco sum locutus. *A C. Lælio scribi,*] id Terentius ipse non infitiatur in prologo Adelphorum. *Hoc mihi ζήτημα*] quod proxime sequitur de Cæsare: de quo multo est magis considerandum, quam de Piræeo. *Ille*] Cæsar, vt eius caussam ne oppugnẽ. *Reliquũ quantum sit.*] quantum illi pecuniæ debeamus. ep. 5. l. 5. ep. 8. lib. 7. *Aliquis,*] Pompeianus. *Si languidius;*] si languidius de rep. sensero, facis hoc, dicet aliquis, quia nummos Cæsari debes: sin fortiter, statim soluendum erit. *Repetat,*] Cæsarianus. *A Cælio*] trapezita; de quo lib. 12. *Tarteßium*] L. Cornelium Balbum Gaditanum, Cæsaris amicũ. ex Gadibus enim alteram Tarteslon esse dictam, Plinius tradit libr. 5. cap. 22. Hunc Cicero oratione, quæ exstat, defenderat. Consul postea factus est. Plin. lib. 7. cap. 43. *Exeunti*] e senatu. *Nummos*] Cæsari debitos. *Curare*] planius, Curari: nec male tamen, Curare. *Etiam.*] etiam supereſt, quod scribam. vsitata locutio in epistolis. vide epist. 11. lib. 1. *Gener*] Dolabella. *Reliqua.*] mores non omnino probandi. ep. 6. l. 6. *Aperuerimus.*] scis enim, cum de moribus aliorum, qui me socerum cupiebant, diligenter scrutaremur, quales eos inuenerimus. Aperuerimus: intime cognouimus, aperientes introspeximus. Bessarionis tamẽ liber, Aperimus: scripti duo apud amicissimum meum, Aperuerimus. placet. *Per te egimus,*] vt ei Tullia collocaretur. *Reum*] reuertentibus enim ex prouincia, sæpe erant, qui diem dicerent, quod prouinciam auare, aut crudeliter, aut denique, contra quam e repub. videretur, administrassent. *Rentur.*] irati, quod eos a Tulliæ coniugio reiecerim. quamquam nonnihil suspicor de mendo. nam, Reri, cogitare non est, sed opinari. *Nemo offeret.*] Bessarionis liber, Offerret. duo scripti apud amicissimũ meum,

meum, Offeret. quos ſequor: vt ſit; ego enim pecuniam, vt ab accuſatione deſiſtant, non offeram. *A Pontio*] apud Pontium ſcripta, in Trebulano. ep. 3. l. 5.

IN EPISTOLAM IV.

Iam ante] antequam mihi ex conſuetudine domeſtica plane notus eſſet. habuerat enim apud Atticũ Dionyſius: eumq; Atticus Ciceroni dederat, qui Cicerones pueros erudiret. *Tum ſanctum, plenum officij.*] malim ſic: Tum ſane plenum officij. vt Sane, dicat quaſi de re minus nota. nam etſi video, eundem Dionyſium alio loco ſanctum appellari, ep. 1. l. 6. tamen hic locum huic eſſe dictioni non opinor: cum ſequatur, Plane virum bonum. quod certe Cicero non adſcripſiſſet, ſi ſanctum eum iam nominaſſet. *Frugi*] quod proprie de libertis vſurpatur, vt fam. ep. 15. l. 4. Dionyſius autem libertus erat, vt patet ſupra ep. 15. l. 4. *Suſcipere partes ſuas:*] polliceri ſe pro ſua parte adiuturum. *Rem*] de triumpho. *Tribunum*] qui deinde triumphum interceſſione impediret. *Prolixius.*] abundantius. *Illum*] Cæſarem. *De tota re*] quam cum Hirtio examinauit. *Ad Scipionem*] Pompeij ſocerum: ad ipſum tamen Pompeium non veniſſe. *Veniſſe:*] ſcripti libri, Venire, habent, non veniſſe. τεκμηρίῶδες] ſignum eiuſmodi, vt dubitari non poſſet. certum enim ſignum τεκμήριον vocat Ariſt. rhet. lib. 1. *Illum,*] Cæſarem. *Alterum conſulatum,*] vt alterum conſulatum abſens petere poſſet. ep. 3. *Hæc*] ſummam potentiam, ſummã dignitatem. *Ruere*] contra remp.

IN EPISTOLAM V.

Inualetudine] ex quartana. 2. *Mirabiles Vtilitates*] pro, mirabilem vſum, mirabiles operas. eſt enim hic Vtilitas ab Vtor, non ab eo, quod vtile eſt, & quod expedit. Ad Tironem epiſt. 1. lib. 16. Vtilitatibus tuis carere poſſum. Et Lucretius lib. 6.

Nil adeo poſſet cuiquam leue, tenueque membris,
——Vertere in Vtilitatem.

pro, in vſum. *Nihil Vnquam*] quod agerem tua cauſſa. *Luſcenio*] malo Tuſcenio, ex antiquis lapidibus. *Dionyſium.*] qui tibi, quid actum a me ſit in rebus tuis, optime narrabit. epiſt. 1. libri 6. *In Arcanum*] Quincti fratris fundum:

cum obuiam viro venire debuerit. *Meum consilium*] qui negare velim illum a me liberatum. ep. 2. *Pontinum*] prædium ad Pontinas paludes. & ita ratio dierum constat: pridie Kalend. Tarracinam, Kalendis in Pontinum, IV. nonas in Albanum, III. Romam. verbum, Sumam, crediderim abundare, & additum ab aliquo, qui de Pōtinio Ciceronis legato acceperit. *Iter Pompeij*] cum potius ad vrbem manere debeat; quod resp. hoc rerum tumore videatur eius tum consilio, tum etiam præsidio indigere. erat enim Pompeius cum imperio Hispaniarum proconsul, quas absens per legatos administrabat. *Si hic sinat:*] si per Cæsarem liceat. *Nostrum negotium*] triumphum significari, manifestum. ep. 4.

IN EPISTOLAM VI.

οὐ γὰρ, &c.] Homeri versus ὀδ. μ. epistola 8. etsi paullulum immutat Cicero, vt interdum solet, ad sententiam magis explicandam. *Sed rursus*] quia dixerat se dicturum quæ non sentiat; in quo non videtur officio fungi boni ciuis: quasi peccatum suum excusauit. dicere quæ non sentias, malum est: sed rursus & hoc malum, me in tantis rebus a Pompeio dissidere. *Mihi præter ceteros non rectum*,] qui Pompeium semper, quantum in me fuit, ornaui, nec ab eo in rep. dissentire sum solitus. ep. 8. l. 1. fam. Tantum animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me valet, vt, quæ illi vtilia sunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia iam & recta, & vera videantur.

IN EPISTOLAM VII.

Mihi quoque] non modo tibi: qui, studiosum tuæ laudis eū esse, in iis litteris scripsisti, quas ille a te mihi reddidit. *Litteras ad te*] eas, quæ sunt ep. 4. hoc principio: Dionysium, flagrantem, desiderio tui, misi ad te. *Putato*] licet, putes, virum illum esse optimum, & amantiss. mei: quod ego secus existimo. omitto, inquit, hanc partē. sit sane vt vis. non adscribis, &c. Videor autem mihi, Putato, pro, priuatius, quod erat in impressis omnibus libris, recte reposuisse. nam, Priuatius, neque esse video in veteribus libris, &, sententię quid habeat, vix intelligo. ac ne dictio quidem placet. nostrum autem, Putato, sumptum est ex antiquo Bessarionis libro. & plane, quo

modo

modo in Dionysium animatus Cicero esset, ostendit. nam & paullo post eandem sententiam alijs verbis attingit, cum ait: Sit igitur sane bonus vir. *Atqui certe*] opinor, Certe, glossema fuisse. *Philogenes*] libertus tuus. epist. 2. lib. 6. *Quoad liceret.*] conuenerat inter nos, vt pecuniam sumerem a Philogene tuo: non sumpsi; quia non opus fuit: permisi, vt ipse vteretur, quoad meæ rationes ferrent. vide epist. 23. & 15. lib. 5. *Graui de caussa*] meum enim aduentum exspectasset; vt, si de triumpho impetrarem, mecum simul vrbem ingrederetur. epist. 5. *Compitalicius dies*] in oratione in Pisonem suspicor esse mendum & legendum, Cum in Kal. Ianuarias compitaliciorũ dies incidisset, non, vt est in vulgatis libris, Incidissent. vnum enim fuisse diem Compitalicium, patet ex Macrobio, & Varrone. *Albanum*] Pompeij. *Familia.*] cuius hilaritatem die festo meus aduentus interpellaret. *Tua λῆψις*] quartanæ correptio. *Te commouerit*] in Albanum velim te ad me venire: sed rursus nolo te commoueas incommodo valetudinis tuæ. epist. 8. *Molitus erit,*] vt intercedat tribunus aliquis, ne possim triumphare. *Ἀβδηριτικόν:*] stultum: eiusmodi, vt Abderitarum stultitiam videatur imitari. epist. 16. lib. 4. *Vtar ea porta,*] si Pompeius ideo perget in Siciliam me mittere, quia imperium habeam: ego, ne mittar, statim, quæ prima porta erit, ea in vrbem ingrediar, abiecto imperio simul & triumphandi consilio. *Per quem sine imperio*] cum enim factum esset S. C. vt successores in prouincias mitterẽtur; C. Curio tribunus pl. Cæsaris caussam defendens intercessit: & cum de intercessione referretur, primaq; M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendum cum tribunis pl. censebat; frequens senatus dissensit. ergo senatus culpa successores non missi: itaque sine imperio prouincia, id est sine magistratibus. epist. 5. & 13. lib. 8. fam. *Si cum eo agi*] quo modo agebatur cum tribunis pl. fiebant in eos S. C. acerrima, nisi intercessionem remitterent; vt de domo Ciceronis, cum sententiæ grauissimæ dicerentur in Serranum, qui S. C. intercesserat, pertimuit, & intercessionem omisit. epistola secunda libri quarti. *Sententiam*] Marcelli, vt ageretur de Curionis intercessione. *Quid ergo?*] cum igitur omnia videas infirma pro repub. & imparata ad bellum, censes dandum Cæsari, quod postulat? *Legis dies*]

vide epistolam sequentem, in extremo. *Cum id datum est,*] datum enim Cæsari est a decem tribunis pl. lege lata, non solum vt absens, sed etiam vt exercitum retinens petere consulatum posset: vel quod ita in lege scriptum esset: vel quod, cum daretur, vt absens peteret, sequebatur, vt & illud daretur. ideo enim absens petere vult, ne exercitum dimittat: datur autem, vt absens petat: datur ergo simul, vt exercitū retineat. *Annorum decem*] per tot enim annos Cæsar Galliam obtinuit, contra legem Semproniam. Hoc si placet, placent & illa quamuis iniusta, me patria pulsum a Clodio, quem Cæsar consul ad plebem transduxerat; agrum Campanum diuisum, Clodium adoptatum a M. Fonteio, L. Cornelium Balbum Gaditanum a Theophane Mitylenæo. hæc enim in actis Cæsaris numerantur. In oratione tamen pro Cornelio Balbo adoptionem Theophanis, quam hic improbat, exagitatam ab accusatore, tempori seruiens defendit. *Ita latum placet?*] hoc significat: si dicam, non recte latum de decem annorum imperio; dicam in Pompeium, quo pugnante latum est, qui me illa reprehendere non vult. quæ si probo, probem simul & ea necesse est, me pulsum, agrum Campanum diuisum, &c. *Labieni*] Cæsaris legati. *Diuitiæ,*] a Cæsare datæ. *Mamurræ*] quippe qui primus Romæ parietes crusta marmoris operuerit totius domus suę in Cœlio monte, columnis omnibus e marmore solidis, Charystio, aut Lunensi, cum esset præfectus fabrum Cæsaris in Gallia. Plinius, Suetonius in Iulio, Catullus. *Balbi horti,*] quos Pompeius dono dederat. epist. 16. lib. 9. *Transpadani,*] promissæ ciuitatis beneficio deuincti, quam denique dictator dedit. Suetonius in Iulio, Dio, & epist. fam. lib. 16. epist. 11. de Cæsare, Gallias, inquit, habet ambas inimicissimas, præter Transpadanos. *Plebs vrbana,*] infima videlicet, & perdita. nam rustica bonorum virorum ex omni ordine: epist. 3. lib. 7. *E lege*] a decem tribunis pl. lata. *Ratio.*] absentis, in petitione consulatus. *Quid sit optimum,*] optimum cum valentiore non pugnare. *Quid futurum*] ad vtram partem victoria inclinatura. *Dic M. Tulli.*] sic rogabant sententias. Liuius lib. 1. Dic, inquit, ei, quem primum sententiam rogabat, Quid censes? *Id enim agere videbatur*] qui iam pubesceret: aut, qui se colere & ornare diligentius

gentius inciperet, vt ſpeciem adoleſcẽtis aſſequeretur: quod fere illa ætas ſolet.

IN EPISTOLAM IIX.

Diem tuum] diem quartanæ, τὴν ἡμέραν. *Pro re nata*] quo modo ſe res habet: non ita quidem commode, vt ſi valeres, nec tamen prorſus incommode: vt res fert: quatenus tua permittit valetudo. epiſt. 14. lib. 7. & lib. 14. epiſt. 6. E re nata, dixit Terentius in Adelphis. *Mutare nomen*] vt ex Cornelio Liuius fieret, & plebeius e patricio. *Rectum ne ſit*] præſertim mulieris teſtamento: quaſi magis licere videatur mutare nomen, cum a viris adoptemur. Dolabellæ vero eo minus licet, cui non omnia bona, ſed nonam partem dumtaxat Liuia legauerit. erat enim in triente cum duobus coheredibus, vt ad eũ quaſi triens trientis, id eſt trientis tertia pars, pertineret. Accedit illud, quod ex patricio plebeius fiebat. *Quantum*] quantum bonorum in Dolabellæ tertia parte trientis. *Quaſi*] non omni quidem, (nam id, bonis Liuiæ non venditis, aut non æſtimatis, certo ſciri vix poterit) ſed quaſi, hoc eſt, quatenus ſciri licebit. *Lauernium*] hoc Lauernium non memini. alij, Literninum: vt de fundo accipiatur. Beſſarionis liber, Laruenium. *Parari*,] vt eius ratio abſentis ne habeatur. *Occurrebat:*] quem timens, a dimicatione abhorreo. *Simulatæ*] quam Cæſar ſe velle ſimularet, cum re vera belli cupidus eſſet. *Periculis*] quid enim non audebit Cæſar conſul, cum quæſtor eius Antonius tantum auſus ſit? quod paullo poſt ſubijciet. abhorrebam, inquit, prorſus a bello, quia communem Martem timebam: ſed rurſus nec plane mihi pax placere poterat, cum eam, tanquam ſimulatam, ac reip. periculoſam, homo fortis ac peritus Pompeius improbaret. quem audiens, leuabar ea cura, quam, ex bellorum incerto euentu, ſuſtinebam. *Antonii*] tribuni pl. qui paucis poſt diebus cum Caſſio collega ad Cæſarem profugit. fam. lib. 16. epiſt. 10. *A toga pura:*] a prima adoleſcentia, poſt XVI. annum finitum. epiſt. 20. lib. 5. *Damnatis:*] de ambitu, lege, quam Pompeius tertium conſul tulerat. qua lege damnatos Cæſar, victo Pompeio, mox omnes reſtituit. *Armorum.*] non minabatur Antonius, ſed accuſabat: itaque non refero hoc ad Antonium, ſed ad

ipsum Pompeium, qui terrorem armorum, ductis in vrbem legionibus, in tertio suo consulatu iniecerat. quod Cæsar etiã illi obijcit lib. 3. de bel. ci. exprobrata simul damnatione eorum, qui lege ab ipso Pompeio lata in exsilium ierant: quod vtrumque in sua concione attigit Antonius. verba Cæsaris hæc sunt. Nonnullos ambitus lege Pompeia damnatos, illis temporibus, quibus in vrbe præsidia legionum habuerat, in integrum restituit. *Ille,*] Pompeius. *Ipsum,*] Cæsarem. *Quæstor*] Antonius: quæstor autem in Gallijs. epist. 6. lib. 6. & Hirtius lib. 8. *Timere*] vt simulatam, & periculosam. *Ira relinquendæ vrbis*] hunc locum vt mendosum esse suspicarer, primum ipsa me adduxit sententia, obscuris inuoluta verbis; deinde varietas antiquorum librorum. Caualcantis enim exemplar pro Ira habet *v ↑ v*. Bessarionis autem, Infra; alij duo, Ita. minime tamen displicet, Ira: hoc sensu: Ex illa sententia de pace fugienda, in qua ipse est, quia pacem simulatam putat; sequitur, vt vrbem sibi videat esse relinquendam. ad bellum enim neque paratus est, neque parare potest; cum nihil adhuc senatus decreuerit, aut populus iusserit. *Ira:* necessitas ei molestissima. *Mouet*] perturbat. *Vt puto.*] quia Pompeius hoc quidem occultabat, ne, si diceret vrbem esse relinquendam, omnium animi ad pacem vel iniqua condicione inclinarent; cum bellum ipse mallet.

IN EPISTOLAM IX.

Bustum Basilii] Pediani verba hæc sunt in Miloniana: Via Appia est prope vrbem monumentum Basilij: qui locus latrocinijs fuit perquam infamis. *Cum sit necesse*] hoc, & quæ proxime sequuntur, illud spectant, Quod horum malorum minimum putes. *Comitia*] consularia. *Tamen quiescat,*] prohibere comitia Cæsar potest vel iure, vel armis: iure, si paret intercessorem tribunum, qui comitia impediat, tamen ipse quiescat, nec arma moueat; armis, si non adhibeat intercessorem, sed exercitum adducat. *Rem adduci ad interregnum;*] cum enim comitia vsque eo protrahuntur, vt insequens annus sine consulibus sit, Interregnum dicitur. Res igitur adducetur ad interregnum, si Cæsar per tribunos pl. non patietur haberi comitia sine sui ratione. *Senatum impediens,*] S. C. intercedens. *Circumscriptus,*] facto aduer-

sus eum S. C. Eodem sensu de Clodio dixit in oratione pro Milone: Senatus, credo, eum prætorem circumscripsisset. & de Octauiano Philip. lib. 12. Parata de circumscribendo adolescente sententia consularis. est enim in circumscriptione ignominia, & priuatio iuris. *Intercludendus:*] hoc enim, nisi vrbe relicta, fieri vix potest. *Contra dici nihil posset:*] non enim petet absens; quod contra leges est; sed præsens, tradito exercitu; quod vsitatum. *Sic malo,*] vt consulatum petat tradito exercitu. *Istuc ipsum, sic*] Cæsarem, tradito exercitu, ad consulatus petitionem venire. *O magnum malum*] O crediderim abundare propter proximum verbum, Putat. *Si id volet.*] si, tradito exercitu, venire volet ad petitionem consulatus. *Vide consulem*] ecce iterum habebimus consulem, qualem habuimus consulatu priore, perditum scilicet, & reip. exitiosum. *Et eo consule,*] eo magis est timendus consul, quia, eo consule, Pompeio deliberatum est ab vrbe discedere, & ad Hispaniæ administrationem se conferre. in quo præsente magnum esset reip. præsidium contra factiosi consulis conatus. *Recusari non potest:*] si enim tradito exercitu volet ad comitia venire, recusare nō possumus. *Ineat gratiam.*] quia, cū ex lege a decem tribunis pl. lata possit absens, & exercitum retinens, consulatū petere, tamen de suo iure decedens, ne malī exemplī rem instituat, tradito exercitu ad comitia veniat. *Tollamus*] omittamus. *Vt idem dicit,*] Pompeius. &, Idem, qui affirmat Cæsare consule se futurum in Hispania. *Præteriit tempus*] scripta enim est hæc epist. Marcello & Lentulo cos. qui erat annus decimus prouinciæ Cæsaris. *Impedis,*] per tribunos pl. *Mei rationem.*] absentis, & exercitum retinentis: quod a populo datum est. epist. 7. *Nostrum*] nostræ voluntatis, qui, vt succedatur, decernimus. *Depugnes*] ex persona Cæsaris. *Concedis.*] quod postulo, vt absentis ratio habeatur. *Cum bona quidem sperem,*] ex persona Ciceronis. *Vt ait idem,*] non, Cæsar; (etsi facta proxime de eo mentio est) ad quem id referri, quo tuendæ studium libertatis ostenditur, absurdum est; sed, Pompeius, qui tamquam optimatum princeps, & reip. ciuis amantissimus inducitur in hac epist. de quo & paullo ante, Vt idem dicit. *In ea quæstione*] quo tempore, aut quo consilio pugnandum. pugnandi enim tempus

ostendit casus, consilium autem non a nostra prudentia, sed a temporibus petitur. hoc igitur omisso, affer, si quid habes, ad superiora.

IN EPISTOLAM X.

Laureatis.] Imperatores & in litteris, & in lictorum fascibus vtebantur laurea, deuictos hostes indicante. Cæsar de bello ciuili lib. 3. & in oratione in Pisonem. *Amentissimi consilii.*] temere & stulte vrbe relicta. *Stupent*] ex temeritate & stultitia Pompeij. sed, quoniam proprie Stupere dicitur is, qui torpore quodam captus languet immobilis, aut inopia consilij, aut aliqua re tarditatem inijciente; videtur non absurde posse corrigi, Coartatus, & stupens. Omnes, si in Italia consistet, erimus vna. Vt, Omnes, accipiatur de ijs, qui caussam Cæsaris improbant. veni autem in hanc sententiam eo libentius, quod & in Bessarionis libro scriptum animaduerti, Stupens, non, Stupent: & particula et, pro sed, reposita, minima muratio est: siquidem in antiquioribus libris, & lapidibus, per t scribitur, Set. *Consilii res est.*] deliberabitur. *Omnia,*] Pompeij consilia de ratione belli gerendi.

IN EPISTOLAM XI.

Quæso, quid hoc est?] quæso mihi explica, quo consilio hęc administrentur a Pompeio: ego enim non video. *Labienus*] Cæsaris legatus, summæ auctoritatis in exercitu. fam. epist. 11. lib. 16. *Loquuntur?*] cum loquuntur de Cæsare. *Lucretino*] Lucratiuo, & Caualcantis liber, & Bessarionis. obscurum, quid significet: nec abest mendi suspicio. Lucretilis Horatio mons est in Sabinis. *Quid si tu velis?*] quasi dicat: si tyrannidem velis, quod volueris tamen non assequere. ideoque fortasse o Cicero non vis; quia, si velles, tamen adipisci non posses. Respondet. noli putare me tyrannidem ideo nolle, quia, etiam si velim, adipisci tamen non possim: sed puta ideo nolle, quia, velle, per se ipsum duco miserrimũ. *Quis est*] possum quidem velle, (quis enim non potest? libera cuiusque voluntas est) sed nolo, quia summam miseriam in ipsa voluntate constituo, maiorem tamen in re. *Ad nostrum.*] Pompeium. *Per fortunas,*] in re misera modus obtestandi. Ἄπορῶ.] mihi explicatum non est, vtrum laudem, an se-

an secus: dubius animi neutram in partem pendeo. *Tum nihil absurdius.*] ego modo ἀπορῶ, modo nihil statuo fieri posse absurdius. tu, quid sentias, ostende. *Idem*] faceres. quod maiores nostri non fecerunt; qui, vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. *In aris, & focis.*] in libertate: cuius ego conseruandæ causa, vrbem, hoc est parietes, reliqui. Hinc Pugnare pro aris & focis, id est pro libertate. *Themistocles.*] qui, copijs Persarum in Græciam influentibus, consilium cepit de vrbe relinquenda. *Pericles*] Lacedæmoniorum bello. Ἐπενθόμεθα] lugebamus gloriam, quasi amissam, & in Pompeio desideratam. Hoc ἰλ.ι. *Hoc consilium*] quod vrbem reliquerit. *Exitum habiturum.*] non inutile futurum: siquidem fugiens Pompeius mirabiliter homines mouet, vt Cæsari, cui aliquid antea concedebant, nunc nihil concedendum putent, ne hoc quidem, vt præsens consulatum possit petere. Consilium autem dicitur exitum habere, cum succedit, quod voluimus. *Delectus,*] militum. *Vagus esse*] vt speculari omnia. *Videre,*] quia Romæ es.

IN EPISTOLAM XII.

XII. Kal. Iun.] ex epistolis post proximam sequentibus perspicuum fit, non esse scriptam hanc mense Maio, sed mense Ianuario; itaque mendum esse in verbo *Iun.* *Libonem.*] Sexto, Pompeij filio, socerum hunc fuisse, tradit Appianus. nec bonum ciuem indicat infra, epist. 14. lib. 9. *Istum*] Cæsarem. φαλαρισμὸν] similes actiones actionibus Phalaridis tyranni. *Rerum prolatio,*] Rerum prolatio, & res prolatæ, video scriptum a nemine, quid significet. significat autem, vt ex accurata multorum examinatione collegimus, tempus illud, cum homines feriarentur. Declarat maxime Plautus in Captiuis act. 1. ex persona parasiti.

Vbi res prolatæ sunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo viuunt, vos si non cadit:
Item parasiti, rebus prolatis, latent;
In occulto miseri vicitant succo suo.

Et pro Murena, vbi iurisconsultos agitat: Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quæ neque extra Romam vl-

quam, neque Romæ, rebus prolatis, quidquam valet. & ad Quinctum fratrem lib. 3. epist. 2. Res prolatæ, ad interregnũ comitia adducta. & epist. 5. lib. 14. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem. Rerum igitur prolatio, siue Res prolatæ, idem est, ac si dicas, vacatio a muneribus; quæ maxime erat ludorum diebus. Ludorum autem nomina, Votiui, Romani, Victoriæ, Plebeij. quorum primi Votiui XVII. Kal. Sept. commissi, per quindecim dies celebrabantur: & cõtinuo Romani per decem dies: cum interea res prolatæ dicebantur. confectis Votiuis & Romanis, rursus ad negotia: iudicia fiebant: senatus habebatur: tum publice, tum priuatim quisque satagebat in sua re: hoc vsque ad IIX. Kal. Nouembris. nam cum inter ludos Romanos & ludos Victoriæ dies intersint XLV. quod aperte ipse declarat lib. 4. in Verrem: recte subducenti perspicuum fiet, ludorum Victoriæ commissionem incidere in diem IIX. Kal. Nouemb. quod significatur & ad Quinctum fratrem epist. 8. lib. 3. Iterum igitur res prolatæ. Victoriæ autem ludi, cumque his Plebeij coniuncti, dies auferebant octo: vt ad 4. nonas Nouembris & magistratus, & cuiusuis ordinis homines intermissam rei siue publicæ, siue priuatæ administrationem repeterent. itaque epist. 16. lib. 4. Pontinius vult ad 4. nonas Nouembris triumphare. Ex quo patet, non fuisse diem festum 4. nonas Nouembris. ad Quinctum fratrem tamen 3. nonas legitur, epist. 4. lib. 3. *Tardabit.*] quocumque tempore ad vrbem Cæsar venerit, statim aget quę putabit e re sua; non eum tardabit rerum prolatio; quo tempore nihil neque publice fit, neque priuatim: contemnet antiquum morem: sine senatu, sine magistratibus decernet ipse ex libidine: refringet ærarium; publicasque pecunias, ad vsum reip. seruatas, reip. ad oppugnationem conuertet. *Iis me dem*,] Cæsari. Αἰδέομαι τρῶας.] vide epist. 5. lib. 2. *Puerorum.*] Marci filij, & Quincti Ciceronum: quibus intelligo me pessime consulere, nisi sequor eos, qui tenent, qui potiuntur. *Eum finem statuit.*] ait, dum Pompeius in Italia sit, nos eum sequi debere: si cedit Italia, finem nobis esse faciendum. *Lictores*] in epistola ad Cœlium, fam. lib. 2. epist. 16. Accedit, inquit, molesta hæc pompa lictorum meorum, nomenque imperij, quo appellor. eo si onere care-

re carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem. sed incurrit hæc nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in voculas maleuolorum. *Minus explicari*] quod in vtramque partem multa occurrunt. *A'πορίαν tuam*] solebat enim Atticus non plane suam sententiam explicare, sed vti verbo dubitationem significante, vt ἀπορεῖν lib. 9. epist. 14. *Ille*] Labienus. *Romæ offenderet*,] quod non euenit: quia nos vrbem reliquimus: itaque non habet, cui prosit, cum ipsi nostrã causſam perdiderimus. & fortasse abundat, Romæ: cum dixerit iam, Romam veniens. *Domesticis finibus*] qui tantum domestica tractes, rebus publicis te non admisceas. *Vrbis*] rerum vrbanarum.

IN EPISTOLAM XIII.

Illa] Cæsari: a quo cum discessit, visus est eum sceleris damnare. *Pisonem:*] qui cum ab vrbe discesserit, generum suum Cæsarem non exspectans; quid de eo iudicet, manifestum est. hic est L. Calpurnius Piso, in quem exstat Ciceronis oratio, Gabinij in consulatu collega, nunc censor. fam. epist. 31. lib. 13. Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Ne Picena quidem*] cum eius culpa Cæsar in Piceno opida occupauerit: vnde aditus ad vrbem apertus. epist. 3. lib. 8. quod si Pompeius, in Piceno quantum esset nobis præsidij, cognouisset; opidis militum robore ante Cæsaris aduentum firmatis, numquam in hanc deserendæ vrbis necessitatem deuenisset. quasi enim agger fuit Picenum vrbi tuendæ. placet tamen, quod in Bessationis libro scriptum est, describere. In eo igitur libro sic: Ne Epyceanea quidem. *Quam autem sine consilio res stet:*] placet, vt est in antiquo libro apud amicissimum meum, Quæ autem sine consilio res stet? *Decem annorum*] tot enim anni a consulatu Cæsaris ad hoc tempus numerantur. &, Cæsare consule, Pompeius se cum eo affinitate coniunxit, Iulia vxore ducta. inde eum per decẽ annos aluit, auxit, armauit. *Duabus inuidiose retentis*,] cur, Inuidiose? quia Pompeius simulatione Parthici belli a Cæsare abductas retinuerat. quod factũ magna in infamia fuit. Ita Cæsar lib. 1. de bel. ciu. Pompeius, inquit, infamia duarũ legionũ permotus, quas ab itinere Asiæ Syriæque ad suam potentiam dominatumque conuerterat, rem ad arma deduci studebat. Inuidiose igitur dixit,

cum odio & infamia. *Alienis*] quod aduersus imperatorem suum inuitæ ducerentur. Hirtius lib. 8. *Inuitorum*] vt beneficij memoriam conseruantium, quod agrum Campanum colerent lege Iulia datum. epist. 14. *Dolabellæ*,] generi mei, qui apud Cæsarem est: per quem videntur mulieres tuto in vrbe esse posse. fam. epist. 6. lib. 9. & 12. lib. 14. *Ac de me*] cui non tam salutis, quam dignitatis, habenda ratio est. *De ipso*] de te ipso. cur enim ego tibi hac in re consilium dem, quem & de te ipso, & de me etiam considerare volo? Μάντις δ' ἄριστος.] vates optimus is est, bene qui conijcit. Senarius apud Euripidem integer,

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς:

quem Cicero ita vertit libro de Diuin. 2. Bene qui conijciet, vatem hunc perhibeto optimum. *AEnigma Oppiorum*] videtur epistolæ principium. *Numero Platonis*] Plato enim Pythagoricis numeris philosophiam obscurauit. Probo, Timæo Platonis, vt in antiquo libro eruditissimi viri, Antonij Augustini, scriptum est. nam eo libro nihil obscurius, de quo hæc lib. 2. de Fin. Rerum obscuritas, non verborum, facit, vt non intelligatur oratio: qualis est in Timæo Platonis. *Sacones dicis in eo æstu, aut diu.*] sic Caualcantis liber: Bessarionis, Saccone. Mihi & hoc videtur Timæo Platonis obscurius. quod si coniecturæ credendum est, ita legerem, mutatione parua: Oppios de Velia Salacones dicis. in eo æstuaui diu. Æstuare autem dicitur qui dubitatione angitur, & inopia consilij. *L. Cæsarem*] filium. Suetonius, qui Cæsaris clementiam commendat, Nulli, inquit, perijsse, nisi, in prœlio, reperiuntur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fausto, & L. Cæsare iuuene. ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant. *Mandatis*] Cæsaris, quæ explicantur libro 1. de bello ciu. & fam. epist 10 lib. 16. *Ferat*] Cæsar. *Inguij Thermus*,] ita lego, non Tignij, aut Sisingui. Sequor autem non modo librum scriptum, qui apud me est, sed etiam historiam ipsam, ac veterem quoque lapidem, qui est Fulginei, in quo Inguij oppidi mentio fit his verbis;

P. ÆLIO.

P. ÆLIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT.
FRVM. SVB. PRINCIPI. PE
REGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIÆ. FEL. ADLEC-
TO. AD. MVNERA. PRÆFF.
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMÆ
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIÆ. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FOROFLA. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM. S-S. XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. S-S. IIII. N. DEDIT

Est autem Inguium, quod Vgubium hodie vocamus, opidum Vmbriæ. itaque in Cæsaris comm. lib. 1. de bel. ciu. legendum, Inguij, non Tignij, Steuchus Eugubinus, egregiæ vir doctrinæ, ante nos monuit. nam Tignium est in Piceno. Curio autem in Vmbria pro Cæsare militabat, vnde Thermum eiecit. Plinius quoque lib. 3. c. 14. Inguinos nominat in Vmbriæ descriptione.

IN EPISTOLAM XIV.

Suppænitet.] infirmas enim habet copias. firmas tamen se habiturum sperabat. ep. 16. *Parum prolixe*] inuiti. nec mirum est, lege Iulia in agrum Campanum deductos, propensiores in Cæsarem esse. sic alibi, Prolixe facere, prolixe polliceri. *Respondent*] cum nominantur, dum habetur delectus. singuli enim citabantur. *Secutorum*] genus gladiatorum fuit, de quo Suetonius in Caligula: Retiarij quinque totidē

secutoribus succubuerãt. & Iuuenalis satyr. 8. Quoniam igitur gladiatores generaliter nominauerat; quibus de gladiatoribus loqueretur, expressit. erant autem Secutores, & Myrmillones ijdem: quibus opponebantur Retiarij. Festus, & Quinctilianus. *Loo fuerunt*] Bessarionis liber, Bis fuerunt, corrupte: natus enim error ex ignoratione antiquæ notæ: quam significare quinque millia, supra ex analogiæ ratione ostendimus. *Vlla dignitate*] quæ modo vlla dignitate sint. epistolarum libro ad vxorem, Videte, inquit, quid aliæ faciant isto loco feminæ. quod eodem libro dixit, Vestri similes feminæ. *Præsidia*] Prædia, legendum esse constat, non solum quia sic legendum perspicue significant epistolæ duæ ad vxorem lib. 14. fam. sed etiam, quia vicissitudinem quandam harum dictionum in libris obseruaui, vt alterius altera locum occupet, quemadmodum in libro de Senectute, De præsidio & statione vitæ decedere: quod erat in quibusdam libris, De prædio & statione. præterea illud infra, Non incommode, aptius ad prędia, quam ad præsidia, refertur. nam de præsidiis potius, Tuto, dixisset. *Pro re nata*] pro ratione temporum: minus omnino commode, quam Romæ, sed rursus non admodum incommode. genus loquendi, ad imminuendam rem, quæ significatur, vsurpatum. vide ep. 8. lib. 7. & 6. lib. 14. *Genero nostro*,] Dolabella, qui pro Cæsare contra reip. partes arma fert. *Sexto*] Peducæo. ep. 12.

IN EPISTOLAM XV.

Liceret,] cum inferat, Nihil est iucundius, temporis ratio postulat, Licet, non, liceret. *Abductis præsidiis*] ex oppidis, quæ occupauerat. *Quas tulisset*:] his videlicet, vt Pompeius eat in Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur, se vlteriorem Galliam Domitio, citeriorẽ Considio Noniano traditurum: ad consulatus petitionem venturum: absentis rationem haberi nolle, præsentem petiturum. fam. epist. 10. lib. 16. *Auditus in consilio*,] hic negantem particulam desiderari, declarat insequens membrum. *In Sicilia*] illi assignatam, cum Italiæ regiones descriptæ sunt, quam quisque tueretur. fam. epist. 10. lib. 16. *Furfano*] epist. 8. & 9. lib. 6. fam. *Postulat aque hæc*] ita pendet hoc a verbo, Negant, vt affirmetur potius, quam negetur. verbum enim,

nim, Nego, sæpe negat in primo membro, affirmat in secundo: vt in oratione pro Roscio Comœdo, Aduersaria in iudicium protulit nemo, codicem protulit. pro, codicem aliquis protulit. Idem agnoscitur apud Horatium, in iis versibus,

Qui fit, Mæcenas, vt nemo.

nam cum subiunxit,

Laudet diuersa sequentes,

satis constat nō referri ad, Nemo, sed necesse esse, vt, aliquis, subaudiatur. huius generis exempla non desideramus. vide epist. 30. lib. 12. fam. *Vicerit*] assecutus erit, quod vult. *Quo est ingressus.*] arma enim nunc quidem infert reipub. quo sce lere scelus esse maius nullum potest. *Accipienda plagæ*] nobis: qui de nostro iure decedimus, cum a Cæsare latas conditiones accipimus. *Aerario,*] ex quo Cæsar postea pecuniam sumpsit. epist. 4. & 7. lib. 10. Ærarium autem fuisse in Saturni templo, satis ex Festo, Plutarchoque in Probl. constat: sed, æraria tria cur nominentur, non omnes fortasse norunt. itaque totam hanc rationem paullo diligentius conabimur explicare. Ærarium primum illud fuit, quo effracto, cum per annos multos, vt Appianus & Lucanus perhibent, clausum fuisset, C. Cæsar pecuniam vniuersam belli ciuilis initio sumpsit, atque in hoc, tradit Appianus, conditum fuisse aurum, quod in vsum Gallici belli erogandum asseruaretur, quod videtur esse iam inde ab eo tempore institutum, cum vrbem Romam Galli captam incenderunt. tunc enim vt aurum illud reponeretur, belli Gallici metu decretum est. atque ego, quidquid postea ex victoriis, vt ab Africanis duobus ex secundo & tertio Punico bello, a prioris fratre ex Asia, a Mummio ex Achaia, & Paullo ex Macedonia, Lucullo & Pompeio ex Tigrane & Mithridate partum est (vt alios pæne innumerabiles omittam) eodem postea congestum existimo, primum, quia, exiguam plane auri vim fuisse, quæ priscis illis temporibus, paullo post vrbem a Gallis liberatam, in magna omnium rerum inopia, nondum valde prolatis imperij terminis, deposita est, verisimile videtur; cuius tantulæ pecuniæ caussa nunquam certe fores ærarij sibi effringendas Cæsar putasset; a quo ablata laterum aureorum XXVI. M. & in numerato pondo CCC. Plinius libro 23. capite tertio, affirmat: deinde, quod, ærarium illud, quo per

vim ingressus est Cæsar, id fuisse, quo aurum atque argentum ex præda Punica & Macedonica congestum est, Lucanus lib. 3. docet his versibus:

——Tum conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis.
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi.

De hoc fortasse ærario sensit Valerius l. 3. c. 7. Alterum fuit ærariũ ex auro vicesimario; quod in sanctiore ærario seruatum ad vltimos casus, Liuius lib. 27. prodidit. collectum autem ex eorum, qui manumitterentur, vicesima, idem Liuius lib. 7. narrat. Tertium ex annua vectigalium pecunia constabat: ex quo, quidquid belli necessitas, aut quotidianus reipubl. vsus requireret, decernente senatu, vt ait Polybius, vel etiam, quod postremis temporibus P. Clodius tribunus pl. contra leges instituit, populo iubente sumebatur. atque hoc tertium ærarium assiduis tum ordinariis, tum extraordinariis impensis exhaustum, & ad summas angustias redactum, in agraria 2. & in oratione de prouinciis consularibus, & in extrema pro Balbo, etiam in C. Verrem Cicero, Pedianus in commentario Cornelianæ, Marcellinusque lib. 16. significant. Priora duo perquam raro aperiri, ideoque sanctiora vocari solita, Cicero, Cæsar, & Liuius demonstrant. nam de prædæ bellicæ ærario, in quo ipso fuisse aurum, Gallici belli metu depositum, epist. 12. & 20. significatur. Cæsar autem ipse lib. 1. de bello ciuili sic: Lentulus consul, aperto sanctiore ærario, ex vrbe profugit. Florus quoque lib. 4. sanctum ærarium vocat. Itidem sanctius ærarium dictum illud esse, quo vicesimarium aurum seruabatur, Liuius lib. 27. ostendit. Consulibus, inquit, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruabatur, promi placuit. Quod autem ait Lucanus, Multis intactus ab annis, ita verisimile videtur, si ciuilia bella excipias. certe enim neque C. Mario, neque Cinnæ, neque postremo Syllæ, qui publicam libertatem armis oppressерunt, pecuniam capere ex ærario religio fuit. etiam ipsum Pompeium ante Cæsarem, orta inter eos ciuili contentione, ærarij pecunia esse vsum, quis dubitet? quamquam accepit multo minus, quam reliquit. quod hic Cicero queritur. Cum igitur æraria tria memorantur, distinguuntur

pecuniæ

pecuniæ potius, quam loca: cum in vno Saturni templo publicæ omnes pecuniæ asseruentur: sed in eo templo tres fuisse cellas, in quibus thesauri publici reponerentur, licet existimare: vt pecuniæ publicę tria genera fuerint: (pecuniam voco, siue aurum, argentumque percussum esset; siue factum, vt vasa, & similia; siue infectum, vt latera) vnum ex auro illo propter belli Gallici timorem depositō, & ex præda bellica; alterum ex auro vicesimario; tertium ex annuis vectigalibus. *Reliquimus.*] Lentulus enim consul cum ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferēdam, audito Cæsaris aduentu, protinus, aperto sanctiore ærario, ex vrbe profugit. Cæsar libro primo de bello ciu.

IN EPISTOLAM XVI.

Responsis consulum ad Pompeium,] confirmor in mea veteri sententia, legendum esse, Responsis consulum ac Pompeij. quod epistola plane demonstrat, quæ ante proximam est superiorem, & quæ post hanc proxima sequitur. *Non dubitantem, &c.*] Labieni verba sunt libr. 3. de bello ciu. Noli existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam Germaniamque deuicerit. omnibus interfui prœliis: neque temere incognitam rem pronuncio. perexigua pars illius exercitus superest. *Venire*] iterum. epist. 16. & 17. *Tibi assentior:*] non esse, quod ab vrbe discedant, quoad perspiciamus, quo loco sit res. epist. 16. *Peteremus.*] nos enim tum Hispaniam cogitabamus, vbi Pompeij maximæ copiæ, ducibus Afranio & Petreio legatis. *Hoc*] Hispaniam petere. *Sexto*] Peducæo. qui Pompeij caussa discedere ex vrbe non debetis, ac ne illum quidem amare, qui vobis locupletibus, ac bene nummatis tam male consuluerit, vrbe sine præsidio relicta. *Etiam nunc*] dum agitur de condicionibus. tum autem discedendum vobis erit, cum, spe pacis exclusa, de hostili Cæsaris aduentu timebitis. *Si in Hispaniam, &c.*] eat Pompeius in Hispaniam: delectus, qui sunt habiti, & præsidia dimittantur: tum ego, tradita prouincia, ad consulatus petitionem ipse veniam. hæ fuerunt conditiones a Cæsare latæ. fam. epist. 11. lib. 16. *Ad Pisonem,*] socerum suum. *Seruium*] a ciuilibus contentionibus abhorrentem. fam. epist. 3.

lib.4. *Improbis*,] Cæsarianis. *Inuidis*]Pompeianis,qui extraordinariis Cæsaris honoribus inuiderent.ep.14.l.9.

IN EPISTOLAM XVII.

Turpe pace] &,Turpi pace,&,Misero bello, placet: aut est Turpe pro turpi, sexto casu. *Responsa Pompeij*,] ad Cæsarem, Romam missa, vt in publico proponerentur. epist.16. *Iacebit.*] suo malo repudiabit: populum enim alienabit, qui probat responsa Pompeij. *Si acceperit*,] pax non honesta consequetur. ἀναντιπόδοτον. *Parati*] a militibus, & pecunia. *Cassium*] Quinctum.nam Caius Pompeianus.fam.l.15. *Negotium vtile.*]propter vrbis portum. *In Hispaniam*] si erit,vt consistere in Italia non possimus. *Quoniam illius*] quando huc deducta res est nostra culpa; qui Cæsaris alterum consulatum,quem,ne si occasio quidem esset, repellere a repub.debuimus, (cur enim, quod populus concesserat, vt absens consulatum peteret, eriperetur?) repulimus etiam sine occasione, cum & illi exercitus essent maximi, & nobis copiæ nullæ.tantum igitur abest,vt id iure,vt etiam alieno tempore fecerimus. ep.13. *Rogatus esset*] imperfectus sermo: deest enim,intelligo,scio,aut simile quid.vitium est in oratione, sed corrigi fere semper animaduertimus insequenti particula,sed,quæ narrationem quodam modo excipit cadẽtem.ep.21.& fam.ep.3.lib.14. *A Græcis*]officium non colentibus. *Ab Egnatio soluat:*] sumptam ab Egnatio debitore suo pecuniam tibi numeret. *Vt eodem fenore sterentur*,] concessit eis,vt idem,quod antea, fenus soluerent,cum videret exactionem vniuersæ pecuniæ hoc tempore difficillimam esse.

IN EPISTOLAM XIIX.

Concionis] probantis responsa Pompeij ad Cæsarem. *Satis.*]ab ipso latis.epist.15. IV. *non.*] II.nonas cum aliis lego,ex epistola proxima superiore. *Furnij, Curionis ad Furnium*,] Curio, qui erat apud Cæsarem, Romam scripsit ad Furnium,irridens L.Cęsaris legationem.eas litteras Furnius cum suis litteris ad Ciceronem misit, vt ex Curionis litteris videret spem pacis esse nullam. *Irridet*]e sententia,& ex Bessarionis libro,Irridet,legimus. *Cæsaris*]qui tempus te-

ret

ret mandatis de pace hinc inde ferendis referendis. libro 1. de bello ciuili.

IN EPISTOLAM XIX.

In Italia] si cum Pompeio mors in Italia sit oppetenda, nõ recuso. nec tuum consilium exquiro, si maneat Pompeius in Italia, quid mihi agendum sit: deliberatũ est enim & fixum. *Lictores*,] impedimentum, & molestia fugienti. *Duces:*] Pompeium maxime designat? quo duce victoriam non speret. epist. 12. *Phalarim*] tyrannum, cæde gaudentem. *Pisistratum*] mitiorem, & studiosum maxime litterarum. *Iam calere*] iam habere, quod de te ipso cogites, solicitum de statu rerum tuarum, quia videas vrbem, a Cnæo nostro sine præsidio relictam, Cæsari patere. Calere dicuntur, quos molestissimis rebus perturbatos inexplicabilis agitat cogitatio. animus enim æque curis exercetur, vt labore corpus. &, quoniam animi sedes est in cerebro, quo pertinent fere omnes venæ; animo affecto, quasi repercussus commouetur sanguis, & sanguinis motum consequitur calor. *Suas nonas.*] ante constitutas. epist. 15.

IN EPISTOLAM XX.

Conquisitores] delectui habendo præfecti. *Ille*] Cæsar. metu Cæsaris iam præsentis non audet. *Nomina*] nomina dabant ad bellum ituri. *Spes.*] victoriæ. *Mandata*] Pompeij. *De sanctiore ærario*] in quo tum pecunia, belli Gallici metu depositа, tum præda omnis, ex deuictis gentibus collecta, seruabatur. vide quæ diximus epist. 15. *Consul*] Lentulus. nam Marcellus nondum venerat. *Ille*] Cæsar. *In naui.*] Cæsarem fugiens. *Neque mehercule*] satis, inquit, scirem, quid mihi esset agendum, si, Pompeio duce, victoriæ spes esset. sequerer inquam eum quascumque terras peteret. nunc ancipiti cura distrahor. nam neq; video eum sequi debere, a quo omnia sint acta turpissime; &, nisi sequor, & ciuis, & amici officium desero. *Neque ego*] quia dixerat, Turpissime, culpam a se amouet. Ego, inquit, particeps vllius cõsilij non fui: agam tamen, quod me deceat: amicum sequar bene de me meritum. *Satisfacere.*] quod nullum maius negotium susceperim. fam. epist. 11. lib. 16.

IN EPISTOLAM XXI.

Huius autem noſtri.] tarditatem, aut ignauiam, dicturus fuit: ſed omiſit, & cauſſam, cur omiſerit, adſcribit. ἀποσιώπησις. epiſt. 17. *Cædem*] Cæſaris victoris crudelitatem. *Qui poſſum?*] cum Cæſar omnia occuparit. *Quo?*] cum, vbi ſit, neſciam. *Iſti*] Cæſari.

IN EPISTOLAM XXII.

Lentulo, & Thermo] P. Lentulo, Q. Minucio Thermo. *Etſi viuere.*] ſubaudi, non viuere eſt, cum turpem vitam viuas: qualis erat manentis in Italia. *Satisfacere*] quia neque delectum vllum, negotium ve ſuſcepimus. epiſt. 16. *Quod patior facile,*] quod ita mihi non diſplicet, dum nihil committam mea perſona minus dignum.

IN EPISTOLAM XXIII.

Me quidem non nimis,] qui Philotimi litteris fidem non haberem. *Caſſii litteræ*] ad Caſſium Capua miſſæ a Lucretio. Caſſius enim cum Cicerone erat in Formiano. epiſtola vigeſima ſecunda.

IN EPISTOLAM XXIV.

Illud eum ſciſſe;] ſciſſe eum malas cauſas obtinere. neque enim, male agere, difficultatis eſt. ſunt qui legant, Eum neſciſſe. ego & Beſſarionis librum, & cum eo congruentem ſententiam ſequor.

IN EPISTOLAM XXV.

Non venit, &c.] non mihi accidit, quod tibi. ſcribis enim te ſæpe exoriri, id eſt a metu aduerſæ fortunæ reſpirare. ego autem nunc paullum exorior: quod ante vſu mihi non venit. *Quoties exorior.*] verba ſunt ex Attici epiſtola. *Picentium cohortibus.*] cum Domitio coniunctis. epiſtola 22. *Interdicta,*] & inuidioſe, & falſe dictum: quaſi Cæſar iam putaret ſibi, tamquam prætori, arrogandum eſſe ius in ciues, ac iam proponeret interdicta, animaduerſurum ſe in eos, quos ſecundo lumine, paullo poſt, Romæ offendiſſet: cum nunc de fuga nemo cogitet. *Secundo lumi-*

do lumine] cras. subauditur autem, Moriere. In oratione pro Rabirio Postumo, Regum, inquit, sunt hæc imperia: Animaduerte, & dicto pare. &, Præter rogitatum si querare. & illæ minæ, Si te secundo lumine hic offendero, morieris. Locus Euripidis in Medea, εἴ σ' ἡ πιθοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεὸς, Θανῇ *Respuuntur.*] timore sublato. *Afranio*] firmos exercitus habere in Hispania. *Integrum seruem*,] vt neque Cæsari, neque Pompeio me dem. *Certe videri possum.*] εἰρωνικῶς dictum. subiungit enim: quod me ducem in ciuili bello esse negauerim, quoad de pace agebatur; non ideo feci, quia, quod rectum esset, id mihi non placeret; sed feci, meorum temporum memoria commotus. itaque, quod ad hanc rem attinet, optima ratione defendor. reliqua vero prorsus me ab hac suspicione vindicant. *Multo rectius fuit*,] quanto enim rectius facit, qui pernicio-sam reip. coniurationem exstinguit, quam is, qui ciuili bello copias ducit. *Fraudem tulit.*] memineram, inquit, quod olim eiusdem reipub. caussa feci, cum Catilinæ coniurationem oppressi, id mihi summam perniciem attulisse, pro recte factis in exsilium pulso. *Eum*,] Cæsarem. *Cnæus noster*] cum in tertio consulatu pugnauit, vt decem tribuni pl. legem ferrent, qua Cæsari absenti consulatum peteret liceret. *Alterum*] quia consul ante fuerat Cæsar, Bibulo collega. *Pro suis gestis amplissimis*,] malim, suis rebus gestis. nam, Gesta, latinum non est, hoc quidem sensu. scripserat autem epistolam Pompeius ad Cæsarem, in qua erat, Pro tuis rebus gestis amplissimis. epistola 8. libri 8. *Quem metuam*,] Cæsarem noui: cuius animum ne offenderem, ideo me ducem ciuili bello futurum negaui. is enim solet iniurias acerbissime persequi, vt olim, cum, a me læsus in iudicio quodam, P. Clodium, inimicum meum, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die transduxit. Suetonius. *Quamobrem.*] quia vereor, ne, cum ego pro Pompeio Cæsari sinimicitias suscepero, ipsis in gratiam redeuntibus, ego præsidio nudus Cæsari pœnas dem. Hic tacite notat in Pompeio ingrati animi vitium: cuius fautor dignitatis cum iam inde ab adolescentia, in prætura autem & in consulatu adiutor etiam exstitisset; se tamen ab eo Clodianis temporibus destitutum recor-

dabatur. *Pueri*] Cicerones, quorum magister Dionysius. *Parthicus casus*] in nostras prouincias subita Parthorum irruptio: vt Pompeium, aut Cæsarem aduersus eos proficisci res cogat. Vnde Cœlius in epistola ad Ciceronem, Si alteruter eorum, inquit, ad Parthicum bellum non eat, magnas video impendere discordias: quas ferrum & vis iudicabit. Idem arbitrari Atticum, ostendit Cicero, cum ait: Vt tu scis. nulla enim ratione ciuile bellum, nisi externi belli metu, poterat auerti. externum autem bellum non nisi a Parthis impendere videbatur. Ceteras enim gentes aut viceranr iam Romani, aut contemnebant. *Casus*] proprie de Parthis, quorum subitæ & inopinatæ irruptiones.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM OCTAVVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

NEc *tamen lata*,] nam ex Lucretij litteris cognoueramus, Vibulliũ cum paucis militibus e Piceno currere ad Pompeium. epist. 23. lib. 7. *Sed in ea*] redit ad argumentum epistolæ Pompeianæ. pendet enim periodus ex illo, Cetera de rebus in Piceno gestis. *Caput ipsum*] vrbem. *Eundum*] Luceriam. *Lautorum, & locupletum*,] illud ad mollitiem, hoc ad opes refertur. video, inquit, futurum, vt neque lauti pro Pompeio incommoda subire, neque locupletes suas fortunas in discrimen velint adducere. *Municipiis Sero his relictis*,] ora maritima, cui ego præsum, relicta. quod cum acciderit; omnes prorsus, qui exierant, desperatis Pompeij rebus in vrbem redibunt. *Hos lictores*] quia mihi cum lictoribus ad vrbem accedenti triumphum deferet Cæsar. quem non accipere, periculosum erit; accipere, inuidiosum ad bonos. epistola 3. *Comitum*] hos enim video in vrbem redituros. epistola 12. libri 7. *Nec stultior est*,] significat, malle se Lepidum, Volcatium, Sulpicium imitari, ad vrbem redeuntes, quam Domitium, aut Appium, Pompeij comites fugientes: quorum alter stultitiæ nomine male audiebat, alter inconstantiæ. *Beneficio*,] cum mihi exsulanti reditum in patriam confecit. *Remunerere*] non minus longis epistolis.

Gladiatoribus ſuis] quos Pompeius binos ſingulis patribus familias diſtribuerat. epiſt. 14. lib. 7. *Poſtulabat*,] exigere videbatur, vt Pompeium laudarem. *Illum*] Cæſarem. *Effugere*] qui fieri poteſt, vt nihil ſcribam, quod in aliquam reprehenſionem non incurrat? *Qui magis effugias*] id eſt, nihilo magis effugiam. *Alsud tu honeſtum*,] ſignificas, debere me Pompeij cauſſam tueri; idque & honeſtum, & me dignum videris iudicare: quod ego ſecus iudico. ducis enim culpa vagamur, egentes cum coniugibus & liberis. hoc non modo non honeſtum, ſed etiam turpiſſimum. *Perditiſſimis*] Cæſarianis. *Expulſi*,] a Cæſare. *Euocati*] a Pompeio. *Non erunt*.] propediem enim video bonorum, id eſt lautorum, & locupletum, vrbem refertam fore, municipijs vero his relictis, refertiſſimam. epiſt. 1. *Ne Capuæ quidem*,] vrbe relicta ſi Capuæ ſaltem conſediſſet Pompeius; minus turpiter feciſſe, minus peccaſſe videretur. *Parum eſt dignitatis*.] quia & dux ſine exercitu, & transfuga: illi autē magnorū duces exercituū, & Hiſpaniæ rectores, Pompeij proconſulis legati. *In me* * *illud*] verbum Græcum & hic, & paullo poſt, vbi inane ſpatium eſt, deſideratur: hic quidē forſaſſe, *κάθομον*: quia ſupra dixerat, Me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, ſcriptorum etiam meorum. *Tum ſe mihi*] ante quam vrbē relinqueremus, omnes cauſſam reip. enixe adiuturi videbantur. *Res geſtæ*] in Piceno. *Pompeii litteris*] ad Pompeium miſſis: vt epiſt. 23. lib. 7. Caſſij literæ, ad Caſſium miſſæ. *Vbi erit διπλῆ*.] quem ego nota, quæ *διπλῆ* appellatur, in margine adſcripta indicaui. *διπλῆ* autem duplici figura notabatur, aut hac ⊳ in extremo verſu, aut hac ⊲ ante primam dictionem collocata. *διπλῆ*, quia duplici linea formaretur. Iſidorus lib. 1. Etymologiarum, & Laertius in Platone. *Sed non tta*] mendoſus locus, & in mendo conſentit vterq; Caualcantis & Beſſarionis antiquus liber. nihil igitur auſim immutare: ſubſidium a manuſcriptis libris exſpectemus ego, niſi paullo longius, quam ſoleo, a vetere ſcriptura diſcederem, opinarer, & recte quidem, quod ad ſententiam attinet, legendum ſic: Sed poſitam non in eo iudico ſpem de ſalute reip. vel ſic: Sed non ſitam in eo iudico

ſpem

ſpem de ſalute reip. *Aliquanto ſecus,*] nunc ais te putare, ſi Pompeius Italia cedat, mihi vna cedendum; antea monebas, ne me darem incertæ & periculoſæ fugæ. epiſt. 23. lib. 7. *Locupletior*] grauior. ſicuti Locuples teſtis, non leuis, ſed is, cui fides habenda ſit, quod eum ad mendacium impellere nō potuerit inopia. *Triginta*] nedum vnus. *Eſſent,*] Athenis, a Lacedæmonijs impoſiti. *Pedem porta*] vt mihi liceat eius exemplo domi meæ viuere. cur ego, inquit, vnum tyrannum mihi ferendum non putem, cum Socrates, quo ſapientior nemo fuit, vrbe a triginta tyrannis oppreſſa, nunquam tamen diſcedere voluerit? *Tecum loquar.*] non enim litteris committenda. *Videro.*] conſiderabo, quid mihi agendum, Pompeium ſequar, an in vrbem redeam, aut in aliquod opidum vacuum a bello ſecedam.

IN EPISTOLAM III.

Salutem meam,] cum ab exſilio ſum eius ope reſtitutus. *Conſilio, vel fortuna*] refero Conſilium ad familiarem bene meritum, Fortunam ad ducem reip. *Sacerdotio*] augeratu. *Periculum*] quod a Cæſare impendet. *Per vim, & contra auſpicia*] cum Cæſar, lege agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit. Suetonius, Plutarchus, alij. *Gallia vlterioris*] Suetonij verba ſunt: Initio Cæſar Galliam Ciſalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accipit; mox per ſenatum Comatam quoque, veritis patribus, ne, ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret. *Adoptando*] adoptione Clodius factus eſt plebeius, ſtatimque tribunus pl. rogationem tulit in Ciceronem, quia ciues Romanos contra leges occidiſſet. *Augur:*] itaque fuit in auſpicio. epiſt. 6. lib. 2. *Quam retinendi*] hinc illud in epiſt. M. Antonij: M. Cicero, te rogo, vt tibi omnia integra ſerues, eius fidem improbes, qui tibi, vt beneficium daret, priuſ iniuriam fecit. epiſt. 7. lib. 10. *Prouincia propagator:*] vt Cæſari prouincia in alterum quinquennium propagaretur. quod tribunus pl. C. Trebonius tulit, iterum Pompeio & Craſſo cos. epiſt. 3. lib. 7. *In omnibus*] intellige ſupplicationes maximas decretas, decem legatos, ſtipendium ex ærario, legionem de ipſius exercitu conceſſam. *Lege quadam ſua,*] cum enim Pompeius tertium conſul legem tuliſſet de iure magiſtratuū,

acciderat, vt eo capite, quo absentes a petitione honorū summouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem. deinde, lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, correxit errorem, vnumque Cæsarem excepit. Suetonius. *Finienti*] ante tempus lege Trebonia datum. Suetonius. *Restitit.*] non, quod aperte dixerit, Cæsari succedendum non esse; sed quia, ne senatus consultum de prouincijs vllum fieret, suasit. quod scripsit Cœlius epist. 9. lib. 8. fam. Sequentibus tamen diebus, mutato consilio, contra Cæsarem sensit. ibidem epist. 8. *Condiciones*] a Cæsare latæ. epist. 16. lib. 7. *Nulla causſa*,] optimam enim causſam Pompeius ipse sua tarditate & ignauia perdidit. *Inanissimas*] cum ab hominum frequentia, tum a commeatibus. *Ab impetu*] non enim eiusmodi regio, vt bellum aut in ea sustinere, aut ex ea inferre possimus. *Maritima opportunitas*] vt classe fugere possemus. *Cepi Capuam*,] cum Italiæ partes describerentur, quam quisque partem tueretur. fam. epist. 10. lib. 16. *Sine causſa*,] ideo inuite, quia sine causſa. *In alteram partem:*] in Cæsaris partem. *Ipsi*,] Pompeio. *Quod ab initio vidi*,] refertur, non ad hoc proximum, Itaque habui, sed ad illud, Dixi ipsi; hac sententia: Cum viderem, nihil quæri præter fugam; dixi ipsi, me nihil susceperum sine præsidio, & sine pecunia. *Cum illo non:*] simul cum illo discedere ex Italia non possum. ire enim Luceriam ad eum tuto mihi non licet. *Cum essem profectus*,] sic Bessarionis liber, & recte. neque enim Proficisci est peruenire, sed discedere vt peruenias. alij, Profecturus. *Nauigandum*] si Pompeium Italia cedentem sequi volumus. *Aliquid se habere populare.*] quod populo placeat; quia multis ab eo beneficijs ornatus, contra tamen arma tulerim. epist. 18. lib. 4. & 3. lib. 8. *Compedes*,] detinent enim me; vt neque exire ex Italia, neque ad vrbem ire, neque obscuro humilique loco latere possim. epist. 1. & fam. epist. 16. lib. 2. *Qui autem*] quincta & vltima ratio, cur Pompeium sequi non debeat. prima fuit illa, Infero mari: secunda, Age iam: tertia, Qui autem impetus: quarta, Age iam has compedes: quincta, Qui autem locus. *At si*] affert nunc rationes, cur Pompeium sequi debeat. *Restitero*,] remansero. *In hac parte.*] apud Cæsarem. *Idem fecero*,] clarissimos viros, & in repub. principes, Philippum, Flaccum,

Flaccum, Scæuolam imitabor, qui patriæ bellum inferre noluerunt. *Quoquo modo*] quia, cum in vrbe remansisset, mox interfectus est iussu consulis C. Marij iunioris. Florus. *Fore videre*] vt occideretur in vrbe, quam videret in potestate crudelissimorum. *Thrasybulus.*] Athenienſis: qui armatus accessit ad patriæ mœnia, vt eam a triginta tyrannis liberaret. *Seruire tempori,*] seruitutem ferre, & in patria manere. *Non amittere tempus*,] excutere seruitutis iugum, vbi possis. *Scipionem*] socerum suum. *Duabus*] infra scribit Pompeius XIV. cohortes mississe Brundisium. epist. 12. *Præmiserat*,] quod argumento est, Pompeium de ope Domitio ferenda non cogitare, sed habere in animo cum suis copijs mare transire. *Fausto*] duos gemellos Sylla dictator ex Metella suscepit, Faustum, quo de hic agitur, quem postea victor Cæsar sustulit, & Faustam, quæ Miloni nupsit. Plutarchus. *A consule*] antiqui libri, Consulibus: sed placet, Consule, ex ipsa Pompeij epistola. epist. 12. *Fabium tuum transisse*] in castra Afranij. *Exquirens*] vt scribas ad me, si Pompeius Italia cedit, quid mihi censeas agendum.

IN EPISTOLAM IV.

Quam putauit] nõ dixit Cicero, in fortuna nostra; vt malum omen vitaret, sed, In fortuna, quam Dionysius putauit nostram fore, dura scilicet, ac minime prospera. *Memoria bona.*] in litteris. *Meliore.*] memorem enim huius iniuriæ sentiet. *Effugisse scis,*] scire te oportet: vt illud in epist. Cœlij, fam. epist. 14. lib. 8. Prope oblitus sum, quod fuerat scribendum. scis Appium censorem ostenta facere? *Desertum.*] amissa Italia. *Confectares est.*] de Italia actum est.

IN EPISTOLAM V.

Furiose] sine ratione. *Certior fuit*,] se furiose fecisse. *Eum isse* πολλὰ μάτην, *&c.*] hoc totum ijsdem fere litteris videtur posse restitui, sic inquam: Eueniſse: πολλὰ μάτην χέασιν ἐς ἠέρα θύνδν ἔπτα: vt sit spondaicus ex vetere poeta. *Euenisse*] vt mihi male diceret, cum aerem manibus temere feriret, iratorum more. *Sed meam mansuetudinem*] seruabo: non pergam ei merenti male dicere. iam enim cœperat in Dionysium maledicta retorquere, cum dixit, Suo capiti. seruat autem suam mansuetudinem, quia

non pergit male dicere; sed iram ostendit, quia non perficit orationem. *Corfinienſi,*] vide epiſt.3. lib.8. *M. Curio*] ſuſpicor prænomen Curij fuiſſe Manius, non Marcus. de quo plura in ſcholijs noſtris in epiſt. fam.lib.16.epiſt.14. *Ad eum*] Patras: vbi apud Curium Cicero ægrum Tironem reliquerat.epiſt.22.lib.9.& 4.lib.10.fam.lib.16.& 13.

IN EPISTOLAM VI.

Ad conſulem] L. Lentulum.epiſt.11. IIX. *Kal.*] aut hic XIII. aut infra IIX. legendum. epiſt. 11. *Nunc, vt ego, &c.*] placet eorum coniectura, qui ita legunt: Nunc, vt ego non ſcribam: quamquam veteres libri omnes non, Scribam, ſed, Sciebam, habent. quod ijdem legunt, Tua ſponte te intelligere: nō probo: nam & antiqui libri, Sua ſponte, habent: & ita, Sua ſponte, pro tua ſponte, dictum puto, vt epiſt.7. lib. 10. In ſuo lectulo, pro in meo, dixit Cicero. *Interſit, omnes*] fortaſſe, Interſit, abundat: nam in Beſſarionis libro non eſt, ſed ſic, in omnis. *Primo quoq; tempore*] vt poſſimus quamprimum Domitio ſubuenire. *In aduentu*] fore, vt Pompeius Corfinium adueniens magnum inimicis terrorem inferat. *Mutaſſe.*] Beſſarionis liber, Mutuaſſet. locus deprauatus. *Non eſſe æquum,*] iocus eſt: quaſi fuerit hoc in Piliæ manu, vt quartanam ipſa poſſet abijcere. *Habere*] quartanam: in quam inciderat.epiſt.5.lib.7. *Veſtræ concordiæ.*] vt, cum tu valeas, ipſa ægrotet. *Altera*] quartana. *Malo*] libentius credo: nolo enim Curium illiberalem putare.

IN EPISTOLAM VII.

Amico noſtro] Pompeio. *Victus ſum.*] victus enim Pompeius Italia cedit. vide igitur, qua in ſolicitudine verſer; cum neque Pompeium, tam multa peccantem, ſequi debeam; &, manere in Italia, peracerbum ſit, propterea quod neque iſta, (epiſt.15.) quæ a Cæſare fiunt, videre poſſum, neque ipſum Cæſarem. *Quæ numquam, &c.*] numquam putaui futura. non enim hæc tam miſera, tam calamitoſa timui, quæ vix viderentur euenire poſſe: quæ tamē nūc video euenisſe. *Meū,*] vrbe, propinquis, amicis. *Memetipſo*] non modo meis careo, ſed nec ipſe colere poſſum eas artes, eamque vitam, cui me diuturna conſuetudo aſſuefecerat. *Viatico,*] quod erat ex Ita-

ex Italia exeunti necessarium. *Moneta:*]locus erat, vbi moneta cudebatur. inde vult a Philotimo pecuniam sumi, tradito, quod etiam nunc solet, auro, argentove infecto. *Nemo*] ex iis, qui debent. *Oppijs,*]feneratoribus. *Tuis contubernalibus.*] qui domi tuæ ita frequentes sint, vt contubernales tui videri possint. ep. 14. lib. 2. *Apposita*] de viatico scripsi ad Philotimum: tibi cetera mandabo ad hoc meum discendi consilium apposita.

IN EPISTOLAM IIX.

Ad consules.]legerem, Ad consulem; primum, quia, Domitij literis acceptis, scripsisse Pompeium ad Lentulum consulem, supra manifestum est, epist. 11. deinde, quia Consulem potius, quam Consules, Bessarionis liber significat. habet enim sic, Consul: & lineam illam, quæ litteram intersecat, scimus, cum pro apice superinducitur, modo e, modo m valere: vt hic fortasse pro vtraque a festinante librario posita sit. *Fulsisse*] quia videbatur Pompeius in iis ad consulem litteris de ope Domitio ferenda cogitare. epist. 11. &, Fulsisse, quasi non vidisset antea τὸ καλὸν Pompeius. Sic de Cæsare, O hominẽ amentem, & miserum, qui ne vmbram quidem vmquam τοῦ καλοῦ viderit, ep. 11. l. 7. πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ]locus Aristophanis e comœdia, quæ inscribitur Ἀχαρνεῖς, hic est,

πρὸς ταῦτα Κλέωνα καὶ παλαμάσθω,
καὶ παῖν ἐπ' ἐμοὶ πεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

Aut igitur hic Aristophanis verba ipsa ponenda sunt; vt nomine Cleonis Cæsar ἐν αἰνιγμοῖς intelligatur: aut, si illud, ὅτι χρὴ, vt est in impressis libris, retinetur; illud quoque retinendum est, quod in olim impressis libris habebatur, ποιήσω. vt sit, ποιήσω ὅτι χρή. erit autem hæc sententia, eaque mihi vt videtur, satis apta. Ego quidem, quod fieri oportet, efficiam: deinde,

---καὶ παλαμάσθων,
καὶ παῖν ἐπ' ἐμοὶ πεκταινέσθων·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

Quidlibet in me struãt, & moliantur Cæsariani: iustum enim a me stat. vt leuiter immutatos Aristophanis versus Cicero

ad id, quod agebat, accommodauerit. *At ille tibi,*] hunc loquendi modum latine scribentes apte vsurpabunt subitis in rebus, & præter exspectationem contingentibus. magistro Cicerone fiet. ep.18.lib.9. & 13.lib.10. & famil.lib.9.ep.2. πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens] abiecta honesti cura: vt illud in epistola, opinor, ad Volumnium: Multam salutem & foro dicam, & curiæ. *Quo ad te plura scribam.*] quo possim ad te plura scribere. negantem enim particulam neque Caualcantis liber habet, neque Bessarionis.

IN EPISTOLAM IX.

Epistolam meam] ad Cæsarem. epist.2. lib.8. & 14. libr.9. *Probo.*] cum ad Cæsarem scripsi, caussam eius a me probari; ideo scripsi, quo plus in suadendo auctoritatis haberem. *Illa ipse*] Pompeius. ep.24. lib.7. *Ita tempus ferebat.*] temporis caussa ita scripsi ad Cæsarem. *Vos duo*] tu, & Sex. Peducæus: qui Cæsari Romam venienti obuiam prodire ad quinctum milliarium cogitatis. *Nunc ipsum*] hoc ipso tempore. Nunc ipsum enim plus valet ad indicandum, quam Nunc; vt & supra docuimus *Recipientis*] Cæsari se ad vrbem recipienti obuiam prodibitis ad quinctum milliarium. vnde autem se recipienti? a victoria de ciuibus parta, pulsis Italia reip. partibus. *Minime vos quidem:*] quia tempus ita fert: & vos non ex animo, sed simulate gratulaturos probe scio: verumtamen, si obuiam proditis ad quinctum milliarium, & a bello ciuili redeuntem gratulatione excipitis, quis distinguet simulationem a voluntate? voluntas, inquam, hæc videbitur, non simulatio. voluntatis enim hæc signa sunt, non simulationis. *Conturbantur,*] quæ signa voluntatem a simulatione distinguerent, ea ita conturbantur hoc officio gratulationis, vt internoscendi facultas non detur. *Quæ vero*] video fore, vt S.C. fiant, cuiusmodi Cæsar voluerit. *Tullo*] in libro Bessarionis, Vllo: nos, Tullo, non dubitauimus quin legendum esset, cum hic Cicero significet L. Volcatium Tullum, qui consul fuit cum M'. Æmilio Lepido: de quo etiam epistola huius libri prima, Nec me, inquit, M'. Lepidi, L. Volcatij comitum pæniteret. & epist.14.lib.9. *Illius*] Tulli. *Ab aliis*] ad alios missæ. *Minus monebant,*] exissem ex Italia, quam-

uis

uis illi non exirent. habet enim a me respub. innumerabiles actiones pro salute patriæ quasi quædam pignora, vt iam a me ipso vix videar posse dissentire. quod illis æque non accidit. minus enim multa dederunt reip. pignora: (epist. 15.) vt ab illis non eadem, quæ a nobis, exspectentur; ideoque, si manent in Italia Pompeio discedente, leuior eos vituperatio sit consecutura, quam me, si idem consilij capiam. nunc autem auctoritas tua facit, vt manendum putem. *Reliqui temporis*] scribis enim sic: posterius me profuturum reip. si manserо. *Præsentis tuendi.*] vis enim me in Italia manere. quod tuta mansio sit, discessus mihi periculosus, nec reipub. vtilis. epist. 14. lib. 9. *Alterum*] Cæsarem. *Plausus quærere*] consequi, vt laudetur, cum rempubl. oppugnet: Pompeium autem, qui defensionem suscepit, vituperari: cur? quia Cæsar Domitium, alioſque ciues, sibi inimicos, Corfinij captos conseruauit, Pompeius deseruit. *Nisi erit conuentus.*] habet amicissimus meus in antiquo suo libro, Nisi non erit conuentus. quod cum aliquandiu cogitans examinassem, vt in librorum dissensione soleo, veni in hanc opinionem, detrusum suo loco, Non, in alienum migrasse, vitiosumque esse; Posse non arbitror, nisi erit conuentus; sincerum, Posse arbitror, nisi non erit conuentus. putabat enim Cicero, ante Lentulum esse cum Pompeio transmissurum, quam a Balbo conueniri posset. apertius epist. 11. lib. 8. & 6. lib. 9. & Paterculus libro 2. *Omnis hæc*] qua Cæsar vtitur. *Vnam illam*] in extremo timendam: vt deinde victor, abiecta clementiæ simulatione, omnes tollat. *Balbus maior*] is, quem Tartessium vocat epist. 3. lib. 7. *Hæc credis.*] εἰρωνικῶς. *Hoc τέρας*] Cæsar.

IN EPISTOLAM X.

In nummis haberet,] in nominibus haberet, est in amicissimi antiquo libro: quod magis placet. est enim hic, vt sæpe, Nomen pro debitore. *Nescire quo loci esset:*] elegans locutio, pro, non plane sibi nota esse: ea se velle recognoscere.

IN EPISTOLAM XI.

Constitit] tum constitit consilium, cum cogitando aliquid explicauimus. *Nihil explicatur.*] quod mihi nũc accidit: ideo-

que leuatur cura. *Illud tamen*] cum verear, ne, nihil cum proficiam quotidiana lamentatione, dedecori sim studiis ac litteris nostris: lamẽtationi tamẽ totos dies damus. *Etiam*] prẽter quã quod nihil proficio. *Litteris*] pro libris hic posuit, ab ipso scriptis, vt alibi. *Nostris libris*] de repub. *Beata & honesta*] primum ad copias, alterum ad virtutes refertur. *Non ariolans,*] non diuino furore commotus, vt olim Cassandra, cui vera prædicenti tamen nemo credidit. *Iamque mari magno*] hemistichium ex vetere poeta: cuius integri sunt versus, anapæstici dimetri, ex persona Cassandræ vaticinantis, libro 1. de diuinatione:

Iamque mari magno classis cita
Texitur: exitium examen rapit,
Aduenit, & fera feliuolantibus
Nauibus complenit manus litora.

Non multo secus] ego de bello ciuili, atque Cassandra de Troiano. *Non occurrimus,*] non licuit nobis Pompeium adire, cum discessurus esset. epist. 3. & 11. *Proscriptio*] quæ nominatim est de certis. *Pertimescenda*] vtercumque vincet, aut Cæsar, aut Pompeius. *Vniuerse*] aduerbium omnes comprehendens, vt generaliter. *Quod quierim:*] quod nullum maius negotium susceperim, &, Pompeio Italia exeũte, remanserim. *Balbus minor*] hic est L. Cornelius Balbus. minor appellatur, vt a maiore Balbo, eius patruo, distinguerẽtur, eo, pro quo exstat Ciceronis oratio. triũphauit ex Africa. Plinius libr. 5. capit. 5. Omnia, inquit, armis Romanis superata, & a Cornelio Balbo, inquit, opidum Garama, caput Garamantum. triumphata, vnius omnium externo curru, & Quiritium iure donato: quippe Gadibus nato ciuitas Romana cum Balbo maiore, patruo, data est. Balbus vero maior non est is, qui nominatur ep. 12. lib. 2. (nam ille Atius est, qui Atiam, Augusti matrem, genuit) sed is, qui ep. 3. lib. 7. Tarteſſius vocatur, negotiorum C. Cæsaris in vrbe procurator. Tres igitur Balbi, vnus Aricinus, Atiæ gentis, maritus Iuliæ Cæsaris sororis: duo Gaditani, ciuitate donati, Cornelię gentis facti: quorum alter Balbus maior, alter minor, ex maioris fratre genitus, dictus est. de minore videnda Asinij ep. lib. 10. fam. Quartum quoque Balbum inuenio, gentis Ampiæ, ad quem scribitur ep. 12. lib. 6. *Brundisium*] vt Pompeium fugientem

gientem assequeretur. *Parthicis rebus.*] quarum exitus inanes. nam, etsi Parthi, subito cursu in prouincias irrumpentes, magnum inferunt terrorem: tamen haud magna calamitas consequitur, iisdem continuo discedentibus.

Adduxit,]ex Piceno. Cæsar lib.1.de bel.ciu. *Hirrum*] gentis Lucceiæ.

Virtutem, industriamque]in colligendis, adducendisque Corfinium militibus. *In ea ora,*] Campana.epist.11.lib.7. *Eppium*] Eppiorum familiam ex Andreæ Lauretani, patricij Veneti, & Fuluij Vrsini argenteis nummis cognouimus, in quibus est, EPPIVS. LEG. F. C. & ex lapide,qui Veronæ est;in quo legitur, P. EPPIVS. P. F. FAB. RVFVS. MIL. COHOR. II. PRAEF. F. I. ARBITR. item ex aliis lapidibus,quorum inscriptiones collegit Aldus filius. & ex Hirtij l. 5. de bello Africano. Accedit ipsius Ciceronis testimonium in oratione pro Flacco. nominat enim L. Eppium equitem R. Bessarionis liber, & alius amicissimi mei, Oppiũ: quod si vere scriptum est, ex vtraque parte Oppios fuisse dicemus, Cæsaris, & Pompeij; sicuti & Domitij fuere, Caluinus a Cæsare, Ahenobarbus a Pompeio. *Cum auctoritate,*]vt consularem. *Considio*]Considio Noniano; de quo famil.epist.4. lib.16. *T. Ampium*]ad quem exstant Ciceronis epistolæ famil. lib.6.& 10.

Dialio]placet, quod aliis; vt & hic & sequenti epistola, legatur, D. Lælio, qui Pompeianus fuit. Bessarionis liber, Dicallio; alius, Duellio. *Messius,*]de quo epist.1.lib.4. *Corfinij acta*]Domitium,& eos, qui vna essent, Cæsari se tradidisse. *Primum*]solet subiungi deinde, hic omittitur; sed significatur eo, Vtinam tui consilij. Sic locutus l.2.epist.9.& 23.l.7. fam. *Fortissimis viris*]Domitio, Lentulo, Vibullio, aliisque, qui in Cæsaris potestatem venerint. *De Vrbe*] non relinquenda. *De Italia*]timenda. *Eadem timerem,*] Cæsare consule.ep.9.lib.7. *Honorifice*] cum reip.tum dignitatis tuæ caussa. *Large*]ne publica res, bello suscepto, in discrimen adduceretur. Large enim est, liberaliter, prolixe. *Duxi meam rationem:*]hoc cogitaui; quid? non esse mihi faciendũ, vt Cæsaris animum offenderem: itaque pacis auctor fui, vel cum iis condicionibus, quas ille ferret, qui bello ciuili nihil esse miserius intelligerem. fecique id eo libentius, quia, cum

ad pacis condiciones viderem a te honorifice largeque responderi, meum consilium non arbitrabar a tua sententia discrepare. *Meritis,*] Catilinæ coniuratione oppressa, lege agraria dissuasa, discordia inter equites & plebem sublata, senatus auctoritate in Rabirio defendendo confirmata, proscriptorum filiis administratione reip. remotis, ne illam, parentum memores, in magistratibus turbarent. *Supplicia*] exsilium, publicatis bonis. *Si offendissem eius animum,*] si Cæsarem quamuis leuiter offendissem: nedum, si, bello susceptο, me illi aperte inimicum ostendissem. quasi dicat: si quid commisissem, quod ex illius voluntate minus esset. *Cum iam in armis essemus,*] postquam tribuni pl. ex vrbe fugerunt: quo facto in armis esse cœperunt. dicit idem in proxima epistola. *Subijcerer eisdem prælijs,*] verebar scilicet, ne, vobis in gratiam redeuntibus, ego deinde, tuo præsidio nudatus, Cæsari, quem offendissem, pœnas darem. Notat autem latenter perfidiam Pompeij, cuius in amicitia iam ante Clodianis temporibus parum sensserat esse præsidij. antiquus liber, Obiicerer, pro Subiicerer. *Eisdem*] vt olim pro repub. pugnandum, inquit, mihi cum Cęsare fuisset, sicut olim cum P. Clodio. vide epist. 7. lib. 10. *Videretur habere popularе.*] vt ego potissimum deligi viderer, in quem improbi ciues impetum facerent: vt ego ad perniciem non minus apperterer, quam appetuntur ea, quæ popularia sunt. *Hæc*] hæc incommoda, quæ pertimui, si offendissem Cæsaris animum. *Denunciata*] ab iis, qui Cæsaris consilia nouerant, vt a M. Cœlio. fam. epist. 16. lib. 8. *Honestè vitare*] nulla susceptа belli parte. *Rationem nostram*] quod arma aduersus Cæsarem non sumpserim. *Reliqui*] desperata pace cur ad te non venerim. non enim licuit: vt in hac ipsa epistola iam ostendit. *Condicionibus,*] vt ad concordiam res deduceretur.

IN EPISTOLAM XII.

Vaticinationem] vsurpauit enim illud Cassandræ, Iamque mari magno. ep. 11. *Excusationem,*] apud bonos viros. *Imparatam*] a militibus. ep. 11. *Ignauiæ delectus,*] nisi firmas copias collegissem tuendæ Capuæ caussa, ignauum fortasse me homines fuisse ducerent in habendo delectu. *Perfidiæ*] fortasse enim, si tueri Capuã nõ possem, perfidię meæ potius, quam

quam infirmitati copiarum, aliquis adscriberet. *Nolui:*] in epistola proxima superiore, Cum a me Capuam reijciebam: quod feci non vitandi oneris causa. *Animum eius*] vide quæ scripsit in proxima, epist. 12. *Consulatum*] alterum. epist. 11. *Neque enim suspicari debui,*] quod supra dixit, Suspicione assequi non potui. epistola 11. *Et plane,*] &, vt vere dicam, ideo non transiui, quod, quid rectum esset, quid reip. vtilius, non plane videbam, cogitare diligentius volebam. *Significata*] mihi esse manendum in Italia: vt epistola 17. lib. 7. & 11. lib. 8. *Ecquæ pacifica*] vtrum me deceat in Italia remanere; quod pacificam aliquam personam resp. videatur desiderare, cuius auctoritate inter Cæsarem & Pompeium discordiæ sedentur; (quod effici non nisi ab eo potest, quem sibi vterque putet esse amicissimum: quem ego me duco esse; cum adhuc quidem neutram in partem peccauerim, vt proxime ostendi) an ad bellum proficisci; quod pacifica persona reip. nihil, bellator prodesse plurimum possit. *Tua consilia:*] Clodianis temporibus; cum mihi suadebas, ne omnia officio metirer, sed salutis simul rationem haberem, conseruanda Cæsaris amicitia. quod quia non feci, in maximas ærumnas incidi. *Theophanem, Cleonem:*] vtrumque Pompeij amicissimum. *Ingemiscens*] quia tuis consilijs non parui. *Ad illos calculos*] hoc dicit: quod tum non fecimus, nunc, nostris casibus moniti, faciamus. *Lentulus, Domitius,*] Lentulus Spinther, Domitius Ahenobarbus, quos Cæsar, Corfinio potitus, dimiserat incolumes. epist. 1. lib. 9.

M. Marcello,] Marcus cũ Ser. Sulpicio cõsul fuerat altero ante anno. repone igitur C. pro M. vt est in historia. *Cohortes* XIX.] XIV. a Vibullio, v. ab Hirro adductas. epist. 11. *Suas* XII.] supra XI. dixit, ep. 11. *Tribus*] Corfinij, Albæ, Sulmone. *Duabus legionibus*] vide quæ diximus epist. 13. lib. 7. *AElio*] legendum puto, Lælio. vide epist. 11. *Faustus*] Sylla dictatore natus. epist. 3. *Dubio animo*] vide ep. 13. lib. 7. *Etiam video C. Marcello.*] Bessarionis liber, Altia video censori Marcello. ego sic, Acita video cẽseri Marcello. *P. Lupũ*] Rutiliæ gẽtis. is, qui tribunus pl. fuerat Marcellino & Philippo cos. *Coponiũ*] quẽ tradit Velleius, cũ Plancus, recens trãsfuga, multa ac nefanda in senatu obijceret absenti Antonio,

dixisse: Multa mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres.

Qui te impediant,] Albani, Marsi, & Peligni duces, qui suas cohortes cum periculo ad Pompeium ire nollent. circiter enim XV. cohortes Domitius coegerat ex Alba, Marsis, Pelignis, & finitimis regionibus. Cæsar de bello ciuili libro I. *Piceno, & Camerino*] adductæ a Vibullio, & Hirro. epistola II.

Metuscilio] Bessarionis liber, Metustileo. *Duæ legiones*] quas dubio animo habeo. *Picentinis*] ex Piceno adductis a Vibullio, quæ tum erant cum Domitio. *Militum animos*] quibus non magnopere confido. epistola 13. libri 7. & 12. libri 8. *Receptum*] ipsa opida, quo receptum habemus; ijs amissis, quo nos reciperemus, non esset.

Quod inter se ne noti] malim, Qui inter se nec noti sunt: vt milites dicat non modo tirones, sed nec inter se notos. aut, Qui inter se noti quidem sunt. quod magis placet. scriptum enim est in antiquo libro amicissimi mei, Octauij Pantagathi; & erit hæc sententia: Cæsaris milites quia veterani, ideo familiares inter se sunt, & amicissimi; quod plurimum prodest ad robur exercitus: nostri vero ne noti quidem inter se sunt: tantum abest, vt familiares, amicique sint. quo minus est illis contra veteranas legiones committendum.

IN EPISTOLAM XIII.

Nactus] assecutus, antequam mare transierit. *Spes dubia*] quia in eo victoria Cæsaris videtur futura, si Pompeium assequatur. *Rusticani*] colonias intelligit. sic infra, epist. 17. lib. 9. *Quæ autem impendere*] vastationem Italiæ: de qua scripsit epist. II.

IN EPISTOLAM XIV.

Absunt propius,] propinquiora sunt. sic & alibi locutus. *Huius primi temporis:*] vter felicior sit, Cæsar in assequendo Pompeio, an Pompeius in transmittendo. *Diariis*] Bessarionis liber, & alij duo veteres. Dictis, sed frigide nimis, vt mihi videtur. Diaria, si legis, pro victu quotidiano accipe. Martialis, Horatius. Aut, si mauis, interpretare stipendia in singulos dies militibus proposita, si quamcelerrime iter ad Pom-

Pompeium conficerent: vt si singulis diebus menstruum stipendium, id est 30. denarios, polliceretur. & sane vsitatum hoc erat, vt duces pollicitationibus ad milites vterentur, vbi difficile aliquid consequi vellent. victus vero quotidianus neque magnum præmium est, &, si liberalior sit, etiam impedit celeritatem. *Meum consilium.*] non exeundi ex Italia. *Idones auctores*] auctores in Italia remanendi. intelligit enim Attici litteras, III X. Kalendas Martij datas. quibus ille ita scripserat: Si M'. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. epistola 14. libri 4. *Quamquam hæc*] quæ a Cæsare fiunt. *Vnus vir,*] Pompeius. *Si manet,*] si eadem est, quæ antea. *Firmior*] in consilio non exeundi ex Italia. *Adid, de quo dubito,*] ad hanc meam deliberationem. epistola 1. libri 4. *Aut Lepidi, &c.*] desperatis vetat Hippocrates adhibere medicinam: ego quoque in hoc loco, cuius emendandi sine veteribus libris mihi quidem spes non est, διὰ τὸ Ἱπποκράτους γραμμὴν tenere constitui. quamquam video, si, Aut, deleatur, sententiam patere: vt sit, in agro Tiburti Lepidi. *Coreni*] videtur legendum, Corfinij; quo in opido magnam pecuniam Domitius habuerat. error inde fortasse natus, quod duarum litterarum, E & F, magna similitudo est. quod alia quoque loca deprauauit. *Non redditam.*] falsum. nam, redditam a se, Cæsar scribit libro primo de bello ciuili.

IN EPISTOLAM XV.

AEgypta] liberti nomen, a regione, vt Cilix. *Præmissus*] captus a Cæsare Corfinij, deinde ad Pompeium cum mandatis de pace missus. *Non est visus*] Pompeius enim, alienus a pace, eum non remisit. *Et quemadmodum*] hoc ad verbum, Exspectas, refertur. *Redeuntem*] Brundisio, Pompeio Italia pulso. *Et aut Hemonis*] de Attico dictum: quod proxima verba ostendunt: sed locus deprauatus. *Fugam*] transitionem in Epirum. epist. 1. lib. 9. *Cum fascibus*] erat enim proconsul. nam ei in sortitione consularium prouinciarum Gallia obuenerat. *Vt sciamus.*] fortasse enim illius exemplum secuti aut dimittemus, aut retinebimus lictores. *Conuellerunt, &c.*] effecerunt enim, vt Pompeium, mare transeuntem, sequi cogitarem, cum antea laba-

rem. epist. 10. & 14. *Ioui ipsi iniquum*] iratum dijs hominibusque Pompeium in Italiam rediturum. fam. epist. 28. lib. 10. Venit paratus Seruilius, Ioui ipsi iniquus. *Consules*] mare transeuntes: vide paullo infra. *Non caute*,] si Pompeium sequar. *Non honeste*] si remansero in Italia. *Videris non dubitare*,] vide epist. 2. lib. 9. *Transierunt.*] consules enim primum, deinde paucis post diebus Pompeius transijt. Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Appium*,] App. Claudiũ Pulchrum, censorem, collega L. Pisone, Cæsaris socero: qui transeundi ius non habebant. neque enim censores cum imperio sunt, vt proconsules. *Pompeius*,] Hispaniarum proconsul. *Scipio*] Pompeij socer, Syriæ proconsul. *Setenas*] Bessarionis liber, Seteonas. nos hunc ignoramus. *Fannius*] Siciliæ cum imperio præfectus. epist. 15. lib. 7. & 6. lib. 11. *Voconius*] quid si, Coponius? qui prætor Pompeium secutus est. epist. 12. *Sextius*,] is est, de quo infra epist. 7. lib. 11. quem Plutarchus in Bruto Siciliam sorte habuisse narrat. *Nihil desero*] sic antiqui libri. Dissero, cum insequentibus verbis conueniret; & placet; quia, Distero, est in antiquo libro, vt parua omnino mutatione corrigatur. *Propemodum rectum*] non dicit, plane rectum: dubitat enim, vt epist. 12. *Biduo.*] lippitudine liberatus.

Si huc te reiecis.] si hanc susscipis curam. *Tali tempore*] suspicaretur enim, pacis mentionem astute fieri, vt, spatio interposito, Cæsar eum assequi posset. *Cum timere desierit*,] cum trans mare profectus in tutum locum se receperit. tum enim nullam fraudem in pacis condicionibus timere poterit. *Meum*] vel quod vterque ex Cornelia gente: vel quod ab eo Balbus maxima beneficia acceperat: vt epist. 7. lib. 9. *Voluisti*] optasti, vt & Balbus meus mansionem in Italia persuaderet. epist. 9. *Quiduis potius esse*,] cum summam reip. curam ad Pompeium detulerit, ipse, nomine tantum consul, alteri pareat. *Tibi*] mansionem probanti. *Nobis*] de Cæsaris animo promittentibus. *Relatore*,] ad consules enim pertinet relatio de repub. *Totum*] præclara sententia, nec satis aperta. non enim hoc solum est aduertendũ, Domitium proconsulem populi R. a Cæsare obsessum; sed illud simul, nisi ita factum esset, magnam ciuium cædem fuisse futurã. si enim Cæsar exspectasset, vt Domitius suas xxx.

cohortes

cohortes ad Pompeij legiones adiungeret: Pompeius, aucto exercitu, in aciem descendisset. quod malum Cęsaris vigilantia vitauit. Domitium enim, de profectione ad Pompeium cogitantem, oppressit: quo facto dimicationem sustulit. epist. 12. lib. 8. *Probaturum*] ostendam recte factum a Cæsare. *Scio, &*] Bessarionis liber, Sciet. ego aut, Scio. &: aut, Scis, &: id est, profecto intelligis. *Res*] quæ ad sanguinem spectabat. *Mei*,] filij. epist. vlt. *De Cæsare*] de Cæsaris animo ad concordiam propenso. *Scripsit*,] ad te. *Probabit*.] causas exponet earum rerum, quas tibi & ipse dixit, & Cæsar scripsit. *Quacumque*] siue pax erit, siue bellum. aut, siue secunda fortuna vtetur, siue aduersa. *Bellissime*] legerem, Verissime. nam in Bessarionis libro, Velissum me: vt in antiquo libro scriptum primo existimem, Verissume, ad veteris orthographiæ rationem: vnde imperitis librarijs occasio mendi.

IN EPISTOLAM XVI.

Occultum & tutum iter] Bessarionis liber, Occultum metum iter. placet, Occultum & Tutum iter. vt hoc vnum se non prouidisse dicat, qui possit occulte & tuto ad mare Hadriaticum proficisci, cum tota Italia Cæsaris armis præsidijsque teneatur. epist. 3. lib. 9. *Illuc autem*,] ad mare superum. *Res*] necessitas; quoniã infero mari hoc tempore anni, id est hieme, vti non possumus. epist 3. lib. 9. *Qua veniam?*] cum omnia Cæsaris armis teneantur. *Cedendum*] discedendum. *Ille*] Pompeius. *Conscindi*.] valde vituperari. *Occurrunt?*] Cæsari Pompeium Italia pellenti. epist. 11. *Deum:*] vt deum Cæsarem colunt diuinis honoribus prosequuntur. *De illo*] de Pompeio in Campania ægrotante. epist. 5. lib. 9. Plutarchus in Pompeio, & in Tusculana 1. his verbis: Pompeio, cum grauiter ægrotaret Neapoli, melius est factum: coronati Neapolitani fuerunt. etiam Puteolani, vulgo ex opidis publice gratulabantur. *Hic Pisistratus*] Cæsar, Pisistrato similis. vide epist. 19. lib. 7. *Gratum est*,] quod ea non faciat, quæ timebantur. *Quos honores?*] Cæsari haberi. *Iudices* DCCCL,] iudices omnes: qui DCCCL fuisse videntur: CCC quidem senatorij ordinis fuerunt, vt epistola fam. epist. 8. lib. 8. reliqui tum equites, tum tribuni ærarij. ex tribus enim ordinibus iudices legebantur, vt declarat

Pedianus. CCCLX. quos Pompeius legerit, nominant Plutarchus,& Velleius. *Delectabantur,*] ideo ſcripſit M. Cœlius in quadam epiſtola: Video Pompeium ſenatum, quique res iudicant, ſecum habiturum. *Luceriæ*] proſcriptionem Luceriæ denunciatam. epiſt. 11. *Quicumque ſunt,*] quid ipſi faciant, non ſpecto; ego, niſi faciam quod me dignum eſt, reprehenſiones timeo, vt Hector apud Homerum. exeamus igitur Italia. *Domum quem exſpecto*] ſic & antiqui libri. Domitium, alij legunt. mihi, Demum, placeret: vt ſit ἀποσιώπησις, & reticuerit, vel ominis cauſſa, vel doloris, pulſum, aut captum. Quod ſequitur, IV. nonas, Martias ſignificat. epiſt. 6. lib. 9. *Quo.*] an ad vrbem: quo ſe, cum Pompeium Brundiſio pepuliſſet, contulit. *Arpinum*] vt illius congreſſum vitem. Timebat ſcilicet, ne, rogante Cæſare vt ad vrbem rediret, vel negaret cum periculo, vel aſſentiretur cum dedecore, Pompeio, & cum eo conſulibus, multiſque conſularibus ex vrbe iam profectis.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM NONVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

IIII. die] legendum XIII. tot enim sunt dies ab IIX. Kal. ad pridie nonas. *κενόσπουδα*] inanis studij. fortasse curantur a me sine caussa. *Sosium, & Lupum*] prætorem vtrumque. epist. 6. & 12. lib. 8. *Audiremus:*] quid Brundisij actum esset. *Ad mare superum,*] vt in Græciam transmitteret. epist. 3. *Qui & nunc,*] quo modo nunc præsidio reip. cum domi maneant? aliud fortasse dicit, aliud intelligit, *εἰρωνικῶς*. epist. 16. lib. 8. & 3. lib. 9. *Tempestiuis*] quibus interesse boni viri solent. nam intempestiua non laudantur. de Senectute. *Improborũ*] Cæsaris. *Persequamur.*] stomachose in Pompeium, qui, suadentibus L. Lucceio & Theophane Mitylenæo pernicioſum reip. bellum suscepisset. Persequamur: faciamus, quod Lucceio & Theophani videtur. *Nam Scipio*] connumerat eos, quos aliqua caussa videtur adduxisse, vt cõtra Cæsarem arma sumerent. *Sorte,*] quia ei sorte obuenit. *Generó*] Pompeio. *Iratum.*] quia sententiam dixerat, vt Cæsar ante certam diem exercitum dimitteret: si non faceret, aduersus remp. facturum videri. Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Marcelli*] Marcus, & duo Caij: qui omnes Cæsaris dignitatem oppugnauerant. *Manerent.*] in Italia. *Appius*] tres numerat, qui imperium non habebant, Appium, Cassium, Faustum. *Inimicitiarum*] cum P. Cornelio Do-

labella, & M. Cœlio Rufo, qui Cæsaris partem sequebantur] fam. lib. 8. *Præter hunc,*] qui erat censor. epist. 15. lib. 8. *Cassium,*] qui erat tribunus pl. epist. 22. lib. 7. *Proques.*] Bessarionis liber, Prope. forte, Propr. id est proprætor, ex Cęsaris lib. 1. de bello ciu. sed, cum non nominetur epist. 2. inter eos, qui imperium habebant, videtur rectius, Proquæstor. *Vtrumuis*] possem arbitratu meo in Italia manere. neque enim mihi est Cæsar infensus: (cum vtroque amicitia par: ep. 1. lib. 7.) neque magistratus persona cogit: cum imperium possim deponere, & abiecto triumpho, in vrbem introire. *Accesserit*] malim, Accedet: cum in antiquis libris, Accedent, scriptum sit. *Huius fortunæ*] quam subimus ad Pompeium proficiscentes. *Non erat æquum.*] quia Cæsaris legatus fuit in Gallia, neque Pompeio debet æque atque ego. *Nec suam caussam*] etsi neque me roget, vt eum sequar: nec suam, vt ait ipse, caussam agat: me tamen mouet. *Vt ait,*] ait se publicam caussam agere, non suam. quasi dicat: secus est. & quodam modo significat, Pompeiũ, nõ tam reip. quam sua caussa motum, arma cepisse. sic epist. 10. lib. 4. Vt loquebatur.

IN EPISTOLAM II.

Die tuo,] die quartanæ. epist. 8. lib. 7. & 4. lib. 9. *Quin cederem,*] satis constat, Italia, subaudiri. nam id, quod sequitur, Ita si, &c. natus, valet, ea tamen condicione, si & Cnæus. *Adesse,*] in senatu. epist. 5. lib. 9. *Contra*] contra detrahentes disputem? *Scelus*] si approbo, quæ dicuntur in Pompeium. *Supplicium*] si contra eos qui de illo in senatu detrahant, disputem. *De triumpho*] vide epistolam 3. lib. 8. *Olim*] Clodianis temporibus, cum in locum Cosconij mortui est inuitatus. epist. 10. lib. 2. *Honor*] triumphus. *Ἀπαρρησιάστον*] impeditam, & reprehendendi licentia carentem. putat enim me plus vidisse, quam se, cum ei dicerem, in municipijs parum roboris nostræ caussæ futurum: delectus inuitorum fore: quod vtrumque docuit euentus: pacem vel iniustam vtiliorem esse, quam iustissimum bellum: vrbem non esse relinquendam: pecuniam ex ærario sumendam: Picenum occupandum, vt Cæsari aditus ad vrbem præcluderetur. quibus in rebus mihi ille si paruisset rectissime monenti, haud paullo melius & sibi, & reip. consuluisset. *Tum erit inimi-*

inimicus:] tum non recuſo, mihi vt ſit inimicus: erit enim iure: nunc iraſci non poteſt, quia Brundiſium ad ipſum non iuerim: neque enim potui, cum inter me & Brundiſium Cæſar eſſet. Τίς δ' ἐστὶ δοῦλος] ſeruile, inquit, eſt mortem timere. qui autem non timet, ſeruus eſſe non poteſt. quæ mihi igitur ſeruitus a Pompeio poteſt impendere? eripiam me ab omnibus malis, ſi opus ſit, morte voluntaria. *Eripiebat*] ereptum Cæſarem aiebat. *Non ſunt certe boni*] quia domi manent. epiſt. 16. lib. 8.

IN EPISTOLAM III.

Matrem] Catonis ſororem Porciam. Plutarchus. *Ad Urbem*] ad vrbẽ eſſe proconſules dicebantur; & Domitius Galliæ proconſul. proconſulibus autem vrbem ingredi, niſi depoſito imperio, per leges nõ licuiſſe, ſupra diximus. *Seruus*] non igitur is, de quo epiſt. 15. lib. 4. quem conſtat libertate donatum. *Quod delibero,*] de tranſeundo in Græciam. *Iter intercluſum*] omnia enim Cæſaris armis præſidijſque tenentur. *Tranſiſſe*] Cnæum. *Eum*] Cæſarem; vt perſequi poſſet. *Diutius neſcire non poſſum*] neceſſe eſt, vt iam ſciamus.

IN EPISTOLAM IV.

In ipſum tuum diem] in diem quartanæ. Tuum, autem, tibi ex conſuetudine familiarem. epiſt. 7. lib. 7. & ſequenti.

IN EPISTOLAM V.

Quam grauis.] aut, Grauis, moleſtus mihi, qui de Cæſare iactaret ea, quæ minime vellem; aut, Grauis, qui nimium magna loqueretur, claſſes, exercitus, prouincias. *Fuſius,*] Fuſius Calenus, & ipſe Cæſarianus. *Scelus Pompeii*] qui, nulla re offenſus, contra ius veteris amicitiæ, atque affinitatis, omni ratione Cæſaris dignitatem oppugnaſſet. *Senatus.*] qui ad Pompeij nimis infirmi voluntatẽ iniquiſſima S. C. contra robuſtiſſimũ Cæſarem, contraq; tribunos pl. fecisſet. *Villa*] Formiana. *Curtum in curia*] ſi ad vrbem Cęſar vocabit, & adeſſe in ſenatu voluerit. *Dic M. Tulli,*] cũ ſententiã rogabor in ſenatu, non tã de rep. quã de ipſo Pompeio; quid dicã? quo modo me explicabo? ep. 7. l. 7. *Et omitto*] vſitatius, Sed omitto, atq; omnino aptius, mendũ fortaſſe inde

fluxit, quod Set pro sed veteres scribebant. *Medicamentis*] quam enim ab eo, qui fugit, sperare salutem potest? non conualescet igitur medico Pompeio. *Quid agam?*] sequar eum in Græciam, an maneā in Italia? *Caussa euentorum*] significat, Pompeij culpa in eam calamitatem incidisse remp. qui per decem annos Cæsaris potentiam auxerat: vt se quidem inimicum esse Cæsari dicat ob euenta, sed inimiciorē Pompeio ob caussas euentorum. *Religiosus*] tristi omine infamis, vt explanat Gellius. *Ille etiam annus,*] cum Clodia rogatione tristem exsilij calamitatem subij. *Hoc defendente,*] accusat Pompeium tamquam præuaricatorem, ac desertorem in patrocinio. epist. 13. lib. 3. *Ne dicam grauius,*] poterat enim dicere, non modo se desertum, sed armatum etiam a Pompeio inimicum suum. vide epist. 22. lib. 2. *Temeritatem, ignauiam, negligentiam,*] Pompeij peccata. Temeritatem, in suscipiendo bello, cum esset imparatissimus: Ignauiam, & Negligentiam, in gerendo. *Balbi:*] cui fidem habui, affirmanti Cæsarem optimo esse animo erga Pompeium, & concordiam cupere. epist. 9. & 15. lib. 8. *Ego igitur*] refer ad illud, Ego vero hæc officia, &c. *Apud Homerum*] Thetidi respondet Achilles, Αὐτίκα τεθναίλω, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι. *Non ἑταίρῳ solum,*] vult Achilles apud Homerum vlcisci Patroclum, quia socius; ego ferre opem Pompeio, quia etiam de me bene meritus. *Tali Viro,*] rerum gestarum gloria circumfluenti. *Caussam*] reip. *Optimatibus vero tuis*] noli putare, me ad Pompeium iturum, quod optimatum sermonibus mouear, aut quod ijs inseruire velim, mansionem meam reprehendentibus, profectionem laudantibus. sed me mouet tum beneficium, tum dignitas Pompeij, eo magis, quod agit caussam reip. *Hunc dent,*] Cæsari. quamquam Cæsar aberat: sed vultu lætitiam ob Cæsaris victoriam significabant. *Daturi*] cum Brundisio redierit. *Decreta*] a municipijs facta, vt omnes vota facerent pro salute Pompeij, in Campania ægrotantis. epist. vlt. lib. 8. *Victoria*] Cæsaris, qui, vniuersa Italia occupata, Pompeium cedentem persequebatur. *Tum*] cum illa pro salute Pompeij decernebant.

IN EPISTOLAM VI.

A minore Balbo] Cæsaris nomine rogaturo, vt in Italia maneret.

maneret. ep. 9. lib. 8. *Quod is*] quod Balbus minor Canusij audisset Lentulum consulem transmisisse: qui ad Balbum patrem Canusio id scripsit. *Albæ*] ex Domitij cohortibus. epist. 12. lib. 8. *Curtium*] Biuium Curium nominat Cæsar lib. 1. de bello ciu. Curtum, Bessarionis liber. *Minucia*] alij, Numicia. placet, ex epistola Horatij 2. lib. 1. *Abdam:*] ne videar Cæsarem Brundisio redeuntem fugisse. *Relicturis*] vt Cæsari meo nomine diceretur, me ideo Arpinum iuisse, quod ibi Ciceroni meo togam puram dare vellem. ep. 20. lib. 5. *Hic*] Formiis. ep. 5. *Quo*] itionem ad Pompeium significat. *Qua*] quam maxime iter ἀναπάυτηριον. ep. 1. *Curtium*] ad quem suæ cohortes transierunt. *Aspicere*] tam grauem. *Quid alios?*] quasi dicat, multo minus alios Cæsarianos. *Dum Vrbem amamus,*] pe pacis ab hac ora Campana discedere nolui: quia sperabam fore, vt apud illum meæ litteræ, cohortationesque ad pacem plus valerent, si me bellicis negotiis non admiscerem. ita mox Brundisium ad Pompeium proficisci non licuit, cum iter illud Cæsar intercluisset. epist. 1. *Et consules duo, & tribuni pl.*] Duo, fortasse glossema fuit antecedētis verbi. aut legendum, vt homo eruditus existimat, & duo tribuni pl. nam cum Cęsare multo plures tribuni pl. vt epist. 7. lib. 7. *Dicitur*] non vere: nam conscendit idibus Martiis: infra epist. 19. *Septemtriones*] non secundi Græciam petentibus. *Præcidisse,*] ne Cæsar consequi posset. *L. Metello*] is est, de quo plura epist. 4. lib. 10. *Qualtumque consilio vso,*] etiam si non optimo consilio vsus est neque in suscipiendo bello, neque in gerendo. Αἰσχρῷ φαντασίᾳ.] animo enim species quædam turpitudinis occurrat. *Aut consolatione,*] respexit ad Terentij versiculum, Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Quem integrum Cicero posuit in ep. 10. lib. 7. fam. *Vt quidem scias,*] vt intelligas, quo loco sint Pompeij res: cum etiam Q. Titinij filius, amici nostri, qui bonum se ciuem esse præsefert, cum Cæsare sit. epist. 21. lib. 5. & 24. lib. 9. *Q. Titinij filium*] Titinio quidem natum, sed adoptatum a Pontio, vt epist. vltima lib. 9. *Sed illum*] quia, præter propositum, interposuerat de Titinij filio, omissum reprehendit hac particula, Sed, ad connectendum apta & vsitata. Illum autem, Cæsarem. *Gratias agere,*] quod mare non transierim. *Quam vellem.*] pœnitet enim, quod

remanserim. *Non saluisti.*] non enim licuit tibi per quartanam Roma discedere. σύντε δύ' ἐρχομένω.] vtroque nostrum, quid optimum factu, cogitante. Homerus ιλ. κ. *Vt populari, & ea*] nullam opem ferentibus antiquis libris, non audeo mutare, quod deprauatum esse intelligo. *Bellum crudele,*] ex vtraque parte. ideoque nolebam interesse: non enim, Crudele, de vno Pompeio dictum. *Suscipi a Pompeio*] qui pacem vel iniquissima condicione probare debuit. *Cum iis.*] qui crudele bellum & exitiosum gererent. exponit, cur se bellicis negotiis, vt alij, commiscere noluerit. IMP.] ob res in Gallia gestas. *Commodo*] pro commode, vt Arcano pro arcane, & quæ Grammatici alia notarunt. *Gratiasque agerem:*] quod adhuc ab armis abstinueris.

IN EPISTOLAM VII.

Τὸ συνέχον] argumentum firmissimum ad meam mansionem defendendam. sic alij explanant, ex Quinctiliano, cap. vltimo lib. 3. sed potius videtur sic explanandum: Effecisti quod proximum erat, cum non posses recreare. *Factumque nostrum*] mãsionem. *Sexto*] Peducæo. *Animaduertatur:*] quasi Cæsari sponte occurram. *Nec hic, nec illic*] neq; Formiis, neque ad vrbem. quia scripserat Cicero, se Arpinum cogitare, ne redeuntem Brundisio Cæsarem videret. *Vt idem tribuam Pompeio,*] ne Pompeium vlla re lædam, neque adsim, cum in senatu cõtra illum agetur. ep. 6. *Quid oneris*] ne non ferat, vereor. bellum enim cupit. itaque mihi, de pace agenti, succenseret. Μή μοι γοργείην] ne acerbior in me fiat. verba sunt Vlyssis apud Homerum ὀδυσ. λ, in extremo. *Vt in Milone,*] cuius caussam defendi, nõ quia iustam putarem, sed feci adductus beneficio. *Vt in.*] fortasse dicturus fuit, Vt in Gabinio: quem cum odio prosequeretur, & nocentem putaret, rogatus tamen a Pompeio, de se optime merito, defendit. quo iudicio Gabinius condemnatus: quoniam caussa nõ iusta, vt & Milonis. Dio lib. 39. Idq; significant illa in epistola ad Marium. fam. ep. 1. lib. 7. Cogor non numquam homines, de me non optime meritos, rogatu eorũ, qui bene meriti sunt, defendere. *Si illinc beneficium non sit,*] si Põpeio non debuero. *Eius quoque rei*] ἀχαριστίας crimen me non posse subire, etiam si ad Pompeium non proficiscar. *Abiecero.*] vt intelligas me de eo minimum laborare. agemus tamẽ de eo obtinen-

obtinendo. interea, vt tu scribis, obrepet anni tempus, quo li ceat nobis ad Pompeiũ vel infero mari tuto nauigare. ep. 3. *Satis ille erit firmus.*] nam alioqui, nauigandum ad eum sine spe victoriæ, non censes. *De isto,*] de hoc ipso, de viribus Pompeij, quod ad hanc partem attinet, vide, inquit, quid spe rare possis: promitto tibi, si firmus erit, tegulam, &c. *Antiquorum*] Philippi, Flacci, Scæuolæ. ep. 3. l. 8. *Abeamus igitur inde*] verbum, Inde, a libro Bessarionis abest, &, opinor; recte abest. *Id quidem*] qua nauigatione abeamus. *Non profectis,*] malim, Non profectos, hoc sensu. Sciunt te nõ profectum ad Pompeium, & tamen probant quæ adhuc fecisti. *Nimium optimati.*] Pompeij partium studioso, & sæpe pro Pompeio mentienti. nec sine ironia dictum de liberto. *Suppeditat*] tibi. *Et meum*] quod tardius est, quam tuum. *Ambulandum, cogendum:*] quæ laborantibus quartana præcipiuntur a medicis. *Somnum attulerunt.*] curis ademptum: ep. 9. *Aulus*] Torquatus. *Profectus*] ad Pompeium. *Reatinorum corona*] dolet Sabinos in circulis ac coronis iacere sermones de proscriptione, quam forsitan nõ cogitet Cæsar, cum adhuc clementiam in victos ostenderit. *Exierint?*] obuiam Cæsari, Brundisio redeunti. *Cui dicerem*] quam rogarem, quo modo redeuntem Brundisio Cæsarem excipere, & amplexarer: sicuti rogat eam, facie Mentori simulatam, Telemachus Vlyssis filius. *Diem tuum*] quartanæ. *Reliqui*] Marius, & Cinna. *Vale*] scriberem, Valete; cum ad duos mittatur epistola. *Sub postea quam*] aut antiquus est loquendi modus exemplo mihi parum cognitus: aut legendum, S. V. B. quod est: Si vales, bene. vide epist. 29. l. 7. fam. *Ex quibus*] ἀολοιποφανίς. nam, Ex quibus, refertur ad epistolam: credo, cum & litteras, & epistolam Balbus nominasset, eadem diuersorum nominum significatione deceptum, illud, Ex quibus, vt de litteris, non vt de epistola, protulisse. *Pietate*] vsurpatur erga eos, qui magnũ beneficiũ dederũt, vt hic erga Põpeium. *Lentulũ*] consulẽ. ep. 15. l. 8. *Haberẽ:*] a Põpeio quidẽ ciuitate donatus, a Cornelio autem, huius anni consule, Corneliorum nomine: quod indicat Lucij commune prænomen. vide pro Balbo. *Milonianis.*] cum reum Milonem in iudicio defendisti. *Prudenter*] iudicio falli possum. vide sequentem epistolam. *Præstaturum*] si contra neutrum arma tuleris.

Humilium,] neuter enim eorum honores gesserat: & Balbus Gadibus natus, Oppius obscuræ gentis. *Dignitate*] intercedente viro consulari, & optime de rep. merito. *Fidem*] in tuendis amicitiis.

IN EPISTOLAM IIX.

Plaboque] sic & Bessarionis, & Caualcantis vetera exemplaria. manifestum mendum, sententia tamen hæc videtur; se iam supero mari transmissionem abiicere, & cogitare mansionem in Italia, dum commodius anni tempus adueniat, quo liceat infero mari nauigare: modo interea possit concessu Cæsaris nullam reipub. partem attingere. ac videtur totum hoc ita restitui posse: Assentio tibi, vt in Formiano potissimum commorer, etiam de supero mari. Balboque, vt antea ad te scripsi, ecquonam modo, &c. nam duabus superioribus epistolis nihil aliud agit Balbus, nisi vt ostendat Ciceroni quærenti, quo modo possit Cæsari satisfacere. *Facta & dicta*] quæ Pompeius olim in nos fecit & dixit. Delicta, tamen vereres libri. *Me ipsum*] ita de illo bene meritũ. *Simili cruce*] Caualcantis liber sic, sic & Bessarionis. incerta coniectura si coner corrigere, quis præstabit non magis depraua ri? *Commentari*] meditari, cogitatione exquirere. epist. 4. *Sit sane ita vt vis:*] eos probare, quæ adhuc fecerim: quod vereor vt ita sit. *Nosti illud:*] quod de summis viris solet vsurpari, cum post magnarum rerum actiones in otium se conferunt. usurpatur autem hoc: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ: id est, & Dionysius, Syracusarum regno pulsus, Corinthi ludum aperuit. hoc & de me vsurpabitur: qui nullam belli partem suscipiens, quasi omissa reipubl. cura otiosus θέσεις commenter. *Apud Cæsarem est.*] cum indignatione hoc adscripsit. quod ex eo loco licet coniicere epist. 6. *Militum,*] qui cum Pompeio transierunt. epist. 6. *Laudas,*] quia mare transierunt. *Iratus*] Pompeius. *Iis quidem maxime*] pacis auctoribus: qui pacem ideo suadebãt, quia patriam maxime saluam vellent, cui exitiosum fore bellum videbant. at Pompeius, qui mirandum in modum Syllani regni similitudinem concupiuit, belli cupidus, iis, qui pacem suaserant, id est nobis, veniet īratus. ep. 7. *Eam saluam*] patriam, antiquissimam & sanctissimam parentem. *Seruando euertere.*] seruari enim, & vindi-

vindicari a tyrannide non potest sine clade [illegible] ciuiũ. *De septemtrione*] de regionibus Septemtrioni subiectis: in quibus Pompeius bellum contra Cæsarem parabit. *Epirus:*] tua. quo transire cogitabat. ep. 1. *Largitione ipsa*] ea ipsa, qua Cæsar ad incitandos milites vtitur. *Cum illum videro,*] Cæsarem Brundisio redeuntem. ep. 7. *Ne forte aut absim,*] Arpinum, ante quam eum conueniam, nõ cogito: ne aut absim illo redeunte; aut, vt redeunti occurram, huc illuc via difficillima cursem. alterutrum enim necesse est. *Venisse,*] ad Pompeium, e Syria, in qua fuerat proconsul. *Consilium eius*] vtrum in Italia mansurus sit, an ad Pompeium iturus. epist. 1. *Iste*] consules aberãt Lentulus & Marcellus. agebatur ergo, quis haberet comitia designandis in proximum annum consulibus. *Iste*] si exstaret Attici epistola, nomen haud ignoraremus. *Commune.*] hoc ne consideremus; quoniam potest esse dictum non proprie de consularibus comitiis, sed communiter de omnibus rebus. *Ineptum*] Cæsarem, cuius in potestate omnia sint, mea gratia vti velle. *Sententia consularis.*] quod a me, viro consulari, quæ in senatu agentur, cupiat approbari. *Tum ex tuis litteris,*] quibus respondebas ad meas, de verbo, Ope, quærentes. distingue a, Cœpi, verbo antecedenti: vt dicat, & ipsum per se suspicatum, & ex Attici litteris. *Hoc ipsum esse,*] in hoc ope mea vti velle, vt decernam de comitiis consularibus a prætore habendis. *Non multo secus.*] aut hoc ipsum esse, aut aliquid huiusmodi. *Rem ad interregnum non venire.*] interregem nõ creari, qui comitia habeat nouis consulibus designandis, cum eius anni cõsules abessent, Lentulus, & Marcellus. de interrege autem dicemus in libro de Magistratibus. sed quoniam, interrege creato, pertinebat ad eum consulum designatio, consul vero Cæsar fieri cupiebat; incertus de voluntate interregis, rem ad interregnum venire noluisset: haberi a prætore, quem sciret sui studiosum, consularia comitia malebat. quod cum fieri non posse comperisset, alia ratione, quod volebat, consecutus est. dictator enim a M. Lepido prætore dictus comitia iple habuit consularia, & cõsul factus est cum P. Seruilio Isaurici filio. de bello ciu. l. 3. *Libris*] nostris auguralibus. *Rogari*] creari: vnde Comitia consulibus rogandis lib. 1. de diuinatione: & populum rogare magistratum dicebatur is, qui

comitia habeat, id est populum rogare, vt suis suffragiis eũ magistratum crearet, cuius magistratus caussa comitia haberentur. & legimus in Liuio lib. 6. factum esse S. C. vt duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret. *Vt collegæ consulum sint:*] si enim creantur prætores, vt collegæ consulum sint; creari a prætore non possunt. non enim collegæ consulum dicerentur, creati ab eo, cuius imperium consulari imperio minus est, ideoque a consule creantur. Gellius lib. 13. cap. 14. *Hoc a me decerni*] vt ego in senatu mea sententia decernam, consularia comitia a prætore haberi licere. *A me*] augure, & consulari: quod cõtentus non sit Galba, Scęuola, Cassio, Antonio decernentibus; quamquam & hi augures sint. erant autem omnes XV. amplificato lege Syllæ dictatoris collegio; cum antea IX. omnino essent. qua de re alio loco plenius agetur. Τότε μοι, &c.] subaudi, cum a me decernetur. Homerus ἰλ. θ. *Transierint*] cum Pompeio. *Omnia postulantes,*] in victoria non modo Cæsarianorum bona, sed omnium, qui in Italia remanserunt: vt tibi non sine caussa timeas. *Videre sane velim:*] etsi scribis, ex eius sermone spem pacis esse nullam. *Opportune*] quia fortasse me consiliis instruet ad Cæsaris congressum opportunis, cum Cæsari maxime sit amicus. ep. 20. & 21. *Lanuino*] fundo. *Phameam*] eius fundi dominum. ep. 17. *Sciebam enim, &c.*] sciebam te voluptuarias possessiones non emere, qui soleres quærere, ager a te emptus quot annorum spatio tantum tibi redderet, quantũ in solo, id est in eius emptione posuisses. videtur corrigendum, & distinguendum hoc modo: Sciebam enim, te, quoto anno, & quantum in solo, solere quærere. *Delicium digamma*] fundum, qui tibi est in deliciis, ea figura, qua est digamma, qualem Ægypti fuisse, traditur. digamma autem est F Latinum, factum ex duobus r Græcis. *Illud*] Lanuinum. *Volui H-S. Q.*] volui sestertiorum nummorum quingentis millibus emere. *Illi daret,*] vt Phamea Lanuinum daret non mihi, quem fortasse minus bonum nomen putaret ob recentes mearum fortunarum ruinas, (restitutus enim ab exsilio fuerat anno proximo ante Marcellini consulatum) sed prædi, qui H-S. Q. M. se daturum sponderet. *Cum haberet*] cum Phamea Lanuinum Antij proscripsisset. *Iacere*] sic pro Q. Roscio iacere dixit pretia prediorum. *Dementia*]

mentias] insanos sumptus in Lanuino exornando a Phamea possessore factos. sic Insanas substructiones in oratione pro Milone in fundo P. Clodij. *Vastitati*] quæ impendet vniuersæ Italiæ. epistola septima. *Liberalibus.*] ex hac epistola, Pompeium profectum esse, constat. quo modo igitur dicit Plutarchus, eum profectum esse Liberalibus? nimirum errare potuit. homo enim fuit. nec alibi non errauit.

IN EPISTOLAM IX.

AEgritudo] ægrotatio corporis, ægritudo animi. sic Cicero vtrumque explanat in Tusc. *Ad me scribere,*] locum correxi ex antiquo lib. Alberti Ferri, cum antea, Scire, mendose legeretur. epist. 2. *Alienantur*] homines. *Immundæ*] mulieri. sic, Alienum caussæ, dixit in oratione pro Cæcina. *Auis illa,*] de qua scis a Platone scribi in epistola ad Dionis propinquos, cum se a Dionysij tyranni custodibus obseruatum, ne horto regiæ domui coniuncto egredi posset, extra spectare, tamquam auem e cauea, dicit. *Mare*] vt ad Pompeium nauigem. *Hæserunt illa:*] Pompeius sæpe illud vsurpabat, Sylla regnum armis peperit, ego non potero? mihi autem potius illud in animo fixum hæret, male feciſſe Tarquinium, vltimum Romanorum regem, impie Coriolanum, qui contra patriam arma tulerint. Liuius. *Themistocles,*] ab ingratis ciuibus patria pulsus. *Maluit:*] quam patriæ suæ bellum inferre. de claris oratoribus. *Patriam*] Athenas. Iustinus lib. II. *Iure,*] cum caussa, non tamen recte. nemo enim recte contra patriam arma fert. iure autem quo modo? vt patriam e manibus perditorum ciuium eriperent: quam tamen ereptam ipsi oppresserunt. ita nec recte, ex euentu. *Hunc*] Pompeium, quem adductus beneficio sequerer. *Aliquid conueniret*] aliqua ratione res componeretur. *Hunc*] Cæsarem, de quo sæpe, vt propinquo, (nam Pompeius longe aberat) hoc pronomen vsurpat. cur, inquit, Cæsarem ita perdere cupiamus, vt simul cum eo vrbem, & populum nostrum exstinguimus? *Sceleris*] sceleratus Cæsar, flagitiosus Pompeius, qui suis ciuibus famem ac vastitatem inferre cogitet, qui patriæ seruitutem moliatur. *Sperare*] vt aliquid conueniret. vel, de caussa nostra.

Res nunc tota] neque enim video, quod tum sperabam, posse eos ad concordiam reduci. *Alia mea.*] pace enim desperata, nouum consilium intelligo mihi esse capiendum. *Excidisse e mundo*] miratus sum, Pompeio Italiam relinquente, non secus, ac si sol e cælo excidisset. *Mollisuit.*] ideoque otium amans, labores, & incommoda fugiens, nullam adhuc belli partem suscepi. *Deuexa*] decliuis. vsitata vox. *Sine periculo*] Bessarionis liber, Sine periculo. placeret, Si vel periculo: vel contra, Si sine periculo. χρησμὸς] oraculum, quia, tamquam Apollo, futura prædixisti. *Ad posterum*] in futurum, in posterum. *De Pompeii consilio,*] Pompeium de relinquenda Italia cogitare. *Deserendam*] Bessarionis & Caualcantis scripti libri, Defendam. quid, si hoc ita corrigatur? Fugam ne fœdam, an mora desidem. *Turpe nobis*] rectius duco, Vobis. *Detestaris hoc*] discessum ex Italia. *Inconstans,*] cum ante scripserim, vt Italia nõ cederes. *Manendum puto,*] dum audias Pompeium alicubi constitisse. *Hanc νεκυίαν*] flagitiosum Cæsaris comitatum: quem appellat νεκυίαν, quod ad Cæsarem egentissimus & perditissimus quisque ita confluxerat, vt ad Vlyssem, cum ad inferos descendisset, νεκυίαν, id est mortuorum turbam, confluxisse, scribit Homerus. epist. 14. & 23. Ἀπορῶ.] dubius sum, quid te facere oporteat. *Dubitares,*] Attice. *Non dubitas,*] mihi esse manendum in Italia istis manentibus. *In ipsa fuga*] cum Pompeius Brundisium fugeret. *Tum poterimus deliberare,*] cum sciemus, quid Brundisij actum sit. *Non scilicet integra re,*] animum enim Pompeij suboffendit hæc mora. sed hoc tamen consilio rectius tibi consulis, quam si vna proijcias te. *Valde videro*] nescio, vtrum tibi suasurus sim, discessum ex Italia, an mansionem. vide epist. 2. quo loco ad hanc partem Attici litterarum Cicero respondet. *Aduersus me, &c.*] sic & antiqui libri. potest hic esse sensus: Para defensionẽ Attice tantummodo aduersus me, si hæc mansio, tua auctoritate suscepta, infeliciter cadat. nam, si in fraudem incidero, te auctore dicar incidisse. quod ad alios attinet, in quibus sunt Lepidus, & Tullus; satis scio non opus esse; quibus ego conscius sum, eiusdem esse sententiæ, videlicet manendum esse. *Peccaui,*] adhuc. *Reliqua tuebor*] posthac dabo operam, ne peccem. *Reditu*] a Brundisio. *His litte-*

litteris] ad te scribendis. *Lentulum*] hoc non eodem die scriptum esse, quo superiora, liquet ex eo, quia scriptum est XIV. Kal. Apr. vt infra patet, superiora vero pridie Liberalia, qui dies XV. Kal. Apr. vide principium huius epistolæ. *Scis*] pro Scito, vt supra, epist. 4. lib. 8. *Cæsari.*] a quo Corfinij captus, incolumis esset dimissus. epist. 10. *Litteras*] quibus rogaui, vt scriberet ad me de consilio suo, vtrum mansurus esset in Italia, an ad Pompeium profecturus. epist. 1. *Quinquatribus*] aut hoc delendum, vt glossema ad diem XIV. Kal. Apr. qui dies est Quinquatruum primus: (qui enim dicat, venit ad me Matius Quinquatribus, cum ipse Quinquatribus scribat?) aut, quod ita esse existimo, hæc epistolæ pars non eodem, quo proxima, die scripta est. quod ex eo quoque facile possum conijcere, quia proxime, Pridie apud me Crassipes fuerat, subiunxit, cum loquatur de die, qui Quinquatrus antecedit. quod si hæc scripsisset Quinquatribus, non dixisset de die ante Quinquatrus proximo, Pridie, sed, Heri: sicuti, cum proximam partem scripsit, non dixit, Eum exspectabam XIV. Kal. Apr. Eum exspectabam hodie, id est XIV. Kal. Apr. Præterea, temporis fuisse interuallum inter hæc de Matio scripta, & illa superiora, declarat epistolæ principiũ. quod cum nocte scriptum sit; (id enim ipsa verba demonstrant) venisse Matium ad Ciceronem ante lucem oporteret, si continuata scriptione confectam esse epistolam velimus. quod existimare, ineptiarum est. nos, quod sentimus, pronunciamus. alij diligentius animaduertant. *Hæc*] Cæsaris facta. *Timere.*] ne crudelis esset in victoria, & nefaria quæque committeret. Cæsaris enim comitatum significat, quem & paullo ante νεκυίαν vocauit. πολιτικὸν] ciue dignum, vt ile ciuitati. *In ea sententia*] de pace. *Prudentia potuit*] antiqui libri Caualcantis, & Bessarionis, Prudentia potius: & proxime, vbi est in impressis, In quibus etiam Crassipes, in libro scripto Bessarionis, In quibus Crassipes erat. de mendo constat. de correctione, nihil assequor ingenio, quod probem. *Inimicos*] Pompeianos. *Optimatium*,] eorum, qui non sunt Pompeium secuti, neque vllam belli partem attigerunt. vnde illud in epistola ad Varronem, Crudeliter otiosis minabantur. *Municipiorum*] quia se vltro Cæsari fore omnia dediderant. epist. 9. & de bello ciu. lib. 1. *Luceiũ*]

cuius, Theophanisque consilio Pompeius maxime vtebatur. epist. 1. *Totam Graciam*] omnes Græcos, qui cum Pompeio erant, eius libertos, & amicos; qui apud eum gratiosiores erant, quam vt e tanti viri dignitate videretur. *Has pestes*] Cæsarianos: quorum pessima facta ne videam, ad dissimillimos nostri proficiscar. *Illuc*] cum se Pompeio coniunxerint. nam Scipio quidem, Pompeij socer, in Syriam erat profectus. epist. 1. & Plutarchus in Pompeio. *Faustum*,] Syllæ dictatoris filium, qui erat in Pompeianis præsidijs. epist. 1. lib. 9. Bessarionis tamen liber, Emastrum. de Libone autem epist. 12. lib. 7. *Conuenire*] in vrbe: vt eorum bona vendant. Scipionis alienum æs memorat etiam ipse Cæsar de bello ciu. lib. 1. *Μικροψυχίαν*] animum longinquas regiones spectantem, Ægyptum scilicet, atque Arabiam. *μικροψυχίαν* malebat Magnulus meus: recte fortasse: vt pusillum in Pompeio animum notet, qui consistere non audeat in Italia, Ægyptum & Arabiam *εὐδαίμονα* cogitet. *Hispaniam*] prouinciam suam, in quam iturus antea putabatur comparandi belli caussa. *Fugam nostram*] ex vrbe. *Interuallum*] postremum enim scripserat Atticus pridie idus. epist. 7. *Profecturum*] de pace & concordia Cæsaris & Pompeij. *Personam*] ob auctoritatem ex honoribus partam recte administratis. *Cum primum potui*,] statim e prouincia reuersus. *Contra cuius honorem*,] ne posses consulatum absens petere: quod tibi populus concesserat, Pompeio tertium consule. epist. 1. lib. 7. *Non modo ipse auctor dignitatis tuæ fui*,] ne idem verbum iteretur, Fautor, non Auctor, legendum viri docti existimant. Auctor tamen videtur defendi posse, præsertim consentientibus antiquis libris: quorum si vel vnus haberet, Fautor, valde placeret. *Ad te adiuuandum*:] vt de habenda absentis ratione M. Cœlius tribunus pl. vna cum ceteris collegis legem ferret. epist. 1. lib. 7. *Beneficii*] a Pompeio accepti. *Possim*.] vt mihi abesse per te liceat. ingratus enim mihi videar, si adsim, cum in senatu contra Pompeium de me bene meritum agetur. epist. 6. *Et pacis, & vtriusque*] sic antiqui libri. mihi tamen videtur subesse mendum: nam, Pacis concordia, haud scio quam recte dicatur. Paci, recte esset. *Conseruari*.] ne cogas me iniuriam facere Pompeio, sed conserues, vt adhuc fui, amicum vtriusque vestrum.

restrum. *De Lentulo*] quem, capto Corfinio, incolumem dimisisti. *Qui mihi fuerat*,] cum me consul ab exsilio restituit. *In Pompeium*] quem socium & adiutorem Lentulus habuit in me restituendo.

IN EPISTOLAM X.

Mucianum] Q. Mucij Scævolæ, qui a Damasippo est interfectus. in epitome Liuiana. *Itineris*,] ad mare superum. *Nauigationis*,] ad Pompeium. *Congressus sermonisque*] vt & grauitatem in congressu tenerem; & ita loquerer, vt neq; ad vrbem vocanti concederem, neque tamen alienam ab illo voluntatem ostenderem. epist. 17. h. l. & 1. lib. 10. *Sum admiratus:*] quod nobiscum esse noluerit. *Ius dicunt?*] nõ iudicant prætores, sed ius dicunt, hoc est, iudicij formulam dant: iudicant autem dati a prætore iudices. Diximus hac de re plenius in libro de legibus Romanis. *Viri boni*] sic & lib. 2. de Officijs, in extremo, Optimos viros dixit ἐφωνικῶς. *Perscribunt?*] nomina debitorum in codicem referentes. *Sedeo?*] sedere dicuntur, qui turpi otio languent. *Adfinis*] sic in antiquo Bessarionis libro. pateret sententia, si sic: Quid censes igitur, & quidnam est tui consilij? (vt hæc sint Attici verba, Ciceronis autem quæ sequuntur plena desperationis) quid? finis huius miserrimæ vitæ. In libro Vrbinati est: Ecquis finis, pro, Adfinis. nec displicet: vt hæc tota ad Ciceronem interrogatio referatur, consilio indigentẽ. *Vna*] cum Pompeio. *Calamitatis*] nimis enim graui scelere video Pompeium in calamitate deserere. *De ratibus.*] ratibus teneri exitus Brundisini portus, ne Pompeius possit effugere. quod si ita esset, non scripsisset eum Dolabella primo vento nauigaturum. constat autem, hoc de ratibus, aliquo temporis interiecto spatio, postquam primam epistolæ partem scripserat, esse adiunctum. quod Ciceroni est in his epistolis vsitatum. Aut initiũ est alterius epistolæ in eo, Tu quæso nunc. quod ipsum certe disiunctum a superioribus videtur. εὐημερίαν] Pompeij fugam putat Cæsaris εὐημερίαν. *Ab ijs epistolis*] Leptæ, Matij, Trebatij: qui scribunt circumuallatum esse Pompeium, ratibus exitus portus teneri. *Mera scelera*] de consilio Cæsaris interclu-

dendæ Pompeio fugæ.

Actum] Brundisij. *Hæ litteræ*] non dubito, quin litteras intelligat 111. id. Martij datas. hæc igitur epistola cum superiore coniungenda; vt vna sit. nam, duæ si essent, non diceret, Hæ litteræ. aut certe scripta est hæc pars aliquanto post superiora. *Pristinas cogitationes*] de profectione mea ad Pompeium: quem cum scripserit Dolabella primo vento nauigaturum, nauigasse puto; quoniam pridie Quinquatrus tempestas fuit ad nauigandum maxime idonea. At quo modo hoc iubent litteræ Dolabellæ, qui Cæsaris in præsidijs erat? iubent, dixit, pro, efficiunt: cum nauigasse Pompeium significent. *Collecta*] cum loca ex epistolis tuis descripsi, quibus mihi mansionem in Italia suadebas. epist. 9. *Consolationem meam.*] quod vna cum Pompeio non ierim. *Culpæ, acte meritatis meæ.*] videbar enim mihi peccasse, temereque fecisse, quia profectus cum Pompeio non essem: nunc non videor; quoniam in eo tua consilia sum secutus. *Illius*] Pompeij. *Illæ*] studium, operamque in me restituendo. *Superiorum*] superioris iniuriæ, cum me, suum præsidium contra meos inimicos implorantem, deseruit. epist. 4. *Tamen illius, &c.*] tamen eum adiuuare deberem. *Similitudinem*] primo me deseruit, cum patria pulsus sum: deinde adiuuit, vt restituerer: item ego, quod ante omisi, nunc facere debeo, vt eum adiuuem. *Quam ob caussam,*] non tam vt mihi beneficium daret, quam vt inimico meo, grauiter offensus, iniuriam redderet. *Illi.*] nunc amicus ero: quem si offendi, quod ante ad eum non sim profectus; nunc proficiscens resarciam. ita sequar illius temporis similitudinem. *Illecti*] sic liber Caualcantis. aliter Bessarionis. habet enim, Dilecti: vt fortasse non absurde legi possit, Eiecti. nam a Cæsare quidem eiectus Cicero videbatur, quoniam is consul Clodium ad plebem transduxit. Suetonius. *Nam ego hunc*] Cæsarem. Ἐσάλπιζεν] mallem, ἐλάπιζεν, id est, ostentabat, supra veritatem narrabat: quoniam subiunxit, Sit hoc λάπισμα. & est intercisa comprehensio. nam, cum Ita dixisset, nihil reddidit: nisi si ad illud spectes, quod infra positum est, Quare ita paratus est. *Sepolliceri*] mendum ex eo patet, quod & peditum, equitumque numerus desideratur; qui videtur adscribendus

omnino

omnino fuisse: &, Se, quo referatur, non est. *Vectigal,*] quod in stipendia militum conferri solet, sed omnia omnium bona, quibus ad sustentandos exercitus vtetur. *Illum*] Pompeium, quem secuti non sunt: ideoque merito iratum putant. *Quisnam hic*] & hoc, & quod sequitur, Sed & iste, ita mendosum est, vt corrigi sine vetustis libris a me quidem minime possit. *Rustici Romani*] coloniæ maxime ciuium Romanorum. *Ego autem, &c.*] vereor, vt exire ex Italia mihi liceat; non tam quia Cæsar omni vtetur artificio, omnibusque blanditijs ac precibus aget, vt remaneam; quam quod eius preces video esse pro imperio. πονηρείαν] malitiosas blanditias. *Illa ἀλίμενα*] importuosa loca: quæ scripsi me cogitare, primum vt laterem, deinde vt comitatu meo vti possem: (celebri enim loco laureatorum comitatus sermonem hominibus dabit: epist. 4. lib. 10.) quod vtrumque si Brundisij suppetat, ibi malim esse. *Verum*] verum hac de re deliberabimus, cum sciemus, quid Brundisij actum sit, num Pompeius classe abierit. *Scimus.*] mallem, Sciemus. *Non nimis excuso:*] iam non laboro, vt me excusem, quia non iuerim ad Pompeium; cum ipsos videam cenas in vrbe, quasi reip. recte sit, & facere, & obire. *Sextus?*] Peducæus. *Fortiores.*] si eos id fecisse viderem, quod me facere oportuisse dicunt: hoc est, si ad Pompeium ipsi profecti essent, armaque contra Cæsarem sumpsissent. *Troianum somniaueram.*] falso credideram. Troia dictus locus is, in quem primum egressus est Æneas, vicinus agro Laurenti, Ardeati, Antiati, Lanuino. *Volui Q.*] quingentis millibus emere. vide epist. 8. *Monstra*] de Brundisio. *Lentulus noster*] caput adscriptum ex interuallo. *Quid agat?*] cur non se occultet, vt facit? cur prodeat in publicum? cur ad Pompeium eat? Διαπεσοῦν] mutationem rerum: quia mutari tunc Pompeij fortuna visa est. terret eum memoria Corfinienſis euentus. *Reformidat.*] vetetur, ne in eandem calamitatem incidat, si ad Pompeium transeat. *Satisfactum:*] quod, suscepto bello, arma pro eo sumpsit. putat se præstitisse, quod debuit: nūc pugnare contra Cæsarem, a quo est incolumis, capto Corfinio, dimissus, non videtur sine scelere posse. *Prospectare:*] quia prospicit, quæ sit vtriusque partis futura fortuna. videt scilicet futurum, vt Pompeius vincatur. *Men' hac*] pars hęc

epistolæ ex interuallo adscripta post acceptas a Balbo & a Dolabella litteras. cum enim oppugnari Pompeium, cognouisset; dolore percitus, Men', inquit, hæc ferre posse? aut est initium epistolæ. *Hoc*] mansione. *Non credebam.*] vt, nuncijs de pace missis, oppugnaretur. *Miser torquetur.*] ἐρωνικῶς. vt & illud, Balbi optimi, proxime dictum. *Idibus Mart. datis*] cum dedisset illas superiores III. id. Mart. de quibus epist. 10. *Sententia,*] discedendi ex Italia. *Hoc*] mansione.

IN EPISTOLAM XII.

Ad te IIX. *Kal.*] Bessarionis liber, IX. Kal. & recte. nam, cum proxima sequens epistola scripta sit VII. Kalendas, hanc ante datam esse constat. *Quam primum transsicere*] ante quam exitus portus, iactis vtrimque molibus, præcludantur. *Cn. Carbonis, M. Brutt*] quos Pompeius, Sullæ socius, occiderat. Appianus, Plutarchus, alij. *Ad ambitionem.*] in locis corruptis aliud est sententiam videre, aliud verba restituere. ego hic, quid Cicero dicat, intelligo: sic enim opinor: quibus verbis dicat, diuinare non possum. Duæ sunt comparationes, vna Curionis & Cæsaris cum Pompeio & Sylla; altera Pompeij cum Sylla. in priore non, Curionem crudeliter improbeque se duce facere, vti fecerit Pompeius duce Sylla, significat, sed, vt sibi Curio rebus in omnibus obsequatur, itidem Pompeium, quascumque res Sylla imperauerit, aut voluerit, in ijs rebus dedisse operam vt illi plane satisfaceret. non igitur facta Curionis cum Pompeij factis cõparat; ne & se Syllæ, & Curionem Pompeio similes in crudelitate faciat, sed voluntatem confert cum voluntate, obsequium cum obsequio. Posterior comparatio Pompeium & Syllam æque indicat inique fecisse: cum Sylla victor proditores patriæ reduxerit, Pompeius consul III. lege de ambitu lata in exsilium eiecerit eos, quibus veteres leges damnatis de ambitu exsilium non irrogabant. itaque Syllæ primum viuentis imperio, deinde mortui exemplo fecit improbe Pompeius. Constat, opinor, satis de sententia: verba consideremus. Ad ambitionem, mendose dictum. Ab illo, non est quo referatur: nec dubito, quin desit, Ab hoc. vt sit; Ab hoc, a Pompeio; Ab illo, a Sylla. Reductos, postulat

alterum

alterum participium, huiusmodi scilicet, Eiectos, aut, Expulsos: vt hoc totum aut his fortasse, aut similibus certe verbis Cicero scripserit: Ab hoc lege de ambitu noua, quibus exsilij pœna superioribus legibus non fuisset, eiectos; ab illo patriæ proditores de exsilio reductos esse. De ambitu quidem legem Pompeiam significat; de qua Pedianus, & Cæsar ipse lib. 3. de bello ciu. nam Pompeiam de vi, quam & ipsam tulit in tertio consulatu, non est vt possit intelligere. non enim in eam conuenirent illa verba, Quibus exsilij pœna superioribus legibus non fuisset. nam causſæ de vi, etiam ante legem Pompeiam, capitales erant, damnatique solum vertebant: quod ostendimus in libro de legibus. Cæsar tamen, cum ante victoriam de lege tantum de ambitu quereretur; quod atrociorem, quam superiores leges, pœnam, exsilium perpetuum, irrogaret; postea tamen victor omnes, non modo de ambitu, verum etiam de vi Pompeij legibus damnatos, Milone excepto, restituit. itaque Cassius periocum illud in epistolam coniecit, fam. epist. 19. lib. 15. Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur: nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat. *Per vim*] quasi iudices eum Pompeij consulis metu condemnassent: quia, cum iudicium Milonis ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis, quæ circa forum sunt, collocauerat. quod Cæsar lib. 3. de bello ciu. reprehendit. Hæc autem Cæsaris criminatio ideo suscepta, vt inuidiosam Pompeij potentiam redderet. nam nec ipse, qui Milonem queritur per vim expulsum, postea eum restituit, cum ceteros restitueret lege Pompeia damnatos. *Arma hæc contra.*] tulisset. Pompeius autem omnibus minabatur, qui ipsius in præsidijs non fuissent. *Profectus,*] subaudi, narrabat. *Sed quis vlli non dicat?*] distingue sic: Sed quis, vlli non dicat, hoc sensu; non infans ille quidem est, sed ita obscurus, vt, quis sit, nemini possit dicere. *Illinc*] Brundisio.

IN EPISTOLAM XIII.

A te nihil, &c.] distingue sic, A te nihil, ne ante prorsus quidem quid litterarum.

IN EPISTOLAM XIV.

Veniam,] vt concedat, vt absim, cum aliquid in senatu cõtra Pompeium agetur. epist. 6. *A me ipso.*] ad Pompeium proficiscar: quod adhuc a me non impetrauit. *Ille,*] Cæsar. *Græciam*] vt ipsum Pompeium continuo persequatur. quod cũm ita sit; quorsum hæc loca legionibus muniuit? nam, si in Hispanias contra Pompeij legatos proficiscí cogitaret, ideo maritimos exitus videretur clausisse, ne Pompeius, ipso absente, Italiam classe peteret. *Longius absunt.*] non igitur nunc considerandа: agamus de congressu, qui nunc instat. *Stimulat*] nunc hæc me vexat solicitudo, quod cum Cæsare congressurus sim. *Augurum decretum.*] vt augures decernant, licere prætori comitia consularia habere, aut dictatorem dicere. epist. 8. *Rapiemur,*] Romam, vt augur & senator id decernam: aut, si recusabimus ire, vexabimur. *Dictatorem*] quod factum est. nam postea Cæsarem M. Lepidus prætor, dictatorem dixit. *Nihil expedio,*] cogitatione nihil explico, nihil assequor nisi hoc, exitum mihi impendere aut Q. Mucij, qui est a Mario iuniore occisus; aut L. Scipionis, quem Sylla proscripsit. epitome Liuiana lib. 85. Orosius, oratio pro Sextio, lib. 3. de Orat. consul cum Norbano fuit. τέτλα: κύντερον.] perfer: grauius tulisti: cum scilicet lege Clodia pulsus indignissime exsulasti. Tibi, inquit, illud nostrum Attice grauius videtur: mihi contra. proprium enim non erat, hoc est, non eiusmodi, vt idem semper futurum esset, vt mutari non posset. id enim valet Proprium. Ad locum Homeri de Vlysse respexit: de quo & Plato in Politicis, & Maximus Tyrius mentionem fecere. Homerus autem sic, ὀδ. υ, τέτλαθι μοι κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. Quæ verba Horatius, Vlyssem cum Tirena loquentem inducens, ita vertit Satyr. 5. lib. 2.

——Fortem hoc animum tolerare iubebo:
Et quondam matora tuli.——

Exire] ex Italia. *Nulla querella*] quod Pompeius Italia pulsus sit. *Rusticorum,*] rusticæ plebis, bene de rep. sentientis. nam vrbana plebs nominari cum ignominia solet. epist. 3. lib. 7. Vide librum nostrum de Ciuitate Romana. maxime autem colonias intelligit ciuium Romanorum: quæ ipsæ quoque

quoque plebis rusticæ partes sunt. *Metuunt:*] Pompeium. *Iratum.*] quia eos, qui remanserunt in Italia, male odit. fam. l. 9. ep. 6. *Veniam daturum:*] concessurum, vt absim, cum in senatu contra Pompeium agetur. ep. 6. *Possim videre.*] vt ex eius sermone comparem me ad Cæsaris cogressum. Αὐτὸς.] ipse o Cicero excogitabis. *Vt ait ille.*] vt alloquitur Telemachum Minerua Mentori simulata, ὀδ. γ. *Quæ descripta attulit,*] mirum, cur, quis attulerit, non dicat. *Quam sim antiquorum hominum.*] quam sim antiquis hominibus similis, qui ex sua natura ceteros fingebãt, vt est in oratione pro Sex. Roscio. item ego, cum te finxerim ex natura mea; meum que sensum secutus, grauius putarim Dionysij iniuriã laturũ esse, quam me: nũc ex tuis litteris meæ opinionis erratũ agnosco. *Philargyro bene.*] respondisti. *Relictum*] a Dionysio. *Hispanias*] contra Pompeij legatos. *Cæsarem*] subaudi mansurum.

IN EPISTOLAM XV.

Habebo gratiam illi:] quia tecum aget, vt ad vrbem venias. *Is sensus,*] ita est affectus erga me.

IN EPISTOLAM XVI.

Quid præripi?] quid attinet anticipare de Cæsaris cõgressu? ep. 1. l. 10. *Tirone.*] Patris ægrotante. *Inde, &c.*] Bessario-nis liber, In id modo nuncians. non dubito, quin deprauatus sit locus, nec facilis emendatio.

IN EPISTOLAM XVII.

Oratio] cum Cæsare. *Bene existimaret,*] quia me gratum videret in Pompeium. *Gratias ageret:*] non enim hoc fecit: quoniam in eo perseueraui, ne ad vrbem irem. ep. 18. *Nostro iudicio:*] ideo me ad vrbem non ire, quia de eo non recte existimarem. *Cum multa*] cum multis verbis ostenderem, dissimilem aliorum esse caussam: me enim beneficio deuinctũ non posse sine maxima culpa interesse, cum in senatu contra illum agetur: veni igitur, inquit Cæsar, & caussam age nõ meã magis, quam Pompeij: de pace, inquam, age. *Iri*] ate. *Eiusmodi*] sermonis. *Vt deliberarem.*] subaudi diceret. *Non fuit negãdum.*] dixi me deliberaturum, etsi iam deliberaueram. mihi enim fixum est, aut in senatum non venire, aut ea dicere de rep. quæ sentio. sed petenti, vt deliberarẽ, non fuit negandum. *Ego me amaui:*] feci, quod magis ex animo meo fuit:

quod iàmpridem non fecerã: quia potentibus in rep. post exsilij tempora inseruiui. Amabo, liber Bessarionis: eadem sententia. *Comitatus*] Cæsaris: νεκύαν quam tu appellasti in epistola tua. epist. 9. *Eros Celeri*] flagitiosus libertus Q. Metelli Celeris, qui perierat Marcellino & Philippo cos. Celeri, autem pro, Celeris: qua ratione & Virgilius dixit,

Relliquias Danaum, atque immitis Achilli: &, *Acris Oronti. Rem perditam,*] & perdita Cæsaris causa, & copiæ eiusmodi, vt sperare nihil possis. actum igitur de salute reip. *Seruij filius*] Ser. Sulpicij filius erat in cõitatu Cæsaris. ep. 18. *Fuerunt,*] quia Brundisio redibant. & cum admiratione protulit. quasi vix credibile videatur, tot homines conuenisse ad Cn. Pompeium circumsidendum. *Extremum.*] vt tuum consilium exquirerem. κατάκρισις] quasi condemnatio, aduersus me dicta sententia. *Virum:*] non dixit, hominem, sed virum: vt Atticus id verbum vsurpet, quo Cicero in epistola quadam vsus erat, cum scriberet fortasse sic: Ego cum virum videro; ἐμφατικῶς de Cæsare. Α Α Α *tecan*] corruptæ litteræ. antiquus liber, v v v *teucun.* non placet in obscuris diuinare. *Illũ ipsum,*] Pompeium. ep. 2. *Vt antea,*] cum scribebas, Videamus, & Cnæus quid agat, & illius rationes quorsum fluant. ep. 9. *Extremum fuit de congressu nostro.*] primum differebas tua consilia, dum sciremus, Pompeij rationes quorsum fluerent. nempe scimus: Italia pulsus mare transiuit, differebas etiam, quod, cum scires me cũ Cæsare ad vrbem redeunte congressurum, scire volebas, in eo congressu quid is autã me petiisset, aut petenti mihi concessisset. extremum igitur fuit, quod exspectaras, de congressu nostro. *Agendum est.*] deliberandum, quid me agere oporteat. πολιτικήν.] de rep. vt scribas ad me quæ Cæsar egerit in aduentu suo.

IN EPISTOLAM VLTIMAM.

Qui hinc absit.] qui cum Cæsare non sit. *Vmquam homines putaui:*] recordatus paullo ante, Hominem, dixisse, correctionem subiecit: monstra quædam semper putaui, non homines. *Quo placet,*] quo iam constituimus. *Nec prater me,*] quo gratior Pompeio aduẽtus noster esse debebit. nam alij non tam ipsius amore, quã Cęsaris metu, Italia cesserunt. *Incommodis,*] exsilio. ep. 3. lib. 8. *Iniustissimus*) totus a ratione

ne auersus, minime iustam in partem propensus. Tale illud in epistola ad Lentulum: Bibulum habuimus multo iustiorem, pæne etiam amicum. Immitissimus, alij legunt. ego neminem reprehendo, sequor antiquum Bessarionis librum, sequor ipsam sententiam, exemplo confirmatam. pacem, inquit, in senatu Ser. Sulpicius dissuadebit, quia scit Pompeium amicum sibi nunquam fore, quoniam filium Brundisium misit ad eum affligendum. epist. 3. & 11. l. 10. *Hic quidem*] Pontius quidem Titinianus cum Cæsare contra Pompeium arma tulit, quia, cum inclinatam videret Pompeij fortunam, rerum suarum ruinam Cæsare victore pertimuit. Seruius vero indigne fecit, qui filium miserit. neque enim quidquam cogitare magis debuit, quam quid eum ciuem, qui summos honores in rep. gessisset, & agere, & sentire par esset. quæ a Pontio nō exspectantur: ideoque minus turpis, quam Seruius. ep. 6. *Sententiam*] subintellige, dicamus. *Vt nihil nouī*] dicamus. *Quod minimum*] hoc est velle me minimum mihi spirituum reliquum esse. nam, ne quis, Quod, inusitate dictum hoc modo putet; exempla aliquot afferam eiusdem Ciceronis, vt dubitatio tollatur. Epist. 4. lib. 10. Cum scripsisset, inquit, quod me cuperet ad vrbem venire. Et ep. 40. lib. 13. fam. *Si vlla vm* quam apud te mea commendatio valuit; quod scio multas plurimum valuisse; hæc vt valeat, rogo. Et lib. 1. de Leg. Illud extremum est, quod recte viuendi ratio meliores efficit. Reliqua vide in Commentario nostro ep. 28. lib. 7. Fam. *Superum mare*] Hadriaticum. *Infero*] Etrusco. *Obsidetur*] Cæsaris præsidiis. ep. 3. *Infestum habebimus.*] infestum reddemus. sic, Solicitum habere, pro solicitum reddere, alibi dixit. &, Dymæos mare infestum habere, ep. 1. lib. 16. Est autem sententia, Pompeium classem parare ad intercludendos Italiæ commeatus, id est ad patriam fame necandam: ad hunc se iturum (epistola 8.) & cum iracunda ironia, Boni ciues, amantes patriæ, dixit. *In Ægyptum*] quoniam quidem neque de Ægypto & Arabia cogitare debemus, (cur enim eo nos abdamus? epist. 9.) & exercitu pares esse Cæsari non possumus. classe igitur bellum geremus. *Congressu*] Cæsaris. epist. 15. *Censeas.*] mihi agendum. etsi nulla iam dubitatio est, quin mihi sit eundum ad Pompeium.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DECIMVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

LATERIVM] fundum in Arpinati. ep. 7. lib. 4. *Firmitudinem animi nostri*,] quod ab honesto non diuellar: id est, quod in Cęsaris congressu neque indulgenter sim locutus; & in eo manserim, ne ad vrbem accederem. epist. 16. & 18. l. 9. *Sexto*] Peducæo. *Nonis Dec.*] quo die in coniuratos animaduerti. *Quidnam ergo?*] senatus mandauit, vt de coniuratis supplicium sumerem. mandata si exequar, video mihi ab improbis ciuibus magnam inuidiam, magnaque pericula impendere; quod a me contra leges actũ obiicient, quæ ciues Romanos occidi vetant. quid ergo faciam o Sexte? tum ille me ad præclarum facinus Homericis versibus incitauit, Iliadis χ. *Simillimus eius filius*] ergo doctrina, probitate, iustitia præditus. Hęc enim patri Peducæo tribuit Cicero lib. 2. de Fin. his verbis: Sex. Peducæus, is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem & humanitatis, & probitatis suæ filium, tum doctus, tum omnium vir optimus, & iustissimus. *Non in longum tempus*] tantum vt exspectemus, quid de pace decernatur in consessu senatorum. nam, in senatu, non libet dicere. Bessarionis liber habet, Longum cum tempus: vt fortasse Cicero scripserit, longinquum tempus. *Emptum*] pretio a Cæsare inductum, vt de pace ageret in senatu: cuius nomen fuit in Attici epistola. *Quid nobis agendum putes.*] putas enim discedendum

discedendum ex Italia. *Dari*]a Cæsare, quasi a rege. *Popularis tui*,]quia tu quoque Atticus. *Mei*,]quia migrare Athenas cogito. *Hinc abero*,]cum filiis abibo ex Italia. *Alterum*]me abfuturum hinc: de filiis minus certum. *Cephalioni*]& hic, & supra veteres libri habent, Cephaloni. mihi tamẽ nihil placuit mutare: primũ, quia Bessarionis liber & hic & supra habet, Cephaloni; infra tamen Cephalionẽ semper: deinde, quia in Plauti versu, quem recitat Priscianus, ita Cephalionis mentio fit, vt Cephalonem metri ratio non ferat. est enim sic:

O amice multis, at mihi ne Cephalio.

Si de pace] sic Bessarionis liber antiquus: & sententia non obscura: itaque nihil muto. *Provincia*] Hispania. ep. 2. l. 9. *Iste summarius.*] emptus pacificator. mallem enim, Nummarius. vt Nummarij iudices, pretio corrupti, ep. 14. lib. 1. & placet ἐιρωνικῶς dictum esse, nisi forte: quia scit Cęsari persuaderi non posse, vt quiescat. *Dixi*]ipsi Cæsari. epist. 1. lib. 9. *Grauitatem*]in congressu Cęsaris. *De iuuentibus*]de Ciceronibus. *Audisti*,]forte, nolle me eos erudiri a Dionysio. ep. 2. *Hæc est ἄλλη*,]hæc animi mei solicitudo, & mentis error, in quo nunc sum, mortis instar est. angor enim, quod neque ad vrbem venerim, vt inter Cæsarianos de rep. libere agerem; neque bonos vel cum periculo sim secutus. alterutrũ certe oportuit. aut enim bonos sequi debemus; quorum de Italia relinquenda temerarium consilium fuit: aut, si Italiam relinquere non placet, neq; temeritatem bonorum imitari; agamus hic libere, quæ sentimus, & pro rep. & contra improborum audaciam. *Hoc, quod agimus*,]mansio hæc nostra in Italia, neq; honesta, neq; tuta. *Istum, &c.*]forte L. Corneliũ Balbum, qui filium Brundisium miserat. *Me*]non me, sed istum legatum iri arbitror. *Si acciderit, vt legarer.*]& consuetudo Latini sermonis postulat, Vt leger; & ego eo procliuius in hanc opinionem descendo, quod antiqui libri, Vt legerer, habent.

IN EPISTOLAM II.

Agerenturque]pararentur a meis ad nauigationem. *Mmteyca*]corrupta dictio, sed, vt opinamur, ad nauigationẽ pertinens. *Ardet*] abeundi cupiditate. *Nec est quidquam*,] nec videmus, aut quæ loca petamus, aut eo perueniendi quæ

sit ineunda ratio. *Tullia mea scripsit.*]opinor eum mihi commendans,& superiora excusans aut, Scripsit,ad me profecturum. Sed ego ideo nolim ad me profectum, quia neque hoc tempore eo mihi comite opus est, & homini non amico nostra incommoda spectaculo esse nollem.ep.5.& 10.lib.8.& 10.& 14.lib.9.& 2.lib.10. *Inimicum esse*]quod scribis te facturum, si ego velim.

IN EPISTOLAM III.

Profectus] Cæsar, vt in Hispanias iret contra Pompeij legatos, Afranium, & Petreium, & Varronem. *Longiorem.*] quæ est huius libri prima. *Visum te*] puto esse epistolæ initium. *In Regia:*]publicum ædificium, in quo sacra fiebant ex antiquo Numæ regis instituto. Festus 226.280.286.Sex. Rufus, P. Victor, pro Milone. *Non venerim,*]in senatum. *Tullum*]Volcatium Tullum. *Seruium*]Sulpicium. *Quia non idem*]quia non iis concessisset, quod mihi, vt in senatum non venirent. epist.1.lib.4.fam. *Cum filios misissent*] Seruium designat, non vtrumque. non enim Volcatius contra Pompeium filium miserat.epist.17.& 18.lib.9.

IN EPISTOLAM IV.

Istos] Pompeium, & Cæsarem. *Alter ardet*] Cæsar. *Expulit:*] Pompeium. *Alia ex parte*] conatur & in Græciam persequi,& ei prouinciam Hispaniam eripere. *Adpedes stratos*]suppliciter rogantes, vt nos contra sceleratam tribuni pl.rogationem defenderet. *Huius*] Cæsaris:cui dicebat se iniuriam esse facturum,si contra Clodium ageret.lib.3.epist.15.minus liberale vocauit responsum Pompeij. *Elapsus*]quia classe fugit. *Deserta per se patria,aut oppressa*] deseruit Pompeius,oppressit Cæsar. *Admonemur,*]laudabat igitur Atticus profectionem Ciceronis ad Pompeium,cũ diceret, ei præstanda esse illa, quæ scripserat in libris de rep. nimirum hæc,nihil esse bonum,nisi quod honestum;nihil omnino malum,nisi quod turpe. *Illis libris*]de rep.epist.15.lib.4.ep.1.& 2.lib.6.epist.3.lib.7.epist.11.lib.8.epist.3.lib.10. XIV.*annis ante*]cum ipse consul esset. vidit enim coniuratis fauere multos nobiles,& in iis Cæsarem ipsum. *Proficiscar,*]

ficiscar,] ad Pompeium. *Alter*] filius. *Maiore pietate*] nam Quinctus filius & patri, & patruo inimicus: vt paullo post. *Eius*] Quincti filij. *Ipsius*] ipsum Quinctum videmus nunc earum litterarum pœnitere, quas ad Cæsarem scripsit. *Iter,*] ad Cæsarem. *Simulatioque pietatis,*] quia simulauit ideo se ire, vt Cæsari ostenderet, nos optimo in illum esse animo: quod contra fecit. *Suis*] Cæsaris. *Hæc ipsa timide.*] ad te scribo: quia scio tibi dolorem allatura: reliqua celauimus. *Nulla nostra culpa*] non in educatione vitium fuit, sed in natura. *Hortensii filium,*] qui erat cum Curione in Cæsaris partibus. de hoc Valerius. *Metuit.*] quia nostrum consilium de relinquenda Italia patefactum Cæsari sit. *Quæ ad nos delata*] quæ de Quincto filio audiuimus, ab eo ad Cæsarem delata. *Quid futurum sit*] vereor enim, ne Cæsar, cum nostrum consilium cognouerit, nos obseruari, & fugientes retrahi iubeat. *Nam si haberemus, &c.*] iacente rep. nihil audeo contra prauam huius naturam; ne videar aduersari, nō quia deprauatus pessime de nobis mereatur, sed quia pro Cęsare faciat. quod si esset aliqua resp. consolationem abs te nullam quærerem; consilium ipse caperem aut ad seueritatem, aut ad indulgentiam. aut enim illum seueritate reprimerem: aut, abiecta de illo prorsus omni cura, permitterem, vt ageret & suo arbitratu, & suo periculo quod vellet. *Iracundia,*] magis placeret, Ira, vt est in antiquo libro: quia videtur iracundia non iram, sed naturæ ad iram procliuitatem ostendere: vt, si diceret, Hæc scripsi iratus, rectius videretur, quam, hæc scripsi iracundus. video tamen in hac ipsa pagina Iracundiam pro ira iterum vsurpatam, item alibi. *Ignoscesː*] quia scripsi, quæ tibi scio fore acerbissima. *Eum*] ipsum Curionem. *Lege Pompeia*] legem appellat, cum tamen duas significet, de ambitu vnam, alteram de vi, quas Pompeius tertium consul tulerat. Pedianus. *In Sicilia*] qua Catonem expulit. Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Propius factum est nihil:*] quam vt L. Metellus tribunus pl. cum ærarij fores complexus vetaret Cæsarem ingredi, occideretur. Hæc tamen quattuor verba non opinor suo loco posita, sed collocanda post, Tribunum pl. *Eum*] Cæsarem. *Voluisse*] minatum esse Metello, si pergeret obstare, quo minus ex ærario pecuniam posset sumere. *De ærario:*] quia,

cum ærarij claues non inuenirentur, refractis foribus publicas pecunias abstulisset. Plutarchus, & infra epist. 7. *Sex tui fasces?*] Cæsar Curioni Siciliam prouinciam assignauerat, quam proprætor administraret; ideoque & fasces vt imperiũ habenti dederat. *Cur laureati?*] neque enim laureatis vtebantur, nisi post victoriam de hostibus partam. at Curio neque adhuc victoriam vllam erat assecutus, & bellum cum ciuibus gerebat. *Ipso,*] Cæsare. *Cur sex?*] nam duodecim extra ordinem & Paullus Æmilius prætor ad bellum Ibericum proficiscens vsus est: quod in vrbe consulibus tantum, extra vrbem proconsulibus licebat. *Cupiui, &c.*] egi cum Cæsare de S. C. ab amicis & familiaribus occulte faciendo, quo mihi Siciliam prouinciam cum imperio fascibusque datam constaret: at ille, qui nunc senatui maxime est infensus, ita respondit: Senatum contemne; a me omnia proficiscentur. *Surrepto*] nam, si palam ageretur, Pompeianus aliquis tribunus pl. S. C. intercessisset, vt L. Metellus, qui omnia, quæcumque Cæsar agere instituit, intercessione impediuit. itaque fam. lib. 8. epist. 16. His, inquit, intercessionibus plane incitatus est Cæsar, & lib. 1. de bello ciu. *Duodecim nolui.*] quibus proconsules vtebantur. *Licebat.*] per Cæsarem, qui mihi omnia concessisset. *Petisse ab eo,*] vt vbiuis esse possem. *Philippum*] qui Atiam, Iulia Cæsaris sorore natam, habebat in matrimonio, post Octauij prioris viri obitum. vitricus igitur Octauij, qui post Augustus. *Nihil impetrabat.*] petens, vt in senatum venirem: quod si refugerẽ, ne adessem, cum de Pompeio detraheretur; venirem tamen, & agerem de pace. epist. 17. lib. 9. *Nunc ipsum*] vide epist. 9. lib. 8. *Eius caussa*] eius quidem causa, quod ad eum quidẽ attinet, minime offendisses, si ex Italia discessisses. *Tuam prouinciam*] Siciliam; qua nauigandum mihi erit, ad Pompeium in Græciam proficiscenti. licebit ne hoc mihi per te, & tua præsidia? *Per liberaliter.*] amantissimis verbis vsus est, cum omnia polliceretur. *Est verum profecto,*] mallem, Est profectum, hoc quidem sermone, quem cum Curione habui. primum enim, ex Profectum factum suspicor, Profecto, deinde ad Profecto additum ex ingenio Verum. *Exspectaturus,*] Cæsar, vt interrex comitia consularia haberet. quod fieri solebat, cum, anno finito, nulli dum designati consules essent.

essent. Exspectaturus: dum Lentulus & Marcellus annuum consulatus tempus perfecissent. *An*] an potius, ante quam ab vrbe discedat, decretum ab auguribus fieri velit, quo vel consules creare prætor possit, vel dictatorem dicere, qui deinde consules creet. epist. 8. & 14. lib. 9. *Quo modo dixerim?*] quasi turpe quiddam, nec dicendum, occultat; quod contra morem maiorum sit, aut consules creari a prætore, aut dictatorem dici. vel est incerti animi significatio; cum ignoret, quid acturus Cæsar sit de comitijs consularibus, si haberi ab interrege nolit, vt sit, Quo modo dixerim Cæsarem hoc explicaturum? *Ad se*] ad ipsum Cæsarem. *Deferri*] a populo: aut, a legibus, cum is esset annus, quo ei per leges consulem fieri liceret. decem enim anni post gestum cum Bibulo consulatum abierant. *Nolle*] voluit. nam, ipso dictatore comitia habente, consul factus cum Seruilio Isaurici filio. lib. 3. de bello ciu. *Nullo negotio*] iurabat in re graui, sed, etiam si nulla grauis esset causa, iuraret tamen pro Cæsare. vel: quod ego illum facile, hoc est prompto animo, iurare intelligerem. ex quo simulationis tollebatur suspicio. videbatur enim id ex animo facere. *Esse debet.*] existimo ita esse. *Affirmabat,*] Dolabella potius, quam Curio, si consideretur illud, Dico quid? affirmabat igitur in suis litteris. *Quod me cuperet*] pro, se cupere. Eodem modo, Quod, Plautus vsurpauit in Asinaria: Equidem scio iam, filius quod amet meus. & Ouidius de Tristibus,

Delicias si quis, lasciuaque carmina quærit;
Præmoneo, nunquam scripta quod ista legat.

Vide Commentarium nostrum epist. 28. lib. 7. *Iam. Illum*] Cæsarem. *Gratias agere*] quod ab ipso non rogatus, vltro scripsisset ad me, vt ad vrbem venirem. *Iubebat.*] Bessarionis liber, Videbat. vtrocumque modo, mendum tamen remanet. deesse enim aliquid videtur, quippe cum a sermone Curionis ad mentionem Quincti filij nullo verborum admiculo transeatur. *Domestici mali*] a Quincto filio: qui sermonem habuit cum Hirtio, mox cum Cæsare. ep. 4. *Illum*] Quinctum filium. *Me inuito,*] profectus est ad Hirtium. *Quæ pro illo sit suspicandum.*] & hoc, non dubito, quin mendum contineat. Suppliandū, est in Bessarionis libro. *Conuento.*] a te Attice; vt ex eo certum sciremus de Quincto fi-

lio. *Nescio quid,*] nescio quid mali ex hac Quincti filij profectione creatum. sed velim quam minimo defungamur. & videntur hæ vel commistæ epistolæ, vel præposteræ. nam supra narrauit sermonem Hirtianum. *Tu Oppios Terentia dabis.*] tu Oppios (de quibus epist. 7. lib. 8.) Terentiæ conciliabis; vt illi præsto sint, si quid ei opus erit. nam cauendū est illi tantum ab vrbis periculo: quod vnum iam videtur incommodum supereſſe. nam illud de turpitudine, quod me antea mouebat, si eo loco feminæ Romæ manerent reliquis abeūtibus, iam facessit, cum nobiliores feminæ in vrbem omnes iam redierint. quoniam igitur mansura est Terentia, Oppios illi da. *Me tamen*] quia videbatur epistolam in eo terminasse, Periculum est; subiungit, Hoc tamen addam. *Vt videro*] rursus eum aliquo profectum exspectabat. epistola 4. *Tirone*] Patris ægrotante. epistola 5. lib. 8. & 16. lib. 9. & fam. lib. 16.

IN EPISTOLAM V.

Tota mea cogitatione] consilio abeundi. *Die*] nauigationis meæ. *Lunam nouam.*] tum enim plerumque turbulenti sunt dies: vt id tempus maxime sit nauigantibus vitandum. *Harum rerum exitum non videre.*] id est, actum esse de rep. spem reliquam esse nullam. epist. 4. *De quodam,*] de Quincto filio: cuius nomen occultat; itaque & proximis verbis pene sententiam breuitate obscurat, veritus ne in alienas manus epistola perueniret. Ἀφκαδίαν] difficilem prouinciam. Adagium. *Vtinam tu*] suscepisses iuuenem regendum. epist. 6. *Modestior non ero.*] in eo regendo: vtar seuera disciplina. itaque epist. 6. Quinctum puerum, inquit, accepi vehementer. & epist. 7. Quinctum filium seuerius adhibebo. vtinam proficere possem. *Epistolam*] misi. *Requirere*] vt sibi commendarem aliquem meorum. *Commodius*] liberalius de die pecuniæ pro diuersorio soluendæ. *Negligentiam*] qui tam negligenter cum Canuleio de die solutionis egisset. longiorem enim fuit impetraturus, si contendisset. *De Canuleio*] nota locutio, pro, A Canuleio: vt De Crasso domum emissem, in epistola ad Sextium. *Rogassem:*] vt ageret cum Canuleio, amico suo. *Emisse:*] meo nomine. *Addici.*] diuersorium. *Pecuniæ*] Canuleio soluendæ.

uendæ. *Stomachosius*] subiracunde, qui tam angustum diē solutioni præfiniret. epist. 9. *Iocō familiari.*] quia sic epistolam inscripsi, Vecteno Monetali. vide epist. 9. *Agit liberaliter,*] quia diem pecuniæ longiorē fore pollicetur. *Certiorem esse factum.*] de eo, quod tecum locutus est, se curaturum, vt solutionis tempus vltra idus Nouemb. produceretur. *Tuo itinere*] in Epirum. epist. 7. lib. 9.

IN EPISTOLAM VI.

Moratur.] quia tempestas non est ad nauigandum idonea. *Astute*] astute agerem, si profectionem meā ad Pompeium differrem, dum scirem, quid in Hispanijs ageretur. epist. sequenti. *Retice.*] suspicor mendum subesse: suspicor autem non solum ex sententia satis absurda, sed etiam ex varietate exemplarium. nam in Bessarionis, & Alberti Ferri libris, Recitet &. *Et tamen*] & tamen etiam ob hanc caussam breues sunt. *De Quincto fratre*] Quincti fratris caussa. Alij, De Quincto filio: vt subaudiatur, regendo. *Sedulo:*] hoc videtur significare: Ita mihi sæpe corrigendus. *Mones:*] vt caueam, ne quis profectionem meam ad Pompeium odoretur. *Ab vno illo*] a Quincto filio: a quo cauere difficilius est, quam a ceteris; quia coniunctē nobiscū viuit. *Magnum opus*] duram prouinciam cepi. *Mirabilia multa.*] de eius minime simplici ingenio. *Si sine illo possem,*] si pater abesset: qui relaxat, quidquid ego adstrinxi. *Quod tu potes.*] neque enim Quinctus pater tecum est. *Ignosco:*] paterno amori; a quo est in filium indulgentia. *Qua, & quo,*] qua vtar via, quo iter intendam. epist. 2. *Ego vero*] puto initium alterius epistolæ. quid enim infra iteret de Quincto filio? *Tergiuersationem*] scripserat Atticus, se quoque exiturum ex Italia, sed lente, & quasi tergiuersantem, ne videatur Cæsaris imperium refugere, & præsentem reip. statum improbare; ideoque in Apulia, maxime Siponti, aliquandiu mansurum. *Neutrum*] neque pro Cæsare, neque pro Pompeio: quorum neuter pro rep. pugnat. *In acie,*] in castris, vbi erunt copiæ, vbi pugnandum erit. *Melita,*] quæ est insula Siciliæ proxima. epistola septima. *Futurum*] me. *Nihil, inquies,*] nihil enim iuuas, si in acie esse non vis. *Minus fortasse voluisset.*] non enim fortasse voluisset me ad illum ire; quia, cum eo peruenero, dicam quæ inuitus audiet:

improbabo rationem belli, copias, de ducibus multos. fam. epist. 3. lib. 7. *Meliore tempore*] licet mihi tempestatem idoneam exspectare: quoniam dubitandum mihi non est, vt aut mari Hadriatico Dolabella, aut freto Sicilienſi Curio meam vnquam nauigationem impediant. *Hadriatico*] cuius est commissa cura Dolabellæ, genero meo. Florus lib. 4. Fauces, ait, Hadriatici maris iussi occupare Dolabella, & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyręo litore castra posuerũt. *Præclara συῳδία.*] præclarum erit colloquium: statuemus enim de officio vtriusque nostrum. *Vixit,*] iucundissime fuit. *Iacere*] odiosum esse plebi, quia pecuniam ærarij abstulisset. epist. 4. *Nauigare*] Pompeij classem Curio timebat: quæ si fuisset, aiebat se de Sicilia abiturum. epist. 5. *Vehementer.*] seuere. *Auaritiam.*] video eum ad Cæsaris partes transisse, quia magnum ex eo congiariũ a Cæsare speraret. *Quod timueramus,*] ne cum Cæsare locutus esset de nostro consilio Italiæ relinquendæ. epist. 4. *De Oppiis Velienſibus,*] de quibus vide epist. 13. lib. 7. & 4. lib. 10. *Epirum,*] tuam. *Nostram putabimus:*] vtar vt mea, si acciderit, vt inde transeam, cum ad Pompeium proficiscar.

IN EPISTOLAM VII.

Exspectem,] vt differam profectionem meam ad Pompeium, dum Hispanienſis belli exitum audiemus. *Istum*] Cæsarem. *Trahi*] duci. *Ipsum Curionem*] quo nunc magis Cæsarianus nemo est. *Quiescamus.*] consilium eundi ad Pompeium omittamus. *Istum*] Cæsarem. *Quam victum:*] quam cum victus sit, magisque dubitet, quam fidat suis rebus. *Gabinio*] Cæsaris amico; qui ab exsilio restitutus sententiam dicet in senatu, & quidem ante me rogatus. Dio lib. 39. *Clælium,*] Bessarionis, & Alberti Ferri libri, Clodium, &, Cateli, pro, Catuli. vtrum rectius, diuinare nõ licet. facimus tamẽ, quod nostri muneris est, vt antiquam scripturam ostendamus. *Catuli*] clientem. Sic alibi: In qua erat Eros Celeris. *A me defensos*] non modo inimicos, sed nec meos necessarios, qui me defendente condemnati in exsiliũ abierunt, restitutos a Cęsare, videre in senatu sine dolore potero. *Dolore,*] quia, legibus condemnatos, armis restitutos videbo. *Dedecore*] quia versabor inter homines iudicio notatos.

notatos. *Vt mihi liceat*] Romæ viuere, & in senatum venire Cæsare victore. *Tamen ne dubitemus*] id est, diutius ne dubitans, animoq; suspensus cogitem, an Cæsari me venditem, & in Italia maneam? est vero abijcienda dubitatio, potiusque de discessu maxime cogitandum. nam, etiam si ei me nunc venditem, tamen non videor expers periculi futurus, quoniam ab eo rogatus in senatum non venerim. initio dissensionis, eius partes sequi si voluissem, præmium aliquod tulissem. nolui. nunc ei me venditem etiã cum periculo? *Non esse iudicium*] casum Hispaniensem nõ esse mihi exspectandum: propterea quod in eo bellum non terminabitur. *Themistocleum est.*] cogitat, quod olim Themistocles contra Persas, classe bellum gerere, ideoque in Hispanijs haud multum ponit. *Per se*] vt ipse præsens eas teneret; sed, quasi de ijs non laborans, legatis, Afranio, Petreio, Varroni, negotiũ commisit. *Sedentes*] otiosi, neutram partem adiuuantes. *Classibus aduersabimur*] Pompeij classibus. Sed otiosum videtur esse verbum. quorsum enim iteretur? itaque malim sic legi, Aduersabimur igitur? *Quod malum, &c.*] totus hic est perturbatus locus, ideoque stellula e regione appositа notatus. Bessarionis antiquus liber dictionem, Malum, non habet, & habet, An ni valde, pro, Hannibal. *Quod si iam, &c.*] officium postulat, vt Pompeium sequar. at periculosum erit; quoniam Cæsar, cuius venti secundiores videntur, offendetur. ita sane res habet. sed & mansio periculosa; si forte Pompeij causa, nunc afflicta, conualuerit. cum igitur vtrimque periculum impendeat; satius est Pompeium sequi, id est recte facere, cum periculo, quam in Italia manere, id est peccare, eiusdem periculi metu. *Ab illis*] a Pompeianis. *Si peccaro:*] si in Italia mansero. *Ab hoc*] a Cæsare. *Si recte fecero.*] si ad Pompeium iuero. *Vt non sit dubium, &c.*] vt sine vlla dubitatione turpitudinem, quæ est in mansione posita, fugere debeamus, eo magis, quod ne mansio quidem periculo vacat: quæ vel si salutaris esset, ob turpitudinem tamen cõsilium caperem discedendi. *Non simul*] obiectio. *Omnino*] responsio. *Fefellit eares,*] decepit, induxit. id caussæ, inquit, fuit, ne simul cum Pompeio mare transierim, quod, pacẽ existimans fore, veritus sum, ne deinde Cæsar ob transitionem mihi esset inimicus. epist. 11. lib. 8. *Fortasse non de-*

buit:] fortasse non tanti apud me isthæc suspicio esse debuit, vt propterea Pompeium, de me optime meritum, desererem. *Cum idem*] cum eodem tempore. videbam enim, si pax esset, Cæsarem & mihi fore iratum, & eundem Pompeio amicũ. *Senseram*] Clodianis temporibus: cum Pompeius ideo me noluit defendere, ne Cæsarem offenderet. cuius temporis similitudinem pertimui. epist 4. *Idem*] coniuncti, eiusdem voluntatis. *Auguria quoque me incitant*] ad discessum. auguror enim spe non dubia, nullo modo stare posse Cæsarem diutius, etiam nobis languentibus. *Ab Appio,*] Bessarionis, & Ferri scripti libri, Ab Athico. & quoniam hi libri sæpe pro Atticus habent Athicus, vt in hoc ipso ambitu, Ettamen mi Athice: putaui minore mutatione legi posse, Attio, quam, Appio: vt de Attio Nauio intelligatur, qui, Tarquinio Prisco Romæ regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit, de quo lib. 1. de Diuinatione his verbis: Quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Nauio regionum facta descriptio? qui cum propter, &c. Liuius quoq; lib. 1. Explano igitur, Non hæc collegij nostri ab Attio, non hæc auguralis collegij ab Attio deriuata, sed illa a Platone sumpta, qui scripsit non diuturnam esse posse tyrannorum dominationem. *Florentis, ac nouos, vt vti diebus*] quoniã ab impressis libri scripti ne littera quidem dissentiunt, tentemus num elicere correctionem e coniectura possimus, ita vt ab antiqua scriptura quam minimũ discedatur. sic igitur fortasse corrigendum: Florentiss. ac nouus VI. VII. diebus: id est, Florentissimus ac nouus sex septem diebus. vt, sex septem, dictum sit, pro, sex septemve: quemadmodum dixit Horatius,

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris.

cum paucos omnino dies Cæsar in vrbe moratus in Hispaniam contra Pompeij legatos contenderit. quod ex ipsius Commentarijs de bello ciuili planum fit. *Ipsi illi*] quæ antea eum spe licentiæ rerumque nouarum dilexerat. epist. 3. lib. 7. *In Metello:*] cui mortem cum sit minatus, ostendit superiorem mansuetudinem non naturalem fuisse, sed simulatam. *In ærario.*] cum ex ærario pecunias abstulit, indicauit falsum esse id, quod antea simulauerat, affluere se diui-

tijs. qua-

tijs. quare, cum ab eo & cædes, & rapinæ timeantur; ex metu odium creabitur, ex odio autem ea, quæ ceteris tyrannis euenerunt. epist. 4. *Patrimonium suum*] nam & Antonius, & Curio, & Dolabella, Cæsaris socij, magno omnes ære alieno oppressi. *Fefellerit:*] hæc opinio de Cæsaris non diuturno regno. *Tulerunt:*] ibo, inquit, ad Pompeium eo libentius, quod Cæsarem puto, etiam languentibus nobis, diutius stare non posse. quod me si fallet, aliterque, atque ego auguror, acciderit; feram, vt multi excellentes in rep. viri; quos fefellerunt ea, quæ putarant: ideoque & Themistocles, & Africanus, & C. Marius in eos casus inciderunt, quos vitassent, si nihil illos fefellisset. *Nisi forte*] nisi tu id censes, quod censere nequaquam debes, non esse mihi de discessu cogitandum; vt potius, Sardanapali exemplo, in patria, & in meo lectulo iners, ingloriusque moriar, quam vt Themistocles in exsilio. *Sardanapali vice*] vt Sardanapalū, instar Sardanapali. Suetonius in Nerone: Vice mundi circumagi cenationem. *In suo lectulo*] pro, in meo. Græcum loquendi genus. nam ἑαυτοῦ valet, sui ipsius, & mei ipsius. non igitur legendū, Meo, quod video placuisse viris doctis: sed accipiendum, Suo, pro meo, more Græco, vt dixi. Sic & Pompeius in epistola ad consulem locutus est, lib. 8. epist. 6. Nunc, vt ego non sciebam, sua sponte intelligere scio, quanti reip. interfit, omnes copias in vnum locum primo quoque tempore conuenire. Sua sponte, pro ipsa re, tua sponte, me non monente, dixit. quamquam & hic sine caussa mutatum erat, Sua, in tua. Accedit consensus veterum librorum, in quibus video scriptum esse, Sua sponte. *Exsilio Themistocleo*] pulsus inuidia ciuium, ad Artaxerxem, Persarum regem, exsul Themistocles confugit. Plutarchus. *Qui*] res interdum Cicero attendit potius, quam verba, vt hic: nam Qui, coniungi non potest cum Exsilio Themistocleo: cum sint diuersa genera. sed quia, Themistocleo, nihil aliud quam, Themistoclis, significat, propterea, vt dixi, rem spectans Cicero, non verbum, intulit Qui. *Ait*] lib. 1. historiæ. *Lacedæmoniorum,*] quos publico Græciæ consilio cum offendisset, post ab ijs accusatus est apud Athenienses, quod societatem cum rege Persiæ occulto coiuisset. Plutarchus, Iustinus. *Suorum ciuium*] a quibus in exsilium actus est. *Artaxerxi*] cui de subigenda Græcia pollicitus,

postea cum videret præstare non posse, voluntaria morte, veneno sumpto, vitam finiuit. Plutarchus. *Illa nox*] Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus repertus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniæ vxoris, cuius fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, iure sibi cæsum videri. quod profecto nunquam dixisset, si talē exitum prouidisset. ergo & eum, sapientissimum virum, aliquid fefellit. fefellit & C. Marium; qui cum L. Sylla numquā profecto contentionem suscepisset, si diem illum, quo vrbe pulsus est, mentis acie prouidisset. *Perpetua*] πλείων χρόνος, οὓν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω, τῶν ἐνθάδε. Ε κεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι: inquit apud Sophoclem Antigone. *Maturius:*] si acciderit, vt ante, quam iste corruat, ego peream; mea non multum intererit vtrum, &c. Iidem viri docti hoc referunt ad Cęsaris necem: quod miror: cum sententia pateat ex eo: Mea non multum intererit, &c. *Vt ijs paream,*] vt Cæsaris imperio me summittam, cum imperium mihi contra eum senatus dederit. fam. epist. 10. lib. 16. & in oratione pro Deiotaro, & Cæsar de bello ciu. lib. 1. *Domesticas tricas.*] propter rē familiarē a viro suo Dolabella male gubernatam. fam. epist. 16. lib. 2. στοργῆς, &c.] quamuis eximia sit eius in nos pietas & amor; ideoque metu periculorum, quæ mihi ad Pompeium eunti videor impendere, vehementer moueatur; ire tamen vult, &, quid rectum sit magis, quam quid vtile, considerat. *Ex Italia*] exiturum. *Antonio*] quem Cæsar, in Hispaniam contra Pompeij legatos proficiscens, Italiæ præesse voluerat. Plutarchus. *Nolle*] me. hoc est Antonio dicendū. *Quam putas,*] quia Clodio intimus fuerat Antonius in tribunatu. Philipp. 2. *Rumorem,*] quod de tua ad Pompeium profectione audiuimus. *Dolabellam,*] generum tuum, qui nobiscum est. *A ζηλοτυπία mea,*] quia molestē tuli te augurem creatum, cum me eiusdem honoris cupiditas atque amor teneret. Phil. 2. *Iniuria tua*] non enim ea causa petisti auguratum, vt iniuria me afficeres. itaq;, cum ob eam rem quædam consecuta sit offensio, nata nōn ab iniuria tua, quæ nulla fuit, sed a ζηλοτυπία mea, qui eundem honorem concupieram, danda mihi opera est, vt omnia tibi studia officiaque præstem; ne videar ex illius temporis memoria tibi esse infensus; cum intelligam, & fatear, nullam mihi a te iniuriam esse fa-

esse factam. non enim appellare possum iniuriam, quia tu petieris id, quod ego cupiebam. *Tibi omnia integra serues,*] sustineas te, &, vt adhuc fecisti, neutram in partem inclines. *Eius fidem improbes,*] Pompeio ne te credas. *Iniuriam fecit:*] cum inimicum tuum Clodium contra ius amicitiæ aduersus te armauit: vt eius opera pulsus in exsilium videaris. noli igitur spectare tam beneficium, cum te restituit, quam iniuriam, cum eiecit. *Et si non amabit,*] tacitæ Ciceronis obiectioni respondet, verentis, ne se Cæsar, eius partes non sequentem, non amaret: nam Antonius id tantum petebat, ne Cicero iret ad Pompeium, non vt Cæsarem sequeretur. *Non potest,*] fieri non potest, vt te non amet. *Hominum fama,*] de tua profectione ad Pompeium. *Periculi caussa*] aliis bellis ciuilibus cum nonnulli nihil melius putarẽt, quam ab omni contentione abesse; tamen, quia ducem alterutrius partis sibi scirent esse inimicum, victorem timentes contrariam partem adiuuent. quod tibi faciendum non est: qui ex superioris meæ vitæ testimonio scis me crudelitatem nõ amare, prætereaque tibi esse amicum. *Aduentus*] non est epistolæ principium, sed pars, vt fit, addita. dixit enim iam, aduenisse Philotimum. initium autem huius satis longæ epistolæ illud est, Et res ipsa me monebat. *Exanimauit*] quia, cum pro certo haberemus, Cæsarem in Hispaniam proficiscẽtem itinera tardius facere cœpisse, Petreium cum Afranio copias coniunxisse, ipse nihil attulit eiusmodi. quod eo credendum magis est, quia scimus eum solere sæpe pro Pompeio mẽtiri. *Volare dicitur:*] vt nunc audimus, contra quã nobis erat persuasum. *Coniunxisset:*] & hoc ad illud refertur; Dubitauit nostrum nemo, quin. quod igitur vtrumque certum putabamus, id aliter esse, Philotimi sermone cognouimus. *In Germaniam*] inde Galliam petiturum, vt Cæsarem auerteret ab Hispania. ep. 6. quod Philotimi sermone non confirmatur. *Melitam*] vide ep. 6. *Dum, quod in Hispania:*] dum sciamus, quod in Hispania actum sit. *Vnicam filiam*] Vnicum filium, videtur legendum ex epistola Cœlij. *Pueri nostri.*] meus, & fratris filius. *De dignatione*] de dignitate, de honesto. Bessarionis tamen liber, De dignitate, habet aperte. & potest sine suspecta vox esse Dignatio; cum alibi nusquã, quod meminerim, in Cicerone reperiatur. etsi, quod ad sententiam at-

tinet, Dignatio magis placet, quam Dignitas, quæ non conuenit in puerum. *Si quid ab Afranio.*] si quid ex Hispania: quam Afranius, Pompeij legatus, cum duobus collegis administrabat. *Credendo,*] si permittit, vt ex Italia discedam; caute tamen credam. *Occultandi*] consilij mei de discessu. *Seruium*] Sulpicium. epist. 6. *Postumia & Seruij filij.*] fateor, qui sit verborum ordo, me non videre: & ob hanc caussam, & quia Bessarionis liber pro, & Seruij, habet, Sciui. suspicor de mendo. *Quartanam*] qua diu grauiter laborasti. *Exanimatus*] affectus incredibili dolore, qualem ferunt, qui exanimantur. epist. 15. libro 9. *Tuis litteris,*] quæ non exstant. multas enim periisse constat. Tiro libertus, quas reperit, in volumina retulit: quæ ad ætatem nostram peruenerunt. *Aperuisti,*] non perscripsisti, quid esset, quod cogitares; significatione tamen quadam ostendisti. *Per fortunas tuas,*] vsurpatur hic loquendi modus cum dolore, aut certe cum summa cupiditate obsecrantis. vt fam. epist. 1. lib. 14. Per fortunas miseras nostras, vide ne puerum perditum perdamus. Et epist. 20. lib. 3. Per fortunas incumbe, vt facis. Et epist. 11. & 13. lib. 5. *Ne quid grauius de salute tua consulas.*] ne quid statuas, quod saluti tuæ non expediat. *Qualis futura esset*] explanatur hoc eo quod sequitur, Nihil nisi atrox & sæuum cogitat. Huic sententiæ respondit ipse Cicero his verbis epist. 16. lib. 2. fam. Nec me ista terrent, quæ mihi ate ad timorem fidissime atque amantissime proponuntur. *Eandem rationem fore Cæsari*] ita lenem fore Cæsarem in salute aduersariis tribuenda, vt fuit in condicionibus de pace. tulerat enim illam condicionem, vt ipse & Pompeius exercitus traderent. epist. 14. *Iratus senatui*] quia non obtinuisset, vt legati ad Pompeium de pace mitterentur, & quod, quascumque res agere instituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedés impedierat. de quo scripsit Cæsar lib. 1. de bel. ciu. & Plutarchus in eius vita. *Exijt.*] vrbe, iturus in Hispaniam contra Pompeij legatos, ipso iam Italia pulso. *Intercessionibus*] L. Metelli tribuni pl. de quo sic lib. 1. de bel. ciu. Subiicitur L. Metellus tribunus pl. ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere instituerat, impediat. cuius cognito consilio, Cæsar, frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis iis quæ agere

gere destinauerat, ab vrbe proficiscitur. Intercessionis causam, quam referre Cæsar in suos Commentarios noluit, exponit Dio lib. 41. quod, cum ferretur lex, vt promere pecuniam ex ærario Cæsari liceret, intercessit L. Metellus tribunus pl. qui, cum intercessionem videret, ærarij ianuam custodire cœpit: sed milites, effracta sera, aditum ad pecunias Cæsari dederunt. Plutarchus Cæsarem obsistenti Metello, ne pecunias ex ærario sumeret, mortem minitatum esse, tradit. Subscribit Appianus. nec aliter ipse Cicero epist. 4. Iracundia elatum, inquit, voluisse occidi Metellum. *Si tibi tu sis filius Cinicus*] hanc partem, miserabiliter scriptam, non sine magno fletu lectam esse a duobus pueris Ciceronibus, Attico significauit his verbis libro 10. Lacrymæ meorum me interdum molliunt, precantium, vt de Hispaniis exspectetur. M. Cœlij quidem epistolam, scriptam miserabiliter, quæ hoc idem obsecraret, vt exspectarem, ne fortunas meas, ne vnicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri. *Domus*] Domum posuit pro domesticis, vt epist. 12. lib. 4. Domus te tota salutat. *Si aliquid apud te nos*,] rogo te pro eo, quanti apud te sum. *Genner tuus*] Dolabella, qui apud Cæsarem erat. *Sequere eam caussam*] adiunge te ad Cæsaris caussam. *Salus nostra*] mea, & Dolabellæ. *Ne aut odisse*] subaudi: eam caussam, cuius ex victoria salus nostra pendet. Totum hunc locum emendaui ex antiquis libris, Bessarionis, & Ferri. *Impiam cupiditatem*] nam, si cupimus eam victoriam, in qua salus nostra posita est; simul perniciem cupimus eorum, qui Pompeium sequuntur. quo tu in numero si fueris, cogemur impie cupere contra salutem tuam. *Quod offensa fuerit*,] si vereris, ne in Italia si remaseris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione iam offendisse. quidquid esse potuit apud eum offensæ, id subisti, quia cunctatus es, nec ad eum statim accessisti, *Victorem*] Cæsarem. *Dubiis rebus*] cum adhuc Pompeius in Italia consisteret. *Fugatos*] iam in Græciam Pompeius fugerat. *Parum optimatem esse*,] parum officio fungi boni ciuis. *Quid optimum sit*,] quid tuæ tuorumque saluti plurimum conducat. *Totum*] ne omnino ad Pompeium transeas. *De Hispaniis*] eiecto Italia Pompeio,

ſtatim ad vrbem, deinde in Hiſpanias cõtra eius legatos profectus eſt Cæſar. *Hoc,*] velle te ad Pompeium nauigare. *Optimatium*] Ciceronem reprehendentium, quod Pompeiũ & conſules, id eſt ipſam remp. deſeruiſſet. ep. 16. l. 8. & 2. l. 9. *Inſolentiam*] quorundam Cæſarianorum, qui, quaſi iam parta victoria, ita ſe inſolenter efferant, vt ferre vix poſſis. Cicero reſpondit: Noſti non modo ſtomachi mei, ſed etiam oculorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium. ep. 16. lib. 2. fam. *Iactationem*] qui ſe inſolenter iactant, quaſi deuictis Pompeij partibus. *Vacuum a bello,*] idem ſuaſit generi eius Dolabella. fam. ep. 9. lib. 9. *Dum hæc decernuntur*] dum hæc armis diiudicantur, ad exitum perducuntur. Sic Virgilius, lib. 12. Æneid.

——*Decernere bello.*

IN EPISTOLAM IIX.

Me cæcum,] qui ante non viderim ea, quæ nunc video, iſtos non daturos, vt ex Italia arbitratu meo exire poſſem. ſtulte igitur cunctatus ſum. *συντάλλω*] epiſtolam, quæ occulte ſignificet, profectionem ex Italia mihi ab eo non dari. *Generi mei,*] Dolabellæ, qui erat in partibus Cæſaris. *Amicitiæ:*] quæ illi cum ipſo Cæſare ſumma erat. *Si aliter ſentirem,*] ſi Cæſaris amicus non eſſem. *Eſſe cum Pompeio:*] cum in Græciam tranſiit. *Cum lictoribus*] quos vt proconſul retinebat. nondũ enim vrbem introierat: quia fore ſperabat, vt ob res in Cilicia geſtas triumphãs ingrederetur. quod ei propter bellum ciuile non contigit: interea, ductus ea ſpe, lictores laureatos cum imperio retinebat. *Inuitus*] ob ſermones maleuolorum, hominis ambitionem, ſtultamque cupiditatem notantium, qui, rep. ciuilibus armis perturbata, de triumpho cogitaret. itaque ep. 16. lib. 2. fam. Incurrit, inquit, hæc noſtra laurus non ſolum in oculos, ſed iam etiam in voculas maleuolorum. *Curſarem,*] curſare non curſum, ſed crebrum motum hic ſignificat. quis enim, virum conſularem, & adhuc proconſulem, imperio & laureatis lictoribus ornatum, cucurriſſe credat? eſt igitur, Curſare, huc illuc ire: quod etiam dicitur de iis, qui lectica geſtãtur: quos certe currere nemo dixerit. epiſt. 1. lib. 7. fam. Vt mecum noſtra ſimul lecticula concurſare poſſis. Simile illud ep. 1. lib. 1. ad Lentulum:

tulum: Libonis & Hypsæi non obscura concursatio & contentio. Quoniam igitur in iis, qui crebro mouentur, & loci mutatione delectantur, est quædam currentium similitudo; propterea verbum, cursare, ad eos etiam, qui properant in agenda re, translatum est. *Abesse velle,*] non dicit aperte, ex Italia se velle discedere: ne lædat animum Antonij: sed, abesse velle: quasi latebram aliquam, in qua cum lictoribus occultari possit, vel in Italia, vel extra Italiam quærat. ita, sermone dubio, relata in lictores causla, facilius impetrare se posse cogitabat. sed eius consilium Antonius non ignorãs, expressit in suis litteris, quod Cicero occultauerat. rescripsit enim: Partes mihi Cæsar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Eodem modo ad Cœlium, voluntate dissimulata, scripsit Cicero epist. 16. lib. 2. famil. Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem. *Nec idipsum certum etiam nunc habere;*] dissimulat properationem suam; ne videatur itionem in Græciam cogitare. τυφαννικῶς.] primum quia rescripsit libere, quid sentiret de Ciceronis voluntate: deinde, quia, se non esse permissurum vt ex Italia discederet, ostendit. *Tuum consilium quã verũ est.*] cũ ironia dictum: in quo quædam videtur esse contemptio. & huc etiam spectat verbum τυφαννικῶς. Quis credat, inquit, eũ esse tuum sensum, quem significas? id est, nihil te contra Cæsaris rationes cogitare, &c. *Ne quem omnino*] excepto nemine. Omnino, otiosum non est, sed comprehendit omnes, vt Ciceroni spem adimat impetrandi. *Parui refert, me probare cogitationem tuam,*] quam tamen se non probare, primis epistolæ verbis declarauit. *Non dubito, quin impetraturus sis,*] abesse non videtur ironia. *Amicitiæ nostræ*] quæ tibi & cum Cæsare, & mecum est. Cicero de Cæsaris tantum amicitia, vt opinor, locutus erat: Antonius accipit, quasi de sua quoque dictum sit. ep. 23. lib. 16. fam. σκυτάλων λακωνικῶν.] breuem epistolam, quales occultis, grauibusque de rebus Lacedæmonij ad imperatores suos, in loro scriptas, vnde σκυτάλαι dictæ, mittebant. vide Gellium libro 17. capite 9. & Suidam. *Omnino*] hoc verbo vtitur, vt sibi deliberatum ostendat, eum exspectare, cuius tamen congressum libenter vitaret. *Excipiam*] non dicit, Occurram, sed, hic eum exspectabo, non discedam. *Venturus*] in Misenum. *Ad me*] dignitas pro-

consulis Ciceronis, vt ad eum iret Antonius, postulabat. *Tentabo audiam, &c.*] vtinam, quam facile mendum videmus, itidem corrigere liceret: conandũ tamen, si nihil aliud, vt aliorum excitentur ingenia. Hic fortasse legendum, & distinguendum hoc modo. Tentabo: aut dicam, nihil properare, missurum ad Cæsarem. clam ibo: cum paucissimis alicubi occultabor. Vel tentabo, inquit, vt præsens impetrem ab Antonio: quod per litteras impetrare non potui: vel, si responsum idem feram, dicam me nihil properare, missurum ad Cæsarem, quod ille suadet. deinde clam ibo, & cum paucissimis alicubi occultabor, eo consilio, vt hinc omnino, vel istis inuitissimis, euolem. *Vtinam ad Curionem,*] in Siciliam. is enim Ciceronem admodum diligebat. σὺν θεῷ.] fauente deo. hoc non separatim lego, sed cum superioribus coniungo, & a sequentibus disiungo. sic enim se euolaturum confirmat, si modo adiuuet deus. τοὶ λέγω.] τοὶ pro σοὶ, Dorice. Tibi, inquit, dico: euolabo hinc certe, istis inuitissimis. *Magnus dolor*] ex litteris Antonij, negantibus id, quod petebam, scriptisque τυραννικῶς. *Accesset.*] quasi non exspectatus. vel, Accessit, ad eum, quem ex malis reip. capio. ἀνυσία] vrinæ difficultas. quem sibi molestum esse morbum aiebat Epicurus, epist. 26. lib. 7. fam. Ἀρχή.] principium. inueteratum enim morbum non facile medicina tollit, nascentem paruo negotio curat. hinc Ouidius:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

De Massilienſibus] qui portas Cæsari clauserant. *Effeceram*] obtinueram a Curione, vt palam nauigare possem. epistola 4. *Seruium*] Sulpicium. epist. 6. & 7. *Opus esse.*] vt eius consilia cognoscam. forte enim & ipse mecum exire volet ex Italia. epist. 6. *Hic*] M. Antonius. *Cytheridem*] mimam, quam amabat. hæc est, de qua Virgilius,

——tua Galle Lycoris
Perque niues alium, perque horrida castra secuta est.

quo loco vide Seruium, & Philip. 2. *Vxorem:*] Fuluiam, quæ fuerat vxor P. Clodij. *Hæ sunt amicorum*] ad satiandam amicorum libidinem. *Redierit,*] Cæsar ex Hispania. *Illum*]

lum] Antonium. *Iuuenem noſtrum*] Quinctum filiũ. *Moleſtiarum:*] publicis enim domeſticæ iunguntur.

IN EPISTOLAM IX.

Aliter ad te] de Quincto filio nõ idem ad te ſcripſit, quod ad matrem, ſororem tuam: & recte: dolorem enim illi deberet commemorandis filij vitijs. obſeruandum latine dici Aliter &, Aliter vt, Aliter ac, Aliter atque. *De itinere, & de ſorore*] de itinere Quincti filij, & de ſorore tua a viro ſuo, fratre meo, diſſentiente. neque ſane vmquam inter eos conuenit. epiſt. 11. lib. 4. *Præſtare,*] ſoluere. epiſt. 17. lib. 7. *Hæc quoque,*] ferociam, & arrogantiam. *Ea vero,*] quod ſit mẽdax, quod auarus, quod ſuorum non amans. *Non ſunt ab obſequio noſtro, non: ſuas radices habent.*] ſunt enim vitia a natura profecta. epiſt. 6. Alij, Nam ſuas radices habent. ego, ſecutus Beſſarionis librum, repoſui, Non. & ſane ἔμφασις haud paullo maior eſt, ſi legatur ſic; Non ſunt ab obſequio noſtro, non; habent ſuas radices. Qua figura & in oratione de haruſpicum reſponſis vſus eſt, cum in Clodium inuehens, Nõ ignouit, inquit, mihi crede, non. niſi forte tibi ignotum putas, quod te iudices dimiſerunt exculſum, & exhauſtum, ſuo iudicio abſolutum, omnium condemnatum. Et in epiſtola Bruti: Vt iam iſta, quæ facit, non dominationem, non, ſed dominum Antonium timentis ſint. Item Varro rerum ruſticarum lib. 3. cap. 2. Non tibi decoquet, non, ornithon. Quo modo & Græcos locutos eſſe animaduertimus. ait enim Sophocles in Aiace: θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὖν. Vis eadem ſentitur in dictione, Nihil: vt in Agraria. 2. Nihil ſibi appetit præcipue Pompeius, nihil. *Languidiora conſilia*] arma cum Pompeio non ſumpſi, ne filij fortunas in diſcrimen adducerem. *Fortiorem vult eſſe,*] vult me ad Pompeium nauigare, quia nihil, niſi de dignatione, laborat. epiſt. 7. *Crudelior.*] illius rationibus male conſulens. Pompeianorum enim filij, ſi Cæſar vincit, parentum pœnas luent. *Venit*] ad Miſenum. epiſt. 7. *Scripſit,*] ſe non paſſurum ex Italia quemquam exire. epiſt. 8. *AEſtate*] cum pueris in Italiam ex Cilicia reuertens. *Monſtra,*] vt de Balbo in ſenatum venire cogitante. *Ei ipſi*] Trebatio. Ἀπόλομος] quia diem ſoluendæ pecuniæ nimis ſtricte definierat. epiſtola 13.

θυμικώτερον erat] stomachosius ad eum scripseram. *Monetali*] quod monetam nimis amaret. in quo sum familiariter iocatus, quia & ipse ad me scribens, adscripserat, Proconsuli, non, vt debuit, Imperatori. *Est homo*,] vt humanus errauit.

IN EPISTOLAM X.

Imperatum] ne me patiatur exire ex Italia. *Curionem nactus*,] quia, Curionem nactus, effeceram vt per eius prouinciam palam nauigare possem; omnia me consecutum putabam: nunc video me nihil egisse, quoniam custodior vndique, ne discedam. epist. 4. *Ad Horrensium*] vt, quoniam inferi maris pars ei commissa esset, meam nauigationem ne impediret. *Reginus*] & hic infero mari præerat. liberam igitur Cicero suam nauigationem putarat fore, cum neque Curio, neque Hortensius, neque Reginus impedimento futuri essent. id contra cecidit. nam Antonius & ipse eius maris curã postea suscepit, qui exitus ex Italia non dabat. *Huic*] nullam, inquit, apud Antonium huius maris curam suspicabar futuram. *Compacto*] in omnibus libris, Cum pacto. ego coniectura sum adductus, vt emendarem, Compacto, hoc sensu: Occulto hinc cogito discedere, ne meã profectionem Cæsariani resciscant. nam id si accideret, suspicari Pompeius posset accidisse me volẽte, qui palam profectus essem, vt impedirer. non committendum igitur est, vt videar compacto prohibitus. Compacto, dixit, id est consulto, & dedita opera. qua voce Plautus sæpe in hunc sensum vsus est. *Maiora quadam*] inde enim tuta erit in Græciam nauigatio. epistola 4. *Quamquam*] quamquam fortasse Curio Siciliam amiserit. quod vtinam ita sit. *Adhuc nihil secundi.*] adhuc aduersa nobis omnia fuerunt; vt vix videar posse credere, quod de Siculis audiui. *Resisteret:*] Curioni aduenienti. non restitit tamen, & prouincia cessit, vt est lib. 1. de bello ciu. *Luculentus auctor*,] is, qui hæc dixit. σφοδρῶς. *Audietur.*] quid in ijs actum sit. *Eadem de re*] de profectione ad Pompeiũ. Bessarionis liber, Eadem fere. *Seuerius adhibebo.*] seuero vultu, vt mones, eum accipiam. *Quidquam ὑγιὲς.*] exspecto Ser. Sulpicium, nec tamẽ exspecto quidquam sani, id est, non puto eum, quod viro dignum sit, esse facturum, neque

mecum

mecum ex Italia exiturum. *Erraſſe*] qui cunctatus ſim, qui nonante diſceſſerim. *Prouidere.*] non ruere, non temere diſcedere, ſed omnibus rebus ante circumſpectis. *Quæ accidere poſſunt,*] mihi, ſi diſcedam. poſſunt autem accidere mors, & fortunarum ruina. *Sedendum*] manendum in Italia. *Iſtic*] Cæſarianis. *Effeciſſem*] quod eſt a nobis hac noſtra mor. cõtractum culpæ, id profectione ad Pompeium correxiſſem. *Suſpectus.*] mihi: vt iter non audeam per eius prouinciam facere. epiſt. 4. *Vi,*] ſtatim, ſine vlla mora, vel cum periculoſed, aduerſa tempeſtate, nollem. *Trahimur,*] honeſtũ nos trahit ad Pompeium, nec, ſi quid nobis ob hanc cauſſam accidere poſſit acerbius, recuſandum. *Maſſilienſium factum*] quod Cæſari portas clauſerunt. de bello ciu. lib. 1. *Luculentum*] inſigne, præclarum. *Iuncti*] quo modo, cum inter Maſſiliã & Hiſpaniam interſit magna pars Galliæ Narbonenſis? malim, Vicini. cum & liber Beſſarionis habeat, *Victi. Odium*] in Cæſarem. *Significatum*] a populo. *Aſſumpſit,*] Cæſar. *Ruat.*] in fortunas, vitamque ciuium. epiſt. 8. *Deſperarit.*] ſe poſſe Pompeium vincere. *Efficiendum*] mihi. *Primum quidque*] explicemus. fam. epiſt. 1. lib. 12. *Iuueni,*] Quincto filio. *Cuppedit abimus:*] præcepta ad virtutem. *Peloponneſum ipſam*] qui difficilem prouinciam ceperunt, eos, vt ſuſtineant quod ſuſceperunt, hortamur his verbis: Spartam nactus es, hãc orna. quod ij, quibus, vt Spartæ naſcerentur, contigiſſet, eniti vehementer deberent, ne tam nobili patria minus digni videreatur. ſed Cicero, qui regendum Quinctum filium ſuſceperat, non contentus, ſi Spartam diceret, Peloponneſum dixit, vt plus ſignificaret; quoniam pars eſt Sparta Peloponneſi. Suſtinebimus, inquit, quam ſuſcepimus, non Spartam, ſed Peloponneſum ipſam. *Indoles,*] in Quincto, quæ ſpem afferat futuræ virtutis. *Ἦθος ΑΚΙΜΟΔΟΝ*] quid, ſi, ἦθος ἀκίμον? vt hoc dicat: mores curari & ſanari, quamuis corrupti, poſſunt. quod quamquam non eſt factum, fieri tamen poteſt: cum mihi perſuaſum ſit, virtutem diſciplina tradi poſſe.

IN EPISTOLAM XI.

Adſpem] cur bene ſperandum ſit de rep. *Antonii leones*] de leonibus curru iunctis ab Antonio, ſunt qui intelli-

gendum putent. ac nos quidem his assentientes aliquandiu idem putauimus: sed postea quam, collatis temporibus, veritatem historiæ tamquam in trutina cœpi perpendere, assensum sustinui. iunxit enim certe leones curru Antonius, vt Plutarchus & Plinius docent; sed, vt ijdem tradunt, postquã in Pharsalicis campis dimicatum est. at vero hanc epistolam nondum confecto Hispaniensi bello scriptam esse, id est multis mensibus ante Pharsalicum prœlium, tum ex ipsa, tum ex alijs epistolis supra infraque scriptis dilucidum est. Leones igitur explano, quibus Antonius delectaretur, quod animi feritatem indicaret. *Iucundius.*] potius enim mollem, iucundamque vitam, quam mali quidquam, videtur cogitare. πράξιν πολιτικὴν] factum ciue dignum rempublicam administrante. εἰρωνικῶς. *I V. viri*] qui municipijs præerant. *Horam tertiam:*] ab exortu solis. semper enim & Nox duodecim erat horarum, & Dies: horæ autem nocturnæ per hiemem longiores, diurnæ breuiores; æstate vero contra. Atque hanc, quæ ad horas pertinet, rationem vniuersam nemo tractauit patre meo peritius. exstat hac de re Commentariolus ab eo conscriptus, ad veteres de re rustica libros apprime necessarius. *Iratus*] quod hi præter ceteros beneuolentiã in Pompeium ostendissent, votis olim pro ægrotantis salute factis. epist. vlt. lib. 8. Tuscul. 1. & Plutarchus. *Exsulibus*] lege Pompeia damnatis. epist. 4. *Gratum.*] quod eum Curio commendaueris. epist. 5. lib. 8. & 16. lib. 9. *Vectenum diligo.*] quoniam mihi amicum esse scribis. epist. 9. *Reddidi*] litteras a te missas. *Serutus*] Sulpicius. *Obseruarit.*] antea coluerit. *Imperatum*] ei a Cæsare. *Negare*] quod ab eo petij, vt liceat mihi exire ex Italia. *Excogitabimus.*] de occulto discessu. epist. 7. & 10. *Ocellam,*] Seruium Ocellam; quem Cœlius in quadam epistola bis deprehensum scribit in adulterio. *Retardatos.*] impeditos Cæsarianis custodijs, ne discedere possint ex Italia. *A Curtio*] opinor, quia debitam Attico pecuniam non soluerat. cogitabat autem Atticus in Epirum: vt supra. *Scytha* ὄνον.] vnam puto fuisse Græcam dictionem, cuius etiam vestigia in Paulli Magnuli libro video notata, ΕΥΙΤΕΟΝΟΥΝ. inde eliciet, qui poterit, veritatem. nos, quasi vlceri desperato, manum admouere noluimus. monemus illud vnum, ex vetere scriptura quid-

ra quidvis potius reponi posse, quam quod legitur in libris impressis, Scytha ὄνον. *Vitam miseram, maiusque malum, tam diu timere, quod timetur, quam est illud ipsum, quod timetur.*] sic ad Torquatum, epist. 4. lib. 6. fam. Cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur.

IN EPISTOLAM XII.

Seruius] initium fecimus alterius epistolæ. quod ex proxima superiore satis constat. *Nullius consilii*] nihil enim constitui poterat, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. fam. lib. 4. epist. 3. *Illum*] Pompeium, iratum omnibus, qui remanserant in Italia, Sulpicio magis, qui filium cum Cæsare Brundisium miserat. epistola 18. libri 9. *Hunc*] Cæsarem, Seruio non amicum; quia dixerat in senatu, non placere sibi eum in Hispanias ire contra Pompeij legatos. fam. lib. 4. epist. 1. *Alterius crudelitatem,*] Pompeij: de quo sic in epistola ad Marcellum: An tu non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset futura victoria? & alibi. *Etiam lippitudo*] quæ, cum sit humor a capite fluens, non solet esse sine lacryma. *Vigilias*] quibus lippitudo curatur. *Satis bella*] eiusmodi volumus, non secunda Cæsari. *De duabus legionibus*] dici a certis hominibus, alienissimas esse a Cæsare. epist. 10. *Exeundum:*] ex Italia; cum diceret, multo se, &c. *De filii*] de filio Brundisium misso ad affligendum Pompeium. epist. 18. lib. 9. & 3 lib. 10. *Animum*] cum ob ea incitari ad discessum deberet. *Nostro consilio*] discedendi. *Ad idem,*] cohortatione vocandus. *Non multum est.*] quod præuiderat, cum dixit, Seruium exspecto, nec ab eo quidquam.

IN EPISTOLAM XIII.

Octo cohortibus:] quæ videntur defectionem a Cæsare cogitare. *Erat confirmatius*] magis affirmabas de octo cohortibus. *Expensum tulerit,*] ita excusat, debitorem suum sibi non soluere. *Cœlianum illud maturescit.*] prope adest, cum Cœlium imitaturus sim. *Vt palam:*] discedam, nec differam. differebat enim Cicero, quia vellet occultius discedere. *Profecturum*] statim. *Omnes captiones*]

vbi quid deliberatum est, Seruio statim aliquid, atque adeo multa contra occurrunt. &, Captiones, proprie dixit, cum loqueretur de iurisconsulto. nam, a captionibus cauere, iurisconsultorum est. *Paenitet,*] quia scit in consulatu se iniuriã Cæsari fecisse, vltionem timet. *Ἀπὸ πολλῆς ἀγεννείας*] abiectũ, humilemque animum, propter timorem pœnitere summæ dignitatis, qua gloriari etiam deberet. *Impediret,*] ne discedere posset ex Italia. *Honestius*] remaneret. *Succensere*] quod mihi, petenti vt exire ex Italia liceret, non concessisset. epist. 8. *Ibitur*] ad Pompeium. *Ita quidem, vt censes,*] palam, vt suades. *Nisi cuius, &c.*] nisi spes de pace agendi erit ante oblata: quod vix tam cito esse potest, vt ego non ante discesserim. *Aliquem,*] personam grauiorem suscepturum, vt res componatur. *Collegis*] prætoribus. *Quiuis licet,*] de pace agat. *Datur opera:*] vt sit, qualem volumus. epist. 10. *De Vsura:*] vt vsuram tibi soluat. epist. 9. *Egnatio*] debitore suo. *Pudens:*] vide pudorem Axij. tantum abest, vt soluat *mihi* x i i. millia, quæ dedi eius filio mutua; vt insuper etiam petat. miram impudentiam. epist. 9. *Adscripsit,*] sic aliquot libri: Scripsit, tamen mallem. *Gallio,*] aut, Filio, legerem: aut Gallium Axij filiũ puta: & quoniam Gallius & Axius diuersæ familiæ sunt, Axio natum intellige, adoptatum a Gallio, vt esset Gallius Axianus, vt supra Pontius Titinianus, Q. Titinij filius. epist. 6. & 18. lib. 9. *Pollicitus:*] Gallio pecuniam. *Tantum*] quantum pollicitus sum. *Me vero*] scilicet. cum ironia. *Adiuuarent*] qui quã impudentes sint, vides. *Sed tu istos.*] interrupta oratio, figura vsitata. vel, Sed dij istos. nam in Bessarionis libro, Seductos, est. *Studiosus.*] est nostri. epist. 9.

IN EPISTOLAM XIV.

Præciderat,] hoc supra epist. 4. lib. 8. *Consilium nostrum*] de discessu. *Obseruabimus.*] ne quis resciscat, aut impedire possit. *Curio*] a Cæsare missus, vt Siciliam Pompeianis eriperet. epist. 4. *Ventum est ad me:*] venit ad me Ninnius noster, dixitque, centuriones, &c. *Postridie:*] cõuenire. *At ego tibi*] ad ornatum, Tibi, dixit; & est familiaris antiquis scriptoribus locutio in re subita. epist. 7. lib. 8. & 12. lib. 9. & fam. lib. 9. epist. 2. *Vt tentaremur.*] vt commẽtum

tum hoc esset Cæsarianorum, centurionibus astute missis ad tentandum animum meum. *Suspicionem*] quæ potuit esse, si centuriones exspectassem, & allocutus essem. *Redeo*,] in Cumanum. *Hortensius*] de quo epist. 10. *Collega noster Antonius:*] qui ad me venire noluit. collega autem in auguratu. epist. 12. *Mima*] Cytheris. epist. 8. *Siste*,] vnde Statores, qui homines sistunt. cogitabat autem Atticus Epirum suam, vt supra.

IN EPISTOLAM XV.

Cetera eius.] essent, qualis fuit ἐκτένεια. vellem re tantum præstaret, quantum cupere visus est. ἐκτένειαν] voluntatis declarationem. *Vti.*] omnia enim sua officia studiaque detulit: quibus vti cogito. *Cetera.*] ei sum pollicitus. *Haberemus:*] vt nobiscum posset discedere. epist. 11. quandoquidem ratio exeundi ex Italia paullo facilior videtur, quam antea putaui. *AEquinoctium*] quo tempestas non solet esse ad nauigandum idonea. epist. 27. lib. 12. *Perturbatum*] Macrobius lib. 1. Sat. Ante æquinoctium, inquit, vernum triste cælum, & nubibus obductum, mare nauigantibus clausum. De autumnali autem Cæsar lib. 4. bel. Gal. Propinqua, inquit, æquinoctij die, infirmis nauibus hiemis nauigationẽ subeundam non existimabat. inepte nonnulli pro æquinoctio M. Antonium interpretantur. *Idem maneat*] ne nostrum discessum impediat; quoniam inferi maris partem curat. epist. 10. *Diplomate*] cuius mentionem fecerat Cicero in epistola sua, cum diceret, se putare Atticum a præfecto vrbis sumpsisse diploma, quo ei exire liceret ex Italia. *In mentem venerit.*] cum non debeas suspectus esse vt Pompeianus. *Proficisci*] in Græciam. *Licere*] sine diplomate proficisci. *Pueris*] vel seruis Attici, quos identidem in Epirum mitteret. vel, Pueris, Ciceronibus. *Cogites*,] de transeundo in Epirum. *Etiam nunc*] etsi iam discedo, scribe tamen, si quid noui. *XVII. Kal. Iun.*] hoc aperte mendosum est. cum enim æquinoctij mentionem fecerit; satis constat, siue de verno, siue de autumnali accipias æquinoctio, (de verno tamen potius intelligendum) Maio mensi locum esse non posse. Ego puto initium esse sequentis epistolæ, & legendum fortasse, XIV. Kal. quod sine caussa repetitũ est post

verbum, Peperit. idque credendum eo magis, quod pleræq; huius libri epistolæ adscriptam diem non habent, & est mutatio minima, si v. diuidas in II. qua ipsa in nota peccatum sæpe a librarijs animaduerti.

IN EPISTOLAM XVI.

Tenuerunt,] nam ad nauigandum non tranquillitate, sed vento opus est. *Infantia.*] nam, cum omnia promisisset Hortensius, nihil præstat, more infantium. asseruor enim acerrime, ne discedã. *Homo*] cum adhuc sit adolescens. proprie igitur, Infantia. κωφυκοῖοι] notum adagium de Corycæis occulto auscultantibus. *Quo opto,*] in Græciam. *Si quis ex cursu:*] si quis mihi in Græciam nauiganti occurrerit, qui in Italiam nauiget. *Hoc quoque*] de discessu meo. *Timide*] ne quis Corycæus subauscultet, ad Cæsarianos delaturus. *Ita omnia*] ita nostra culpa accidit, vt & tarde, & magna difficultate ex Italia exeamus. initio enim ad Pompeium ire, simulque cum eo proficisci debuimus. ergo vt male posuimus, &c. *Ex Balbi autem sermone,*] Balbus Attico in sermone, opinor, hoc dixerat, Cæsarem offensum, quia Cicero venire in senatum recusasset. *Non probamus*] abijcimus consilium illud de mansione Melitensi. (epist. 6. & 7.) si quidem, cum Cæsarem iam offenderimus, dubitare non debes, quin nos in hostium numero habeat. ego autem Melitam cogitabam, ne eum offenderem, cum opidum a bello vacuum delegissem. eamus igitur recta ad Pompeium; quando non licuit, quod quærebam, Cæsaris offensionem effugere. *Beneuolentia*] ipsius Balbi. *Suspicione.*] quod suspicaretur me ad Pompeium nauigaturum. *Infelicitorem?*] me. *Nec fortiter, nec prudenter*] siue maneo in Italia, siue discedo: cum in mansione sit ignauia, temeritas in discessu, inclinata Pompeij fortuna. Transijt ad Pompeium Cicero non ante idus Quinctiles, vt ex epistola ad Terentiam constat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM VNDECIMVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

ACCEPI] hanc epistolam scripsit, cum, ex Italia profectus, ad Pompeium iam peruenisset. scripsit autem Romam. *Libellum,*] libelli neque complicantur, vt epistolæ; neque scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutē dicimus, omittitur. Libellum explano, scriptum, nō epistolam, eo sensu, quo in fam. in epist. D. Bruti: Vt ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. Alibi libellus aliud significat: sed, quoniam hæc ex promulgatis eorum libris, qui dictionū significationes collegerunt, cuiuis licet petere; quæ huius loci non sunt, consulto prætermittam. *Qui eas dispensant,*] Philotimus libertus: cui rerū suarum curam cum Cicero commisisset, deinde eum id fecisse pœnituit; vt etiā paullo post his verbis significat, Credens ei, cui tu scis iampridem minime credere. *Existimationis,*] vt ijs satisfiat, quibus debeo. nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Cæsar initio lib. 3. de bello ciu. Ad debitorum tuendā existimationem, dixit. *Pericula,*] partim quę iam sunt, vt in bello; partim quæ dubio rerū exitu impendent. *Cistophoro*] nummi genus Asiatici. hanc pecuniā Cicero, ex administratione Ciliciæ collectā, apud publicanos reliquit: deinde, quod ibi minus tuto fore videbatur, dimidiam fere partem exegit, & ad Egnatium argentarium transtulit. *H-S bis & vicies.*]

si ad nostratis pecuniæ rationem redigatur, scutati erunt sexaginta sex millia. &, vt dicam quod sentio, de hac pecunia mentionem facit, vt opinor, epistolarum, quæ familiares vocantur, lib. 5. quo in loco non H-S xxii, sed H-S bis & vicies, legendum puto. Quod autem ibi, eam omnem pecuniã Pompeium abstulisse, ait, id videlicet puto eum scripsisse, vt Rufum de H-S centum millibus amissis consolaretur, non quod re vera ita factũ esset. nam ex duabus sequentibus epistolis apparet, eius pecuniæ dimidiam fere partem a Cicerone exactam, & apud Egnatium trapezitam esse depositam: vt tantummodo, quod reliquũ in Asia fuit, id Pompeius habere potuerit, nihil amplius, quod videtur esse verisimile, cũ paullo post de Pompeio dicat, Cui magnam dedimus pecuniam mutuam. necesse est enim, vt hæc pecunia sit ex ea, quã in Asia habebat in cistophoro. nam Romæ non erat vnde sumeret; si quidem, cum e Cilicia rediit, nihilo meliores offendit res domesticas, quam publicas; vt ad Plancium scribit epist. fam. lib. 4. *At vero, dicet aliquis, eam quoque pecuniam, quæ apud Egnatium deposita erat, fieri potest, vt Cicero mutuam deinde Pompeio dederit, non modo eam, quæ in Asia remanserat: atque ita, quod ad Rufum scribit, confirmabitur; vt omnem Pompeius habuerit.* Credibile nõ est. nam, quo tempore apud Egnatium pecunia erat, Cicero egebat rebus omnibus, quemadmodum epistola, quæ post sequentem legitur, ostendit: vt, oppressum rerum omnium inopia mutuam pecuniam dedisse, verisimile non sit. quod si quispiam roget, cur ea pecunia non vteretur, cum egeret: respondebo, Ciceronem, cum de dimittenda Terentia cogitaret, eam pecuniam hoc consilio voluisse seruari, vt pro dote numerare posset. Hac de re suo loco. *Pecuniæ permutatione*] si curabis, vt, quod in Asia pecuniæ apud publicanos habeo, id tibi Romæ per eosdem publicanos numeretur. *Fidem nostram*] præstando quod promisi. *Expeditam*] fidē. Fides autem verbum est proprium debitorum, & sæpe cum verbis translatis apte coniungitur. vt apud Cæsarem initio lib. 3. de bello ciu. Cum fides tota Italia esset angustior, neq; creditæ pecuniæ soluerentur. *Credens ei,*] Philotimo; cui rerum priuatarum curam Cicero crediderat. *Scis*] non est hic, Scis, pro non ignoras, neque ad scientiam refertur, sed ad cautio-

cautionem. sensus est. Ego Philotimo credidi. tu cautior, iam pridem ei scis non credere. vt illud apud Terentium, Scisti vti foro. *Sero intellexi, quid timendum esset.*] de fidei & existimationis meæ periculo, deque rerum domesticarum iactura: quod antea non intellexeram, Philotimo credens. ob eamq; caussam ad te scribo, vt earum curam tu suscipias, tuaque administratione & diligentia prouideas, nè quid de mea fide & existimatione detrahatur. *Incolumis esse, salutemque*] hæc non ad vitam pertinent, sed ad facultates: quæ Philotimi negligentia male affectæ cum essent, orat, vt eas Atticus diligenter curet. nam, quod ad vitam attinet, Attici opera qui egebat, præsertim Pompeianis saluis: at vero in facultatibus valde egebat: quarum conseruationem, quo magis Atticum ad eas tuendas excitet, incolumitatem appellat, & salutem suã.

IN EPISTOLAM II.

Eoque ipso die] qui fieri potest, vt eo ipso die hereditatem adeat, quo litteras ab Attico accipit, cum ex iis litteris de hereditate cognoscat? dicit enim, *Si, vt scribis, hereditas fidem & famam meam tueri potest.* hoc quidem certe quam veritati repugnet, nemo non videt. necesse igitur est, vt scripserit Atticus, non, se creuisse hereditatem illam Ciceronis nomine, sed futurum vt cerneret pridie non. Febr. quo die casu accidit, vt eæ Attici litteræ Ciceroni redderentur. Cernere autẽ hereditatem quid sit, non necessarium est exponere: siquidẽ id alij ante nos ex veterũ scriptis ostenderunt. *Creui*] creuerat scilicet Atticus Ciceronis nomine, non Cicero, qui cum Pompeio erat. dicit igitur, Creui, ad Atticum respiciẽs, qui id a se factum esse significat. *Enatã,*] exiit, mihi grauis iam non est. metaphora sumpta ab infantibus vtero exeuntibus. id enim proprie est Enasci. *De dote*] scripserat Atticus, Terentiam, cum in sumptus necessarios non haberet, sumere de dote, cuius etiam nomine accepisset H-S LX. turpe hoc Ciceroni, contraque eius existimationem videbatur esse: qui vel vniuersam dotem vxori reddere debebat; vel, si minus id vellet, suis eam sumptibus alere; non committere, vt propter indigentiam detrahere quotidie aliquid de dote cogeretur. Suscipe igitur, inquit, totam rem, & illam meis opibus, tuis facultatibus tuere; ne posthac ipsa suam dotem quasi corro-

dere ac deminuere cogatur. Nam, de Tulliæ dote a Dolabella exigẽda, non video, qui possit intelligi: cum diuortium hoc tempore nondum factum esset: nec Cicero abducere a Dolabella Tulliam ausus esset, florente Cæsare, pulso iam in Græciam Pompeio: cum Dolabella apud Cæsarem gratia valeret. Præterea cur de diuortio credam, cum aliquanto post hoc tempus, amissis iam Hispaniis, Tulliam apud Dolabellam esse, ipsius Dolabellæ ad Ciceronem litteræ declarent? sunt enim hoc initio. Si vales, gaudeo: & ipse valeo: & Tullia nostra recte valet. Terentia minus belle habuit. Post pugnam vero Pharsalicam, dimissam esse Tulliam a Dolabella, facile probatur. *Miseram mea culpa & negligentia,*] qui ante discessum meũ curare debui, vt illi consultum esset, rebus domesticis expeditis. in quo meã culpã & negligentiã agnosco. *Opibus,*] verbũ, Opes, totũ, quantumcumq; possumus, significat; & plus est, quã Facultates. nã opibus facultates includuntur, facultatibus opes non item. *Quas accepi,*] a Philotimo, in domesticis rebus, quas ille, sibi a me commendatas, neglexit. Hoc apertius in epistola superiore. *Ex ea pecunia, quæ fuit in Asia,*] meminit superiore epistola. *Ibi, vbi est,*] apud Egnatium. apparet ex epistola sequenti. *Quam apud publicanos.*] In Asia scilicet: in qua L. Scipio, Pompeij socer, cum imperio erat, pecuniasque ab omnibus quo iure, quave iniuria cogebat: vt Ciceroni tutius omnino videretur, pecuniam apud Egnatium argentarium Romæ habere, quam apud publicanos in Asia, quæ Scipionis libidini & auaritiæ esset exposita. Lege Cæsarem lib. 3. de bello ciu. *De domo,*] id parari dixerat Chrysippus, vt domo sua Cicero, quam habebat in Palatio, priuaretur, propterea quod esset cũm Pompeio. *Quod si mihi commune cum cæteris esset,*] hoc, inquit, per se mihi dolendum est, quod domo priuer, sed multo magis, quod ex omnibus Pompeianis hoc incommodo vnus afficiar, quodque singularis sit mea calamitas. nã, si commune mihi hoc esset cum ceteris, qui in eadem causſa sunt, minor mea culpa videretur, & eo tolerabilior esset, *Mea culpa*] quod ad Pompeium profectus sim. *Nisi quod tu efficis:*] aptius, Nisi quid tu efficis. placet enim dubitanter poni. nam Atticum in ea re quidquam efficere, qui poterat certum esse Ciceroni, cum supra dicat, Tu nihil significasti?

præ-

præterea: sed hæc argumentis probare, putidum est. *Potestas mittendi non fuit.*] vt in exercitu. non enim facile tabellarios, cum velis, mittere conceditur. *Tuis*] qui res tuas in Epiro curant. nam ea transierat, ad Pompeium in Græciam proficiscens. *Custodias*] eos, qui in exercitu obseruare solent, ne literæ aut nuncij imperatoris iniussu quoquam mittantur.

IN EPISTOLAM III.

Eam, de qua tibi rescribi voluisti.] eam scilicet, quæ sequitur. *Quod ad Kalend. Quinct.*] omnino Ciceroni erat in animo Terentiam dimittere: sed, hoc differre, duabus de caussis commodum videbatur: & quod ipsam minus offensum iri putabat, si matrimonium non propere abrumperet, sed lente quasi dissueret: & quod spoliari pecunia, quæ pro dote numeranda esset, dubio præsertim rerum exitu, nolebat. nam, si ei de Pompeij victoria certum fuisset; de pecunia cur laboraret, non erat; quæ salua rep. viris bonis numquam esset defutura, Ciceroni præsertim, qui magnam Pompeio mutuã dedisset. cum vero dubius adhuc rerum esset exitus; pecuniam ipse habere in omnem euentum, quam Terentiæ pro dote reddere, malebat. scripserat igitur Atticus, se scire cupere ad Kal. Quinct. quid vellet Cicero, diuortium proferre, & pecuniam interea sibi habere, an diuortium statim facere, & pecuniam pro dote numerare. vtrumque, respondet, graue est. nam & tam graui tempore tantam pecuniam, quanta scilicet apud Egnatium a me est, Romæ habere, periculosum videtur, vel quod nocturnæ domorum expugnationes fieri possunt; vel quod timendum est, ne Cęsar, qui vrbem tenet, eorum, qui cum Pompeio sunt, bona proscribat: & Terentiæ dare facto diuortio, non adducor, vt in rem meam esse credam, dubio rerum exitu, cum incertum sit vter vincat, Cęsar, an Pompeius. nam Cæsare victore, nos, qui Pompeium secuti sumus, in angustiis, atq; in magna rei pecuniariæ difficultate essemus; tũq; diuortij facti, & pecuniæ Terẽtiæ datę, frustra pæniteret. Dicit autem, Ista, quam scr[illegible]is, abruptio, propterea quod Atticus scripserat, sibi quidem videri Terentiam quamprimum esse repudiandã; auctorq; Ciceroni erat, ne differret, sed abrũperet. quod ex Attici cõsilio non feciſſe,

Ciceronem deinde pœnituit. significat hoc in epistola huius libri decima quarta, cum dicit, Memini omnino tuas litteras. *Illius consilio & voluntati*]illius, Terentiæ. consilio, & voluntati, quia, si iudicabit hoc tempore diuortium esse faciendum, consilium illius & voluntatem sequar. Terentiæ autem Ciceronem de diuortio permisisse, plane cognoscitur ex epistola, quam ad eam scripsit his verbis: Quod scripsi ad te proximis litteris de nuncio remittendo: quæ sit istius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. totum iudicabis quale sit; &, quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies. *De salute nostra fortunisque*]cum enim per litteras tecum agebam, ad Pompeium proficiscerer, nec ne; ad salutem, & ad fortunas nostras illa deliberatio pertinebat. *Nihil habet consolationis.*] nam incommoda, quæ mihi impendent, etiam si cum multis communia sint futura, non ideo tamen leuiora fient. itaque quod negas præcipuum mihi vllum incommodum impendere: vt assentiar ita esse; tamen ista res nihil habet consolationis: sed non ita est. nam etiam præcipua sunt multa: ex re videlicet familiari; quâ impeditam reliquerat, ad Pompeium ex Italia profectus. hoc infra declarat his verbis: Ea tamen erunt minora, si administratione, diligentiaque tua leuabuntur. *Facillime vitare potuisse.*] si paulisper commoratus essem. nam prouidissem, vt & esset vnde satisfieret iis, quibus debeo: & Terentiæ pro victu, ne detrahere de dote cogeretur. Hæc sunt, quæ appellat grauissima incommoda. *Sit a me, vt est.*] quamquam Attico & Terentiæ de diuortio permittat, ostendit tamen eam pecuniam se nolle ad Terentiam dotis nomine transferri, quam apud Egnatium trapezitam deposuerat. & hoc dicit, veritus ne Terentia, si statuisset diuortium esse faciendum, Attico concedente, eam pecuniam auferret: qua priuari tam duris temporibus Cicero nolebat. *Hoc, quod agitur,*] vter vincat, Cæsar, an Pompeius. non videtur, inquit, diu bellum posse duci. *Vt scire iam possim, quid maxime opus sit*]Vt, hic accipio pro etiam. sensus est. Licet scire iam possim, quid mihi faciendum sit, dimittenda Terentia, nec ne: volo tamen, quia belli exitus non longe abest, interea pecuniam a me esse. deinde addit alteram caussam, & ait, Etsi egeo rebus omnibus: quamquam etiam hæc caussa est,

cur

cur eam pecuniam a me esse velim, quod egeo rebus omnibus: vt oppressum rerum omnium inopia, priuari ea pecunia non oporteat. Ad intelligentiam autem huius loci maxime pertinet, si hoc teneatur, Ciceronis consilium fuisse, vt, ante quam dotem redderet, exitum rerum exspectaret; ne, si quid durius in bello accidisset, pecunia priuatus egeret. *Ne quid ei desit,*] Terentiæ.

IN EPISTOLAM IV.

Accepi] hanc scripsit Dyrrhachij, &, vt ex ipsa licet conijcere, post eam pugnam, qua Pompeius imperator appellatus est. *Prædia non veniisse.*] scripserat Attico, vt prædia venirent pro sustentanda Terentia, id quando, inquit, factum nõ est, sustentetur per te. *De Frusinati,*] fundum Frusinatem Cicero vendiderat, hac lege, vt redimere posset. de ea redemptione, quæsierat Atticus, quid cogitaret, vtrum eam aliquãdo fieri vellet, an prorsus abiecisset. respondet, redemptionem se probare, quoniam ille fundus sibi futurus esset opportunus. redemptio tamen hoc tempore facta non est, vt patet ex epistola 14. *Nec quæ accidunt, nec quæ aguntur,*] accidunt casu; aguntur ex consilio & voluntate Pompeij. *Vtinam, &c.*] fortasse enim ad Pompeium profectus non essem, si tecum de ea profectione coram potius, quam per epistolas, egissem. & hoc dicit, quia, profectum esse ad Pompeium, pœnitebat; quippe qui nec, quę accidebant, nec quæ agebantur, probaret. *Hic tua, vt possum, tueor apud hos:*] tua, quæ ad te pertinent. apud hos, inquit, te defendo. omnibus enim, qui Romæ remanserant, infensi erant Pompeiani. itaque dicit epistola, quæ post sequentem legitur: Numquam de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. & infra eadem epistola: De Fannio consoler te? pernicioſa loquebatur de mãsione tua. eodemque loco: Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. & ad Varronem, epistola 6. libri 9. fam. Ego victoriam etiam illorum timebam, ad quos veneramus. crudeliter enim otiosis minabantur. & Cæsar libro primo de bello ciu. Pompeius discedens ab vrbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, & qui in castris Cæsaris fuissent. Dicit autem Cicero: Vt possum: vt ostendat difficultatem defendendi. nam Atti-

cum purgare, quod Romæ remansisset, ægre apud iratos poterat. *Cetera Celer.*] subintellige, narrabit. nam Isidoro, quem nunc cum litteris remittebat, committenda non videbantur. Celerem autem fortasse non ita multo post ad Atticũ missurus erat. Malim tamen legere, Cetera celo, vt est in antiquo Speciani libro. quem si sequamur, sensus erit hic: Noste, vt possumus, apud Pompeianos defendimus: cetera celamus; quæ scilicet ab illis in te & dicuntur, & cogitantur. *Quid sit gestum noui,*] hæc, & quæ sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superiora: vt fit, cum epistolæ propter tabellariorum commorationem per plures dies in manibus habentur, cum interea multa in eas, aliud alio tempore, coniicere solemus. Prior epistolæ pars non optimam spem significat, vnde illud, Si modo futuri sumus: & illud, Nec quæ accidunt, nec quæ aguntur, vllo modo probantur. addo etiam illud, Nihil poterat agi, quod mihi & meis rebus esset aptum. hęc, inquam, Ciceronem ostendunt Pompeianorum rebus pæne diffidere: at vero ea, quæ sequuntur, non item. quid enim illud? Reliqua non videntur esse difficiliora. aperte declarat, in reliquo bello conficiendo negotij non multum fore. cur autem hoc? quia scilicet factum erat prœlium illud ad Dyrrhachium, quo Pompeij fortuna superior fuit. quo ex prœlio tantum fiduciæ ac spiritus Pompeianis accessit, vt non de ratione belli cogitarent, sed vicisse iam sibi viderentur. Cæsar de bello ciuili libro 3. . *Cures, vt scribis,*] vt explicentur res domesticæ. *Solicitudo,*] vnde hæc solicitudo, prospera Pompeij fortuna? dixit enim, Reliqua non videntur esse difficiliora. Solicitudinis, vt opinor, caussa hæc erat, quod omnino, siue Cæsar, siue Pompeius vicisset, de libertate actum esse putabat: quod cum multis locis significat, tum epistola 6. lib. 9. ad Varronem, dicens, Ego victoriam etiam illorum timebã, ad quos veneramus. & ad Marcellum, epistola, cuius initium est, Etsi perpaucis. *Infirmitas corporis:*] cuius caussa Pharsalico prœlio non interfuit. Plutarchus in vita. *Estque in spe magna.*] quippe qui ex Dyrrhachina pugna confidere suis militibus cœpisset. famil. epistola 3. libri 7. *Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset.*] vltra enim in scribendo progredi si velim, minus caute faciam. scripsi, quatenus licuit: vltra caute nõ potui. *Iis litteris, quas Pollex tulit.*] opinor, proximis

ximis superioribus: in quibus de pecunia, quæ Terentiæ pro dote numeranda esset, mentio fit. illud miror, quod in hoc diuortio nullam vnquam primæ pensionis mentionem inueniam: vt adducar, mundum & ornatum muliebrem pro pensione prima fuisse; vnde Cicero, siue Terentiam dimitteret, siue retineret, neque damni quidquam, neque lucri posset accipere. itaque in epistola vltima huius libri dicit se cæcũ fuisse in pensione secunda, non in prima. ex quo apparet, in epistola antecedenti secundam pensionem significari. *Pollex*] seruus Ciceronis a pedibus. epistola quinta libri octaui: & in epistola ad Terentiam, Pollicem fac extrudas, id est cum litteris remittas. nam cum ijs eum miserat, quas hic intelligit.

IN EPISTOLAM V.

Qua me causſa] hanc scripsit Brundisij, post Pompeium acie Pharsalica profligatum. Dolet autem se in Italiam venisse. idque dum excusare aliqua ex parte vult, causſis admodũ acerbis, grauibus, & nouis coactum se dicit, vt impetu magis animi, quam cogitatione, vteretur. doloris autem causſa erat illa, quod sibi, qui cum Pompeio fuisset, esse in Italia, neque tutum satis putabat, neque honorificum. nam neque certum habebat, se esse a Cæsare veniam impetraturum: & sermones bonorum verebatur, qui calumniari poterant, quod, cum antea semper acerrimum libertatis propugnatorem professus esset, nunc vno prœlio victus, non modo reip. fortunam experiri iterum noluisset, verum etiam in Italiam ad victores se contulisset: vt ex Pompeianis nemo non sapientior videretur fuisse. qui enim bellum renouaturi in Africã iuerant, consilium secuti erant, si non tutum, saltem honorificum: qui in opido aliquo resederant, vt M. Marcellus, ij rationem si minus honorificam, tutam tamen elegerant: at vero Ciceronis factum neque tutum erat, neque honorificum; quin & minus tutum, quam Africanorum, & minus honorificum, quam Marcelli. Hæc aũt pluribus verbis; vt appareat, cur Ciceronis dolor tantus esset, qui peccatũ suũ agnosceret; quod, cum posset aut saluti, aut honori consulere, neutrum feciſſet. *Vt id, quod vides, effecerint.*] vt me in Italiã venire coegerint.

Rem & summam negotij vides.] nõ reperio, inquit, neq; quid ad te scribam, nec quid a te petam: rem ipse vides, & negotij summã: vides per te, cuiusmodi res sit, & quid facere te oporteat. quid autem oportebat? hoc videlicet; agere apud Cæsarem per eos, qui gratia valerent, vt Ciceroni in Italia tuto liceret esse. hoc erat, quod ab Attico fieri volebat: sed præ dolore non explicat. tantum dicit, Rem & summam negotij vides, quid a te velim, & qua in re tuo studio, tuaque ope indigeam. *Tuendi mei*] excusandi, & purgandi apud Cæsaris amicos, a quibus Ciceroni timendum erat: vtpote qui in eorũ potestate esset, contra quos antea in bello fuisset. *Placere,*] tibi, vt de rebus meis & commodius, & cautius, quam per litteras, colloquamur. vnde illud epist. 13. Vtinam vel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem. nunc, nec vbi, nec quando te sim visurus, possum suspicari. *Per opida*] vt in opidis diem consumam, noctu autem, ne videar, iter faciam. id, inquit, difficile est. non enim ita possum noctu iter facere, vt mane semper opida reperiã, & diuersoria. & dicit, Apta diuersoria, hoc sensu: Non ita disposita sunt diuersoria, vt mihi, noctu iter faciẽti, semper ante lucem quasi ad præscriptum adsint, vt deinde totum diem in ijs possim consumere; ex quo necesse erit, vt opida nõ semper reperientes, aliquam diei partem quandoque in itinere ponamus: itaque fiet quod tu me nocturnis itineribus velles effugere, vt ab hominibus videar in via, sed fac posse, vt aptissima semper habeã diuersoria. quid refert? homines, inquis, te non videbunt in via. at videbunt in opidis: & omnino accidet, quod tu nolles, vt me Brundisio discessisse, & ad vrbem propius accedere, Cæsariani rescisc ant. quod sine permissu Cæsaris facere tutum non est. Ac videre licet Ciceronis angustias, & difficultatem, cui neque propius accedere Cæsaris iniussu liceret, neque ex Italia discedere; Brundisij vero manere, in oculis victorum, in summa indignitate, molestissimum esset. *Ad id quod quaris,*] ne de accessu meo ad Cæsarianos deferatur. hoc est enim, cur me velis noctu iter facere. *Et animi, & corporis molestiam,*] animum enim curæ distrahebant; corpus, præter mærorem, cæli etiam grauitas debilitabat. vnde illud ep. 22. Corpore vix sustineo grauitatem huius cæli, quæ mihi laborem affert in dolore. *De Vatinio*]

Vatinio] scire vis, quo animo Vatinius in me sit. hoc autem quæsierat Atticus, fortasse, quod vereretur, ne Vatinius, qui Ciceronẽ ante diligere visus esset, Cæsare victore non eundem se præstaret, sed iniuriæ potius, quam beneficij a Cicerone accepti, memor esse vellet. nam primum eum Cicero oppugnarat, deinde defenderat. *Quinctus auersissimo animo a me Patris fuit.*] quoniam in sequentibus epistolis de Quincti maledictis in Marcũ fratrem legetur, eius rei caussam non ab re est hoc loco pluribus explicare. Cum Cn. Pompeius, Brundisio profectus, in Græciam nauigasset, vt classe, quanta maxima fieri posset, comparata, Italiæ commeatus intercluderet, & Cæsarem fame affligeret: incertus M. Cicero quid ageret, in Italia resideret, an Pompeium sequeretur; suadentibus nonnullis, & maxime Quincto fratre, vt ad Pompeium iret, paruit, & profectus est, vt ostendit epistola huius libri 9. cum dicit, Cessimus, vel potius parui. ex quibus vnus qua mente fuerit is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te & ad alios misit. loquitur enim de Quincto fratre. Profligato deinde Pompeio, cum in Italiam M. Cicero redijsset, veritus est Quinctus, ne frater, quo facilius a Cæsare veniam impetraret, suæ ad Pompeium profectionis caussam in ipsum cõferret. itaque turpi & scelerato mendacio confinxit, sibi Marcum fratrem auctorem fuisse, vt ad Pompeium proficisceretur, & vbicumque fuit, maledicta in fratrem conferre non destitit, idque fecit Patris, vt patet ex epistola huius lib. 10. ideoq; dicit, Quinctus auersissimo a me animo Patris fuit. *Eodem*] Patras. vt sit potius, ad eundem locum, quam, eodem animo. *Profectos*] ad Cæsarem in Asiam, vt deprecarentur. apparet ex epistola sequenti. *Cum ceteris*] qui ad Cæsarem eunt, veniam petituri, cum Pompeio quod fuerint.

IN EPISTOLAM VI.

De me, ac dolore meo,] de me, propter periculum, in quo versor, cum in eorum manu sim, contra quos in bello fui: de dolore meo, quia vides me dolere, & angi, quod in Italiam venerim; cum omnino aut in Africam ire cum ceteris Pompeianis, aut in opido aliquo a bellis vacuo residere melius esset. *Qua consolatione*] quæ scilicet in eo est, cum tu probas

meum consilium, & me omnino tali tempore in Italiam venire debuisse affirmas. *Tanta erat in illis crudelitas,*] quid enim crudelius esse potest, quam generatim proscriptionem informare eorum omnium, qui in Italia remansissent? *Tanta cum barbaris gentibus coniunctio,*] proscriptionis duas causas ponit; vnam, quod Pompeiani sua sponte crudeles erant; alteram, quod barbaras gentes in exercitu habebant, quæ tantum de cæde & de præda cogitarent. barbaræ autem gentes in Pompeij castris erant, Cappadoces, Thraces, Dardani, Bessi, & qui præterea initio lib. 3. de bello ciuili a Cæsare commemorantur, & ab Appiano lib. 2. *Voluntatis me meæ numquam panitebit, consilii panitet.*] voluntatis, quod ab armis discesserim; consilij, quod in Italiam venerim. *Opido aliquo*] vel Achaiæ, vel alicuius prouinciæ, quæ esset a bello vacua. *Accerserer.*] a Cæsare in Italiam: quod & tutius, & magis honorificũ fuisset. *Sermonis*] quem subij, quod vno prœlio victus, statim, desperata rep. & libertatis cura posthabita, in Italiam ad victores; quasi ad seruitutem, sponte venerim. *Minus accepissem doloris,*] nam, si in tuto in opido resedissem, vt puta Rhodi, aut Mitylenis, dum taxat reip. causa doluissem. nunc me præterea existimationis & salutis meę periculum solicitat: existimationis, quod reip. causam prodidisse, aut certe neglexisse videri possum, qui vnus omnium Pompeianorum huc me contulerim; salutis, quod victoris in manu sum. *Ipsum hoc*] quod me nunc angit, erroris videlicet mei recordatio; qui, impetu magis animi, quam cogitatione vsus, in Italiam veniendi consilium cepi. *Iacere,*] despectum, & sine dignitate. id enim hoc in loco significat, Iacere. *Sine lictoribus, quos populus dedit,*] populus proconsulibus in prouincias euntibus imperium dabat, & lictores sex: ij nec imperium, nec cetera insignia prius deponebant, quam in vrbem reuertissent. Cicero autem cum ad vrbem pridie non. Ian. accessisset, hac de causa ingressus non est, quod fore sperabat, vt propter res in Cilicia prospere gestas vrbẽ triumphans inueheretur: quod cum ei senatus frequens flagitasset, vt est in quadam epistola ad Tironem; re per Lentulum consulem dilata, ad extremum, celeri & inopinato Cæsaris aduentu, Pompeium, vrbe relicta profugientem, secutus est. ex quo factum, vt imperium & lictores retinuerit.

itaq;

itaque nunc dicit, Propius accedere sine lictoribus qui possum? in quo ostendit, se adduci non posse vt lictores dimitteret. ijs autem vti non audebat, nisi a Cæsare, aut ab ijs, qui in Italia Cæsaris locum tenebant, impetrasset: quod deinde impetrauit, vt apparet ex epistola sequenti. Et dicit, Quos populus dedit, ad differentiam illorum, qui tantum S. C. lege curiata, qua populus imperium dabat, neglecta, prouincias acceperant. vt iustior Ciceroni, quam cuiuis, retinendorum lictorum causa esset, quos non a senatu solum, sed a populo etiam accepisset. Cæsar lib. 1. de bello ciuili. *Ad opidum*] ad Oppium, omnino videtur emendandum. ad eum enim Cicero accedens, lictores sibi fasces præferre, & cum pompa anteire noluit, veritus, ne Cæsariani milites ea re offensi impetum aliquem facerent: itaque eos in turbam coniecit, & promiscue cum ceteris ire voluit. *Cum bacillis*] cum fascibus. nam ex bacillis & virgis constrictis fasces constabant, securi inserta, vt eius acies exstaret. *Recipio tempore me domo. te nunc*] corruptus locus: quem restituere, & sanare vix videmur posse: tentemus tamen; &, quod remedium in libris scriptis inuenire non licet, videamus num id ex ingenio promere possimus. adducor igitur vt putem, Ciceronem, cum de suo ad Oppium accessu dixisset, subdidisse cum dolore, & indignatione, Recipi, o tempora, me domo, & hunc? vt hoc dicat. vide quam sim miser. colere me homines, & ad me domum venire solebant. nunc venit tempus, cum me Oppius, quasi dignitate superior, domo recipiat, exire ad me nolit, intra parietes suo commodo exspectet. O tempora, recipi me domo? vt illud, O tempora, fore cum Curtius non dubitet consulatum petere? Et hunc? tam abiectum videlicet, tam despectum, tam sine dignitate? Quod sequitur, sic interpungo: Ad Oppium. quoniam ijs placeret, modo propius accedere, vt hac de re considerarent. Ad Oppium, inquit, redeo, de quo scribere institueram. deinde, quem cum eo sermonem habuerit, continuo subiungit: Quoniam ijs placeret, modo propius accedere; vt hac de re considerarent. de lictoribus videlicet; num ijs placeret, vt eos meum adducerem. dixit, inquit, vt hac de re considerarent. hoc enim verbum subaudiendum est. *Si remansissem.*] in Italia. si numquam

ad Pompeium in Græciam profectus essem, vt contra Cæsarem pugnarem. *Quæ restant,*] præterita sunt mittenda: quæ reliqua sunt, vide. *Istis:*] Cæsaris amicis, qui Romæ sunt. explora, inquit, quo animo isti erga me sint, quo putent Cæsarem esse. *Factum nostrum*] quod, propius ad vrbem accedens, lictores mecum adduxerim. quod Cæsar magis probabit, si, me id feciſſe de suorum sententia, cognoscet. *De Pompeii exitu*] quem Ptolemæus Ægypti rex interfecerat. Cæsar, Plutarchus, historici omnes. *Hoc putarem futurum.*] putaui, quocumque veniſſet, eum interfectũ iri; cum homines, despecta illius fortuna, gratiam eo facto se esse a Cæsare inituros putarent. *Fannio*] hic est, quem initio belli ciuilis Pompeius in Siciliam cum imperio præmisit. epist. 15. lib. 10. deinde apparet, eum mare transisse cum ipso Pompeio: & numeratur inter eos, qui cum imperio erant, epist. 15. lib. 8. *De mansione tua.*] crudeliter tibi minabatur, quod in Italia remansisses: itaque de eius interitu consolandus nõ es. *Lucius vero Lentulus*] ne de Lentulo quidem dolendũ est: (hic autem ab eodem Ptolemæo rege, qui Pompeium interfecerat, comprehensus, in custodia necatus erat) siquidem, vt Fannius crudelis, ita hic rapax fuisset, qui Hortensij domum, &c. *Omnino*] omnino & a Cæsarianis huiusmodi multa fiunt, indigna videlicet, & iniusta: sed illud, quod Pompeiani designabant, erat infinitum. non enim hunc aut illum proscribere cogitabant, sed generatim omnes, qui in Italia remansissent. *Nisi*] ponitur pro Sed. vt hic, & epist. 23. & epist. 1. & 73. lib. 13. fam. Vide Aldi filij Scholia in Sallustium. *Hostium numero*] Suetonius hæc in Iulio: Denunciante Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent; ipse medios, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciauit. epist. 6. lib. 9. fam. & Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Solutiore animo.*] nunc enim a curis districtus valde sum, propter temeritatem mei consilij; quod in Italiam tam inconsiderate venerim. *Vt deprecaretur.*] vt veniam a Cæsare peteret, quod cum Pompeio fuisset. *Nihil audiui;*] profectus sit, necne. *Alexandrinas litteras*] Alexandriæ datas: in qua Ægyptij Cæsarem inclusum obsidione premebant. sic, & Epiroticæ litteræ, & Olbiensis epistola, dixit alibi. *An euntem, an iam in Asia?*] figura, qua vtimur, cum, ex duabus rebus vtra

bus vtra sit, incerti sumus. vt epist. 2. lib. 1. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? & eodem libro infra: Proximus Pompeio sedebam: intellexi hominem moueri, vtrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset, an esse tantas res nostras, quæ tam libenti senatu laudarentur? Huius generis etiam illud est in epistola ad Trebatium: Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidem? is me crebro ad cenam inuitat. & illud in Bruto, Paucis ante, quam mortuus est, an diebus, an mensibus?

IN EPISTOLAM VII.

Istis placere,] Cæsarianis, qui Romæ sunt. *Istis lictoribus*] consulibus L. Lentulo & C. Marcello, cum Q. Cassius & M. Antonius tribuni pl. S. C. contra Cæsaris dignitatem fieri prohiberent; factum est per Cæsaris inimicos, vt, intercedendi potestate priuati, de sua salute cogitare die septimo cogerentur. itaque ad Cæsarem, qui Rauennæ erat, profugerunt. postea S. C. quæ Pompeius vult, & vt vult, multa fiunt: iniuste: non enim recte S. C. fieri potest, cum tribunis pl. intercedendi potestas erepta est. sed Pompeius tamen ijs S. C. delectus habuit, pecunias exegit, prouincias cum imperio tribuit, vt Scipioni, Domitio, Fannio, Sextio. Cæsar autem, deuicto Pompeio, ea S. C. improbauit, quæ post fugam tribunorum facta erant; quod, tribunicia potestate sublata, nihil legibus, nihil more maiorũ, nihil iure actum videretur. quod cum ita esset; sequebatur, vt & prouincias & lictores amitterent ij, qui hæc a senatu post fugam tribunorum habuissent. quod si qui ex his erant, quibus Cæsar lictores relinquere, & institutum tamen illud suum de S. C. improbandis retinere vellet; hac vtebatur via: lictores, quos a senatu habuerant, adimebat, alios deinde ipse dabat. ita fiebat, vt & illi lictoribus vterentur; & ea, quæ senatus post fugam tribunorum decreuerat, ne valerent. itaque dicit Cicero, Cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea S.C. improbare, quæ post discessum tribunorum facta sunt. Sextius enim erat ex ijs, qui lictores, id est imperium, illis S. C. habuerat. & dicit, Suos, quos habuerat antea: Ab ipso datos, a Cæsare. supra autem, Iisdem istis, id est, ijs, quos nunc habeo. non

enim ex ijs erat Cicero, qui lictores habuerant post fugam tribunorum: sed eos ante illud tempus habuerant, cum Ciliciam prouinciam non a senatu solum, sed etiam a populo accepi. quod Sextio non contigerat, qui prætoriam prouinciam sortitus erat; cum de illius imperio ad populum latum nõ esset. Cæsar lib. 1. de bello ciu. *Quod concessum Sextio sit:*] vt lictoribus ipse quoque vti posset. *Si volet sibi constare,*] hoc dicit, Cæsar si tantummodo S. C. volet improbare, quæ post discessum tribunorum facta sunt, poterit nostros lictores comprobare, id est eos, quos adhuc habui. non enim ego illis S. C. imperium accepi. quod si nostros lictores minus probare voluerit, plane constare sibi non videbitur. nõ enim præstabit id, quod dixit, se velle ea S. C. quæ post fugam tribunorũ facta sunt, vt iniqua rescindere; sed hac ratione prorsus omnia S. C. tollet. *L. Metellum*] hic est, qui superiore anno, tribunus pl. cum esset, Cæsarem, ne pecuniam ex ærario promeret, impedire conatus est. cui Cæsar mortem minitatus, & ærarij foribus, vt Appianus inquit, effractis, pecuniam abstulit. vnde illud epist. 7. lib. 10. Duarum rerum simulationem amisit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario. *Illum*] Cæsarem. *Edixit*] edixit Antonius, ne cui ex ijs, qui cum Pompeio contra Cæsarem in bello fuissent, liceret esse in Italia, excepto Cicerone, & Lælio. *Re ipsa excipi*] quo modo poterat sine nomine re ipsa fieri Ciceronis exceptio? si sic videlicet Antonius edixisset: Ex omnibus Pompeianis ne cui liceat esse in Italia, nisi quorum caussam Cæsar cognouerit, aut de quibus Cæsar scripserit. quo edicto Cicero non nominatus, re ipsa tamen exceptus esset: siquidẽ Dolabellæ litteris, Cæsaris iussu confectis, in Italiam venerat. Cur autẽ nominari Cicero noluisset? duabus de caussis: primum, quod grauius offendi Pompeianos intelligebat tam aperta significatione. eos porro iratos habere nolebat, si forte, vt incerti sunt bellorũ exitus, victores domum reuertissent: deinde, quod exceptio illa, nominatim facta, quasi legem & necessitatem ijs, qui excipiebantur, imponebat, ne discedere ex Italia possent, ne scilicet beneficium Cæsaris aspernari, aut etiam renunciare viderentur. vnde illud in epistola, quæ proximam subsequitur, Exceptionibus edictorum retineor: quæ si non essent sedulitate effectæ, & beneuolentia tua, liceret mihi

ret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. *Assequere quod vis,*] vt minuatur dolor meus: quem inde capio, quod & in Italiam venerim, & in edicto nominatim exceptus sim. *Me bonorum iudicium non funditus perdidisse.*] bonos de me non male iudicare, neque consilium meum, quod in Italiam vnus ex omnibus Pompeianis venerim, prorsus improbare. *Quid tu in eo potes?*] quid a te fieri potest, vt boni meum consilium non reprehendant? nihil scilicet. causam enim mei facti probabilem, quam afferas, nullam habes. verumtamen, si qua mei defendendi facultas exsistet, id me maxime consolari poterit. Et dicit, Id poterit, vt hoc significet, aliud fere nihil esse quod possit. *Quod nunc quidem video non esse:*] video nullam tibi nunc meæ temeritatis excusandæ facultatem dari. *Si quid ex euentu,*] nunc nihil video esse, quo meum factum tueri possis: sed, si quid ex euentis nascetur, obserua, & occasionem ne prætermitte: vt, si Cæsar bellum ex sententia confecerit, ex illo euentu mei defendendi facultatem arripias, quam nunc quidem non habes. adhuc enim Pompeiani sunt in armis, &, dum erunt, ego turpis videar necesse est, qui stantem adhuc reipub. causam deseruerim. quod si vincuntur, meum consilium ex euentis probabitur. dicar enim hunc exitum prouidisse, sapienterque fecisse, quod in Italiam, id est in Cæsaris potestatem, venerim; contra quem sine spe vincendi pugnare, aut frustra tergiuersari, stultum esset. *Vt hoc nunc accidit.*] hoc scilicet, quod sequitur: in quo ex euentis defendimur. nam, exitu Pompeij perspecto, minus reprehendor, quod cum eo post Pharsalicam pugnam fugiente profectus non sim. in quo sapiens fuisse nunc videor; quasi de illo, quocumque venisset, id, quod accidit, fore coniecerim. exitu vero nondum cognito, dicebar debuisse cum eo proficisci. *Ex omnibus nihil tamen magis desideratur, quam quod in Africam non ierim.*] Multa, inquit, in me desiderantur, vel quod cũ Pompeio profectus non sim, vel quod in Africam ad renouandum bellum non ierim, vel quod in opido aliquo non resederim: sed ex omnibus tamen nihil magis desideratur, quam quod in Africam non ierim. *Non probant*] qui Romæ sunt, qui scilicet pondus habent, & a quibus meum factũ probari vellem. fortasse autem non probant, quod multi boni viri in Africam

profecti sunt: vt tentare quiduis potius maluisse videantur, quam de rep. desperare; cum ego contra fecerim. *Et scio fuisse antea.*] in Africa: quorum omnium iudicium hoc fuit, vel barbaris auxilijs remp. esse defendendam. *Hoc loco valde vrgeor.*] non video, qui defendi possim. *Hic quoque opus est, &c.*] oportet, inquit, (nam alioqui defendi non possem) ex ijs, qui in Africam iuerunt, vt bellum renouarent, casu aliqui sint, vel, si fieri potest, omnes, qui suæ saluti consulere velint, & consilium illud, quod ceperant omittentes, abiectis armis Cæsari se credant. hoc si ita fit, meum factum minus condemnabitur: si quidem & alios salutem omnibus rebus anteposuisse constabit. sin autem illi in bello perseuerant, & si vincunt: vides, quid nobis futurum sit. quasi dicat: non solum in turpitudine erimus, sed etiam in periculo: turpitudine, quod publicam caussam deserui, maiore salutis, quam dignitatis, ratione habita: periculo, quod eos hoc facto mihi fore iratos intelligo. vnde illud in epistola quadam ad Varronem: Si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent. erant enim nobis perirati: quasi quidquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus. Dicit autem, Hic quoque, propterea quod in Græcia multi fuerant, qui post deuictum acie Pharsalica Pompeium saluti cõsulerent, & victori aut se committerent, aut bellum certe rursus inferre nollent. *Sulpicii consilium.*] quod se Ciceronis consilio non anteponere, consolans videlicet Atticus scripserat. *Catonis,*] qui bellum in Africa contra Cæsarẽ renouat. *Periculo vacuum est, & dolore.*] itaque nostro consilio videtur esse anteponendum: cum nostrum neque periculo vacuum sit, neq; dolore: quod & in victoris manu sumus; & hoc ipsum mali non casu nobis, sed culpa & temeritate nostra contractum est: cum quiduis facere præstiterit, quam in Italiam venire. *Extremum est*] commemorat, quæ contra se faciunt, & quæ obijci a bonis viris possent. primum, inquit, reprehendi possum, quod in Africam non ierim: deinde, non idem fecerim, quod Sulpicius, qui sedem tutam & a bello vacuã elegit: postremo, quod non in Achaia remanserim. hoc extremum est: sed hoc tamen facere melius fuit, quam in Italiam venire. *Domum statim venerint.*] quod nobis non contigit. nam & in Italiam venimus, neque domum tamen statim venimus,

venimus, qui Brundisij adhuc miserè iacemus. illi autem vel in Achaia residebunt, vel, impetrata a Cæsare venia, domum recta se conferent. Brundisij maximè lictorum cura Ciceronem tenebat: quos neque dimittere volebat, vt proxima superiore epistola ostẽdit; &, secum adducere, propter militum licentiam periculosum videbat esse. *Hæc tu*] hæc, quæ contra me sunt, velim, vt cœpisti, in sermonibus ita extenues, ac minuas, vt quamplurimos in tuam sentẽtiam adducas. *Quod te excusas.*] cur ad me ipse non venias. *Vel & cum iis,*] hic particula Vel, non iteratur, sed refertur ad illud, quod infra dicet, Alterum est, cur te nolim discedere. nam duæ causæ erant, cur Ciceronis interesset Atticum Romæ esse; vel vt cum Cæsarianis ageret, quæ agenda erant; vel, ipso absente, ne Terentia egeret; quam Atticus scripserat in sumptum flagitare. *Consilij mei,*] quod in Italiam venerim. *Quod scribis Terentiam flagitare.*] hæc est altera causa, cur te nolim discedere, quia scribis Terentiam assidue pecuniam petere: quod eam esse in angustiis declarat: quæ, si tu abesses, omnium rerum inopia premeretur. *In hoc loco*] præ dolore, inquit, in huius rei commemoratione diutius versari non possum. *Quod eam diligis.*] quod ea tibi curæ est, quod ei deesse nihil pateris. *Vtinam illi,*] hoc dicit, quia fore suspicatur, vt ab iis apud Cæsarem oppugnetur. patet ex epistola sequenti.

IN EPISTOLAM IIX.

Temeritatis meæ,] quod in Italiam temere & inconsideratè venerim. *Quam tu prudentiam mihi videri vis:*] conaris enim mihi persuadere, non me temere fecisse, quod in Italiam venerim, sed prudenter: negasque mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. *Furnius*] malim, Fusius: vt de Caleno, Ciceronis iam inde a Clodianis temporibus inimico, intelligatur. epist. 15. & 16. nam Furnius non modo non inimicissimus, sed etiam & ante ciuile bellum, & post amicissimus. epist. 18. l. 5. & 18. l. 9. & fam. l. 10. ep. 25. *Nosti genus;*] nosti quam maledicus, quam iracundus sit. non ignoras, quantum in eo soleat esse acerbitatis & iracundiæ virus. id in me nunc vniuersum euomitur.

IN EPISTOLAM IX.

Nec in villa sum spe, &c.] nam, si sperarem me hinc posse

discedere, quo & incaute, & celerius, quam oportuit, veni; leuior esset dolor: sed eã spem eripiunt mihi exceptiones edictorum. Lege quæ scripsimus in epistolam, quæ ante proximam superiorem legitur. *Ante initum tribunatum*] ante quam tribunatum noui tribuni pl. inirent. veni autem ante in Italiã, veritus ne illi me suis rogationibus impedirent. Tribuni pl. ante alios magistratus & designabantur, & magistratum ineibant. *Lege*] fortasse a Tribuno pl. Dolabella perlata; in qua scriptum esset idem, quod in Antonij edicto. *Oppressus.*] quia me lex in Italia retinet, cum excipiat me nominatim, sicut edictum. vide epist. 7. *Multæque multorum ad illum*] ad Cæsarem. multos autẽ ad Cæsarem scribere scicbat: propterea quod tabellarij, qui Roma ad Cæsarem in Africam litteras ferebant, Brundisij, vbi ipse erat, necessario conscendebant. *Causſa attulit:*] Vbaldini liber antiquus, Caũs attulit. emendo, Casus attulit. nam quemadmodum, casus & consilium, casus & iudicium; sic, casus & culpa, casus & error, antitheta sunt. vnde illud epistola huius libri vltima: Nihil est enim contractum casu: sed omnia fecimus iis erroribus & animi, & corporis, quibus, &c. *Genus belli*] formidabile, &, quocumque victoria inclinasset, exitiosum. vnde illud ad Marcellum: Omnia sunt misera in bellis ciuilibus: sed miserius nihil, quam ipsa victoria: quæ, etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit. Plane enim viderat, quid Cæsar & Pompeius spectarent, quæ inter eos conflati belli causſa esset, cum videlicet vtrique non libertas, sed dominatio proposita esset. ex quo illud ep. 11. lib. 8 Neutri σκοπὸς est ille, vt nos beati simus: vterque regnare vult. *Iueram,*] nemo adhuc, quod quidem sciam, hoc verbum mendosum esse suspicatus est; ne ipse quidem, cum hos meos commentarios primo edidi. nunc autem, cum ad hunc locum legendo peruenissem; (valde enim harum epistolarum lectio me delectat) nec satis ipsa sibi congruere sententia videretur; cœpi diligentius totam rem examinare. itaque vidi, non modo, Iueram, sincerum esse non posse, sed plane, quod aliud significet, alterũ verbum desiderari. nam, si genere belli commouetur Cicero, quod inter ciues gerebatur; si imparata omnia & infirma apud Pompeium, contra apud Cæsarem paratissima esse intelligit; certe inde fit, non vt

ex Italia

ex Italia discedat, sed potius, vt in ea remaneat. idque aperte confirmat illud, Ceperamque consilium nõ tam forte, quam mihi præter ceteros concedendum. non enim, si de itione ad Pompeiũ loqueretur, cõsilium illud minus forte appellaret. itaque, de mansione vt intelligat, necesse est. quod etsi non tã forte consilium fuit, ipsi tamen, qui paci semper studuerat, fuit præter ceteros concedendum. deinde (& hoc est, in quo suam culpam agnoscit) optimatum sermonibus, quos audiebat, consiliisque maxime Quincti fratris de sua sententia detrusus, iuit ad Pompeium. &, vt mutationem sententiæ suæ significet, primum ait, Ceperam, vt de priore sententia: deinde, de posteriore, subiungit, Cessimus. patet de mendo. videamus correctionem. Bessarionis liber, pro, Iueram, habet Scieram: quod interpretari licet, caute egeram, consulueram probe rebus meis, intellexeram quod esset e re mea. deinde quale illud esset, exponit his verbis: Ceperamque consilium, &c. manendi consilium non dubie significans. quod a se mutatum, & aliorum sermonibus, quibus ait se victum cessisse, & fratris suorumque consilijs, quibus adscribit se paruisse, misserrimis modis in hac epistola conqueritur. Sane vellem exemplum aliquod liceret afferre, quo, veteres Sciendi verbo, ea qua diximus sententia, eodemque modo, nulla scilicet adiuncta dictione, vsos esse, constaret. cuius generis etsi nunc in mentem nihil venit; quin tamen eiusmodi aliquid, quale quærimus, inueniri possit, non despero. Quod si quis de mendo quidem nobiscum sentit, de quo vix arbitror dubitari posse, correctionem autem, ob inusitatam verbi sententiam, minus probat: is a nobis accipiat, quod damus; de reliquo libros ipse veteres consulat; aut ex ingenio suo probabilius aliquid promat. Hæc cum scripsissem, rursus idem cogitanti venit in mẽtem, Quieram, pro Iueram, nec a sententia dissentire, nec a vetere scriptura longius abesse. itaque velim a studiosis hoc quoque considerari. *Mihi præter ceteros concedendum.*]nam alios tantum reip. caussa, me vero etiam beneficia, quæ a Pompeio acceperam, mouebant. *Cessimus, vel potius parui.*]cessimus, sermonibus hominum: parui, iis, qui suadebant, vt ad Pompeium irem. epistola 12. *Is, quem tu mihi commendas,*]frater meus. commendauerat autem Atticus, vt eum Cicero apud Cæsarem deprecantem

litteris adiuuaret. vnde illud epist. 22. Scribis illum per me Quincto fore placatiorem. Quo modo autem Cicero, qui & ipse fortuna minus prospera vtebatur, adiuuare eum apud Cæsarem posset, & quo modo etiam adiuuerit, apparet ex epistola, quæ post duas sequentes legitur, in qua commendaticiæ sunt, pro Quincto fratre, Ciceronis ad Cæsarem litteræ. *Fasciculus.*] litterarum, quas e Græcia Q. Cicero partim Brundisium ad Vatinium, & Ligurium, partim Romam ad alios mittebat. *Non modo fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse,*] cum scilicet eo legato in Gallia vsus est. est autem, Fouisse, locum illi inter legatos concessisse, non exclusisse illum, non dimisisse. *Honoris mei caussa.*]vt cognoscerem, quanti me faceret. non enim in eo Cæsar Quincti Ciceronis, sed Marci rationem habuit. *Eiusdem generis.*]plenas omnium in me probrorum. *Illi ipsi*]cui ego putaui perniciosum fore. *Vtile*]apud Cæsarem, aut etiam apud alios. *Reddi,*]iis, ad quos mittuntur. *Hac ille acerbitate*]nam in me acerbus & contumeliosus fuit iam inde ab illo tempore, cum ad Pompeium in Græciam nauigare cœpimus. *Istam miseram,*]Tulliolam. *Patrimonio, &c.*]videtur dubitare de proscriptione: quod apertius ostendit paullo infra, cum dicit, Matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi. *Si me non offendes,*] si acciderit, vt, cum ad me venies, me non offendas. Et hoc dicit, vt significet, sibi præ desperatione consilium in alias terras migrandi pæne iam esse captum. *Tamen habeto*] putato, satis eam tibi esse his litteris a me commendatam. *Die natali meo*]III. non. Ianuarij. apparet ex epistola 5. libri 7. & l. 1.

IN EPISTOLAM X.

Operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit.]portorio & scripturæ Asiæ magistri loco præfuit. de hoc ipso in epistola ad Silium his verbis: Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi sũma familiaritas consuetudoque est. Scriptura autem quid sit, Pedianus in diuinatione declarat his verbis: Qui exigenda a sociis suo periculo exigunt, & reip. repræsentant, eorum ratio scriptura dicitur. In illa autem societate & magistri, & pro magistris erant. *Cum illis ne querendi quidem locum futurum puto.*] siqui-

siquidem alter frater est, alter fratris filius. cum aliis si res esset, vlciscerer: cum his ne queri quidem mihi arbitror licere. *Ac tu scripseras*] Atticus ad consolandum Ciceronem, quæ poterat, omnia colligebat. itaque scripserat, eos, qui contra Cæsarem in Africa bellum renouarent, infirmos plane esse, & imparatos. hoc autem ad minuendam Ciceronis molestiam vel maxime pertinebat, qui ex euētis aliquid exsistere cupiebat, vnde consilium suum non temere captum videretur. in epistola, quæ ante duas superiores legitur, locus est huiusmodi: Si quid ex euentis. in eum locum quæ scripsimus, lege. apertior huius erit intelligentia. *Hispania*,] in qua Cn. Pompeius Magni filius bellum aduersus Cæsarem instaurabat. Appianus lib. 2. Dio lib. 42. & 43. *Quid est, vbi acquiescam?*] nam, si hæc, vt nunciantur, ita sunt, valde ego reprehēdar, qui in Italiam ad Cęsarem venerim, caussa publica, quam alij & fortiter, & cum optima spe tuerentur, destituta. *Eosque*,] Quinctum fratrem, & Quinctum eius filium. *Accusses*] litteris ad eos scriptis reprehendas.

IN EPISTOLAM XI.

Immutata esse omnia;] nam, cum Cicero ab Attico litteras accepit, imbecillæ Pompeianorum vires esse videbātur; cum autem hanc epistolam scripsit, firmissimæ. itaq; infert, Illa esse firma, quæ debeant, nos stultitiæ nostræ grauissimas pœnas pendere. & hoc postremum adiungit, quia stultus sibi fuisse videbatur, quod tam celeriter in Italiam venisset, belli Africani exitu non exspectato. *Curanda*] Romæ. *Accepi*] hic. erant autem argentarij P. & Cn. Sallustij, alter Romæ, alter Brundisij. *Qui & tamur.*] vide epist. 23. l. 13. *Quo culpa maior.*] nam hoc ipsum mali, quod & sustineo, & exspecto, totum est mea culpa contractum, qui tam stulte & inconsiderate in Italiam veni. *Ille*] Quinctus frater.

IN EPISTOLAM XII.

Nihil enim erat,] sensum patere puto iis, qui vident in litteris acutius. vt tamen etiam hebetiores intelligant, euolutam sententiam manifestis verbis exponam. minime, inquit, volebam Cæsarem existimare, me tanta de re alieno consilio vsum esse. volebam igitur eum existimare, non me suasu fra-

tris mei, sed mea sponte meoque consilio iuisse ad Pompeiũ. *Postea, cum*] antea, Postea quam: emẽdaui locum ex coniectura, & hic, & epistola vltima lib. 2. fam. & alibi. mendi origo fuit, quod scribebant veteres quom, pro cum. *Tamen Lin eo*] Tamen de eo, clarius esset. vt nunc legitur, non puto locum carere mendo. opem exspectabimus veterum librorũ. *Is lenis in illum*] Cæsar in Quinctum. *Is ero, qui semper fui.*] faciam, quod semper feci, vt fratrem meum, quantum in me sit, adiuuem. *Quod vtinam ita esset.*] cupit, Pompeianos Cęsari se dedere; vt ipse sapiens fuisse videatur, qui statim post Pharsalicam pugnam ad Cæsarem venerit, quasi, quid futurum esset, coniectura prospiceret. *Etiam Hispania.*] cum etiam in Hispania contra Cæsarem bellum paretur. *Velim facias id, quod sæpe fecisti:*] scribas ipse meo nomine. Hoc enim Atticus facere solitus erat. vnde illud in epist. 2. Quibus tibi videbitur, velim des litteras meo nomine. & ep. 3. Velim, si qui erunt, ad quos scribendum a me existimes, ipse conficias. item ep. 5. 7. & 14. *Præclaras generi actiones?*] εἰρωνικῶς. nam actiones Dolabellæ, qui hoc tempore tribunatum plebem gerebat, turpissimæ erant. auctor Dio libr. 12. & Plutarchus in Cæsare. ipse autem ep. 14. Omnium, inquit, conspectum horreo, præsertim hoc genero. & epist. 16. Ad ea, quæ me conficiunt, gener accedit. & epist. 23. O dij, generum ne nostrum potissimum, vt hoc, vel tabulas nouas? *Simplicem*] sine coheredibus; vt ego vnus creuerim. epist. 2.

IN EPISTOLAM XIII.

Siser] non memini me legisse alibi hoc cognomen inter familias Romanas. familiæ quidem nomen esse nõ potest. itaque suspicor de mendo. *Seruij patris*] Seruij Sulpicij. & addit, patris, propterea quod eodem prænomine & filius appellabatur, vt apparet ex epistolis ad Sulpicium scriptis. Puto autem alio loco me dixisse, apud Romanos in cõsuetudine fuisse positum, vt, qui primi nati essent filij patris prænomine vterentur. *Huc venerunt*] Brundisium. *Existimare te posse certo scio.*] vides enim, nulla omnino re leuari posse dolorem meum. deinde infert, Mihi cum omnia, &c. *AEquum postulant,*] quid postularint, cognosce infra, ep. 14. & 16. *Neque tam mihi desperaturi videbamur.*] Caualcãtis liber scriptus

ptus habet, Neque tamen mihi desperaturi ita videbantur: Vbaldini, Neque tamen desperaturi mihi videbamur: Ferri, Neque desperare mihi videbantur. legendum puto, Neq; tamen desperatum iri mihi videbamur. *In eadem sum voluntate.*] vt redimatur: quamquam res nostræ desperatæ sint. *Cum id videbamur sapienter facere,*] ante quam ille a Cæsare deuictus esset: quo tempore nobis ea res honori fore videbatur rep. constituta. nunc autem, quoniam fortuna tulit vt Cæsar vinceret, ex euentis stulte feciſſe iudicamur. *Tuo Cillico*] in Epiro. *Neque ab illo rogati sumus,*] qui enim dare debui non rogatus? *Quid sit, quod confici possit,*] vnde nobis suppeditentur sumptus necessarij. *Causſam nosti.*] non est tibi ignotus rerum mearum status. Et hoc dicit, propterea quod, cum illud parum plane posuisset, Quid mihi de omnibus des consilij, (non enim exponit, quibus de rebus consilium dari sibi velit) adscribendum putauit, cur breuitate vsus esset: ideoque intulit, Et causſam nosti. & scis, inquit, res meæ quo modo se habeant, & quæ me solicitent, etiam si ego minus explicem.

IN EPISTOLAM XIV.

Vt nihil aliud,] subaudi, esset, quod me consolaretur. *Comites me, & socios habere putabam:*] qui in Africam ire noluerant, sed remanserant, vt a Cæsare veniam deprecarentur, eos sibi comites reditus in Italiam, & eiusdem consilij socios fuisse dicit. *Culpæ*] peccasse sibi videtur, quod Brundisij maneat, ceteris ad Africanum bellum proficiscentibus. *Receptus.*] a Cæsarianis. *Scripserit:*] Cæsar. *Non quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis:*] cur ita putaret, causſam attulit epist. 20. sic enim scribit: Et alia timenda sunt, ab alijsque: & ab hoc ipso quæ dantur, vt a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. *Hoc genero,*] P. Cornelio Dolabella, qui cum Cæsare erat. Hoc genero: tam turpi, tam perdito, tam flagitioso. Et hoc, quemadmodum ego opinor, ideo dicit, quod Dolabella Cæsarem instigabat, vt aut Pompeianorum bona proscriberet, aut tabulas nouas poneret. vnde illud epistola 24. O dij, generum ne nostrum potissimum, vt hoc, vel tabulas nouas? Atque etiam huc pertinet id, quod dixit epistola 12. Vides accessisse ad superiores ægritudines, præclaras generi actiones. item epistola 16.

Ad ea, quæ me conficiunt, gener accedit. & ibidem: Suspicor coheredes dubiam nostram causſam putare. id est, proscriptionem meorum bonorum fore putant. *Quinctus pergit,*] Quinctus frater non cessat de nobis detrahere. *Cum ceteris*] ijs, de quibus supra in hac ipsa epistola. *Ad Menucium parentem scribam,*] vt mihi pecuniam curet. *Tuas litteras mittam.*] quibus ad eum scribis, vt mihi vsque ad H-S $\overline{\text{xxx}}$ curet: tantundem te Minucio filio Romę numeraturum. Minucius tamen XII. sola curauit: vt ex epistola, quæ proxima sequitur, apparet. *Potuisse mirarer,*] subaudi, cogi & confici a te de rebus meis. *Nisi multa de Fufidianis prædiis:*] hic quoque subintelligitur, H-S cogi & confici potuisse putarem. quod tamen non ita erat. nam Fufidiana prædia, quæ ad Ciceronem hereditate peruenerant, nondum Atticus vendiderat; vt patet ex epistola sequenti. *Et id video tamen.*] quam difficile sit $\overline{\text{xxx}}$ cogi.

IN EPISTOLAM XV.

Vt eum scribere etiam pudeat de illis rebus,] quasi bellum cum Ptolemæo rege cœptum confecerit, & negotij iam nihil habeat. Loquitur autem de Cæsare. *Affuturi*] in Italia, vt cum Cæsare dimicent. vnde illud in epistola sequenti, Ante reditum eius, negotium confectum iri puto. *Achaï*] qui post pugnam Pharsalicam primum in Achaia remanserant: deinde in Asiam iuerant, vt a Cæsare veniam impetrarent. ij, omisso petendæ veniæ consilio, aut ad Pompeium, inquit, redituri ex Asia videntur, aut loco aliquo, qui Cæsaris in potestate non sit, commoraturi. *Altero,*] D. Lælio, quę tamen a Cæsarianis receptū iam esse, superiore epistola scripsit: sed videtur minus certum id fuisse: siquidem paullo post in hac epistola dicet: Solius meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Lælij. ex quo manifestum est, incertum adhuc fuisse, num Lælius esset receptus. *Cui neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquā ad spem ostendatur.*] illos, Pompeianos: his ipsis, Cæsarianis. *XII.*] H-S. de hoc in epistola superiore. *Quod superest*] vsque ad XXX. H-S. ex quibus XII. tantum acceperat a Minucio, vt XIIX. superessent. *Peccati dolor,*] nihil, inquit, difficilius est, quam is dolor, quem

lor, quem ex peccati mei recordatione percipio. peccauerat autem in hoc Cicero, quod in Italiam venerat, vt sæpe iam dictũ est. *AEternus.*] numquam enim eo liberamur. *Si socios essem habiturus ego, quos putaui,*] putaui enim alios quoque in Italiam esse venturos: qui deinde non venerunt. *Habet aliorum, &c.*] ceteri Pompeiani, qui in Africam non iuerunt, excusari omnes aliqua re possunt, ego nulla. itaque illi reditum habent ad suos. quem ego me habere non puto, qui publicam causam, cum in Italiam veni, quasi prodidisse videor. *Non veniunt in dubium de voluntate:*] non existimari possunt noluisse in Africam ire; si quidem capti a Cæsare, aut intercluſi, non potuerunt. ego autem neque captus sum, neque intercluſus: neque tamen in Africam iui: quodque grauius est, etiam in Italiam veni. *Cum se expedierint,*] nunc reprehendi non possunt, quia non iuerint: apparet enim non licuisse, cum alij capti, alij intercluſi essent. si vero exeundi viam nacti, ad exercitum Africanum se conferent; multo minus in dubium venient de voluntate. ostendẽt enim se, cum potuerint, iuisse. *Fusium*] Q. Fusium Calenum, quem Cæsar, victo in Pharsalia Pompeio, Achaiæ præfecerat: & est is, vt opinor, qui Ciceroni post Cæsaris obitum acerrime in senatu in M. Antonium inuehenti, respondit. epistola sequenti. Cæsar lib. 3. de bel. ciu. Dio. *Timidi*] tantum timidi videri possunt, nihil præterea. venerunt enim sua sponte in Cæsaris potestatem, ne, hostium loco habiti, calamitatem aliquam subirent; quam supplices se posse effugere sperarunt. ego autem non timidus solum existimari possum, sed Cæsaris quodam modo cupidus, qui in Italiam, quasi cõspectum & consuetudinẽ victoris appetens, me contulerim: cum eadem ratione, qua ij, qui ad Fusium venerunt, conferre mihi possem. *Quicumque sunt,*] etiam si Cæsaris causam acriter oppugnarint. *Corrigi non potest:*] neque enim efficere ego quidquam possum, vt peccasse non videar. alij autem, si qui peccasse putabantur, cum se ad Africanum exercitum contulerint, recepti non iam amplius reprehendentur; cum mea ratio non eadem sit. nam, quoniam ego multo grauius, quam ceteri, Pompeianos offendi, non recipiar ab illis: itaque fiet, vt solius meum peccatum non corrigatur. *Cassium*] rumor fuerat, Cassium ad Cæsarem Alexandriam

ire, vt deprecaretur. quod omnino Ciceronis causam aliqua ex parte subleuasset: cum & alios esse constaret, qui victon se crederent. hic quoque, inquit, consilium mutasse dicitur: vt videas me, præter Lælium, culpæ socium habere neminem. *Gener accedit,*] perditus, & Cæsari malorum consiliorum auctor. etiam in epistola superiore, Præsertim hoc genero. In eum locum, vide, quæ diximus. *Cetera,*] vt de domesticis rebus male affectis, vt de Terentiæ inopia, vt de Quincti maledictis. *Explerí*] cum hereditas diuidi commode non potest, propter coheredum non æquas partes; ad licitationem confugitur; quæ certior est, quam æstimatio. ita, omnium bonorum reperto pretio, expletur ea, quæ minor esse videtur, pars hereditatis.

IN EPISTOLAM XVI.

Ista epistola] quæ mihi a Cæsare reddita est. *Exigue*] sine pondere: vt, quod illa epistola cõtineatur, inane dicat. quod idem epist. 17. Inane, inquit, esset, etiam si verum esset. *Ab illo:*] a Cæsare. a quo epistolam illam scriptam non fuisse, ostendit epist. 17. Intelligis, inquit, illud de litteris ad V. idus Febr. datis non verum esse. Ac sane fieri potest, vt Oppius eã, aut aliquis alius scripserit; ne Cicero, desperatione adductus, rursus ex Italia discederet. *De pace:*] quam Cicero cum omnino inter Cæsarem & Pompeianos factum iri putaret, vt ostendit in epistola ad Cassium, in Italiam venit, statim post pugnã in Thessalia commissam. cuius eum consilij deinde pænituit: itaque infert: Cuius ego spe in hanc fraudem incidi. *Sperandum*] de pace. *In Asia, &c.*] enumerat, quot in locis parum secunda Cæsaris fortuna fuerit. In Asia: cum Pharnaces Mithridatis filius, pugna cum Cn. Domitio Caluino Asiæ præfecto prospere facta, Pontum occupauit. *In Illyrico,*] ob rem a Gabinio minus feliciter gestam. nam, præter alia incommoda iam accepta, in prœlio cum barbaris cõmisso magnum numerum militum amisit; & ipse paucis post mensibus, summa difficultate rerum omnium pressus, morbo interijt. *Cassiano negotio,*] cum Cassius & Marcellus, Cæsaris in vlteriore Hispania præfecti, dissensione orta, & militum seditione facta, bellum aliquandiu inter se gesserũt.

In ipsa

In ipsa Alexandria,] cum Cæsaris milites perturbati, & ab Alexandrinis loco pulsi, legionarijs circiter quadringentis, & classiarijs ac remigibus fere totidem amissis, in naues refugerunt; Cæsar autem ipse, magno in periculo versatus, natatione sibi consulere coactus est. *In Vrbe,*] hoc est, quod dicit epist. 10. Vrbanæ res perditæ; cum scilicet, absente Cæsare, & in bello, quod cum Alexandrinis gessit, occupato, multa male & inutiliter Romæ propter contentiones tribunorum pl. & ambitionem tribunorum mil administrabantur: vt inquit Hirtius lib. 4. quanquam aptius referetur ad M. Antonij libidinem & auaritiam. de quo his verbis in 2. Philippica: In vrbe auri & argenti fœda direptio. & paullo post: Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferã? *In Italia.*] hoc quoque ad M. Antonium refero: de quo sic in eadem Philippica: Italiæ percursatio comite mima: in opida militum crudelis & misera deductio. *Ille*] Cæsar: quem adhuc bello Alexandrino distineri, fama erat. *Negotium confectum iri*] Africanos in Italia fore. vnde illud in epistola superiori: Ii ex Africa iam affuturi videntur. *De litteris:*] ad me a Cæsare missis: de quibus initio loquitur epistolæ. Lætitia autem bonorum commota erat: propterea quod de Ciceronis incolumitate dubitandum iam non videbatur, Cæsare ad illum scribente. *Huius consilis*] nemo enim salutem a Cæsare petit. nam, qui in Asiam iuerant, vt Cæsarem pro salute sua deprecarentur, progredi vlterius noluerunt, sed ibi Alexandrini belli exitum exspectant. qui vero in Achaia sunt, Fusio, contra quam antea fecerant, ostendunt se nolle deprecari, & primum illud consilium de salute a Cæsare petenda mutauisse. Puto autem legendum esse, Auferunt, non Afferunt. puto tamen, non censeo. videtur enim &, Afferunt, posse retineri: vt sit: etiam spem afferunt: spem quidem adhuc Fusio afferunt, ituros se ad Cæsarem vt deprecentur; non tamen eunt. *Constitutum.*] deliberatio. nam constituerunt, Cæsari se committere: sed, interposito Alexandrino bello, & Cæsaris rebus in discrimen adductis, integrum sibi reseruarunt, belli exitum exspectantes. itaque mora Alexandrina effectum est, vt eorum causa quasi corrigeretur, vt eorum culpa minueretur: si quidem nihil fecerunt, quod Pompeianos, qui in

Africa bellum renouant, grauius offenderet. & vt Alexandrinum bellum illorũ cauſſam iuuit, ita meam perdidit. nam, quo minus ſecunda Cæſaris fortuna eſt, eo magis reprehendor, qui in Italiam venire properarim, cauſſa reip. deſperata. *Ab his,*] a Cæſarianis. *Sine dubitatione*] noli enim dubitare, vt eorum veritas me offendat. *De his litteris:*] quæ mihi a Cęſare redditæ ſunt: vis autem me ſcribere, vt ille, cum mihi non iratum eſſe Cæſarem audiat, ex hoc meo commodo lætitiam capiat. ſed, inquit, hoc non facio: primum, quod me iſtæ litteræ non delectant; ſi quidẽ & exigue ſcriptæ ſunt, & ſuſpiciones habent non eſſe a Cęſare: deinde, quod, ipſum Quinctum non eſſe erga me optime animatum, ex amici litteris intelligo. *Illum ad te ſcribere,*] Quinctum. *Si putas rectum eſſe, & a te ſuſcipi poſſe,*] duplex conſideratio; nũ rectum ſit, vt omnino de teſtamento Terentia moneatur; & num moneri ab Attico debeat. illud enim, Si putas a te ſuſcipi poſſe, vt opinor, hoc valet: ſi tibi ita familiaris Terentiæ videris eſſe, vt agere cum ea de teſtamento poſſis. *Camillo*] nam hic non minus, quam Pomponius, Ciceronis res & negotia curabat: vt oſtendit epiſtolarum, quæ familiares dicuntur, lib. 14. harum autem, quæ ad Atticum ſcribuntur, lib. 5. epiſt. 9. & lib. 6. epiſt. 1. *De teſtamento.*] cupiebat Cicero a Terentia teſtamentum fieri, vt illa, cum res ſuas conſtitueret, ſatisfaceret ijs, quibus debebat. nam Ciceroni, Terentiam eius vxorem debere, minus honorificum videbatur. monere autem eam de teſtamento, commodius erat, quam de ſolutione. nam, cum teſtamentum conficeret, neceſſario ſequebatur, vt de ſolutione cogitaret. *Scelerate quædam facere.*] nefarie rem perdere: vnde illud epiſt. 24. Cum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perſpicis quid in maxima re fecerit? In epiſtola etiam ad Plancium Terentiæ ſcelus appellat, eoque ſe dicit eſſe adductum, vt diuortium faceret. Quibus enim, inquit, pro meis immortalibus beneficijs cariſſima mea ſalus & meæ fortunæ eſſe debebant; cum propter eorum ſcelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil inſidijs vacuum viderem; nouarum me neceſſitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putaui. *Quid ſcribas de ea:*] rectius fortaſſe, Quid ſentias de ea: num ſcilicet tibi videatur poſſe prouideri, ne rem perdat. vt Terentia

significetur. *Pro desperato.*] ea de re nihil amplius cogitabo. omnino, inquit, hac in re tuo consilio egeo, siue aliquid excogitas, siue nihil. nam, si aliquid; ne Terentia facultates conficiat, prouidebitur: si nihil; mihi erit ea res pro desperata, itaque cura liberabor.

IN EPISTOLAM XVII.

Eo breuiorem, quod] Vbaldini liber antiquus, Eo breuior est, & quod. probo: vt duabus caussis breuior epistola sit; & quod eam dederit properantibus tabellarijs alienis; & quod suos ipse missurus fuerit. *Culpa mea.*] mea enim negligentia factum est, vt Dolabellæ nuberet: quem ego probare generum non debui, nisi prius omnia perscrutatus, non solum quod ad mores, sed etiam quod ad facultates attineret. quod si feciſſem, eius ære alieno perspecto, num quã passus essem, vt homini in tanta rei domesticæ difficultate constituto filia mea collocaretur. sed commisi, vt me absente res per amicos ageretur. quibus in Ciliciam proficiscens ita mandaui, vt, quoniam egõ tam longe abfuturus eram, de Tulliæ meæ matrimonio agerent ipsi quod probassent. in quo meam negligentiam agnosco. tantam enim rem alijs committere nõ debui, sed in reditum meum integram reseruare. Cur autem hoc a Cicerone putem significari, facit epistola ad Terentiã his verbis scripta: Tullia nostra venit ad me pridie idus Iun. cuius summa virtute & singulari humanitate, grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, vt longe alia in fortuna esset, atque eius pietas ac dignitas postulabat. Dixit autem, Tale ingenium in tam misera fortuna versari, hoc sensu; quod Tullia virum haberet tam perditum, tam flagitiosum, tam multa in tribunatu nefarie molientem. siquidem in tribunatu iniquas leges ferre Dolabella conatus est, maxime debitorũ caussa, e quibus ipse vnus erat. Dio. *Cum Sallustio.*] idem in epistola ad Terentiam: Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Deinde consilium mutauit, cum de Cæsaris aduentu nihil audiretur; vt in proxima sequenti, & in alia ad Terentiã epistola declarat. *Communi mærore*] nam vtrique in mærore sumus. *Consolandis, &c.*] mendum video, correctionem adhuc quæro. *Locutum,*] me liberius loqui, quam

oporteret. *Non abhorret a mea suspicione eius oratio.*] quod enim ipse dicit, id ego quoque suspicabar, genus sermonum meorum istis non probari. *Non dubito, &c.*] omnino, inquit, parui refert, quo modo loquar. nam istis persuaderi numquam poterit, ea, quæ faciant, mihi probari, etiam si oratione vtar ad tempus accommodata. *Quid mea interfuit,*] omnino enim ad meas ærumnas accedere iam nihil potest. Idem significat epist. 24. Quod, inquit, me mones de vultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. *Ne profectum quidem illo*] vel, Illinc, vel, Illim, quod idem significat, legendum puto, aptiore sententia, quam si Illo legas. *De litteris ad V. Febr. datis,*] de quibus initio proximæ superioris epistolæ. *Inane esset, etiam si verum esset,*] nam, etsi verum esset, eas Cæsarem scripsisse; tamen apud me non magni ponderis essent, quoniam exigue, &, vt ita dicam, frigide scriptæ sunt. *Nasidium*] Pompeianum, ex ordine equestri, quem Cæsar lib. 2. de bello ciu. a Cn. Pompeio Magno, L. Domitio, Massilienſibusque subsidio missum refert. de hoc ipso in fine septimæ orationis in Antonii. *Emissus*] ex Africa: in qua Pompeiani bellum contra Cæsarem parabant, & ex prouincia neminem exire patiebantur, ne de copijs eorum, aut de consilijs Cæsar scire posset. Nasidius autem fecerat, vt exire Terentio liceret.

IN EPISTOLAM XIIX.

Valde esse impeditum.] graue adhuc & difficile bellum ei cum Alexandrinis esse. *Me hinc expedias.*] efficias, vt mihi Brundisio discedere concedatur; vbi cum reliquis etiam loci grauitas miserrime perferenda. *Bellum*] illatum a Pompeianis, tum quidem vires in Africa Scipione duce colligentibus. *Vtetur,*] Cæsar, non exspectans vt in Italiam transijciant. *Istorum*] Cæsarianorum. *Via*] vt huc, vbi ego sum, copiæ conueniant, in Africam transijciendæ.

IN EPISTOLAM XIX.

Velim, quid erit, qualecumq; erit, scribas.] rectius, Quod erit, opinor. *De pace*] nam, si bellum fuisset, erat ei timendum non solum a Cæsare, contra quem pugnauerat, sed etiã a Pom-

a Pompeianis, quos reliquerat. *Dicitur idibus Sext.*] affuturus, cum Cæsaris ad me litteris. affuit autem pridie idus, vt ex duabus epistolis ad Terentiam, quæ fam. lib. 14. postremæ leguntur, manifestum est. *Quæ antea ad te scripsi.*] puto significari illas litteras, quæ in fine libri ordine præpostero collocatæ sunt. nam, ante hanc epistolam datas esse, dies adscripta declarat. In ijs ostendit, Brundisio discedere sibi certum esse, cum dicit: Scribas ad me, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des; quod longum non erit. Hic quoque idem ostendit, sed se tamen teneri, dum, vt in pessimis rebus, aliquid caueat. Brundisij, inquit, causa non est cur diutius iaceamus. modo tantisper commoremur, dum, vt in pessimis, aliquid caueamus; satis est. cautio autem hæc esse poterat, vt prius, quam discederet, de Cæsaris rebus, de belli Africani apparatu certiora cognosceret, vt ad inopiam Terentiæ propulsandam aliquid conficeret, vt pecuniam pro sumptu suo cogeret, denique etiam vt Philotimi aduentum exspectaret, qui litteras a Cæsare habere dicebatur. ep. 24. *Nihil sm- quam caui.*] non enim caui, cum initio belli ad Pompeium in Græciam nauigaui. itaque dicit in epistola ad Cæcinam; Vt in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestē ante oculos positam sum profectus. Multo etiam minus caui, cum in Italiam reuerti: siquidem consilium cepi nec tutum, nec honorificum.

IN EPISTOLAM XX.

Seleucia Peria C. Trebonii, is] vel antiquis libris repugnantibus emendo, Seleucia Pieria C. Trebonius. fuit autem Pieria Seleuciæ cognomen quod apud Plinium legimus lib. 5. cap. 9. & eodem lib. cap. 21. nam quod Trebonius lego, nō, Trebonij, is; in eo mutatio nulla est: siquidem ex duarum i coitione efficitur u. *Quod ipsum est suspectum, notionem eius differri.*] nunc enim omnibus ignoscit, non quod omnes venia dignos putet, sed quod ad vniuscuiusque causam cognoscendam tempus non habet: itaq; notionem differt: quod suspectum est. nam, si nunc aliquibus ignosceret causa eorū cognita: ijs, quibus ignouisset, nihil amplius timendū esset. cum vero omnibus ignoscat incognita causa; suspectū videtur esse. nam omnino causam eorum, qui cum Pompeio fuerunt, illum diligentius aliquando cogniturum, verisimile est.

Reddidit.] quæ abstulerat, arbitratus Pompeiano ius recuperandi non futurum. nunc, Sallustio a Cæsare recepto, & ex eorum numero, qui hostes habebantur, exempto, reddere coactus est. *In Siciliam*] vt inde post in Africam contra Scipionem & reliquos Pompeianos transijcerent. *Et protinus iturum*] in Siciliam videlicet, vt ex epistola, quæ proxima sequitur, apparet. ego tamen libentius legerem, Eo protinus iturum, sensu eodem, sed magis aperto. Est autem obseruandum, locutionem hic esse minus integram; cum verbum desideretur, quo participium, Iturum, referatur. qua tamen figura alibi quoque Ciceronem esse vsum animaduertimus, vt ad Lentulum epistola, cuius initium est, Legi tuas litteras. sic enim scribit: Placebat illud, vt, si rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam præstitisset, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuares: eam esse naturam & regionem prouinciæ tuæ, vt illius reditum vel adiuuando confirmares, vel negligendo impedires. Verbũ enim, Esse, vnde regatur non est. *Propius accedam.*] propius vrbem. quod non feciſſet, si Cæsar, qui ex Asia veniebat, omissa Sicilia ex Græcia in Italiam recta nauigasset. nam eum Brundisij, vbi erat, exspectasset, vt aduenienti occurreret, & deprecaretur. itaque dicit: Quod si faciet, id est si in Siciliam ibit, ego propius accedam.

IN EPISTOLAM XXI.

Illa sic scripsit, vt ego ad te antea:] scripserat autem Terentia Ciceroni, cum ei H-S x mitteret, nihil esse reliquum: vt ex epistola constat, quæ post duas sequentes legitur. quam epistolam ante hanc esse datam, ex adscripta die manifestum est. *Pharnaces.*] qui Pontum occupauerat, & excessurus sine bello non videbatur. *Ad quam primum Sulla venit.*] venerat autem, vt legiones in Siciliam traduceret: quo Cæsar Patris iturus erat. *Nullam putant se commoturam.*] nisi acceptis præmijs, quæ Cæsar promiserat: vnde in epistola sequenti: Currunt ad illum pulsi a militibus, qui se negant vsquam, nisi acceperint. *Si hoc ita est,*] legiones ex Italia nolle discedere, neque vllo pacto eos, quos Cæsar misit, in Siciliam secuturas. *Euasissem*] illo autem absente, dubius quid agerem, venia nondum impetrata, neque tamen desperata,

rata, Brundisij inuitus permansi. *Quæ ad tempus accommodem:*] vultum, & orationem. vnde illud epist. 24. Quod me mones de vultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen, &c. *Nostrorum iniuriis,*] Quinctum fratrem, & Terentiam significat: Quinctum, qui maledictis offenderet; Terentiam, quæ facultates absumeret. *Dignum nobis,*] nam orationem & vultum ad tempus accommodare, dignum Ciceronis prudentia fuisset. Hoc, inquit, non possumus, dolore perturbati: qui quidem dolor efficitur & ex nostris peccatis, & ex nostrorum iniuriis. peccata autem Ciceronis erant, primum, quod ad Pompeium in Græciam nauigasset, cum de Cæsaris victoria cõiicere posset: deinde, quod in Italiam reuertisset, cum id neque tutum, neque honorificũ videretur. *Sullana confers:*] credibile est, Atticum in hanc sententiam scripsisse: Feramus quæ sub Sylla tulimus: hæc enim eiusmodi fere sunt. Hic Cicero respondens, Sullana, inquit, genere *ipso* præclarissima fuerunt; nam Sylla senatus dignitatem contra perditam & seditiosam plebem defendebat; moderatione non admodum temperata; siquidem eos, quos sibi minus amicos fuisse intelligebat, occidit. *Obliuiscar, multoque malim, quod omnibus sit melius.*] dictio videtur deesse, ad quam referatur verbum, Obliuiscar. fortasse igitur sic: Obliuiscar mei, idq; malim, quod omnibus sit melius. siquidē in antiquis Bessarionis, Ferri, Vbaldini, & Maffei libris prō multoque malim, legitur, Mittoque malim. *Nostri nullam mentionem.*] scribis, inquit, Cæsarem mea causa Quincto fore placatiorē. vide, quam secus sit. Quincto filio, cum pro patre deprecaretur, omnia tribuit, nostri mentionem nullam fecit: vt apud Cæsarem non modo ego alios commendare non possim, sed etiam commendatione ipse videar indigere.

IN EPISTOLAM XXII.

Epistolas illas] Quinctus Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Cæsarem: Cæsar illas ad Oppium & Balbum misit: illi Attico dederunt: Atticus ad M. Ciceronem curauit perferendas. *Quasi quo illius, &c.*] ne Cæsar quidem, inquit, illas epistolas, a Quincto contra me scriptas, ad Balbum & Oppium misit, quasi quo illius improbitate offen

deretur, sed credo, vt incommoda diuulgarentur mea. *Ne illi obsint,*] scribis te vereri, hæ litteræ, cõtra me ad Cæsarem scriptæ, ne ipsi Quincto, qui scripsit, apud Cæsarem obsint: id est, ne Cæsar, hac improbitate offensus, difficilior illi sit ad ignoscendum. (nam, quod in Pompeij partibus fuisset, hoc sibi vt ignosceretur, Quinctus petebat) hoc, inquit, non est, vt pertimescas. tantum enim abest vt ita sit, vt etiam Quincto statim omnia Cæsar concesserit, deq; illo ne rogari quidem se passus sit. quod idem in fine superioris epistolæ dicit his verbis: Scripsi ad te antea, eum statim Quincto filio omnia tribuisse. & in ea, quæ proximam superiorem antecedit: C. Trebonius se Antiochiæ dicebat apud Cæsarem vidisse Quinctum filium cum Hirtio: eos de Quincto, quæ voluissent, impetrasse, nullo quidem negotio. Et aduertendum est, Ciceronem, cum eandem rem iterum & tertio significaret, non iisdẽ tamen verbis vsum esse. *Eique rei mederi:*] te. nam cum Balbo & Oppio Romæ Atticus agebat, vt Quinctum Cæsari litteris commendarent, veritus ne illi epistolæ contra fratrem scriptæ nocerent: nam M. Ciceronem Cæsari putabat esse curæ, vt etiam illius caussa crederet Quincto fore placatiorem, quod ex fine superioris epistolæ cognoscitur. *Nihil valere.*] caussam explicat in epistola, quæ ante proximam superiorem legitur. *Currunt ad illum*] Sulla & Messalla erant ex iis, quos Cæsar in Italiam miserat, vt legiones in Siciliam traducerent. quos milites male acceperunt, negantes se vsquam esse ituros, nisi a Cæsare præmia, quæ superioribus bellis promiserat, accepissent. *Pulsi a militibus:*] nam XII. legio, ad quam primum Sulla venerat, lapidibus egisse hominem dicebatur. in epistola superiore. *Vt multos dies in opidum ponat.*] non explano, Vt in vnoquoque opido multos dies Cæsar consumat, sed, Vt ab opido ad opidum multorum dierum itinere perueniat. quale illud est epist. 35. libr. 12. Ne totum diem in villam. vbi subaudio, Ponam; dum in villam eo. *Quo modo agit,*] frequens locutio apud Ciceronẽ: Quo modo nunc est, consules transierunt: Quo modo nunc est, pedẽ vbi ponat in suo, nõ habet: Quo modo res se habet, nõ est facillima. ep. 15. l. 8. & 49. l. 12. & ad Q. fr. 3. l. 1. Quem ego sensum & loquẽdi modum secutus, legere malui, Quo modo agit, quam, vt antea, Quoquo modo agit, vt epist. 22. lib. 14.

lib.14. Dicit autem, Quo modo agit, propterea quod Pharnaces Ponto, quem occupauerat, non decedebat: vt ea res Cæsari in Italiam proficiscenti moram allatura videretur. *Cæli, qui mihi*] videtur, Quę mihi, legendum: vt referatur ad Grauitatem. *Laborem*] languorem, nonnulli. ego nihil muto, refertur enim ad verbum, Sustineo. *An hus illuc euntibus mandem, vt me excusent?*] his, Sullæ, & Messallæ. Illuc: ad Cæsarem. Excusent: quod Brundisio discesserim, & propius vrbem accesserim. *Vt in malis.*] iuua, inquit, me consilio. plane hoc non facile fieri potest: sed iuua, si non quantum opus est, at quantum licet in malis. epist.3. lib.12. eodem sensu dixit, pro malis. Multo plus, inquit, proficeret solitudo, si tu interesses. quæ mihi vna caussa est est hinc discedendi. nam, pro malis, recte habebat. & ad Torquatum epistola 2. lib.6. fam. Quod, inquit, maiore in varietate versata est adhuc tua caussa, quam homines aut volebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum quod molestè feras. Dixit etiam in Bruto non dissimili sententia: L. Cœlius, vt temporibus illis, valde doctus. & de Senectute: Multæ, vt in homine Romano, litteræ. Et in epistola ad Marcellum: Vt in tali re, fortuna laudatur. Vt in malis, autem, vt in pessimis, vt in perditis rebus, nota locutio est: itaq; non affceram exempla: tantum dicam, in Ybaldini libro scripto legi, Scio rem difficilem esse sed in malis; in libro Caualcantis, Sic rem difficilem esse sed vt malis: in tertio Ferri, Scio rem difficilem esse sed vt in malis. vt ex trium exemplarium varietate non temere locus emendari videatur. *Etiam*] altera caussa, cur propius accedere vellet. prima enim erat illa, quod grauitatem cœli Brundisini vix iam corpore sustinebat. *De testamento.*] quod a Terentia fieri Cicero cupiebat, vt iis, quibus debebat, satisfaceret. *Animaduertes.*] quid? opinor, id quod dixit in epistola superiore: Quid a Terentia in testam ẽto ponatur, & quo modo ponatur.

IN EPISTOLAM XXIII.

Vt cum Camillo communicares:] hoc quid esset, de quo Atticum communicare cum Camillo volebat, ostendit ep.7. Extremum, inquit, est, quod te orem, cum Camillo communices, vt Terentiã moneatis de testamento. Easq; litteras hiç

significat cum dicit, Quod ad te scripseram. *Scripsit, te cum eo locutum.*] antiqui libri duo, Vbaldini,& Caualcantis, habent: Scripsisse eum locutum: vt fortasse corrigendum sit, Scripsit secum locutum: figura magis propria, quã si legas, Scripsit te cum eo locutum. nisi si quis offenditur, quod, Te, subintelligi videat: cum huius generis apud Ciceronẽ multa sint. *Nisi illud*] hic dictio, Nisi, idem fere significat, quod Sed: vt in epistola ad Memmium, libro 13. epist. 1. Nec, cur ille tantopere contendat, video, nec, cur tu repugnes: nisi tamẽ multo minus tibi cõcedi potest, quã illi, laborare sine caussa. Et ad Philippum, eodem libro epist. 73. De re nihil possum iudicare; nisi illud mihi certe persuadeo, te, talem virum, nihil temere fecisse. *Illud*] testamentum, vel, quod scriptum est in testamento. *Si aliter est, vt oportet,*] testamentum a Terentia factum aliter est, atque oportebat; mutari iam non potest. Et hoc dubitanter dicit; quia certum nesciebat, an esset factum, vt re vera non erat: quod ex duabus antecedentibus epistolis apparet; quas post hanc scriptas esse, cum alia significant, tum illud in primis, quod in hac, Quinctum filium ad Cæsarem esse profectum, in illis a Cæsare omnia dicit impetrasse. *Anullo*] Caualcantis liber, A nillo. corrigendum puto, Abillo, id est a Camillo. *Fortiorem*] non putabam te prorsus valere. *Profectum*] vt pro patre deprecaretur. *Habere ad me litteras.*] a Cæsare, quas accepit pridie idus Sext. vt ex epist. 24. lib. 14. ad Terentiam cognoscitur. *Gratulatur.*] quod existimet Cæsarem iratum mihi non esse, cum ad me scribat. *Ne cogitatione quidem*] sensus est. Quinctus frater mihi gratulatur, quod Cęsar ad me scribat. ego autem, tantum abest, vt propter has litteras gaudeam, vt nihil ne cogitatione quidem reperire queam, quod mihi tolerabile possit esse. Dicit autem, In meo tamen peccato, propterea quod grauiter sibi peccasse videbatur, qui statim post pugnã Pharsalicam, Pompeianorum viribus nondum plane exstinctis, in Italiam venisset. idque diuersis nominibus appellat, temeritatem epist. 8. stultitiam epist. 11. peccatum epist. 15. *De hac misera cogites:*] de Terentia, ne egeat. ad hoc autem, vt ex epist. sequenti coniicitur, Atticus ita respondit: Terentiæ nostra & tua parata erunt. *De quo ad te proxime scripsi, vt aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam,*] significat litteras

teras III. nonas Quinct. datas, quæ sunt in fine huius libri perturbato ordine collocatæ. quibus in litteris, quod ad inopiam propulsandam pertineat, hoc est: Te oro, vt in perditis rebus, si quid cogi, conficique potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile; des operam. Volebat autem Cicero, cum propter Cæsarianorum licentiam de vrbis direptione timeret, ea quæ pretij maioris erant, neque loci multum occupabant, vt argentum, aut aliquid simile, seponi, & occultari, ne diripientibus paterent: quod apertius dicit in epistola sequenti; quoniam Atticus, Ciceronem de venditione scribere, videbatur esse interpretatus. *De ipso testamento.*] vt Terentia testamentum faciat. & in dictione, Ipso, inest emphasis: quasi dicat, de quo scis me laborare, & de quo sæpe iam ad te scripsi. *Illud quoque vellem antea:*] vellem antea nobis curæ fuisset, vt Terentia testamentum faceret: sed omnia timuimus: nimis, inquit, timidi fuimus: nã veriti sumus, ne, si illam de testamento moneremus, mulier suspicios offenderetur. & dicit, Illud quoque, vt ostendat alia etiam a se esse prætermissa. *Melius quidem in pessimis nihil fuit dissidio.*] erratum a nobis est, quod Terentiam antea de testamẽto non monuimus, veriti, ne molestè ferret: sed in eo maior culpa fuit, quod dissidium non fecimus, cum in pessimis melius nihil esset. Et ostendit, ne ipsum quidem dissidiũ sine aliqua difficultate fuisse, sed, vt in pessimis, optimum tamen fuisse. *Aliquid fecissemus, vt viui vel tabularum, &c.*] vel aliquid desideratur, vel in his ipsis verbis mendum latet. sensus esset nõ absurdus, si ita legeretur: Aliquid fecissemus, vt viri, vel tabularũ, & quæ sequuntur. nam infert paullo post, Et videremur aliquid doloris virilis habuisse. *Vel tabularum nouarum nomine, vel nocturnarum expugnationum,*] caussæ, cur dissidium honeste facere visus esset. nam, cum pecuniam, quam Romæ habebat, neque ipse domi suæ, aut apud amicos tuto custodire posset, cum nocturnæ domorum expugnationes timerentur; neque apud argentarios deponere, cũ de tabulis nouis rumor esset, quibus creditæ pecuniæ, recuperandi iure sublato, amittebantur: dixisset, se quidem alia ratione sibi cauere non potuisse, nisi diuortium faceret, & eam pecuniam pro dote redderet. Ad hunc locum pertinent ea, quæ diximus epist. 3. huius libri. *Vel Metella, vel omnium*

maiorum:] sic omnes antiqui libri, quotquot ipsi vidimus. tem tamen, si possem ingenio locum emendare: non succesſit omnino: sed, quia duæ videtur esse causſæ faciendi diffidij ad proximas duas additæ; putaui, pro Maiorum, legi posse Malorum. in illo, Metellæ, nihil aſſequor. *Nec res perijſſet,*] quam Terentia consumpſit. quod damnum, illa dimiſſa, effugiſſem. *Et videremur aliquid doloris virilis habuiſſe.*] Terentia dimittenda. *Memini omnino tuas litteras. sed & tempus illud, etsi quiduis præſtitit.*] quo modo nunc locus interpungitur, sententiam non elicio, quæ probetur. mallem sic distinguere. Memini omnino tuas litteras, sed & tempus illud. etsi quiduis præſtitit. hoc sensu; Memini omnino, quid tu mihi olim scripseris, cum scilicet, vt diuortium facerem, suadebas, sed memini (hoc enim verbum subintelligitur) & tempus illud: quod eiusmodi erat, vt de diuortio non videretur esse cogitandum. nam, cum ciuile bellum esset, & Terentiam dimittere, nisi dos redderetur, non possem, non fuit committendum, vt tam duris temporibus ea pecunia, quam habebã, priuarer. itaque, cum dicit, Memini & tempus illud, quasi se excuſat, quod Attici litteris nõ paruerit. quasi dicat: Illo tempore si Terentiæ nuncium remiſiſſem, fore suspicabar, vt in magnam deinde rei nummariæ difficultatem inciderem: sed incidere tamẽ in quamuis difficultatem præſtitit, quam Terentiam non dimittere. Et hoc significat, cum dicit, Etsi quiduis præſtitit. *Ipſa videtur denunciare.*] ipſa, Terentia: denunciare, diuortium. *Audimus enim de ſtatu reip.*] reddit rationem, cur Terentia videretur diuortium denunciare. Statu reip. misero videlicet, & perdito, maxime propter Dolabellæ tribuni pl. ambitionem & licentiã: vnde Cicero coniecturam faciebat, Terentiam diuortium esse facturam; vtpote quæ dubitaret, ne, si Dolabella tabulas nouas posuisset, quod velle videbatur, tam perturbato ſtatu ciuitatis de dote veniret in dubium. itaque velle eam, dum liceret, sibi cauere, diuortio facto, ante difficultatem illam temporum a Cicerone dotem recipere, verisimile erat. propterea non dixit, denunciat, sed videtur denunciare, quod ipse, denunciaturam, coniectura perspiciat. Quod autem in noſtro libro, contra quam in aliis omnibus, legitur, De ſtatu reipub. o dij, &c. sic emendauimus, adducti veterum exemplarium varietate.

nam

nam liber Caualcantis habet, De ſtatu ricidij: Vbaldini, Deteſtari Clodi: Maffei, De ſtaturi Clodij. *Vt hoc, vel tabulas nouas?*] ſubaudi, cogitet, in animo habeat; vel aliquid huiuſmodi. Hoc: quidpiam iniquius, de quo generum ſuum Dolabellam audiuerat legem eſſe laturum. ſed mihi magis placet, totum illud, Hoc, vel tabulas nouas, non duas res, ſed vnam ſignificare. nam, ſi duas ſignificat, cur ſecundam nominat, primam non item? qui enim poterat Atticus intelligere, quid ſibi vellet verbum, Hoc, niſi a Cicerone apertius exponeretur? placet igitur, vt dixi, vnam rem ſignificari, & illud, Vel tabulas nouas, interpretationem eſſe dictionis, Hoc: vt particula, Vel, ſententiam non mutet, ſicuti cum ponitur pro aut, ſed augeat, quo modo poſita eſt in quadam epiſtola ad Quinctum fratrem: Tu nobis amiciſſimum Sextium cognoſces, credo tua cauſſa vel Lentulum. & in libris Academicis: Per me vel ſtertas licet, non modo quieſcas. Legem autē de tabulis nouis Dolabellam pertuliſſe non conſtat, ſed, laturum eſſe, rumor fuit, atque etiam tentaſſe apparet. cuius rei argumentum eſt, quod in *Philippica 6.* Trebellium tabulis nouis aduerſatum fuiſſe, legitur: & ex Dionis hiſtoria lib. 42. inter P. Dolabellam, qui debitorum cauſſæ fauebat, e quibus ipſe vnus erat, & L. Trebellium, tribunos pl. graues & perpetuas fuiſſe contentiones, intelligitur. Trebellij autem tribunatus omnino in ea Philippica ſignificatur. ſed argumentari non oportet: aperte L. Florus, Dolabella, inquit, de tabulis nouis legem ferente, ſeditiones excitatæ. aperte etiam Plutarchus in Antonio. *Nuncium remitti.*] Terentiæ: vt, quod illa factura eſt, præripiamus. hoc enim refertur ad illud, Ipſa videtur denunciare. *Tertiam penſionem.*] vt reddam vniuerſam dotem. nam dos, facto diuortio, tribus penſionibus ſoluebatur. *Tum, ne vim abuſo naſcetur,*] ſic Maffei liber: ſic & Caualcantis, & Beſſarionis. forte, Tum ne, cum ab ipſa naſcetur, an prius ego. id eſt, tum ne cogitandum de dote, cū ipſa diſſidium denunciabit; an prius ego denunciem.

IN EPISTOLAM XXIV.

Qua dudum ad me, & qua etiam ad meam Tulliam] hic locus antea in vulgatis omnibus libris mendoſe legebatur. nos eum ex antiquo Speciani libro reſtituimus. *Ea ſentio*

esse vera.] sentio, nisi meum dolorem occultabo, grauissimum impendere damnum. Quod tamen damnum ostendit Cicero vitari a se minime posse, cum infert: Istud feramus: quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, vt caueamus, mones. *Grauissima iniuria accepta,*] puto, quod Brundisij, sine vlla dignitate, grauissimo cælo, diutius manere cogeretur; præsertim cum & ex litteris Dolabellæ, Cæsaris mandato confectis, in Italiam veniisset; (epist. 7.) & Oppius deinde ita promisisset, Cæsari non solum de conseruanda, sed etiam de augenda illius dignitate curæ fore. epist. 6. *Omni statu, omnique populo*] video enim mihi iratum fore Cæsarem, quod contra eum pugnauerim; infestos Pompeianos, quod ab ijs discesserim. *Eundem exitum*] perniciem & interitum rerum mearum. *Ad meam manum rediero.*] locum, antea deprauatum, emendauimus ex antiquo Speciani libro; in quo ita scriptum esse, Vbaldinus Bandinellus, homo grauis, & certus, affirmauit. Mea, inquit, manu scribere incipiam. *Commoti neque eum*] eodem modo libri scripti. locus corruptus: quare ad reliqua pergamus. *Quasi ita sit,*] non credo, inquit, testamentum a Terentia esse factum: sed, quasi factum sit, quoniam de testamento cum ea sermonem iam habuisti, poteris monere, vt alicui committat, &c. *Quoniam in sermone iam veniisti,*] hoc dicit, quia, nisi Atticus iam antea de testamento cum ea locutus esset, suspicari Terentia potuisset, se ideo moneri, quod extra belli periculum ipsa non esset. quod Cicero nolebat. itaque infert paullo post, Quam quidem celo miseram me hoc timere. Opinor autem rectius, In sermonem. nam, Venire in sermone, minus vsitata locutio. opinioni nostræ subscribit Vbaldini liber. *Cuius extra periculum huius belli fortuna sit.*] nam Terentiæ fortunas videbat extra periculum belli non esse: sed eam celabat. ostendit autem, commode Atticum illam de committendo alicui testamento monere posse: siquidem cum ea de testamento iam antea in sermonem venerat: vt suspicari non ita posset, quam ob causam moneretur. *De illo altero,*] quod scilicet ad te scripsi, vt aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam. De hoc autem duabus iam epistolis Atticum rogauerat, proxima superiore, & proxima sequenti. *Venire nunc*

nunc nihil posse:] hoc enim Atticus rescripserat. *Sepono, & occultari*] vt argentum, & lautior supellex. declarat in epistola sequenti. *Quæ impendet.*] timebat vrbis direptionem, cum audiret quotidie cædes & incendia fieri, omnia miscerí, atque turbari, tribunos pl. Dolabellam & Trebellium, alterum alteri infestum, opportuna vrbis loca hominibus armatis occupasse. Dio libro 42. *Mitto cetera,*] quæ illa inique & scelerate fecit. *Quid ad hoc addi potest?*] quid hoc indignius esse potest? *Hoc*] quod proxime sequitur. *Scripseras*] ad Terentiam. apparet Atticum aliquo exisse, inde Romam ad Terentiam scripsisse, vt H-S XII millia, quæ de argento reliqua essent, id est scutatos 360. Brundisium in Ciceronis vsum permutaret. CCIↃↃ] his notis decem millia nummum significantur: decem autem millia nummum, & decem millia sestertium idem est. nam nummus & sestertius nihil differunt, sestertius vero, siue nummus, quadrantes æreos, quos hodie vocant, duodecim valet: cum & quattuor sestertij denarium efficiant; & denarius, si ad Venetam monetam redigatur, pro sexdecim marculis sit, quemadmodum apud veteres pro sexdecim assibus: vt appareat, quos nunc quadrantes dicimus, apud antiquos trientes assium fuisse. Cum igitur ad Terentiam Atticus scripsisset, vt Ciceroni H-S XII millia mitteret; decem millia tantum illa misit, duo reliqua auertit. *Nullus venit,*] sic Plautus in Asinaria; Quem in tonstrinam iusseram venire, is nullus venit. In Bacch. Nullus affueris. In Trin. Nullus credas. Et Terentius in Eun. Nullus mones. in Hecy. Nullus dixeris. Ipse Cicero infra, Sextus ab armis nullus discedit. *Aduentum Cæsaris*] cum Ephesum adueniet, confecto Alexandrino bello in Italiam reuertens. *Aut nihil puto*] cum Philotimus Ephesi tempus tereret, coniecturam faciebat, in ijs litteris, quas ille a Cæsare ferre dicebatur, nihil esse, quod celerius perferri opus esset. nã, si quid liberalius Cæsar scripsisset, verisimile erat Philotimum litteras sine vlla mora ad Ciceronem fuisse perlaturum. de his autem litteris in epistola proxima superiore, & in fine lib. 14. ad Terentiam. *Non curet.*] forte, Curat. alioqui durius cule positum videtur. *Quid illinc afferatur.*] a Cæsare, ex Alexandria. *Te intelligere certo scio.*] intelligis enim, eam a nobis contractam esse cul-

pam, vt neq; apud Cęsarem locus, neq; apud Pompeianos ſit futurus. hoc apertius ſupra, in hac ipſa epiſtola: Nihil igitur mea minus intereſt, quam de Cæſaris rebus quid afferatur, quæcumque eius fortuna erit, idem exitus me manet. In ſequenti etiam epiſtola, Illum, inquit, diſceſſiſſe Alexandria, rumor eſt: quod verum, an falſum ſit, quoniam mea nihil intereſt, vtrum malim neſcio. *Difficile eſt,*] cur difficile eſſet, oſtendit epiſt. 22. *Si mea quidquam intereſſe putarem.*] cur hoc ſua nullam in partem putaret intereſſe, declarat ep. 17. his verbis: Non dubito, quin iſtis perſuaderi nullo modo poſſit, ea, quæ faciant, mihi probari poſſe, quoquo modo loquar. ego tamen vtar moderatione, qua potero. quamquam, quid mea interſit, vt eorum odium ſubeam, non intelligo. *Quod ſcribis, litteris putare Africanum negotium confici poſſe:*] ſubaudiendum prænomen Te, quod referatur ad verbum Putare. ſenſus hic eſt: Scribis te putare, inter Cæſarem & Pompeianos, qui in Africa ſunt, litteris vtrimque mittendis pacem poſſe fieri. vnde infert: *Si quid erit, quod conſolationis aliquid habeat, ſcribas ad me.* præter pacem autem, vnde conſolationem capere, aut quid optare poſſet, nihil erat, itaque epiſt. 19. Vnum, inquit, eſt, quod mihi ſit optandum, ſi quid agi de pace poſſit: quod nulla equidem habeo in ſpe; ſed quia tu leuiter interdum ſignificas, cogis me ſperare, quod optandum vix eſt. *Si quid audiero citius,*] hoc dicit, quia, cum Brundiſij eſſet, propius aberat ab Africa, quam Atticus, qui Romæ erat.

IN EPISTOLAM XXV.

Omnia fecimus, &c.] deſignat hæc in primis; ſuam profectionem ad Pompeium, cum in Græciam nauigauit; & reuerſionem in Italiam, cum, Pompeio acie deuicto, in Cæſaris poteſtatem ſua ſponte venit. quod vtrumque dicit ſe feciſſe propter errores & miſerias & animi & corporis, hoc eſt incaute prorſus & inconſiderate; cum intelligat, ſe, profectione ad Pompeium, Cæſarem offendiſſe; reuerſione in Italiam, Pompeianos: vt ob has cauſſas locum ſibi neque apud Cæſarem fore, neque apud Pompeianos ſperare poſſit. *Proximi*] frater Quinctus, vxor Terentia, gener Dolabella. Quinctus filium miſerat, qui eum apud Cæſarem accuſaret; odiumque

umque acerbissimum, & nocendi voluntatem ostenderat. Terentia facultates consumpserat. Dolabella tribunatum improbe gerebat. de Quincto epistola 8.10.15.16.21.22.de Terentia epist.17.& 24.& fam.epist.14.lib.4.de Dolabella epist.12.14.15.& 24.& Dio lib.42.Plutarchus etiam in Cæsare. Recte igitur dicit, proximos nouum sibi dolorem attulisse, cum curare potius, quantum in ipsis esset, veterem animi ægritudinem deberent. *Quod longum non erit.*] significat, se aut in tantis molestijs non diu posse viuere, aut in alias terras velle migrare. *Cuncti*] Maffei liber pro, Cuncti, habet, Eunti: Vbaldini, Euntes. *Scripsi apud epistolas*] depraua verba: neque fecus vetera exemplaria, nisi quod, scripsit, Maffei liber, & qui Bessarionis fuit, habent. *Miserrima*] locus est ab omni parte corruptus. *Simile natum*] Vbaldini liber, Ita leuatum. meum iudicium non interpono: propterea quod sensum videre non possumus, cum ea, quæ proxime antecedunt, & ipsa propter mendū obscura sint, & hæc, quæ consequuntur, ijsdem tenebris inuoluantur. *Consilio dando: attamen*] tale illud est epist. 2. lib. 13. Tuas litteras hodie exspectabam, nihil equidem vt ex ijs noui: quid enim? verumtamen. aliaque alibi eiusdem generis. *Cacti fuimus.*] cum eam Terentiæ dedimus. Cicero diuortium cum Terentia facere noluerat, ne secundā pensionem daret: quamquam Atticus auctor esset, vt omnino diuortium faceret. deinde, ne Terentia egeret, secundam pensionem dedit, neque tamen diuortium fecit. quod ita esse, constat ex epistola, quæ ante superiorem proximam legitur; in qua hæc sunt verba: Placet mihi, & idem tibi, nuncium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. *Alium mallem.*] recordatus orationem esse de præteritis, sententiam non perfecit; quodque instituerat dicere, omittens, intulit, Sed præterijt. *Quod sit in tuto,*] hoc iterauit superiore proxima epistola, cum dixit: Seponi, & occultari possunt, vt extra ruinam sint, eam, quæ impendet. *Neque satis multa ex supellectile,*] non dicit supellectilem parum multam esse, sed parum multa esse in supellectile, quæ pretij maioris sint, & seponi debeant. *Nec vlla fore condicio pacis, eaque, quæ sunt, etiam sine aduersario peritura.*] ponit duas causas, cur videatur adesse extremum: primum, quod inter Cæsarem & Pompeianos

pacis condicio nulla erit, & omnino decernetur armis: deinde, quod, etiamsi bellum a Pompeianis non sit, tamen hæc vel sine aduersario peribunt. corruant enim necesse est, cum nullo iure, nullis legibus nitantur. Et hoc dicit, quia, cum Cæsar bello Alexandrino detineretur, in vrbe propter contentiones tribunicias ad arma ventum erat; &, militibus in ciuitatem receptis, per vim omnia gerebantur. Dio lib. 42. & Hirtius lib. 4.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DVODECIMVM EPISTOLARVM CICERONIS AD ATTICVM.

IN EPISTOLAM I.

AD *constitutum:*] vt conuenit inter nos, vt cõstituimus. & prætermittit loci nomen, vbi v. Kal. esse constituerat; quod hac de re cum Attico ante discessum locutus erat, vt nominare necesse non esset. nam, cum dicit, v. Kal. igitur; aduerbium, Igitur, hoc desiderat, vt vna locuti sumus, vt tu scis me constituisse. & obseruandum est, Constitutum, esse verbum iuris, vt in oratione pro Cæcina, Qui ad constitutum experiundi iuris gratia venissent. & pro Cœlio, Cum sit ijs confitendum, numquam se ne congressu quidem, & constituto cœpisse de tantis iniurijs experiri. nam in iudicium alter alte-

ter alterum vocabat die constituta. &, quoniam sæpe accidit, vt ij, qui litigant, non eo die, quem sibi ad agendam causam constituerunt, iudicio disceptent, sed in alium diem differant: ideo in epistola ad Marium, translatione a litigantibus sumpta, dixit, Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas: hoc est: Si tu fortasse his diebus, quibus nos vna futuros esse vides, podagræ medicinam facere constitueras: differ in aliũ diem: ne te ex curatione infirmum & languentem offendamus; sed bene valentes, hilarius & liberius viuere possimus. *Currere.*] Romam: quo hæc epistola data est, vt ea, quæ subsequuntur, declarant. *Quod quidem ipsum*] osculum. & videtur hoc in loco Osculũ non basium significare, sed paruũ os, cum sequatur, garriat. *Quid garriat:*] apte, garriat, de puella: nam infantes, cum loquuntur, hilaritate quadam & sono vocis auiculas videntur imitari. itaque, quod auium proprium verbũ est, eleganter ad puellã transtulit. *Sin rusticatur,*] hinc apparet, hanc epistolam Romam esse missam. nam hoc intulit, cum certum nesciret, vtrum Romæ Attica cum patre, an in prædijs esset sine patre. *Aut scribes salutem, aut nunciabis,*] scribes, si rusticatur: nũciabis, si tecum Romæ est. *Noctuabundus*] qui de multa nocte ambulasset. *Scilicet*] hoc in loco, Scilicet, asseuerationem significat, vt in epistola ad Lentulum, Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod fore suspicor, &c. Et hic epist. 6. lib. 4. De Lentulo scilicet sic fero, vt debeo: virum bonum, & magnum hominẽ perdidimus. *Quod scribis, igniculum matutinum,*] igniculum matutinum γεροντικὸν esse, Atticus scripserat: itaque se, qui senex esset, more senum eo delectari. Cui Cicero respondens, Est id quidem, inquit, γεροντικὸν, sed γεροντικώτερον, memoriola vacillare. id est, tu quidem in eo senem te esse ostendis, quod igniculo matutino vteris; sed multo magis, quod memoria vacillas, (hoc autem vitio senes plerumque laborare solent) cum, quibus ego diebus ad Axium, ad te, ad Quinctum fratrem litteras dederim, sis oblitus. non enim ijs diebus dedi, quibus ipse putas, sed I v. Kal. ad Axium, I I I. ad te, v. ad fratrem. Videtur autem, cum hæc epistola scripta est, anni tempus id fuisse, vt frigoris aut nihil, aut parum admodum esset; cum supra dixerit, Sin rusticatur. rusticari enim

tempestate frigida, non solemus; neque, Atticum filiolam infantem hieme rusticatum misisse, verisimile est. Hoc attexere non alienum putaui: vt intelligatur, eo tempore igniculo matutino vti, plane γεροντικὸν fuisse. nam, cum frigoris aliqua vis est, tum igne vti non dicetur esse γεροντικόν: siquidem id non a solis senibus, sed omnino ab omnibus necessario fieri videmus. *Id est* v. *Kal.*] teneo meum institutum, vt sine libris antiquis nihil affirmem: quid tamen, si legatur, II. Kal. hoc est, pridie Kal. vt ordo continuetur, IV. III. II. est autem & alijs in locis hic error, ortus, vt ego opinor, ab huiusmodi caussa, quod librarij, vbi scriptum videbant II, opinione decepti, u litteram esse putarunt, & u pro II reposuerunt: deinceps alij peritiores, cum u intelligerent antiquã notam esse oportere, v fecerunt. *Hoc igitur habebis, noui nihil.*] aduerbium, Igitur, quo spectet, obscurum est. connecti enim cum superioribus non potest. sed, vt ego arbitror, ad Attici epistolam refertur: in qua huiusmodi aliquid fortasse posuerat, Scribes ad me, si quid habebis. cui Cicero respondens, Hoc igitur, inquit, habebis, noui nihil.

IN EPISTOLAM II.

Hic rumor est,] epistolæ initium fecimus. nam ante, quasi pars esset antecedentis epistolæ, continuata oratione legebatur. in quo illa inter se pugnare nemo animaduerterat, quod cum ita dicat; Hoc igitur habebis, noui nihil: deinde, res nouas adscribens, infert; Hic rumor est, T. Murcum, &c. Atque etiam illa minus inter se cohærere non intelligebatur, quod superiora scripsit villa egrediens, cum Atticus esset Romæ; hæc autem in vrbe, cum Atticus, vt opinor, rusticaretur, Romæ certe non esset. vnde illud, Habes quæ, dum tu abes, locuti sunt. & illud, De via recta ad me. quare hanc partem, quæ antea superiori epistolæ continens & adiuncta fuerat, non sine caussa, vt alteram epistolam, a superioribus separatã voluimus esse. *T. Murcum*] quem postea C. Cassius in suas partes traduxit: mox falsis criminibus insimulatum Sex. Pompeius, Magni filius, in Sicilia interfecit. Appianus appellat Sextum, non Titum; Cicero, Lucium; Paterculus prænomen non ponit. *Locuti sunt.*] Romæ. *Ludi*] forte in honorem

honorem Fortunæ, quæ Prænestæ colebatur. *Transacta*] in Africa. interea, inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Cæsar mense Decembri contra Pompeianos, Scipione imperatore bellum renouante, traiecerat. Hirtius vero & isti ludos curant, cenisque ac delicijs se dant, de rerum exitu non laborantes, quasi certi sint Cæsarem vicisse. O miros homines, subsequitur, cum ironia; quod fatui plane sint, qui tantis in rebus tam securo animo dies traducant. manifestum autē est, de bello Africano intelligi; quoniam Alexandrinum confectum iam erat; Hispanum vero significari non potest, quod ei bello Hirtius interfuit, vt ex ipsius ad Balbum epistola conijcitur. hic autem Romæ Hirtium fuisse, apparet ex his verbis, Ibi Hirtius, & isti omnes. *At Balbus ædificat.*] ostendit Cæsarianos Africanum bellum nihil timere, cum alij ludis operam dent, alij etiam ædificent; quod maiorem animi securitatem significat: quando quidem ædificare non solet, qui rerum mutationem pertimescit. Τί γὰρ αὐτῷ μέλει;] quid enim ipsi curæ est? ita, inquit, Balbus ædificat, quasi non curet in Africa quid agatur. *Non ne βεβίωται;*] Balbus, quo modo ipse sentit, qui non recta, sed voluptaria quærat, præclare vixit. tu autem nondum deliberasti, quo modo sit viuendum. βεβίωται: præclare acta vita est. nam Viuere quandoque valet iucunde viuere. vnde illud, Cum Pansa vixi; & illud, Quando viuemus? Non ne vides, inquit, Balbo cum voluptate vitam esse traductam? at tu interea dormis: non explicas quo modo viuendum tibi sit: cum Balbus iam vixerit. *Dormis.*] non decernis, quo modo sit hæc vita traducenda. *Explicandum est πρόβλημα,*] nimium diu quæris, vtrum recta, an voluptaria sequaris. hæc tibi quæstio iam explicanda est: aliquando tibi est decernendum, vtram partem eligas. *Si quid acturus es.*] nunc enim nihil agis, quoniam non explicas, vtrum in vita melius sit. quod si acturus aliquid es, & ijs rebus frui cogitas, quæ tibi post deliberationem magis expetendæ videbuntur: explicandum aliquando πρόβλημα est. qui enim semper deliberat, & quærit, hoc an illud agat; nihil vmquam agit. refertur ad illud, Tu interea dormis. *Si quæris, quid putem; ego fructum puto.*] quæris vtrum cum virtute, an cum voluptate viuendum tibi sit: ego, si meam sententiam scire vis, puto voluptatem esse antepo-

nendam. *Quid putem,*] in vita melius esse: hoc enim erat Attici προθέλημα. *Fructum*] vetus liber Magnuli, Futurum. mihi, vt est in Bessarionis libro, Fructum placet, hoc est voluptatem, & vsuram commodorum. Frui enim absolute positum, est præsentibus commodis & voluptatibus vti. patet ex epistola ad Pætum lib. 9. epist. 17. Nihil, inquit, timeo: fruor, dum licet: opto, vt semper liceat. *Iam te videbo,*] cito enim Romæ eris. *Ad me.*] domum meam. *Simul enim & diem Tyrannioni constituemus,*] Tyrannio grammaticus fuit eruditus, qui librũ scripsit, de quo epist. 5. is docuit Quinctum Ciceronem filium, vt legitur in epistola ad Quinctum fratrem, lib. 2. epist. 1. de eodem etiam epist. 4. & 8. lib. 4. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum no bis det. epist. 5. *Simul*] vna, vterque. nam eum librum legere cum Attico volebat: Atticus postea solus legit, cum Cicero Romæ non esset. vnde illa Ciceronis quasi expostulatio epist. 5. Verum hoc fuit, sine me? subauditur enim, Tyrannionis librum te legisse; vt ex sequentibus apparet. *Si quid aliud.*] si quid aliud erit, quod agendum sit, agemus.

IN EPISTOLAM III.

Obduretur hoc triduum,] quo seiuncti futuri sumus. obduretur, ab vtroque nostrum. nam tu quoque in eodem πάθει, & in eadem molestia es; propterea quod, vt ego te inuitus, ita tu me non libenter cares. Exspectabat autem Cicero eum in Tusculano. *Quod ita est profecto.*] in eodem πάθει te esse. *De auctione,*] post auctionem. refertur ad verbum, Venias. auctioni autem, quam Meto facturus erat, Atticum adesse Ciceronis intererat. nam Meto illa auctione proscripti bona, sibi a Cæsare dono data, venditurus erat, vt Ciceroni solueret quod debebat. de hoc latius paullo post. *Et quo die*] forte rectius, Aut quo die. *Cum libellis.*] oblecto. *Vennonii*] hunc Cicero, vel Atticus potius in Ciceronis lib. 1. de legibus, exsilem in historia dicit esse. *Ne nihil dere,*] quasi hæc superiora, quæ proxime scripsit, verba sint, non res. aut, De re, quam nunc agimus, id est de expediendo nomine Metoniano. Meto enim Ciceroni pecuniam debebat. epist. 1. lib. 13. *Nomen illud, quod a Cæsare,*] quod Cæsaris beneficio recuperaui. nam Cæsar ei concesserat, vt a Metone

suum

ſuum nomẽ poſſet exigere. alioqui nemo non intelligit, quã difficile fuiſſet Ciceroni, homini Pompeiano, exigere pecuniam a Metone, qui partes Cæſaris ſecutus erat: cum Pompeiani his temporibus ſummo in beneficio ponerẽt, ſi vitam ipſam tueri poſſent. ideo dicit, nomen illud quod a Cæſare, ſubintellige, recuperaui, cum amiſſum videretur. Et obſeruandum eſt, Nomen, hoc in loco ſignificare id, quod nobis debetur; alibi id, quod nos debemus. itaque &, Exigere nomina, dicitur, pro exigere id quod nobis debetur: &, Diſſoluere nomen, pro diſſoluere id quod ipſi debemus. l. 1. in Verrem: Cum reperiretur, pecunias ſumpſiſſe mutuas, nomina ſua exegiſſe, prædia vendidiſſe. Pro Plancio: Vtrum igitur, me cõturbare oportet; an ceteris, cum cuiuſque dies venerit, hoc nomen, quod vrget, nunc, cum petitur, diſſoluere. *Tres habet condiciones:*] tribus modis expediri nomen illud poteſt. *Emptionem ab haſta,*] Cæſar proſcripti bona donederat Metoni. quorum auctionem Meto cum facturus eſſet, Poſtum, inquit Cicero, emere ab haſta, id eſt emere in auctione, (nam haſta ponebatur, vbi auctio fiebat) & accipere ex iis bonis quantum ſatis ſit pro ea ſumma, quæ mihi a Metone debetur. *Perdere malo:*] quam emere ab haſta proſcripti ciuis bona. quod turpe erat: eoq; nomine M. Craſſus, ille qui a Parthis cæſus eſt, male audierat, quod Syllanis temporibus multorum ciuium proſcriptorum bona ſolus fere propter auaritiam emiſſet; vnde opes illæ immanes, & inuidioſa pecunia breui congeſta. *Præter ipſam turpitudinem,*] hinc patet, auctionem illam, quã Meto facturus erat, de proſcripti ciuis bonis fuiſſe; cum in ea turpitudinem ineſſe Cicero dicat. Cæſarianus igitur Meto, non Pompeianus. *Hoc ipſum puto eſſe perdere:*] non ſolũ, inquit in hac emptione turpitudo ineſſet, ſed etiam, vt puto, iactura. nam, ſi dominus commutabitur; quæ de bonis proſcriptorum empta fuerint, rata non erunt: itaque hoc ipſum, emere ab haſta, puto eſſe perdere. *Delegationem a mancipe annua die,*] ex tribus condicionibus, primam poſuit, cum dixit, Emptionem ab haſta. nunc ſecundam perſequitur. ſecunda, inquit, condicio eſt, ſi alius ea bona, quæ in auctione vendentur, emat; eamque pecuniam, quam Metoni pro emptione debebit, mihi ad annũ ſe eſſe numeraturum promittat, Metone ipſo concedente.

Hæc est, quam vocat delegationem a mancipe; propterea quod ea ratione Meto non ipse Ciceroni pecuniam soluisset, sed solutionis faciendæ curam delegasset mancipi, id est ei, qui illa bona in auctione emisset. Mancipes enim dicuntur, qui aliquid in auctione emunt. Delegationem, igitur, a mancipe, translata solutione a Metone ad mancipem. Delegare, est, quod ipsi facere debemus, alteri mandare, non, simpliciter mandare. delegatio igitur erat, si, quam pecuniam soluere debebat Meto, per alium, qui bona illa emisset, solui iubebat. In oratione pro Domo: Delegaui amico locupletiori. Cœlius epist. 1. lib. 8. fam. Hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero ipse alibi. *Annua die:*] ad annum. hoc propterea scribit Attico, qui auctioni affuturus erat; quo facilius inueniatur qui emat, cum sciat se pecuniam non præsentem, sed annua die soluturum. *Quis erit, cui credam?*] quem mancipem homini Pompeiano præstaturum putem, quod promiserit? *Aut quando iste Metonis annus veniet?*] Iste, cum indignatione dixit; quia Meto, cum se antea soluturum esse ad annum promisisset, numquam tamẽ soluerat. quasi dicat: annus iste mancipi ad soluendum concessus, vereor ne Metonis annus futurus sit, cuius quidem serus admodum exitus. Alludit autem ad annum Metonis Athenien sis Mathematici, qui constabat ex annis XIX. Vide Aldum filium in libro de Quæsitis per epistolam. *Vecteni condicione semisse.*] tertia condicio Metoniani nominis explicãdi. Faciat, inquit, Meto, quod Vectenus debitor meus facit. pendat mihi semissem vsuram pro eã pecunia, quam debet. si hoc faciet, acquiescam, de exigendo nomine non agam, de sorte nihil instabo. Vectenum autem debuisse pecuniam Ciceroni, locus ille in libro 15. epist. 14 satis ostendit: Vectenum, vt scribis, & Faberium foueo. duos enim debitores simul nominat: (nã de Faberij nomine sæpissime in his libris) a quibus ne acerbius exigeret, Ciceroni Atticus scripserat. *Semisse.*] semissis vsura est, cum pro centenis nummis seni pendunturin anno, id est dimidius in mense. qua ratione centum mensibus dimidium sortis, id est nummi quinquageni amittũtur. dimidium autem sortis, vsuræ nomine absumptum, recte dicitur, semissis vsura: quia pro toto accipitur as: vnde, Heres ex asse. *κατὰ μέρος*] considera. quid? hoc videlicet, de tribus condicionibus,

quas

quas posui, quæ tibi magis e re nostra videatur esse. *Iste*] Meto. a quo auctionem fieri vellem, vt inde mihi satisfaceret. *Auctionem nullam faciat.*] plus dixit, quam si dixisset, Auctionem non faciat. Nullam, quasi me contempto, de solutione minimum laborans. *Ludis factis*] Præneste. quibus de ludis in epistola, quæ proxime antecedit. *Clypo*] nomen puto esse debere Cæsariani alicuius potentis, quem ludis Præneste factis putaret Cicero Romam aduolaturum, vt Metoni ære alieno laboranti subsidio esset. *Ne talis vir* ἀλογηθῇ,] ne Meto negligatur: ne scilicet ego eum ad pecuniam, quam debet, persoluendam possim cogere. Talis vir, εἰρωνικῶς. Μελήσει.] curabit, curæ erit: de hoc videlicet Metonis nomine.

IN EPISTOLAM IV.

Restitutus est mihi dies festus:] cuius iucunditatem abstulerat metus inualetudinis tuæ; quoniam quidem, te sibi rubicundiorem & inflammatiorem esse visum, Tiro dixerat. est igitur is dies mihi restitutus, postquam ex tuis litteris, nunc tibi satis recte esse, cognoui. Non enim recte se valere Atticus scripserat, sed satis recte: cum in extrema epistola Cicero dicat, Adhibe ad conualescendum eam prudentiam, quam ad omnes res soles. *Addam igitur, vt censes, vnum diem.*] ad id tempus videlicet, quod hic manere constitueram. nam, nisi ita facerem, vnus dies amissus esset. quem hac ratione recuperabo, si vnum addam. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotiis, quemadmodum in vrbe festis diebus fieri soleret. *Vt censes,*] quia, cum Cicero scripsisset, angi se propter Tironis sermonem de Attici rubedine, eoque factum esse, vt festum diem amiserit, cum hilaritate illa, ad quam nos dare festis diebus solemus, frui minime potuerit: rescripsit Atticus: Adde igitur vnũ diem, vt restituatur tibi is, quẽ amisisti: cũ intelligas, de inualetudine mea timendum tibi non esse. *De Catone* πρόβλημα ἀρχιμήδειον *est.*] librum de Catonis vita scribere instituerat: sed ait difficile opus esse, quales Archimedis quæstiones: propterea quod assequi non posset, vt Cæsarianos eo libro non offenderet. *Non assequor,*] laboro, & contẽdo; sed non assequor vt scribam, non dicam quod libenter, sed quod æquo animo tui

conuiuæ possint legere. itaque difficili in loco versor, quemadmodum ii, qui Archimedis quæstionem aliquam explicare conantur. *Tui conuiuæ*] Cæsariani, Balbus, Hirtius, & alij; quos habere in conuiuio sæpissime solitus es. *Recedam*,] sensus est: Si Catonis sententias, quas de repub. dixit, & consilia quæ item de repub. habuit, omittam; eiusque grauitatem & constantiam minus, quam veritas postulat, laudare velim: tamen hoc ipsum audire molestum illis erit: id est, hac ipsa Catonis laude, quamuis imminuta, tamen offendentur: nullam enim prorsus eius mentionem fieri vellent. *Nisi hæc ornata sint*,] hæc, grauitas & constantia Catonis in rep. administranda: ornata sint, ornate scribantur. προβλημα ἀρχιμηδϛον est, de Catone scribere. nam, si eum ψευδῶς, hoc est parce, tenuiter, non vt veritas postulat, laudabo, tamen Cæsarianos offendam: sin vere, multo magis: propterea quod laudare eum vere non possum, nisi hæc laudibus illustrem: laudibus autem illustrari debent ob hanc caussam, quod ille ea, quæ nunc fiunt, & futura viderit; &, ne fierent, contẽderit, &, facta ne videret, vitam reliquerit. *Atedio*] Cæsari, ficto nomine. & fortasse idem, de quo epist. 23. *Probare*] ostendere, & persuadere, recte esse factum. quasi dicat: Ex his nihil erit, quod Cæsar non reprehendat: itaque eum offendam, si scriptis illa persequi voluero. Hæc epistola post confectum bellum Africanum scripta est; siquidem Catonis interitum ostendit, qui, audita Cæsaris victoria, Vticę se ipse occiderat.

IN EPISTOLAM V.

Luperco filio,] Romæ Lupercalia sacra ad expiandos manes mense Februario celebrabantur. inde Luperci, qui ea sacra Lupercalibus in Lupercali facientes, hac illac nudi cursitabant. ipsa vero Lupercalia, a Lycæo, Arcadiæ mõte, dicta, vt Ouidius scribit, transtulisse in Italiam Euandrum Arcadem Liuius refert. sed ab Ouidio & Liuio Sex. Pompeius discrepat, qui a Lupercis, amiculo Iunonis, id est pelle caprina, nomen accepisse tradit. De Lupercis & Lupercalibus Varro, Sex. Pompeius, Liuius, Plutarchus, Ouidius de fastis, Cicero pro Cœlio, & in Antonium. *Statio*,] Quincti Ciceronis libertо; quem, cum in Asia prætor esset, maxime propter fidelitatem

litatem manumiserat. de hoc in epist. 5. lib. 5. & epist. 2. lib. 1. ad Quinctum fratrem; & in ea, quam ad Marcum fratrem Quinctus scripsit, libro 16. ad Tironem. *Duplici dedecore*] duplex enim dedecus, & filium & libertum Lupercos habere, qui ea sacra non nisi summa lætitia & hilaritate Lupercorum more celebrarent: cum in tantis patriæ ruinis non lætari bonum ciuem, sed lugere oporteret. *Tertium.*] Lupercum. *O stultitiam*] Quincti fratris. *Nisi mea maior esset*] qui, patria tyrannide oppressa, tamẽ hic maneam. mihi enim, viro consulari, vindici olim inimicorum reip. qui pro patria tantas res in consulatu gessi, tam acrem libertatis defensorem in omni vita sum professus, multo minus concedendum est, nunc tyranno seruire; quam Quincto fratri, Lupercum esse filium suum, pati. itaq; maior, quam illius, stultitia nostra est. *Quod autem osim hanc rem, ἔρανον a te.*] Osim, dixit, pro ausim, comicorum more. Quod, inquit, ausim sub tyranno viuere, mandatum hoc a te habeo. tu enim mihi hoc in mandatis dedisti, ne discedam; sed in patria potius, quam externis in locis, viuam. ἔρανον autem valet Mandatum, auctore Suida, qui ἔρανος idem scribit esse, quod ἐντολή. alibi aliud significat: sed hic sententia postulare videtur, vt pro mandato accipiamus. & dixit, Osim, quasi turpe quiddam. *Fac, non ad διψῶσαν, &c.*] Quinctus, inquit, lętatur, quod filium Lupercũ videat. miror. res enim est eiusmodi, vt, propterea valde lætari, stultum sit. verum fac, & amplam rem esse, & honorificam, numquid eum decet, cum resp. perierit, vlla ex re vehementius lætari; præsertim cum & ipse hoc tempore, qui lætatur, summa ex rei familiaris angustia laboret? hoc autem Cicero μεταφορικῶς protulit, his verbis: Fac eum non ad aridum lætitiæ fontem, sed ad Pirenen, id est ad vberrimum, uenisse: (Pirenen enim pro vberrimo fonte posuit; siquidem, cum & concinne more fontium scateat, & aquas, vt Strabo refert, non diffluẽtes habeat, sed stãtes, vberrimus sit necesse est) ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεῦ πειρήνην haurire? in tantis suis præsertim angustiis? verba sunt Pindari in Nemeis non de Pirene, sed de Arethusa fonte; qua in Achaia terra absorptus Alpheus fluuius, diuque subterfluens, tandem erumpit apud Syracusas in fontem Arethusam: vt, quasi graui pressus onere, tum demum respirare videatur. ideo vocauit Pindarus Arethusam

ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεῦ κρήνην. quo modo & hic legendum videtur: vt non de Pirene loquatur Cicero, quæ non est Ἀλφεῦ ἄμπνευμα, sed ad Arethusam sermonem conuertat. & recitat verba Græca in Attici litteris vsurpata. quod apparet, quia subiũgit, Vt tu scribis. alioqui esset μνημονικὸν ἀμάρτημα, si Pindari verba, de Arethusa prolata, Cicero de Pirene dicta acciperet. *Cato*] liber, quem scripsit de Catonis vita. *Sed etiam Bassum Lucilium sua.*] subintelligitur, delectant. Sensus est: Catone meo delector, sed fortasse sine caussa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scriptorem, sua delectant. *De Cœlio, tu quæres, vt scribis.*] Ciceronis consilium erat, vt omnia, quæcumque posset, siue e supellectile, siue ex argẽto, in auream pecuniam redigeret, vt scilicet temporibus tã incertis, tamq; periculosis, cum vnius libidine cuncta gererentur, rebus suis contractis, & paratior esse ad omnem euentũ, & facilius cauere sibi posset. aurum hoc non nisi ab argentariis poterat cogere, & quoniam in huiusmodi rerum tractatione minus ipse versatus, in auro timeret, ne sibi ab argentariis imponeretur: Attico, huius generis intelligenti, & ad hãc rem vsu peritissimo, conficiendi negotij curam delegauerat. Hæc, vt argumentum eorum, quæ sequuntur, præponere nõ alienum fuit. Nunc ad Ciceronis verba. *De Cœlio*] argentario. *Quæres,*] num aurum nobis dare possit. quanquam non hoc modo videndum tibi est, num dare possit; sed illud etiam, num daturus bonum sit, non adulterinum. hoc enim significat id quod sequitur, Noscenda est natura, non facultas modo: subintellige, Cœlij. vnde illud in epistola sequenti: De Cœlio, vide quæso ne quæ lacuna sit in auro. Quod autem dicit, Ego nihil noui, valet hoc, Ego in huiusmodi rebus plane sum rudis: itaq; tu quæres. Iterat eadem in epistola quæ sequitur, cum dicit, Ego ista non noui. Hunc locum alij aliter interpunxerant, vt ita scriberent, Noscenda est natura, non facultas. modo de Hortensio, &c. nos, sententiam, vt putamus, meliorem secuti, distinctionis notam loco mouimus. *De Hortensio & Virginio tu, si quid dubitabis:*] hos quoque argentarios puto fuisse. *Tu,*] subaudi quæres: quæres autem hoc, num viri boni sint, & num in auro quod daturi sunt, vitium timere possimus. *Si quid dubitabis:*] hoc dicit, quia ipse non admodum dubitabat. nam infert, Etsi, quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inueneris. *Cum*

Mustella,] ages. forte Mustella & Crispus cohæredes erant. itaque agi cum Mustella non poterat, nisi & Crispus, eiusdē hereditatis particeps, adesset. etiam epistola 3. lib. 13. De Crispo, inquit, & Mustella videbis. & velim scire, quæ sit pars duorum. Quo in loco hereditatem significari, manifestum est, cum dicat, Quæ sit pars duorum. *Ad Aulum scripsi,*] & a Pisone argentario aurum sumere Cicero volebat. hoc agebatur, interprete Aulo. &, quoniam res diutius ducebatur; puto quod argentarius Piso in permutatione facienda lucro vsitato contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret: Cicero, qui rem ad exitum vellet perducere, ad Aulum scripsit, vt per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentariis permutatione acciperetur, dari soleret, vt scilicet Piso, cum videret Ciceronem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, vt præter consuetudinem penderet; æquiora postularet. Pisonem autem argentarium fuisse, ostendit etiam locus ille in lib. 13. epistolæ 2. Pisonem, sicubi de auro. Et eodem lib. epistola 4. Si quid poteris, cū Pisone conficies: Aulus enim videtur in officio futurus. Semper. n vbi quid agendum erat cum Pisone, Auli opera, qui Pisoni familiaris esset, vtebantur. *Quæ bene nossem de auro,*] quantum scilicet pendi soleat ab ijs, qui ab argentarijs permutatione aurum sumunt. non enim hoc dicit, vt ostendat aurum se nosse, cum supra dixerit, Ego nihil noui: & infra, Ego ista nō noui, referens ad aureæ pecuniæ cognitionem: sed ideo dicit, vt collybi rationem sibi notam esse ostendat. *Demonstrarem.*] per Aulum interpretem. *Tibi enim, &c.*] ratio, cur ad Aulum scripserit. Videbam, inquit, idem quod tu, & hanc rem nimium prorogari, & mea referre, vt conficeretur. *Istud*] hanc rem, quam cum Pisone agimus interprete Aulo. *Omnia contrahenda,*] id agendum, vt omnia negotia ad exitum perducantur. Contrahenda, μεταφορικῶς, ne longius abeant. *Tequidem, &c.*] quoniam dixit Istud nimiū diu duci, ideo hæc subscribit, vt ostendat, Attici id negligentia non fieri. *Tubulum*] de hoc L. Tubulo in oratione pro M. Scauro his verbis: Si mehercule iudices pro L. Tubulo dicerem, quem vnum ex omni memoria sceleratissimum & audacissimum fuisse accepimus: tamen non timerem, venenum hospiti, aut conuiuæ si diceretur

cenanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuisset. quem locum Pedianus explanans, Lucius, inquit, hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia, cum de exsilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. Hæc autem de Tubulo, & de Scævola Cicero quærebat ab Attico, vt ad libros de finibus vteretur, quos tunc in manibus habebat. nam lib. 2. vbi differentiam ostendere vult inter improbum, & callidum improbum; exempla ponens, de L. Tubulo ita meminit, vt de improbo, de Q. Pōpeio, vt de callido improbo. An tu, inquit, me de L. Tubulo putas dicere? qui cum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam; vt anno proximo P. Scævola tribunus pl. ferret ad plebem, vellent ne de ea re quæri? quo plebiscito decreta est consuli quæstio Cn. Cæpioni. (sic enim legendum est, non Scipioni) profectus in exsilium Tubulus statim, nec respondere ausus: erat enim res aperta. non igitur de improbo, sed de callido improbo quærimus, qualis Q. Pompeius in fœdere Numantino infitiando fuit. Hæc Cicero: qui cum ignoraret, quo crimine Tubulus esset accusatus, quæsiuit ab Attico his verbis, *Si poteris, Tubulus* quo crimine, subaudi, accusatus fuerit Atticum rescripsisse apparet, Quod prætor quæstionem exercens inter sicarios, pecunias cepisset ob rem iudicandam. itaque Cicero, vt ostendimus, in libro 2. de finibus scripsit. *Tribunus pl.*] quo in tribunatu de Tubulo ad plebem tulit. *Puto, Cæpione, & Pompeio.*] recte putabat, ex caussa, quam subscripsit. nam, cum P. Furio, Sex. Atilio cos. prætor fuerit, inter tribunatum autem & præturam quattuor anni intersint: Cæpione & Pompeio cos. tribunum fuisse, verisimile videbatur. ideo dicit in libro 2. de finibus, Anno proximo, cum ab Attico certior factus esset, Cæpione & Pompeio cos. tribunum Scævolam fuisse; Cæpionem autem & Pompeium post Metellum & Maximum, id est post annum, quo Tubulus prætor fuit, consules sciret proxime fuisse. *Dabis igitur tribunatum,*] scribes, quibus consulibus Scævola tribunus pl. fuerit. Atticum rescripsisse constat, Cæpione & Pompeio, vt supra ex lib. 2. de finibus proxime ostendimus. *Tubulus quo crimine.*] subintellige, fuerit accusatus a Scævola tribuno pl. Hic erratum erat in omnibus libris, quos vidimus, &

mus,& ſcriptis,& impreſſis.nam, pro Tubulus, vel Tabulis, vel Tubulis,vel Tribulis legebatur.coniectura vſi ſumus,&, Tubulus,recte,vt opinor,repoſuimus. *L. Libo, ille qui de Ser. Galba.*] L. Scribonius Libo rogationem tulit in Ser. Sulpicium Galbam, quod prætor Luſitanos contra interpoſitã fidem occidiſſet. hoc Cicero lib. 1. de Orat. & in Bruto, & Val. lib. 9. ſed aliter is, qui epitomen facit ex lib. Liuij 49. *Qui de Ser. Galba*] ad populum tulit. Hic eſt Galba, quem Cicero in libro de claris oratoribus artificium & vim ad animos eorum, qui audirent, delectandos aut permouendos principem ex Latinis habuiſſe dicit. *Cenſorino, & Manilio*] anno poſt vrbem conditam DCIV. *Manio*] prænomen Acilij Balbi, qui conſulatũ cum T. Quinctio Flaminino geſſit anno DCIII. poſt V. C. *In Bruti epitoma Fannianorũ ſcripſi,*] locutio, qualis illa ad Trebatium: In Equo Troiano ſcis eſſe in extremo. In Bruti igitur epitoma erat in extremo, Fannium, qui ſcripſit hiſtoriam, generum eſſe Lælij. id Cicero ita ſcripſit, Brutum auctorem ſecutus, cum etiã de Q. Hortenſio idem accepiſſet. *In Bruti epitoma*] ante has dictiones in omnibus libris verba erant hæc, Epitome Bruti Fanniana: quas, vt otioſas, & eorum quæ ſequebantur, gloſſema, ſuſtulimus. *Fannianorum*] quam confecit Brutus annalium Fannianorum, id eſt, hiſtoriæ a Fannio conſcriptæ. Sic etiam illud accipio, quod eſt in libro ſequenti epiſt. 8. epitomen Bruti Cœlianorum velim mihi mittas: quam Brutus confecit hiſtorię a L. Cœlio Antipatro conſcriptæ. *Hunc Fannium*] C. Fannium, Marci filium. *Hunc*] cuius hiſtoriã habemus. *Scripſeram*] in libro de claris oratoribus. *Lælii.*] hic eſt, qui cum Scipione Africano inter paria amicorum celebratur: cuius nomine librum de Amicitia Cicero inſcripſit. γεωμετρικῶς] argumentis & rationibus apertiſſimis, quemadmodum geometræ ſolent. *Brutus, & Fannius.*] epitome Bruti, & ipſius Fannij hiſtoria. *Bono auctore Hortenſio*] hic eſt Q. Hortenſius orator, ætate ſua poſt Ciceronem in eloquentia princeps. augur Cicero in collegium cooptauit, & inaugurauit: conſul fuit cum Q. Metello Celere: obijt L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello cos. cum Cicero ex Cilicia decederet, vt ſcribit ipſe in prooemio libri de claris oratoribus. quo in libro multa de eodem Hortenſio, itemque in fine lib.

3. de oratore. *Bono auctore*] historiæ perito, vt ei fides habenda videretur. alibi etiam, in hoc genere Ciceronem Hortensij memoria, cum viueret, vsum esse, apparet, vt epist. 31. Videor audisse ex Hortensio, Tuditanum in decem Mummij legatis fuisse. & epist. 33. *Expedies*] Fannius, qui scripsit historiam, genet Lælij fuerit, nec ne. *Dolabella*] ex Africano bello reuertenti. *Ergo & in integro omnia*,] hic principium puto esse oportere alterius epistolę. Ergo, inquit, omnia mihi in integro sunt apud Cæsarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quamquam Kalendis Romę non affuerim, cum senatus habitus est. Cupiebat autem Cæsar quam maxime, vt in senatum venirent, qui ante ciuile bellū optimates numerati fuerant, vt scilicet aliqua resp. videretur esse, quæ re vera nulla erat. quo cum Cicero non veniisset, quæsiuit ab Attico per litteras, quo animo Cæsar id ferret. Atticus rescripsit, In integro sunt omnia. *Mihi etsi Kalendæ vitandæ fuerunt*,] sensus est: Romam venire non debui, & quia Kalendę mihi vitandæ fuerunt, ne in senatu adessem; & vt primas optimatium reprehensiones effugerem. Verebatur enim Cicero, ne, si Cæsare ex Africa reuerso statim veniisset, & in senatu affuisset, boni eum in sermonibus vituperarent, quod, libertatis olim defensor acerrimus, tunc in senatum, qui haberetur a tyranno, venire non recusaret. Incessionum autem ἀρχέτυπα dixit, id est, origo & prima causa vituperationum: nam ante nihil commiserat, quo reprehendi ab optimatibus posset. Et, Incessionum, proprie: nam incessere, Festus exponit; iactu vel verbis petere. transfertur & ad alias res. Itaque dixit Plautus: Incessere herum dolis; Sallustius, Incessit ambos inopia; Liuius, Incessit patres timor. Idem proprie, Incessere hostes iaculis. Cum autem locus hic Ciceronis ante esset corruptus, & in antiquo libro Caualcantis legeretur, Nicassonum; in eo, quem Vbaldinus habet, Meassionum; corrigere ausi sumus, &, Incessionum, scripsimus, vna tantum littera, si quis accurate conferet, immutata. sententia quidem ita commoda est, vt aptius nihil esse possit. *Kalendæ*] Sextiles: nam Cæsarem ex Africa reuertentem venisse Romam VII. Kal. Sextilis, lib. 5. in extremo Hirtius refert. vt Kalendas, quibus primum senatū habuit, quas Cicero dicit sibi vitandas fuisse, Sextilis mensis intelligi verisimile

rissimile sit. Kalendis autem vt senatus haberetur, videtur in consuetudine positum fuisse. quod indicat etiam locus ille epist.26. Circiter Kalendas affuturus videtur. vellem, tardius. Et illud epist.46. lib.13. Rogat magnopere, vt sim Kalendis in senatu. Item epist.6. lib.16. Maxime dolebat me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse. & epist.22. lib.14. alibique non apud ipsum modo, sed & apud alios. *Conficiendæque tabulæ.*] tertia caussa, cur Romam venire non debuerit. conficiendæ, inquit, mihi erant tabulæ; ruri, videlicet: nam in vrbe propter occupationes non potuissent. His de caussis, inquit, Romam venire non debui: sed debui tamen, vt te viderem: nihil enim tanti est, vt a te absim. Et dixit, Vt a te abessem, pro, vt abesse deberem. Hunc locum & mendosum, & perdifficilem, correctione & interpretatione, nisi fallor, ita illustraui, vt ijs, qui hæc nostra legerint, obscurus iam esse non possit. Vnum mihi videor prætermisisse, Conficere tabulas quid sit: quod Pedianus declarat his verbis: Moris fuit, vnumquẽque domesticã rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere; in quo appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fenore, lucrove sepositisset quoq; die, & quid item sumptus, damnive fecisset. Hæc Pedianus. eadem fere Cicero ipse in Verrem lib.3. & Suetonius in Iulio, qui eum scribit seruitia politiora comparasse immenso pretio, & cuius etiam ipsum puderet sic, vt rationibus vetaret inferri.

IN EPISTOLAM VI.

Ne quæ lacuna sit in auro.] ne vitium sit in auro, quod a Cœlio argentario, pecunia permutanda meo nomine, accepturus es. Lacuna dicitur esse in auro, cũ in nummo, qui aureus videtur, aliquid est, quod aurum non sit. quasi enim lacuna est in eo loco, vbi aurum non est: translatione sumpta a fundis, quos lacunę deteriores faciunt. *In collybo*] in ipsa permutatione. nã argentarijs datur aliquid, cũ pecunia permutatur. Collybum aũt Pollux explanat, pecuniæ permutationem. *Huc aurum si accedit.*] si præter detrimentum, quod in collybo patimur, etiam non bonum aurum habebimus ab argentario. *Habes Hegesiæ genus, quod Varro laudat.*] Hegesiæ duo fuerunt, Cyrenaicus, & Magnesius, hic orator, ille philosophus. de philosopho, in primo libro Tusculanarum

quæstionum,& Laertius in Aristippo:de oratore, Strabo lib. 14.ipse in eo libro,quem inscripsit, Orator. quo in libro, manasse ab hoc vitium illud,scribit,in quod incidunt ij, qui numeros in oratione frequentius infringunt, atque concidũt. cuius generis sunt Varronis scripta, vtpote qui Hegesiam sequeretur. Quod Cicero de numeris Hegesiæ tradit,idem fere Dionysius Halicarnasseus in Arte. *Habes Hegesiæ genus,*] Hegesiæ librum Cicero ad Atticum miserat. vides, inquit, Hegesiæ scripta cuius generis sint. *Quod Varro laudat.*] sine caussa,scilicet:nam videtur hoc significare:Nunc Hegesiæ librum legens, intelligis, quam recte eum Varro laudet. *Verum hoc fuit,sine me?*] subaudi, te legere Tyrannionis librum.& dixit, Verum, pro æquum.quo modo,& in epistola 1.lib.2. *Lues?*] correxeris? nam Lucre hoc in loco id fere valet,vt illud lib.5.de finibus: Lucretia stuprum per vim oblatum voluntaria morte luit. *Tua admiratio*] scripserat enim Atticus, se Tyrannionis librum cum admiratione legisse. *Amo enim πάντα φιλόδημον:*] ratio, cur Attici admiratione delectatus sit.amo enim, inquit, quicumq; popularium suorum studiosus est. popularis autem erat Attici Tyrannio, non quod vterque Athenienſis esset, (nam neque Atticus, vt Cornelius Nepos in ipsius vita scribit,ciuem se Athenięsem fieri passus est,cum Athenienses vellent; & Tyrannio erat Amisenus, vt Suidas tradit) sed quod vterque Athenis vixerat. eadem ratione in epist.10.lib.1. Solonem Attici popularem appellat:& infert,eundem Solonem se putare popularem sũ fore: non quod in Athenienſium ciuitatem Cicero adscribi vellet, sed quia, ciuili bello inter Cæsarem & Pompeium exorto,ne alterutrius partis esset, migrare Athenas, ibique habitare cogitaret. Alibi Popularis valet eiusdem ciuitatis, vt lib.2. Academicarum quæstionum: Thales hoc Anaximandro, populari, & sodali suo, non persuasit. vterque enim Milesius,auctore Laertio. *Tenuem θεωρίαν*] Tyrannionis cõsiderationem in re tenui; quam tu, eius librum legens, admiratus es. *Refertur ad τέλος?*] quid affert ad summam rerũ acuta ista, vt scribis, & grauis θεωρία? quasi dicat: vt acuta & grauis sit, quemadmodum tu scribis, Tyrannionis ista θεωρία, tamen in re versatur minime necessaria. quamquam enim Cicero librum non legisset, *ὑπόθεσιν* tamen & argumentum

non

non ignorabat. *Et pro isto asso Sole,*] rectius, At, quam Et, meo iudicio. respondet ad alteram partem epistolæ ab Attico acceptæ. *Asso Sole,*] scripserat Atticus, se, cum domum Ciceronis, quæ erat in Palatio, veniſſet, in Sole per pratulum, quod domui adiacebat, satis superque inambulasse. Respondet Cicero per iocum: Domi meæ dum fuisti, præter siccum solem nihil habuisti: at ego a te, nitidum vnctumque Solem repetam: id est, cum ad te domum veniam, non Sole tantum contentus ero, non mihi idem, quod tibi, satis erit, in Sole inambulare; sed cenam etiam cum sole exigam. Solem assum vocat, quem cena non sequatur, quasi sine succo, vt obsonia sunt assa: nitidum autem, & vnctum, qui cum cena sit. *Missus ad te.*] cum tui nominis inscriptione, quemadmodum & Cicero Oratorem ad M. Brutum misit.

IN EPISTOLAM VII.

Tantum ne est ab re tua otij tibi,] hoc totum e Terentij Heautontimorumeno sumpsit. nam in prima scena primi actus sic loquitur Menedemus: Chreme, tantum ne est ab re tua otij tibi, aliena vt cures, eaque, nihil quæ ad te attinent? *Oratorem*] librum, quem de perfecto oratore ad M. Brutum Cicero misit: cuius inscriptio est, Orator: itaque etiam in epistola ad Leptam, Oratorem, inquit, meũ tantopere a te probari, vehementer gaudeo. *Macte*] vox: qua recte facientes laudamus simul, & hortamur: vt exempla declarant. veteres ea & absolute, & cum nominibus vsi sunt. vnde illud in extrema epistola lib. 15. Seruulos dicere aiebant, agripetas eiectos a Buthrotijs. macte. Tusculanarum autem quæstionum lib. 1. Macte virtute, ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. & Virgilius,

Macte puer virtute noua. sic itur ad astra.

Plautus autem in Milite, Macte dixit, pro valde. *Gratum,*] quod Oratorem meum legas. *Non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum*] nam orator describebatur a pluribus, eiusque exempla erant non modo apud Atticum, sed etiam apud alios. *Aristophanem reposueris pro Eupoli.*] perspicuũ est, in Oratore subintelligi, in quo hæc de Pericle: Si tenui genere vteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset. Aristophanis autem

græca verba Plinius in epist. quadam recitat, Ἤγραπ', ἐξόρ τα, ξωεκύκα τὼ ἐμάδα. quod Cicero cum Eupoli primum tribuisset, postea correxit, Aristophane repositio. *Quæso illud tuum,*] Atticus Cæsarem de re Buthrotia cum rogaret, Quæso, sæpius iterabat. quod verbum Cæsar quodam modo irridens, Attico se facturũ omnia promisit: Buthrotiosque, quorum agrum, vt diuideretur, proscripserat, decreto postea liberauit. hac de re in sequentibus libris, sed planissime in decimo sexto, in extremo. *Tam diu.*] febri laborare. supra, De Atticæ febricula scilicet valde dolui: epistola 1. & infra epistola 13. & 17.

IN EPISTOLAM XIX.

Qua desideras] vt ad te scribam. *Codicillis*] Codicillos & Litteras multi, vt video, indifferenter accipiunt. ego aliter sentio. nam codicilli tabellæ ceratæ erant, in quibus aliquid stylo aut breuiter, aut festinanter scriptum fuerat. itaque ijs commodissime veteres vtebantur, cum scribere in codicillis possent vel in cena, vel in curia, vel in via, vel vbicunque libuisset: charta autem non item, in qua scribere sine atramento & calamo non poterant. neq; vnquam in codicillis quidquam esse scriptũ reperietur, nisi cũ aut breuiter, aut raptim scribendũ esset. quare litteræ erãt, quæ in charta scriptæ fuerant: codicilli, tabulæ ceratæ, in quibus aliquid vel breuitatis vel festinationis caussa exarabatur. *Erori*] hic Ciceronis res domesticas administrabat. epist. 2. lib. 13. *In ijs*] non in codicillis, sed in ijs, quæ, non rogatus a te, scripsi. refertur enim ad proximũ illud, Sed etiã plura, quam quæris. *Cogitationis*] nam, te monente, cogitare cœpi, quam vitã Cicero meus, quoniam quidem adolescens iam esset, ordiri deberet. *Quid differo?*] quid ego hanc moram interpono, vt ex eo sciscitaris? ipse tibi nunc narrabo. Deinde narrare incipit. Expo fui, te de mandato meo ei detulisse, ecquid vellet, ecquid requireret. velle (subaudi, Quinctum filiũ hæc respondisse) Hispaniam, requirere liberalitatem: idest velle Cæsarem in Hispaniam sequi contra Pompeij filios: requirere, vt ego ei pecuniam liberalius suppeditarem. *Flamen Lẽtulus*] hic est L. Lentulus Niger, flamen Martialis, quẽ cum vniuerso pontificum collegio Ciceroni domum, a P. Clodio consecratam, re-

tum, religione liberasse, legimus in oratione de haruspicum responsis. de eodem & de filio Pedianus vbi, pro M. Scauro, interpretatur, in extremo: item Cicero in epist. 24. lib. 2. Sensus est. De liberalitate dixi me daturum, quantū filio suo Publius, quantum suo Lentulus dare solitus esset. *Quod tibi,*] quod tibi attuli, cum ad me retulisses, filium in Hispaniam ire velle. *Hæc arma reliquissemus?*] Pompeiana. *Contraria?*] subintellige, sequi. & Contraria, id est Cæsaris. *Fratre*] Quincto Cicerone filio, qui familiarior & gratiosior esset apud Cæsarem, vtpote qui Lupercus in gratiam illius fuisset. nam Marcus filius nullo adhuc beneficio Cæsaris gratiā quæsierat, ac ne satis quidem illi notus per ætatem esse potuerat. Quinctum autem filium cum Cæsare in Hispania fuisse, infra ostenditur epist. 37. vbi eum Cicero impurum cognatum appellat. *Velim magù, &c.*] volo, vt potius pecuniam a me, quantam vult, sumat, quam in Hispaniam eat. & dicit, Sua libertate, quia, si M. Cicero in Hispaniam iuisset, cum id patri sciret non placere, nimirum liberius agere visus esset. *Permisi.*] vt in Hispaniam iret, si omnino ita constituisset. *Magna res:*] permittere filio, vt in Hispaniam eat contra Pompeij liberos. *Simplex est manere: illud anceps.*] manere tutum est, & sine periculo: ire in Hispaniam, anceps. possumus enim aliquam in difficultatem incurrere. nam primum dedecus videtur esse, filium pati pro tyranno pugnare: deinde hoc cogitandum est; si casus tulerit, vt Pompeiani vincant, quid nobis futurum sit, qui filio permiserimus, vt contra eos pro Cæsare dimicaret. *De Balbo, &c.*] sic accipio. Dolabella, cum Tulliolam dimisisset, Ciceroni dotem debebat. eam tamen non numerabat, fretus gratia Cæsaris, cuius partes in ciuili contentione secutus erat. cogitabat igitur Cicero hac de re loqui cum Balbo Cæsaris amicissimo. nam & infra, De dote, inquit, tanto magis perpurga. Balbi regia condicio est delegandi. *Ego tamen triduum:*] hic manebo. Et dictio, Tamen, venuste posita pro Certe: qua desiderium rusticandi declaratur. vt hoc dicat: Cum primum Balbus redierit, Romam me conferam: sin ille tardius, ego, quod optaui, tamen assequar, vt hic triduum etiam manere possim. Non licet autem quarundam dictionū occultam vim γνωμικτρικῶς

ostendere: sed, ingenio paullo acutiore qui sunt, facile, quod significabimus, intelligent: ceteris satisfacere neque semper possumus, etiam si velimus; neque, si possimus, semper velle debemus. *Dolabella etiam mecum.*] mansit. Tantum, inquit, abest, vt se a me abalienatum ostenderit, vt etiam hic mecum manserit. Verebatur autem Cicero, ne Dolabella, qui Tulliolam repudiasset, sibi quoque esset infensior. vnde illud in epistola ad Volumnium: Dolabellam, quem ego perspicio & iudico cupidissimum esse atque amantissimum mei, cohortare, & confirma, & redde plane meum. Nondum autē, cum hanc epistolam, & cum illa ad Volumnium Cicero scripsit, Tulliola perierat.

IN EPISTOLAM IX.

Multis res placet:] apparet, inter hanc epistolam & superiorem multas desiderari. nam superior ante cœptum Hispaniense bellum, hæc autem post confectum scripta est, cum Cæsar victor ex eo bello reuertens, ad vrbem iam appropinquaret. Ac ne hoc quidem obscurum est, quasdam ex sequentibus huic esse præponendas; vt earum argumenta considerantibus patebit. *Res placet:*] non vt in Hispaniam ad bellum; quod, vt dixi, confectum iam erat; sed vt Athenas litterarum causa proficiscatur. hoc enim Cicero significat, misitq; paullo post filium Athenas cum L. Montano. *Comes est idoneus.*] Montanus, subintellige: quem cum filio Athenas mittere constituerat: de quo his verbis epist. 51. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. & epist. 16. & 17. lib. 14. *Ante videamus:*] ante quam Ciceronem Athenas mittamus, videndum est quo modo prima pensio Cæsari soluatur. dies enim quo primæ pensionis solutionem promisimus, adest. *Et ille currit.*] id est, & Cæsar cum celeritate reuertit: (reuertebat autem ex Hispaniensi bello) itaque de solutione cogitandum. Hanc autem pecuniam iam ante ciuile bellum Cicero debuerat: quod ipse declarat in extrema tertia epistola libri 7. neque Cæsar illius nominis exactioni, maioribus curis impeditus, operam dare potuerat. sed, deuicto Pompeio, cum Romam reuertisset, Ciceroni cōcessit, vt aliquot pensionibus solueret, quo commodius scilicet posset soluere. Cum igitur filio Athenas eunti pecuniam

Cicero

Cicero dare vellet, prius, inquit, de prima pensione soluenda cogitemus *Quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis,*] Celer hic non est Q. Metellus Celer, qui cum L. Afranio consul fuit: nam is Marcellino & Philippo cos. perierat: sed alius, cuius nomen minus illustre fuit. *Cæsarem*] ex Hispania, Pompeianis tertio bello victis, reuertentem. *Candidatis:*] qui obuiam ierant, vt ab eo magistratus peterent. *Vtrum ipse in fenicularium, an in campum Martium cogitet.*] vtrum Celer velit & ipse magistratum petere. nam magistratus in campo Martio petebantur. Et quoniam populus, qui honores dare solitus esset, potestatem eiusmodi nullam habebat, Cæsare ex ipsius libidine cuncta administrante; ideo cum irrisione & contẽptu fenicularium campum appellat, quod Martius ille campus, in quo populus potestatem habuerat, nullus iam esse videbatur. *Num quid necesse sit*] vt scilicet ea, quæ Cæsar ageret, videar probare, cum interim. nã omnino, inquit, venturus sum, vt Piliæ roganti satisfaciam: sed numquid maturandum sit comitiorum caussa, scribas ad me velim.

IN EPISTOLAM X.

Hic] in Antiati. *Ni esset ea caussa, quam tibi superioribus litteris scripsi.*] quæ hæc est caussa, cur Cicero minus libenter rusticaretur? nimirum hæc, quod sine Attico esse non poterat. nam hoc est in iis litteris, quas ipse dicit proxime se misisse: quæ tamen ordine confuso infra leguntur, hoc initio, Te tuis negotiis, &c. cum enim in illis litteris de Philippi aduentu, in his autem de interpellatione scribat: dubium non est, quin illas Cicero superiores appellet: cum verisimile sit, prius eas fuisse scriptas, quibus aduentus significatur, quam has, quibus interpellatio. *Amyntæ filius,*] Philippus: cuius interpellationem superioribus in litteris scribit se timere. superiores appello, quæ infra sunt, hoc principio, Te tuis negotiis. quas ij, qui descripserunt, per negligentiam, aut certe per insciti am alieno loco posuerunt, de suo deiectas. Sed quæritur, cum in iis litteris aperte Philippum nominet, cur hic circuitione vti voluerit, vt potius, Amyntæ filius, diceret, quam Philippus. Respondeo: Ciceronem, cum de Philippi loquacitate vellet scribere, verentem, ne id emanaret, si forte in a-

lienas manus eæ litteræ deueniſſent, duobus modis rem obſcuraſſe; primum, cum Amyntæ filius, dixit, Philippum deſignans; (nam Amyntæ filius fuerat Philippus Alexandri Magni pater) deinde, cum loquacitatem græcis verbis oſtendit, ὁ ἀπεραντολογίαν δοὺς, id eſt infinitam loquacitatem dans, vel, qui ſolet eſſe loquaciſſimus. offendere autem Cicero L. Marcium Philippum ſine malo nō potuiſſet, quod Philippus apud Cæſarem affinitatis coniunctione multum poterat. Atiam enim, Cæſaris ſororis filiā, Octauij, qui Auguſtus poſtea cognominatus eſt, matrem, in matrimonium duxerat. Appianus lib. 3. Plutarchus in Cicerone, Suetonius. *Cetera*] præter ſolitudinem: de cuius iucunditate iam dixit. Quod ſequitur, corrigo ſic, & interpungo, coniecturam ſecutus: Noli putare amabiliora fieri poſſe, villa, litore, proſpectu maris. *His rebus omnibus.*] quas hic habemus. cū enim ea perſequi longum eſſet, quibus in Antiati delectaretur, tribus verbis, His rebus omnibus, complexus eſt. *Nec erat, quod ſcriberem.*] præter hæc, quæ digna longioribus litteris non ſunt.

IN EPISTOLAM XI.

De Athamante.] Attici ſeruo, qui perierat. *Alexim vero curemus,*] ægrotantem. Et hic Attici ſeruus erat, a manu, vt legitur epiſt. 2. lib. 7. *Si quid habet collis* ἐπιδήμιον, *ad me cum teſtamento transferamus.*] collis Quirinalis, in quo tua domus eſt, ſi quid habet ἐπιδήμιον, id eſt, ſi cælo vtitur inclementiore, vt in eo morbi craſſentur epidemici; (hoc enim timendum erat; cum eodem tempore & Athamas periiſſet, & Alexis ægrotaret) transferamus Alexim domum meam in Palatium. *Cum teſtamento*] hic ſine dubio mendum eſt, & fortaſſe legendum, Cum Thallumeto, Alexis ægrotantis cuſtode, aut ipſo quoque ægrotante. Thallumetus autem Attici ſeruus & ipſe erat. quod indicat illud epiſt. 12. lib. 5. Meos cum Thallumeto noſtro peruolutas libros.

IN EPISTOLAM XII.

Quæ ad nos magis pertinent,] nam illa, quæ humanitus accidunt, quoniam vitari nulla ratione poſſunt, non videntur eſſe curanda. quid autem agamus de ſenatu, id eſt, quod conſilium capiamus de dicenda in ſenatu ſententia, (nam, Romam

mam iturus erat, vt extrema epistolæ pars ostendit) hoc vero curandum est. nam, si ad Cæsaris voluntatem loquemur, boni vituperabunt; si ex vtilitate reip. Cæsar offendetur. *Nec tamen multo:*] vt enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen proficimus: siquidem omnino respub. iacebit. quod cum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus, quem certum & immutabilem scimus esse, vt de eo cogitare non debeamus. nam, illud, Quæ ad nos magis pertinent, valet hoc, quæ magis curanda nobis sunt, aut de quibus magis cogitare debemus. *Postumiam Sulpicij*] subintellige, vxorem. nam veteres sic loquebantur, vt dicerent; Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicij, Mucia Pompeij, & huiusmodi, vxor subaudientes. Postumiam autem Ser. Sulpicij, iurisconsultorum peritissimi, coniugem fuisse, patet ex lib. 4. epistolarum ad Sulpicium. *Domum ad se venisse.*] hoc tempore, cum Terentiam iam dimisisset, de ducenda vxore Cicero cogitabat. huius rei caussa Postumia venerat; vt cum Cæsonio loqueretur. Eodem spectant ea, quæ sequuntur. Duxit autem postea Publiliam quandam: quam & ipsam deinde, quod Tulliolæ morte lætari videretur, dimisit. auctor Plutarchus in Cicerone. *Commotiunculis συμπάσχω.*] Commotiunculis idem significauit, quod in epistola 15. libri 10. cum dixit, a nouis tentationibus valetudinem cõfirmatam. nam, tentationes & cõmotiunculæ non morbi sunt, sed morborum initia. Commotiunculis autem Atticæ: quæ non plane in morbũ, sed in febriculam inciderat. supra, ep. 25. lib. 11. *συμπάσχω*, æque afficior, atq; illa. vnde illud ep. 15. l. 4. Valde gratum, si Eutychides cognoscet, suam illam in eo dolore *συμπάθειαν* mihi non obscuram fuisse.

IN EPISTOLAM XIII.

De dote] quam nobis Dolabellam reddere oportet, cum Tulliolam, filiã nostram, dimiserit. *Tanto magis perpurga.*] quo difficilius est, tanto magis perpurga. nam sequitur, Turpe est rem impeditã iacere. Perpurga: explica, cõfice. Hac de re ep. 18. 20. 22. l. 14. & 14. l. 15. & 14. lib. 16. *Balbi, &c.*] perpurga, inquit, de dote. facile potes, quoniam Balbus, amicissimus tuus, omnia videtur posse; vt quasi rex sit, qui potestatẽ

habeat delegandi. Nam, cum Balbus, cui Cæsar ciuitatis & reipub. curam crediderat, non omnia ipse administraret, sed illius dignitatis atque oneris partem transferret in quos vellet, (hoc enim significat Delegare) nimirum hæc regia condicio videbatur. in oratione pro Domo: Delegaui amico locupletiori. Cœlius epist. 1. lib. 8. Ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero alibi. *Insula Arpinas*] insulam hanc in Arpinati Fibrenus amnis efficit, de qua lib. 2. de legibus, his verbis: Sed ventum in insulam est. hac vero nihil est amœnius. etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in vnum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicæ palæstræ loci. quo effecto præcipitat in Lirem; &, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius. *Habere potest germanam ἀποθέωσιν.*] potest videri locus ad consecrandam Tulliolam aptissimus: sed quia ἐκγόνιμος est, id est infrequens, (Cicero autem celebri loco exstruere fanum mortuæ filiæ volebat) hortos malo: in quibus non ea solitudo, quæ in insula. Horti autem erant circa Romam plurimi: sed Transtiberini propter fluminis vicinitatem celebriores: itaque hos maxime voluisset Cicero: vnde illud epist. 19. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil video, quod tam celebre esse possit. epist. 22. *Germanam*] veram, vt alibi. *Habere videatur.*] videtur, inquit, habere germanam ἀποθέωσιν: esto: ita videatur: ego celebritatem loci quæro. *De Epicuro, vt voles.*] pro Epicuro loquentes inducam quos voles, in libris scilicet de Finibus: quos, vt supra diximus, hoc tempore scribebat. induxit autem L. Torquatũ, qui Epicuri sectam sequebatur, Attici amicissimum. *Et si μεθαρμόζομαι, &c.*] Græci verbi vim Latino verbo non licet exprimere: sed sententiam tamen ostendemus. De Epicuro, inquit, vt voles. etsi posthac non eos, qui viuũt, (nam hoc inuidiosum est; cum omnibus satisfacere non possim, qui meos in libros induci vellent) sed antiquos, id est eos qui perierunt, inducam loquentes: quod inuidiosum non erit. fecerat autẽ hoc in libris de Oratore, in Catone, & Lælio. μεθαρμόζομαι] commuto, ad alias personas transfero. *Requirant.*] cupiant loquendi partes in meis libris. *Commouet me Attica,*]

quia

quia non cõualeſcit. ſed Cratero tamen medico aſſentior; qui vetat nos de ea quidquam grauius timere. vnde illud ep. 14. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi vetabat. De hoc medico ſic Horatius ſat. 3. lib. 2.

Non eſt Cardiacus, Craterum dixiſſe putato,
Hic æger.———

Eiuſdem mentio fit a Porphyrione Tyrio lib. 1. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. *Bruti litteræ*] quibus Ciceronem in morte filiæ conſolatus eſt. infra de iiſdem Bruti litteris: Prudẽter, inquit, ſcriptæ, ſed nihil, quod me adiuuarẽt. Hic eſt M. Brutus, qui poſtea Cæſarem, facta coniuratione, interfecit. *Attulerunt.*] dolorem augentes commemoratione miſeriarum mearum. vnde illud ep. 9. lib. 8. Augemus dolorem retractando. *Non repugnante.*] paullo poſt tamen repugnare cœpit: vt ipſe declarat his verbis; Repugno quoad poſſum, ſed adhuc pares non ſumus. Initio enim, victus magnitudine doloris, ſuccubuit: deinde, cum iam & dies & ratio ipſa adiuuaret, tentare cœpit, num reſiſtere mœrori, & contra fletũ pugnare poſſet. Hæc quæ ad interpretationem minus pertinent, ſuperuacanea fortaſſe videbuntur: ſed aliena non ſunt. nam eo ſpectant, ne quis miretur, cur eadem de re non eodem modo Cicero ſcripſerit. *Se moleſtum omnino non futurum.*] vt Romam irem ad cenam auguralem; quam ipſe parat, in augurum collegium cooptatus. Qui enim augures fiebant, collegis cenam dabant; vt lib. 10. cap. 20. Plinius indicat his verbis: Pauonem cibi gratia primus occidit Hortenſius, adiicialli cena ſacerdotij. Ciceronẽ autem augurem fuiſſe, ex ipſius libris notiſſimum eſt. *Vt excuſer morbi cauſſa in dies ſingulos.*] hoc dicit, quia omnes augures honoris cauſſa ad illam cenam ire cogebantur, præter eos, qui morbo ſe iurarent impediri. *In dies ſingulos.*] apparet, nouos augures eas cenas non vno die, ſed pluribus dare ſolitos eſſe. nam, & infra, Apud Appuleium, quoniam in perpetuum nõ placet, in dies vt excuſer, videbis. In dies igitur ſingulos, quibus Appuleius collegis cenam dabit. *Lænas hoc receperat*] notum eſt, Lænates ex gente Popillia fuiſſe. Lænas, vnus ex Augurũ collegio. Receperat, ſe curaturum vt apud Appuleium excuſaret. Idem in epiſtola, quæ proxime ſequitur. *Prende*] vt cum Lænate me apud Appuleiũ excuſent. neceſſe enim erat, vt augur, qui

noui auguris ad cœnam ire nollet, tres e collegio reperiret, quorum iureiurando apud eum augurem, qui cenam dabat, excusaretur. itaque in epistola, quæ sequitur, Septimium, inquit, vide, & Lęnatem, & Statilium. tribus enim opus est. *Iuraturum*,] me non valere, & propter morbum ad Appuleij cenas ire non posse. *Quem rogaris.*] locus neque a sensu obscurus, neque a locutione corruptus: sed quiddam est, cur magis placeat, Quemquem rogaris; cum præsertim & in epistola sequenti eadem de re eandem figuram vsurpans ita scripserit: Quemcumque appellaris, nemo negabit. *Perpetuum morbum iurabo.*] vt excuser non in dies singulos, sed in perpetuum, id est in omnes dies, quibus cenæ dabuntur. Infra, Quoniam in perpetuum non placet, in dies vt excuser, videbis. *Malo id lege videri facere, quam dolore.*] vt homines, inquit, nõ propter dolorem amissæ filiæ, sed propter inualetudinem conuiuiis me carere suspicentur, perpetuum morbũ iurabo. Nam, si absque iureiurando, amicorum gratia, impetrasset Cicero, vt auguralibus cenis abstinere posset: incertum fuisset, vtrum id morbi caussa faceret, an doloris. dolorem autem celare volebat: itaque de morbo iurando cogitabat. *Appelles:*] de pecunia, quam nobis debet. epist. 18. & 19. *Doloris mei.*] propter Tulliam mortuam.

IN EPISTOLAM XIV.

Quemcumque appellaris,] supra dixit, Prende. *Nemo negabit.*] omnes iurabunt me non valere. *Totum*] se esse sine aliis effecturum, vt apud Appuleiũ morbi caussa excusarer. Totum, negotium. *Iunio*] Iunius Atticum appellauerat, quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronẽ sibi debere dicens, quod pro Cornificio spopondisset. Cicero spõsionis tempus non recordatur, & ait Cornificium posse ipsum soluere. *Pro patre, an ne pro filio:*] nam vtrique Cicero coniunctus amicitia fuerat. vnde illud in epistola ad Cornificium, fam. lib. 12. Quod societatem reip. conseruandæ tibi mecum, a patre acceptam, renouas; gratum est. Nũc autem, cum nominat Cornificium, non patrem intelligit, sed filium. nam pater iam ante perierat. *Procuratores Cornificij*,] nam Cornificius aberat, Syriæ præpositus a Cęsare. cognoscitur ex Ciceronis epistolis ad ipsum, & ex historicis antiquis. *Appuleium*] alius hic est ab eo, de quo supra. *Prædiatorem*] qui prædiorum & prædum

prædum iura nouit. *Videbis.*] rogabis procuratores, vt ipſi ſoluant; Appuleium, vt aliquam nobis oſtendat ſolutionis effugiendæ viam. *Hoc mærore*] quem ex interitu filiæ capiebat. *Librum*] de conſolatione ad ſeipſum: cuius libri mentionem facit Tertullianus. *Impedior,*] ne lacrymis & mærori me tradam. *Ad omniaque nitor,*] omnia tento. ſed verbum Nitor ἐνεργικώτερον eſt. nitimur enim cum labore & difficultate. *Quamquam ipſum doleo:*] cupio, inquit, tecum eſſe. quod ipſum tamen doleo. non enim eum me, quem ſoles, videbis. *Illa, quæ amabas,*] hilaritas, & ſuauitas illa noſtra. *Quod me adiuuarent.*] quod mærorem meum, ex obitu filiæ ſuſceptum, leuarent. epiſt. 13. *Adeſſet.*] nam erat in Gallia Ciſalpina, miſſus a Cæſare, vt eam prouinciam adminiſtraret. hoc in epiſtola ad Torquatum, de Oratore, & in hiſtoricis. *Panſa quando.*] Roma proficiſcatur, in Galliam iturus, vt Bruto ſuccedat. cum enim ſcierimus, Panſa quando proficiſcatur; ex ratione dierum ſcire item poterimus, quando Brutus hic futurus ſit. hoc apertius infra his verbis: Panſa ſi hodie, vt putabas, profectus eſt; poſthac iam incipito ſcribere ad me, de Bruti aduentu quid exſpectes, id eſt quos ad dies. id, ſi ſcies vbi iam ſit, coniectura aſſequere. Et epiſt. 26. De Bruto, inquit, ſi quid habebis. ſcire enim iam puto, vbi Panſam exſpectet. ſi, vt conſuetudo eſt, in prima prouincia, circiter Kalendas affuturus videtur. *De Attica, &c.*] Atticam, Attici & Piliæ filiam, Craterus medicus ægrotantem curabat. hoc & ſupra, epiſt. 13.

IN EPISTOLAM XV.

Pro omnibus] nam ſupra dixit, Prende Septimium, & Statilium. nunc, Tu, inquit, hoc oneris pro omnibus ſuſcipe, vt me apud Appuleium excuſes. *In perpetuum non placet*] nō placet tibi, vt in vniuerſum tempus, quo cenæ dabuntur, apud Appuleium ſemel excuſemur, ſed vt in dies ſingulos. *Fletus:*] ex interitu Tulliolæ. *Reſcribam.*] ad eas litteras, quas ex Gallia conſolatorias ad me miſit.

IN EPISTOLAM XVI.

Nunc tamen ipſum] hanc figuram & ſupra vſurpauit lib. 7. epiſt. 3. Nunc, inquit, ipſum non dubitabo rem tantam abijcere. & lib. 8. epiſt. 9. Quid, nunc ipſum vnde ſe recipienti,

quid agenti, quid acturo? & infra epist. 39. Nunc ipsum ea lego, &c. *Tuæ domui*] Romæ scilicet. *Nec meæ poteram:*] cum eum locum adspicere non possim, vbi Tulliola perijt. *Idem*] tuorum negotiorum cura. *Philippus*] vide quæ diximus ad illud, quod supra est, epist. 10. Amyntæ filius.

IN EPISTOLAM XVII.

Laterenſi, Naſone, Lanate, &c.] Ciceronis in auguratu collegis. *Reddendas litteras cures,*] a te conscriptas. supra epist. 4. lib. 11. Tu velim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. & epist. 7. lib. 11. *Reus*] is, pro quo spopondi. hoc enim Reus quandoque significat. *Liberalis tamen, &c.*] quamquam, inquit, timendum nō est, vt pro hac sponsione soluamus: siquidem & Cornificius ipse, pro quo dicor spopondisse, locuples est; & Appuleius prædiator, homo minime fraudulentus, qui nobis & facile, & sine dolo sponsionum iura ostendet; in quibus est, vt, cum reus locuples sit, sponsores ne appellentur: tamen ex eorum tabulis, qui mecum pro Cornificio dicuntur spopondisse, velim cognoscas, an spoponderim. *Potest tamen videri.*] cognosci, ex consponsorum tabulis. *Scire certum velim,*] num spoponderim. *Appelles procuratores,*] vide, quid procuratores Cornificij dicant. epist. 18. & 19. *Quid ad me?*] doloris & desperationis significatio, maximę propter interitum filiæ; qua amissa, nihil præterea sibi curandum esse dicit. *Verumtamen.*] subaudi, appelles procuratores. locutio Ciceroni familiaris, epist. 3. lib. 4. & 3. lib. 13. & in epistola ad Tironem 24. lib. 16. fam. eodemque modo, Attamen, vsurpauit, epist. 25. lib. 11. *Pansæ profectionem*] in prouinciam. nam, Bruto, vt diximus, Galliam cisalpinam administranti successor erat constitutus. epist. 14. & 17. *Cura.*] supra dixit de Atticæ valetudine. Cura, igitur ægrotantem.

IN EPISTOLAM XIIX.

Dum recordationes fugio,] dum id ago, vt interitum filiæ meæ ne recorder. *Refugio a te admonendo.*] non admoneo, inquit, te de fano illo, quod erigere mortuæ filiæ volo; propterea quod sine filiæ recordatione id facere non possum: recordatio autem illa, quasi morsu quodam, dolorem efficit.

sfficit. non scribo igitur, vt de fano illo mecum cogites, ne in filiæ recordationem incidam. *Ignoscas.*] quod de fano cogitem. *Eiusmodi est*] id, quod cogito. quasi dicat: siue reprehendi debet, siue laudari, eiusmodi est; videlicet vt omnino fanum exstruatur. Tale illud, opinor apud Terentiũ: Huiusmodi sum. *Fieri id oportere,*] fanum est faciendum ijs, quos amore coniunctos amisimus. *Neque de genere*] cuius generis fanum faciam. *Cluatii*] placet mihi fanum ea forma, qua Cluatius descripsit. Videtur autem Cluatius hic architectus fuisse, aut certe huius generis intelligens. quod etiam infra apparet. epist. 35. *De re:*] fanum faciam, nec ne. *De loco nonnumquam.*] non dubito, cuius generis fanum faciam: non dubito, faciam, nec ne: dubito nonnumquam, vbi faciam. *Monumentorum*] refertur ad litteras, non ad ædificia. Monumentorum autem, ab ingenijs omniũ scriptorum, & Græcorum & Latinorum. dabo, inquit, operam, quantum in me erit, vt & ab omnium ingenijs consecretur, & omni genere monumentorum. *Refricatura*] dum enim filiam consecrabo, illius recordatione dolor augebitur; & vulnus, ex illius interitu acceptum, quod iam sanari temporis medicina videbatur, hac quasi refricatione recrudescet. *Sed iam, &c.*] ut hæc consecratio refricatura vulnus sit, consecrare tamen eam deliberatum est: idque duabus de caussis: primum, quod secus facere non possum; cum hoc iam in animo meo filiæ manibus quasi vouerim, atque promiserim: (ex quo inquit epist. 37. Hoc mihi debere videor, neque leuari posse, nisi soluero. & epist. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit vllius voti, obstrictum puto) deinde, quod huius vulneris dolor non diuturnus est futurus; cum non diu futuri simus in vita. itaque exiguum hoc tempus, dũ doloris sensus in me erit, non tanti apud nos debet esse, quãti illud æternum, quo scilicet ex his monumentis meæ in filiam pietatis memoria durabit. *Dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te,*] dum librum scribebam de Consolatione: de quo epist. 14. *Quasi fouebam dolores meos.*] metaphora sumpta a partibus dolore affectis: quas dum fouemus, puluinis aut sacculis adhibitis, leuatio quædam doloris videtur esse. *Philippus.*] epist. 18. *Epistolam,*] qua consolatorijs Bruti litteris respondit. *Quædam enim exspecto.*]

quædam enim sunt, de quibus scire cupiam. *Ne frustretur.*] ne nostrã exspectationem fallat, ne faciat contra quam promisit, ne non soluat, quod se esse soluturum dixit. epist. 19. *Vt Eros scribit,*] hic rationes Ciceronis administrabat. lib. 15. *Non incertum puto.*] non dubito, quin Libo nobis, vt pollicetur, pecuniam numeret. *Sulpicio confido, & Egnatio scilicet.*] qui promiserunt se esse præstaturos, vt sors ne pereat, hoc est, vt vniuersa pecunia, quam Cocceius & Libo mihi debent, ne amittatur. Vt illa duo verba, Frustretur, & Pollicetur, non ad vniuersæ pecuniæ solutionem, sed, vt opinor, ad vsuræ pensionem referantur: itemque illud epist. 13. Cocceium velim appelles. *Laboresne?*] de me apud Appuleium excusando, quod ad illius augurales cenas non eam. epist. 13. 14. 15. & 17. *Excusatio facilis?*] non subscribit causam, cur sit excusatio facilis: sed eadem posuit epist. 14. his verbis: De me excusando apud Appuleium, dederam ad te pridie litteras. nihil esse negotij arbitror. quemcumque appellaris, nemo negabit. *Aduentu,*] significatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus, vt in Hispaniam ad Cæsarem iret, deinde, mutato consilio, reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, & noctu vrbem introiuit. cuius festinationis maxime causa fuit, quod, cum tempus iam adesset eius pecuniæ soluendæ, quam pro emptis in auctione Cn. Pompeij bonis Cæsari debebat, verebatur, ne, ipso absente, prædes sui venderentur: itaque accurrit, vt eos liberaret. vnde illud secunda actione in Antonium: Ne L. Plancus prædes suos venderet. Apparet igitur, & quid hęc dictio, Aduentu, significet; & quid illud, quod proxime sequitur, Propter prædes suos accucurrisse. *Neque ista quidem curo:*] infra idem iterat non ijsdem verbis: Te, inquit, scire volo, me neque isto nuncio esse perturbatum, nec iam vllo perturbatum iri. & paullo post item alijs verbis eandem rem: Nondum videris perspicere, quam me nec Antonius commouerit, nec quidquam iam eiusmodi possit commouere. Neque ista quidem curo: his de rebus nõ laboro. Et hoc dicit, quia, cum Antonius per Italiam cucurrisset, & noctu vrbem introisset; homines, subito & inopinato aduentu, tamquam re inexspectata & noua, suspensi, nõ sine metu causam quærebant: deinde, vt Cicero opinabatur, propter prædes suos eum venisse cognitum est. Philippica 2.

Quod

Quod scribis, &c.] querebatur Terentia, se a Cicerone non esse adhibitam ad obsignandum testamentum, cum ille nescio quos adhibuisset. epistola decima octaua. *Isthæc*] huiusmodi res. quasi dicat: maximarum rerum iacturam passus, de paruis iam non laboro, vt de obsignatione testamenti. *Paruæ curæ, aut nouæ*] paruæ: parua enim cura me afficere non potest, cum in maxima versor. Nouæ: auget: nam non solum, inquit, paruæ curæ nihil est loci, sed omnino nouæ. *Quid simile?*] sensus est: Queritur Terentia, primum quod ad obsignandum meum testamentum ipsam non adhibuerim; deinde, quod eos adhibuerim, quos illa ad suum obsignandum non adhibuerat. quid simile, inquit? illa, cum sciri nollet, quid in testamento esset, ad obsignandum eos non adhibuit, quos, nisi sciissent quid esset, quæsituros existimauit: idque erat argumento, aliquid in eo Terentiam scripsisse, quod Ciceronis e re minus esset. ego autem illos ipsos adhibui; propterea quod non fuit mihi timendum, quod illa timuit, vt ij, qui ad obsignandum adessent, quid esset in testamento, quærerent. quid enim ad me, si testamenti ratio nota illis sit? quasi dicat: nihil in meo testamento scripsi, quod celatum magnopere velim: cum illa valde videatur velle celatum esse id, quod scripsit in suo; quippe quæ ad obsignandum eos non adhibuit, quos existimauit quæsituros, nisi sciissent, quid inesset. ex quo fit, vt ego potius queri de illa debeam, & suspicari, ne quid in testamento scripserit contra voluntatem meam, cum in occultanda scripti sententia maiorem, quam ego, diligentiam adhibuerit. *De nepote.*] locus mihi obscurus, & fortasse deprauatus. *Non aduocaui*] ipsam. *Tum*] cum testamentum obsignare vellem. *De tuis aliquos*] miror, cur dicat, Aliquos; cum certum obsignatorum numerum lex constitueret. vnde illud ex edicto Verris, libro quarto: Si de hereditate ambigitur; & tabulæ testamenti obsignatæ non minus multis signis, quam e lege oporteat, ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo. *Iussiram.*] mandaram tibi, vt de domesticis tuis aliquos adduceres ad meum testamentum obsignandum. *Inde est natum, & ad Publium.*] vult ostendere, casu esse factum, vt Silium & Publium ad obsignandum testamentum adhibuerit.

Necesse neutrum fuit.] quid enim ad me, vtrum Silius & Publius, an alij ad obsignandum adhiberentur? Neutrum: neq; vt ad Silium, neque vt ad Publium mitteretur. *Hoc tu tractabis,*] hoc, de testamenti obsignatoribus. tractabis, cum Terentia, ne iniquius ferat, quod eam non aduocauerim ad obsignandum.

IN EPISTOLAM XIX.

Hic] Asturæ. epist. 39. *Ineunda nobis ratio, &c.*] possum quidem, inquit, fanum hic facere: sed illud spectandum nobis est, vt id, quod faciemus, apud posteros habeat religionem: quod fortasse non assequerer, si in hac solitudine fanũ fieret. faciundum igitur est loco celebri, vt in hortis Transtiberinis. quod enim in celebritate erit, posteri tuebũtur; quod in solitudine, contemnent. *In omni mutatione dominorũ,*] apud omnes posteros, apud omnes meorum bonorum possessores. Mutatione dominorũ: nam dominus mutatur, cum is, qui possedit, alicui sua bona vel moriens testamento legat, vel viuens vendit. Dominorum igitur, id est omnium, quicumque olim mea prædia vel hereditate, vel emptione possidebunt. Hoc enim Cicero laborat in primis, vt fanum illud etiam posteris in honore esset. itaque epist. 34. Sepulcri, inquit, similitudinem poteram effugere, si in villa facerem: sed commutationes dominorum reformido. in agro vbicumque fecero, mihi videor assequi posse, vt posteritas habeat religionem. Verebatur autem, ne, si fanum faceret in villa, posteri ex fano rursus villam facerent, vbi habitare possent. *Quasi consecratum*] tamquam templum aliquod publice consecratum. non enim Cicero Tulliolam, erecto templo, consecrare poterat, nisi collegium pontificum adhiberetur. id porro non solebat adhiberi, nisi ad eos consecrandos, quos publice populus in deorum numerum referri vellet. itaque Cicero fanum illud, quod videbat consecrari non posse, dabat operam, vt quasi consecratum remaneret. Sed exsistet qui ita dicat: Ciceronem improprie locutum, qui in his epistolis Fanum appellarit, quod consecrari non posset: cum re vera fanum id dicatur, quod a pontificum collegio consecratum sit, & in quo Deus aliquis publice colatur. Non difficilis nodus; qui nullo negotio soluetur, nempe sic; si intelligemus id, quod

res est,

tes est, Ciceronem appellasse fanum, & fanum item ab alijs appellari voluisse; vt, quod re vera fanum non esset, saltem propter nomen in honore esset. itaque dicit epist. 35. Nollem illud vllo nomine, nisi fani, appellari. *Nihil egeo vectigalibus,*] ipse se explanat, cum infert, Paruo contentus esse possum. Et vult ostendere, cum vectigalibus iam nihil egeat, se non laborare de sumptu, qui propterea faciendus sit, vt fanum diuturna cum religione, & quasi consecratum remanere possit: quod cum ita sit, cogitare interdum de hortis trans Tiberim parandis, quamquam magno venirent. *Ob hanc caussam*] vt fanum celebri loco factum, religionem semper habeat. *Tu tamen*] refertur ad illud, Coram videbimus. quamquam, inquit, de hortis coram: tu tamen, quod ad columnas attinet, quibus ad fanum vtemur. ne exspecta aduentum meum, sed confice, id est transige cum Appella Chio, eme eas ab Appella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat e Chio marmore, qui moneat Atticum, vt ea de re cum homine Chio conficiat. quod si e Chio marmore; sequitur vt eas maxime voluerit, quæ maculis essent versicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. nam huius generis columnas reliquis fuisse firmiores, scribit Plinius lib. 36. cap. 6. *De iudicatu meo*] vt ego iudicaueram illis esse respondendum. Hi pecuniam Ciceroni debebant. epist. 13. *Si quid perspexeris,*] de Cocceio, & Libone. *Et tamen*] cogitabat epistolam ita claudere, Si quid perspexeris, velim scire; sed, cum illud scripsisset, Si quid perspexeris, subito recordatus de Cornificij re, addidit, Et tamen quid procuratores Cornificij dicant: hoc est, Et tamen hoc quoque velim scire, quid procuratores Cornificij dicant. Cornificij procuratores: eandem rem sæpius declarare, putidum est. vide epist. 14. & 18. *Ne perturbarer.*] quod Antonius repentino aduentu noctu vrbem introisset. epist. 18. & 20. *Isto nuncio*] quod audiuerim Antonium, qui ad Cæsarem in Hispaniam iter habebat, mutato consilio præter omnium exspectationem reuersum, noctu vrbem esse ingressum. *Profectus*] Roma, vt in Galliam eat, M. Bruto successurus. ep. 26. Diem autem profectionis fuisse III. Kal. Ianuarij, post-ea scripsit ipse ad Cassium epist. 17. lib. 15. fam. *De Terentia*] de Terentiæ querellis, iniquo animo ferentis, quod eam

ad obsignandum testamentum non adhibuerim. epist. 18. *Officium agi meum quoddam,*] nam, si dicat, eam, quæ mihi vxor fuit, (diuortium enim iam fecerant) ad obsignandum testamentum non aduocasse; vereor, ne in eo me homines reprehendant, quasi officio defuerim; cum ego illam non aduocauerim, quod in mentem non venit. *Cui tu es conscius,*] cui tu scis me non defuisse. tu enim affuisti, cum testamentum faciebam. quo tempore scis me neque de aduocanda ad obsignationem testamenti, neque de excludenda vxore cogitasse; nihil astute fecisse; sed, quidquid fecerim, fecisse partim ex consilio tuo, partim etiam casu. vnde illud epist. 19. Tibi placuit, vt mitterem ad Silium: inde est natum, vt ad Publium. *Vt nonnulli putant, Ciceronis rem.*] credunt enim nonnulli, Terentiam, quod eam ad obsignationem mei testamenti non aduocauerim, Marcum filium in testamento minus liberaliter esse tractaturam. *Quod mihi est & sanctius, & antiquius,*] officium: quod magis, quam filij commodum, me mouet. *Hoc alterum neque sincerum, neque firmum*] Terentia neque, vt opinor, cogitat de filij re, cum cogitare se simulet; (hoc est autem quod Cicero appellat non sincerum: propterea quod, qui simulatione vtuntur, non sincere agunt, sed malitiose) &, si cogitat, in sententia non permanebit. Notat malitiam Terentiæ, cum dicit, Neque sincerum; leuitatem, cum addit, Neque firmum.

IN EPISTOLAM XX.

Antonius] absurdum est iterare, quæ diximus epist. 18. & 19. *Dolere,*] propter interitum filiæ. *Seruilia Claudii*] vetus locutio. nam subintelligitur, vxoris. exempla patent in antiquis & lapidibus, & scriptis. epist. 12.

IN EPISTOLAM XXI.

Ad ea, quæ requisieras.] σύνταγμα quoddam M. Brutus conscripserat, vt opinor, in Catonis laudem; (hanc enim coniecturam duco ex ijs, quæ proxime sequuntur) idque Attico legendum & iudicandum miserat. Atticus respondens, cum quædam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisiuit. ille nihil ad ea: tantum Atticum rogauit, vt, si quid incertius de senatusconsulto in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret: cum in reliquis Attici sententiam minimi

facere videretur, nihil ad ea respondens, quæ ille requisierat, quod Cicero Bruti in epistola obseruauit, & quasi ob eam rẽ illum reprehendens, Ad cetera vero, inquit infra, tibi quemadmodum rescripsit? Tantum rogat de S.C. vt corrigas. Deinde sequitur: Hoc quidem feciſſet, etiam si Ranio admonitus esset: hoc sensu: Rogat, vt corrigas eam partem, in qua est de senatusconsulto. in quo sane non prudenter fecit, qui corrigi a te S.C. voluerit, cum id corrigere vel Ranio posset; quippe cum de eo S.C. cuiuis liceret ex actis cognoscere. curam igitur minimæ rei, vtpote quam vel Ranio scriba posset efficere, tibi commisit: ad cetera, quæ requisieras, quæ licet maioris erant ponderis, nihil rescripsit. Hoc est, cur Cicero Bruti epistolam dicat non prudenter rescriptam. *De animaduersione*] de puniendis ijs, qui cum Catilina in patriã coniurauerant. *Præter Cæsarem:*] immo & Cæsar ante Catonem sententiam dixerat: erat enim Cæsar prætor designatus, Cato autem tribunus pl. designatus: & prætores tribunos dignitate anteibant. itaque & apud Sallustium Cato sententiam dicit post Cæsarem. est igitur accipiendum, Præter Cæsarem: non modo Cæsar ipse, cui respondit Cato, sed omnes ante Catonem sententiam dixerant. omnes, autem nõ senatores, (nec enim ante tribunum pl. designatum priuatus senator sententiam dixisset) sed, Omnes, dixit de magistratibus ijs, qui tribunis dignitate præstabant. *Prætorio loco*] prętor enim designatus erat Cæsar, quo tempore de coniuratis sententiam dixit. *In sententiam Catonis?*] subintelligitur, est facta discessio. *Rem eandem*] pœnam coniuratorum, quam & alij sua sententia comprehenderant, sed verbis non tam luculentis, neque tam multis, quam Cato. *Retulerim,*] ad senatum, de coniuratis. *Patefecerim,*] coniurationem. *Cohortatus sim:*] senatum ad animaduersionẽ. *Ante quam consulerem, ipse iudicauerim.*] cum ad senatum retulissem de coniuratione deprehensa, non exspectaui, vt dicerent, &, quid sibi videretur esse faciendũ, ostenderent: sed, antequam illos consulerem, id est sententiã rogarem, censui ipse de coniuratis supplicium esse sumendũ. Hoc apparet ex oratione 4. in Catilinam. *Perscribendaque censuerat:*] vt in publicis tabulis appareret, quid de coniuratis Cicero sensisset. *Quoniam probau,*] quoniã meũ consiliũ de hortis emendis tibi nõ

displicet, hoc age, hoc cura, vt eos inuenias. In hortis autem fanum facere Tullius cogitabat, vt loci celebritas quasi honorem adderet monumento. epist.19. *Rationes meas nosti.*] meæ facultates,& meæ rationes tibi notæ sunt.nõ ignoras igitur,quanti hortos emere possimus. quod si etiam a Faberio aliquid possumus exigere, (debebat autem Faberius Ciceroni, vt supra ostendimus) nullo negotio hortos ememus. Et opinor mendum esse in verbo Recedit: ac fortasse ita corrigendum, Res cedit: vel, Procedit: quale illud Terentianum: Hac non procedit, alia aggrediamur via. *Etiam sine eo*] etiam sine Faberio, etiam si a Faberio nihil exigamus. *Contendere.*] conari, vt hortos venales inueniam: quod,etiam sine Faberio, pecunia pro emptione deesse non possit. *Lamiani,& Cassiani.*] qui sunt Lamiæ,& Cassij. *De Terentia*] epist.18.20.& 21. *Officium, &c.*] agamus cum Terentia, vt debemus;hoc est, demus operam, vt eam ne offendamus:id est: si non euenerit id, quod optamus, vt ea bono erga nos animo sit; malo illius me, quam mei pœnitere. malo,inquit,vt id potius illius vitio, quam mea culpa contingat:malo accidere,vt ego potius de illa,quam de me ipso queri possim. non enim habebo, quamobrem mihi ipse succenseam, cui officium fuerit antiquissimum; habebo autem,cur de illa expostulem, quæ, a nobis officiosissime tractata,non eam gratiam referat, quam debet. quamquam enim Cicero cum Terentia diuortium fecerat:tamen,numquam fore putans vt ea iam ætate prouecta iterum vellet nubere, (nupsit autem Crispo Sallustio,historiarum scriptori,deinde Valerio Messallæ) id agebat, vt mulier pecuniosa Ciceronis filij rationem haberet in testamento. itaque mirandum non est, si in ijs epistolis, quæ post diuortium scriptæ sunt, laborare tamen videtur, vt eam ne habeat offensiorem. videbatur enim Terentia tulisse permoleste, quod a Cicerone ad obsignationem testamenti non esset adhibita.qua de re epist.18 *Quia C.Lollii*] subauditur, vxoris.figura antiqua, & optimis scriptoribus vsitata. *Posse sine me:*] subintellige curari. Sine me: nisi ego adsim. *Quod accipienda aliqua sit, & danda æstimatio.*] Cæsar,pulso ex Italia Pompeio,cum Romam reuertisset, fidesque tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, vt arbitri darentur, per eos

fierent

fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. hinc est, quod Cicero quandoque dicit Accipere æstimationem, pro accipere a debitore possessionem, aut rem, lege Cæsaris æstimatam. quo sensu posuit illud in epistola ad Pætum: Non eo sis consilio, vt, cum me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. quem locum interpretati sumus. *Accipienda aliqua, & danda æstimatio.*] accipienda mihi possessio aliqua, & domus, aut res a debitoribus meis, & ea Ouiæ, cui ipse debeo, tradenda. Et posuit hic Ciceronis Æstimationem pro re æstimata, & æstimata in quam ab arbitris Cæsarianis, quanti ante ciuile bellum fuisset. *Dixisset.*] num aliqua sit accipienda, & danda æstimatio. *Si enim*] scribit mihi paratum esse, vnde Ouiæ soluam: sed id negat posse, nisi me præsente. *Per te*] tu enim meo nomine æstimationem accipere a debitoribus meis, & eandem Ouiæ dare potuisti. *In forum*] ad agendas causas, & ad tractanda iudicia. *Bonis meis rebus*] ante obitum Tulliolæ. Et videtur subintelligere, Multo magis nunc fugio, cum meæ res pessimo loco sint propter interitum filiæ. *Quid enim, &c.*] ratio, cur, etiam bonis suis rebus, versari in foro noluisset. *Sine curia,*] amisso senatu, cum senatus nullus sit. quasi dicat: cum dignitatem illam fortis & liberi senatoris amiserim; quid est, quod me in foro delectare possit? Et posuit forum pro iudiciis, curiã pro senatu, qd iudicia in foro fierent, senatus in curia haberetur. Figura est, quæ a grammaticis appellatur μετωνυμία. *Neque tamen progredior longius,*] quoniam superiore membro nimium sibi videbatur arrogasse, quasi se excusans intulit, Neque tamẽ quidquam facio, quod auctoritate doctissimorum hominum tueri non possim. *In eam sententiam,*] de consolatione. *Remedijs*] quæ ego capio doctissimorum hominum scriptis & legendis, & in mea scripta transferendis. *Mihi omne onus imponis,*] omnem illius placandæ curam in me reiicis. *Quid veri sit,*] audiuerat Terentiam quippiam moliri, quod ipse minus vellet. id quid esset, Atticum dicit vnum posse perspicere. *De Rutilia,*] quæ fierat, opinor, num ea filio mortuo vixisset. *Vt non vendam, &c.*] sunt, inquit, quæ non inuitus possim vendere, vt habeam vnde hortos emam: sed, si tu me adiuuas, possum assequi, quod volo, vt nihil ven-

dam, eique, a quo emero, vsuram tantummodo annuam pen dam. *Non plus annum*] tale illud est epist. 6. lib. 6. Num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam? Dixisset etiam eleganter, Non plus annuam. *Quod volo.*] quod ago, quod studeo, quod conor: quale illud in epistola ad Lentulum: Scripsi Aristotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de oratore. *Si tu me adiuuas,*] si tuo studio consequi potes, vt pecuniam ab iis, qui debent, exigamus. hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam & diligentiam pertinet. & refertur ad illud, Possum assequi. *Paratissimi*] horti. supra, Venales certe sunt Drusi. *Proximos puto Lamiæ:*] proximos, inquit, hortos Lamiæ paratissimos esse puto. non enim dicit, proximos hortos puto esse Lamiæ: sed proximos hortos Lamiæ puto esse paratissimos: cum certum non haberet, horti Lamiæ venales essent, nec ne: quod ostendit insequens membrum; Si quid potes, odorare: & multo magis illud epist. 21. Venales certe sunt Drusi, fortasse & Lamiani. *Odorare.*] num venales sint horti Lamiæ. *Ne Silius quidem, &c.*] etiam hortos Silij facile possumus habere: primũ quod ille nihil vtitur: (subintellige hortis) deinde quod vsuris, quas nos ei in annum pendemus, facillime sustentabitur. Et verbum, Sustentabitur, egestatem Silij declarat. *Habe tuum negotium;*] existima tuum esse negotium. hæc res tibi curæ sit, item vt si tua res esset. genus loquendi perelegans: quo & infra vtitur, lib. 14. epist. 2. *Quid velim,*] habe rationem meæ voluntatis, non rei familiaris. noli cogitare, tantum sumptum meas facultates non ferre: cogita, me maxime cupere: subaudi hortos, ac fanum. quasi dicat: Etiam si in hortos & in fanum maior impensa facienda sit, quam res mea familiaris postulat, tamen quando me hanc rem tantopere vides velle, adiuua, & tuam operam ac diligentiam præsta.

IN EPISTOLAM XXII.

Quamuis non curarem, &c.] Atticus proximis litteris ita scripterat Ciceroni: Quamuis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus. itaque putauit se Cicero in iis litteris aliquid noui de Hispania esse reperturum, neque tamen reperit; propterea quod Atticus non in iis litteris, quas tum dabat, intellexerat se esse scripturũ de Hispania, sed in iis, quas deinde

deinde daturus erat; cum scilicet de rebus Hispanicis noui aliquid Romam esset allatum. gerebat autem Cæsar tum in Hispania bellum contra Pompeij filios. *Sed videlicet meis litteris respondisti,*] tantum modo litteris meis respondisti, nihil præterea, nihil de Hispania, aut alia de re. *Vt de foro, & de curia.*] vide supra epist. 21. *Domus est, vt ais forum.*] scripserat Atticus: cum Romæ eris, si versari in foro non libebit, quod quosdam homines æquo animo videre non possis; at domi esse poteris, quæ tibi erit pro foro. ita & iis satisfaciunt: & assequeris quod tu vis, vt forum ne frequentes. *Iampridem*] cum libertatem amisimus. *Posteaquam, &c.*] posteaquam filiam amisi: quod erat vnicum solatium in malis. *Præter me,*] omnino, vt opinio mea fert, aptius quiddam & concinnius accesserit ad sententiam, si legatur, Præter te. *Atque etiam illa caussa, &c.*] caussa, quæ proxime sequitur. Sensus est: Præter alias caussas, quibus ego adducor, vt Romam non veniam, (in iis autem hæc erat, quod neque curia, neque foro frui poterat, quemadmodum stante rep. solitus erat) etiam illa est, quod Cæsariani, si venero, molestissimi erunt, flagitantes id a me, quod Atedius, id est Cæsar ex te quæsierat. Forte autem hoc quæsierat Cæsar ex Attico, cur Cicero tam infrequens esset in vrbe: quem assiduum Romæ esse, & in senatum venire, summe cupiebat, quo scilicet ea, quæ agebantur, probare videretur: quæ quidem putabat fore minus inuidiosa, siquidem essent præsente, & assentiente Cicerone, optimo & grauissimo ciue, constituta. *Molesti sunt.*] Cæsariani. nam Cæsar hoc tempore bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij filios. sed ipsius amici & familiares, qui Romæ erant, petebant a Cicerone quod Cæsarem velle sciebant, aut fortasse etiam quod a Cæsare in mandatis habebant: petebant autem, quod supra proxime diximus, vt in senatum veniret, & ipsorum de repub. consiliis vellet interesse. Molesti, igitur in petendo. *De Terentia*] epist. 18. 20. & 21. *Dolere,*] propter interitum filiæ. *Vt non iaceam,*] vt aliquid tamen agam, vt inertiæ prorsus me non dediderim. iacere enim dicuntur ij, qui prorsus nihil agunt, & ab omni rerum curatione vacant. vnde illud libro 3. de Officiis, Cum C. Marius septimum annum post præturam iaceret;

Carneades, & ea legatio] Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus ab Athenienſibus legati Romam venerunt. ex hiſtoria. *In tuo annali.*] ſignificat eum Attici librum, quem ad Ciceronem miſit, vt ex procœmio declaris oratoribus apparet. eius libri Cornelius Nepos in Attici vita mentionem facit his verbis: Antiquitatem adeo diligẽter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornauit. nulla enim lex, neque pax, neq; bellũ, neque res illuſtris eſt, quæ non in eo ſuo tempore ſit notata. Et Cicero in Bruto: Eã vtilitatẽ habuit Attici liber, quam requirebam; vt explicatis ordinibus temporum, vno in conſpectu omnia viderem. Et ibidem paullo poſt ex Attici perſona: Eiſque noſmet ipſi ad veterum annalium (ſic enim lego) memoriam comprehendendam impulſi atque incenſi ſumus. Et idem, neſcio quo in loco, ſed idem certe: Quem laborem nobis leuauit Attici noſtri labor; qui annorum quingentorum memoriam vno libro colligauit. *Quæ cauſſa*] cur ea legatio Romam venerit. *De Oropo, opinor,*] recte opinabatur. nam Athenienſes, afflicti bello Macedonico, ſumma in paupertate cum eſſent, non auaritia aut libidine adducti, ſed neceſſitate impulſi, Oropum, vrbem ſibi ſubditam, diripiunt. Oropij querentes ad ſenatum Romam confugiunt. ſenatus iudicat eam iniuriam Oropiis non iure factam: mandat Sicyonijs, vt, cauſſa cognita, multam Athenienſibus, auctoribus iniuriæ, pro damno dato irrogent. Sicyonij, cum ad iudicium Athenienſes non affuiſſent, multam dixere talentorũ quingentorum. ſed ſenatus petentibus Athenienſibus, qui legatos eius rei cauſſa tres philoſophos Romam miſerant, omnia remiſit, præter talenta centum: quæ tamen ne ipſa quidem pependerunt. Hęc ex Pauſaniæ hiſtoria de Achaicis, Plutarchi Catone maiore, Gellio lib. 7. cap. 14. & l. 17. cap. vltimo, Macrob. lib. 1. cap. 5. *Si ita eſt,*] ſi eſt, vt ea legatio Romã venerit Oropi vrbis cauſſa; inter ipſos Oropios, & Athenienſes, qui legationem miſerunt, quæ controuerſiæ fuerint, ſcire velim. *Qui præfuerit hortis:*] qui Epicureorum princeps fuerit, quis primum locum inter Epicureos tenuerit. *Hortũ*] gymnaſio & ſcholæ Epicuri. nam vt Lyceum, Peripateticorũ; Porticus, Stoicorum; Academia, Platonicorum: ſic Horti, Epicureorum: Athenis enim ædes Epicuri villa fuit. Plinius

lib. 19.

lib 19.cap.12. Iam quidã hortorum nomine, in ipsa vrbe delicias, agros, villasque possident. primus hoc instituit Athenis Epicurus, hortorum magister. vsque ad eum moris non fuerat, in opidis haberi rura. *Apollodori*] subaudi, libris: figura græca, qua Cicero etiam alibi vsus est, vt cum dixit, ad Martis, in Scapulæ, per Locustæ. subintelligitur enim, ędem, hortos, fundum. *De Attica*] Atticæ significat ægrotationem. *Magala*] huius pater cum Ligus fuerit, vt proxime constat; verisimile mihi fit, Magalam ipsum, Liguris filium, ex Æliorum familia fuisse, nam Ligus Æliorum cognomen fuit, vt ex oratione pro Sextio, & fastis consulum apparet. *Dubium mihi non erat, &c.*] subintellige, quin ex eo morbo moriturus esset. deinde causſam subscribens, intulit: Vnde enim tãta felicitas patri fuisset, vt tam probo filio diutius frueretur? quasi dicat, Mirabar. Ligurem tam esse felicem, vt ex iis rebus, quibus felicitatẽ metiri solemus, prorsus nullam amitteret. sed nimirum dij immortales cum filio priuarũt, ne tam felix esset. Et hoc dicit, vt ostendat, felices esse non posse, qui filios amittant; ad obitum filiæ spectans, quam amissam lugebat. *Nam quid de me dicam?*] sensus est: Ligus, qui tum felix esse videbatur, nunc amisso filio, felix iam esse non potest. nam quid de me dicam? qui etiam si omnia consequar, quæ volo, tamen non modo felix esse, sed ne leuari quidem eo dolore possum, quem ex interitu filiæ suscepi. *Quanti, quanti*] subintellige, liceant. Etiam si, inquit, hortos emam quantiuis, non male emero; siquidem, quod necessarium est, id quamquam magno pretio emptum, bene tamen emptum est. horti autem mihi ad fanum necessarij sunt. Non possum igitur eos nisi bene emere, etiam si magno. *Leuatio*] si fanum exstruo, leuatio quędam est, si minus doloris, at eius officij, quod a me debetur. *Officij debiti.*] simile illud est ep. 18. Iam quasi voto quodam & promisso me teneri puto. *L. Cotta.*] qui consul fuerat cum L. Torquato. epist. 20. *Ad hanc rem*] ad fanum exstruendum loci satis erit. *Video. &c.*] video, qui possunt hortos habentibus persuadere, vt mihi vendant. video, qui me possint adiuuare ad eam rem, quam volo, consequendam. Et est ad Atticum tacita cohortatio, vt adiumento sit in ea re, præ qua videat argentum, vestem, amœna loca nihil putari. *Nihil enim est melius.*] Siliani, inquit, horti

supra omnes placent. age igitur cum Silio, vt nobis vendat. *Mandaui etiam Sicæ.*] vt cum Silio de hortis mihi vendendis loqueretur. *Constitutum, &c.*] constituisse cum Silio, vt vna loqueretur.

IN EPISTOLAM XXII.

Qui transegerit.] qui hortos alij vendiderit. Quod sequitur, Deesse, refertur vel ad inopiam Silij, vel ad ipsius promissum; sed potius, opinor, ad inopiam Silij, hoc sensu: Ego, si hortos a Silio emissem, pecuniam ei grandiorem dedissem, quam cuiuis alij, habita scilicet eius inopiæ ratione. neque enim, inquit, ei deesse volebam. Insequens membrum, Et, quid possem, timebam, sic explano: Et tamen verebar, ne nō tantam pecuniam ei pro hortis possem dare, quantam ad eius inopiam subleuādam voluissem; vel, quantam ipse posceret. *De Ouia, confice,*] quid significet, hoc quidem ex loco non apparet; sed, vt sæpe iam dixi, *locus locum illustrat.* locos autem ipsos inter se conferre, vt, quæ similia sint, quæ repugnantia, notentur, non solum diligentiæ est, sed etiam iudicij. leuemus igitur, quoniam quidem hoc suscepimus, quāquam fortasse plus suscepimus, quam sustinere possimus, sed leuemus, quantum in nobis est, labore eos, & quærendi, & considerandi, qui suum studium ad has Ciceronis epistolas contulerint. Supra igitur, epist. 21. de Ouia his verbis; Ouiæ C. Lollij curāda sunt H-S C. itaque verbum, Confice, sic explano, cura ei H-S C. quæ deberi a me scis. eadem de re infra epist. 29. Cum Ouia, inquit, quæso quidem vt conficiatur. *Tempus esse iam videtur.*] vt Athenas ad studia proficiscatur. *Quando placeat,*] quando tibi videatur, vt Athenas Ciceronem mittamus. *Publius, &c.*] hac de re infra epist. 27. his verbis: Publius, si æquinoctium exspectat, nauigaturus videtur. mihi autem dixerat, per Siciliam. *Atedio*] supra epist. 4. cum dixit, Horum quid est, quod Atedio probare possimus? Cæsarem significauit, nomine commutato. sed in hoc loco non est, vt, Atedium dici Cęsarem, possit accipi; qui, quo tempore hæc epistola scripta est, bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij liberos. Atedio, igitur accipiamus pro Publij amico, & familiari, quemadmodum & infra, epist. 27. *P. Crassus, &c.*] habebat in manibus eum librum, quem de obitu filiæ, se ipsum consolans, scripsit. ad eum igitur librum,

quæ

quæ ex Attico quærit, pertinebāt. fecit idem supra, epist. 20. & 21. Atticus autem & habebatur, & erat ἱστορικώτατος. *Cispiana & Pretiana explicabis.*] nomina, hoc est, debitam mihi a Cispio & Pretio pecuniam. infra epist. 29. De nomine, inquit, tu videbis cum Cispio. Hoc, quod attinet ad sententiam. quod ad genus loquendi, eadem, inquit, epistola, Si Faberianum explicas, hortos emamus vel magno; sin minus, ne paruo quidem possumus. *Optime:*] subaudi, quod leuius ægrotat.

IN EPISTOLAM XXIV.

Et res, & condicio] res, horti ipsi, quos Silius vendere vult. condicio, vel pecuniam dixerat Silius se esse accepturū pro hortis, vel pro pecunia, ex Ciceronis possessionibus aliquam, facta æstimatione, vt ne minoris esset possessio, quam acciperet, quam quanti essent horti, quos venderet. Hanc condicionem respondet Cicero sibi placere, sed ita, vt numerare pecuniam malit, quam e suis prædijs vllum tradere. *Æstimatione.*] prædio æstimato, vt pretium hortorum æquet. Æstimatio enim hic accipitur pro re æstimata, vt in epistola ad Pætum: Quando tuas æstimationes vendere non potes. *Voluptarias, &c.*] ratio, cur numerato malit, quam æstimatione. nam neque, inquit, voluptarias possessiones accipere Silius a me volet: & eas, quæ fructuosæ sunt, ego ei tradere non possum. *Vectigalibus*] redditibus, fructibus. vectigal enim & publicū est, & id significat, quod ex possessionibus capitur. *A Faberio repræsentabimus.*] Repræsentare, Budæus hoc loco dicit esse, præsenti pecunia soluere, non, vt alijs locis, ante diem soluere. non improbo eruditi hominis opinionem; quamquam ne cur probem quidem est. cur enim vsitatam verbi significationem sine caussa negligimus? Sane mihi placet, ac vehementer quidem placet, vt hic, Repræsentare, valeat ante diem soluere; contra Budæi sententiā, fateor: sed numquid apud me pluris esse debet vllius auctoritas, quam ratio & veritas ipsa? neque tamen illum, quem omnibus nostræ ætatis hominibus eruditione video præstitisse, vt male sentientem reprehendo; sed, quando interpretis partes suscepi, & præter communem vtilitatē nihil specto; quod meum officium est, quodq; mihi a principio ad hoc

opus aggredienti propositum fuit, id facio, vt omnia libere exponã, cum hoc tamen, ne quid temere affirmem. Sensum igitur consideremus, & eo modo tum, quam planissime poterit, explanemus. Siliani, inquit, horti, de quibus ad me scripsisti, placent: sed ita, vt numerato eos malim accipere, quam æstimatione. si autem numerato accipimus, vnde pecunia? habebimus, infert, H-S DC, ab Hermogene expressa; & DC item, quæ domi sunt. erit igitur, vnde sumamus H-S MCC. quæ autem reliqua pecunia erit, quæ scilicet a nobis supra H-S MCC Silio debebitur; ei pecuniæ soluendæ diem, puta annuam, vel bimam, præstituemus. interea Silio vel vsuram pendemus. Quoniam autem hoc posuerat, Vsuram pendemus: veritus, ne Attico videretur insanire, qui hortos vsque eo cuperet, vt etiam vsuras subire vellet; quasi se excusans adiecit, Dum a Faberio repræsentabimus: hoc significans, diuturniorem vsuram non futuram; cum putet se, pecunia a Faberio debitore sumpta, repræsentaturum, hoc est solutionem facturum ante diem reliquæ pecuniæ soluendæ præfinitam. certe enim hortos, nisi præsenti pecunia potuisset, vel pendendis vsuris emere cogitabat: quas putabat fore vt nõ diu penderet, cum speraret, hortorum pretium, pecunia a debitoribus suis exacta, breui se posse totum persoluere. quod confirmat illud epist. 21. Vt vsuram ei pendam, a quo emero, non plus annum; possum assequi, si tu me adiuuas. Simili sententia dixit Repræsentare medicinam, in epistola ad Titium; & Repræsentare diem, ad Tironem; & Repræsentare libertatem, Philippica 11. & Repræsentare improbitatem, lib. 16. ad hunc ipsum. Quibus ex locis cum de significatione huius verbi liqueat vnicuique vel negligenter consideranti, cumq; in eum, quem nos ostendimus, sensum accipi hoc in loco nõ absurde possit vox illa, Repræsentabimus: non video cur assentiar Budæo, docto alioqui viro, & de litteris optime merito; cum præsertim, Repræsentare, pro præsentem pecuniam soluere, quo modo ipse explanat, nusquam apud eos, quos ego auctores in latina lingua vehementer sequor, positum reperiam. *Comparati*,] Drusianos hortos nemo vmquam Silianis comparauit. quasi dicat: semper enim Siliani celebriores atque amœniores habiti sunt. tale illud in Lælio, Hi nec comparantur Catoni. *Mouet*,] vt hortos desiderem.

Quæ

Quæ autem hæc erat caussa, cur tantopere hortos Cicero desideraret? nimirum illa, vt haberet vbi filiæ fanum exstrueret. quam caussam, vt Attico notissimam, silentio præterit: sed in ea fatetur se τετυφῶσθαι, id est nimis ambitiosum esse. hortos enim adeo cupiebat, vt in ea re suam ipse quasi quandam ambitionem agnosceret. Ἐγγήραμα:] senectutis requies. verbum, quod Atticus vsurpauerat in epistola ad Ciceronem, suadens, opinor, vt de senectute cogitaret, ideoque ne tantam pecuniam in hortos erogaret. *Actum iam de isto est, &c.*] hanc ego curam iam abieci: hoc mihi iam amplius curæ non est: quiduis aliud potius quæro. quasi hoc dicat: de vita iam non cogito.

IN EPISTOLAM XXV.

Confecerit] de hortis. *Venturum.*] ad me. quod ex duabus insequentibus epistolis apparet. *De Nicia*] hic est Nicias grãmaticus, de quo Suetonius in libello de claris grammaticis: qui etiam docuisse videtur Plancum Bursam. fam. epist. 10. lib. 9. *Vnam rem*] de Terentia scilicet. *Spero enim, &c.*] spero, inquit, me a te impetrasse, vt ipse me ista molestia priuares, hoc est vt hoc onus ipse susciperes. hoc enim Cicero Atticum iam antea rogauerat. quin ipsa verba recitemus: Quod, inquit, ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. Hæc supra, epist. 19. Et in eandem sententiam epist. 21. his verbis: De Terentia, quod mihi omne onus imponis, non agnosco tuam in me indulgentiam. ista enim sunt vulnera, quæ nõ possum tractare sine maximo dolore. moderare igitur, quæso, vt potes.

IN EPISTOLAM XXVI.

De Siliano negotio,] de hortis Silij, de quibus supra. *Condicio,*] voluntas Silij de venditione hortorum: vt in epistola, quam subsequitur proxima superior; Mihi, inquit, & res, & condicio placet. *Cottæ*] subintellige, villam: de qua epist. 21. *Ad aliam rem loci satis, nihil ad eam, quam quæro.*] nõ dubito, quin hoc ordine legendum sit: Ad aliam rem loci nihil, satis ad eam, quam quæro. nam, quo modo in vulgatis libris legitur, plane sententiam esse apparet Ciceronis sententiæ contrariam. quorsum enim de emenda Cottæ villa cogi-

tabat, si ad eam rem, quam quærebat, loci nihil? sed, quid argumentor? en, quod nostram opinionem ita cõfirmet, vt nihil præterea possit desiderari. Habet, in quit supra, in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci, ad hanc rem tamen plus etiam satis. *De tempore.*] quando velit discedere, vt Athenas eat studiorum caussa. supra, De Cicerone, inquit, tempus esse iam videtur: sed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutari ne possit, an ipsi ferendum. *De Bruto tamen,*] quia de Bruti aduentu iam ante Atticum rogarat, vt epist. 14. 18. & 19. iccirco dictionem, Tamen, venuste vsurpauit. quasi dicat: Quamuis hac de re sæpius iam ex te quæsierim, tamen idem illud quæro. *Scire enim iam puto,*] subaudi, te. cum autem scias, vbi Pansam exspectet; facile potes, quo tempore futurus Romæ sit, coniectura consequi. epist. 19. *In prima prouincia,*] Gallia: cui præfuit. Plutarchus, & Cicero epist. 6. lib. 6. fam. item in Oratore. *Vellem, tardius.*] vellem, tardius adesset Brutus. nam si Kalendis Romæ fuerit, veniendum mihi erit, vt ipsi de aduentu gratuler: itaque, quod vellem, consequi non potero, vt in senatum ne veniam: qui plerumque Kalendis habebatur. vide illud epist. 5. Mihi etsi Kalendæ vitandæ fuerunt. Tardius: post Kalendas, hoc est post diem, quo senatus habebatur: quo die Romæ esse Cicero noluisset, ne in senatum veniret. *Multas ob caussas.*] ex quibus erat illa vel maxima, ne in senatum venire necesse esset. *An excusationem aliquam ad illum parem:*] an Bruto me litteris excusem, & caussam aliquam afferam, cur Romam venire non possim. epist. 28. *Facile*] facilem excusationem esse video. possum enim vel in morbum, vel in mærorem caussam conferre.

IN EPISTOLAM XXVII.

Missum esse,] a Terentia. *Illi*] Terentiæ. *Videri*] vt videatur matris caussa voluisse. *Quod ego æstimo.*] veteres libri diligenter inspiciendi. aliquot enim de caussis in mendi suspicionem adducor. *Ad consuetudinem*] ad remp. administrandam. *Erat, vbi acquiescerem:*] hoc significat; labores, quos olim reip. caussa susceperat, minus graues fuisse, cũ haberet filiam, cuius in sermone & suauitate conquiescere solitus

solitus esset: qua amissa, non esse cur eosdem labores susciperet, nulla iam alleuationis spe relicta. *Nec ego victum, nec vitam illam colere possum:*] non modo ferre rationem illam viuendi non possem, sed ne vitam quidem ipsam viuere illi similem. tantum, inquit, abest, vt genus illud vitæ sequi nunc possim; vt etiam vitam me esse amissurum intelligam, si ita velim viuere, vt tum viuebam. quasi dicat: non modo genus illud vitæ colere non possum, sed nec viuere quidem, si illam vitæ rationem sequi vellem. *Quid aliis videatur,*] forte enim Atticus scripserat, reprehendi Ciceronem, quod in vrbe non viueret, quasi prorsus omissa reip. cura. quod antea quoque Atticum scripsisse, apparet ex illo loco epist. 21. Quod homines a me postulare scribis, vt Romæ sim, neque mihi, vt absim, concedere: iampridem scio, &c. *Mea mihi conscientia*] mei enim erga remp. animi cum ipse mihi optime sim conscius, de illorum sermone non laboro. non enim ablum, quod eam negligam; sed quod eiusmodi sunt tempora, vt, etiam si adsim, iuuare nihil possim. *Consolatus*] in morte filiæ scripsit librũ de Consolatione ad se ipsum. epist. 14. & 20. *Nec si possem, vellem.*] esset enim inhumanum, amissa vnica filia, & tali filia, non dolere. vnde illud Crantoris in tertio Tusculanarum: Istuc, nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. *Pro mancipiis*] mancipia Castricius ante vendiderat Quincto Ciceroni, eorum mancipiorum pretium, apparet, a Quincto non fuisse ad diem persolutum. *Eamque ei solui, vt nunc soluitur:*] ostendit se condicionem eius venditionis ignorare. si enim Castricius, inquit, a fratre meo pecuniam accipere volet pro mancipijs, eamque pecuniam ita solui, vt nunc soluitur; (dicit autem Nunc, quia debitores eo tempore pecuniam creditoribus ita soluebant, non vt pecuniam darent, sed vt pro pecunia possessiones, tanti æstimatas, quanti ante ciuile bellum fuissent: quod Cæsar, & vt debitoribus consuleret, & vt metum nouarum tabularũ tolleret, edicto constituerat) certe nihil est commodius. possessionẽ enim pro pecunia, quam debet, frater aliquam dabit. sin autẽ ita actũ, & hęc inter eos de mancipijs pactio facta est, vt Castricius, Quincto pretiũ mancipiorum intra certam diem nõ persoluente, ipsa mãcipia, quæ vendiderat, abduceret: hoc mihi nõ videtur esse

æquum. vt enim ad diem frater non soluerit, ideo tamen eum priuari mancipijs iniquum est, cum quidem solutionem, quã ciuilium bellorum difficultate afflictus necessario distulit, eam nunc facere paratus sit. *Tibi videri idem*] tibi quoque videri, non æquum esse, vt mancipia Castricius a fratre abducat, quod eorum pretium sibi ad diem non enumerarit. *AEquinoctium*] vernum. nam hæc hieme scripta sunt: quod ita esse, proxima superior epistola significat, in qua Panætæ in prouinciam Galliam proficiscentis, Brutique ex eadem prouincia decedentis mentio fit. Pansam autem III. Kal. Ian. ab vrbe profectum esse, apparet ex epistola ad Cassium, altero epistolarum volumine. vernum igitur æquinoctium, non autumnale, significatur, primum ex argumento, quod posui, de historia sumpto; deinde ex illa clausula, Nauigaturus videtur. certe enim post vernum æquinoctium tutior est nauigatio, quam post autumnale. non enim Publius æquinoctium, vt eo nauigaret, sed, vt post, exspectabat. vide, quæ diximus epist. 15. lib. 10. *Atedium*] epist. 23. *Nauigaturus*] in Africam. supra epist. 23. *Lentulum puerum*] apparet, Ciceronem ei tutorem fuisse; cum inferat, De mancipijs quę tibi videbitur, attribuas. mancipia enim accipio, quæ Cicero, sibi a Lentulo, pueri patre, cum reliquis bonis testamento commendata, tutorum more tuebatur. apertius indicat insequens epistola; si consideretur illud, Pueros attribue ei, quos, & quot videbitur.

IN EPISTOLAM XXIIX.

Hodie.] hoc subaudi: Tecum de hortis, quos ab eo emere vellemus, loquetur. id enim Atticus ad Ciceronem scripserat. *Nec ego Brutum vito,*] respondet ad alteram partem epistolæ ab Attico acceptæ: in qua ille, vt opinor, ita scripserat; mirari se, cur Brutum vitaret, a quo leuationem aliquam posset exspectare. cui respondens Cicero, Nec ego, inquit, Brutum vito, nec tamen ab eo leuationem vllam exspecto. *Leuationem*] doloris mei, ex interitu filiæ suscepti. *Caussa*] in ijs, ne in senatum venire necesse esset. *Excusatio*] quod istuc non veniam, ad eum amplectendum ex prouincia reuersum. epist. 26. *Caput illud est, quod scis.*] caput, & prima causa, cur hortos desiderem, illa est, quam tu scis, fanum videli-

videlicet; cuius ædificandi scis consilium a me esse captum, & hortos ideo quærere, vt celebri loco ædificetur. *Sequitur, &c.*] altera caussa, cur hortos velit. Præter fanum, mea etiam caussa hortos quæro. mihi enim ipsi quiddam opus est: hoc est, locum me oportet habere, vbi esse possim. *In turba*] Romæ. neque Romæ, inquit, esse possum, neque a vobis abesse. quod si hortos habebo, vtrumq; consequar, vt & Romæ ne sim, & a vobis ne absim. abesse non videbor, cum in hortis ero, qui vrbem quam proxime sunt: & in vrbe tamen non ero. epist. 31. lib. 13. Nihil, inquit, aliud reperio, vbi & in foro non sim, & tecum esse possim. *Mihi persuasum est,*] tacite significat, suum consilium ab Attico probari, cõsilium, inquam, vrbis fugiendæ. Persuasum: non enim Atticus aperte scripserat, se probare Ciceronis consilium, veritus fortasse, ne id Cæsarem offenderet, si casus tulisset vt in alienas manus litteræ deuenirent: sed ipse de Attici sensu coniecturam faciebat. *Eo magis, &c.*] eo magis mihi persuasum est, de hac re quid tui consilij sit, quod tibi quoque intelligo videri idem quod mihi, me ab Oppio & Balbo valde diligi. quasi dicat: Quando illi me tam valde diligunt, abesse possum, illis concedentibus. nam alioqui offenderentur, & de hac absentia mea litteras fortasse ad Cæsarem iniquiores mitterent. quod igitur intelligis, me ab Oppio & Balbo valde diligi; eo magis mihi persuasum est, hac de re quid sentias. *Si expediatur illud Faberianum.*] si debitam mihi a Faberio pecuniam exigo. quod facile consequar illis adiuuantibus, qui, Cæsare concedente, omnia possunt. *Sint igitur auctores*] sententia non apparet, obscurata mendo. &, quamquam adiuti coniectura quiddam videmus: quia tamen id eiusmodi non est, vt omnes tenebras discutiat, prætermitto. libros veteres adiui, inspexi: nihil adiumenti. relinquo igitur, quod alij considerent. *Tum enim, &c.*] connexa verba cum superioribus. neque patet sensus: sed conijcere possumus, hoc dici: Si Balbus & Oppius in expediendo nomine Faberiano adiutores esse noluerint; tum intelliges, exigendæ a Faberio pecuniæ nullam plane spem esse; & intelliges item, quid inclinent ad hoc meum consilium de fano adiuuandum. si enim nobis non fauebunt, id agentibus, vt hortorum emendorum caussa pecuniam a Faberio exigamus: certe intelligetur, nol-

le eos de emendis hortis, & de ædificando fano consilium a nobis captum adiuuare. *Si quid erit,*] a Balbo & Oppio studij & auxilij ad Faberianum nomen explicandum. *Sin minus, &c.*] si in exigenda a Faberio pecunia fautores non erunt, consilium tamen de hortis ideo ne omittamus, sed quacumque ratione enitamur. *Quacumque ratione*] nam de Faberiana pecunia nequaquam erit cogitandum, Balbo & Oppio non adiuuantibus. *De illo Ostiensi, &c.*] si non assequimur, vt Silianos hortos habeamus; quid agemus? de illo Ostiensi, hoc est de villa, quam in Ostiensi habet Cotta, nihil est cogitandum: (forte, quia pusillum loci videbatur. epist. 22. & 26.) Lamiam non puto posse adduci, vt hortos suos vendat: Damasippi experiendum est: subaudi, vt hortos habere possimus. & infra, epist. 32. Damasippũ velim aggrediare. de Lamianis autem hortis, epist. 22. & 26.

IN EPISTOLAM XXIX.

Quos & quot] non omnes, sed quos & quot videbitur. neque enim omnia mancipia Lentulo puero attribuenda erant ministerij caussa. quæ autem puero non attribuebantur, ea tamen illi operam nauabant, vel rure agro colendo, vel in officinis aliquo artificij genere occupata, vel alijs pretio locata: comprobatur quod supra diximus, Ciceronem Lentulo puero turorem fuisse, qui ei de mancipijs, quæ videretur, & quot videretur, attribueret. *De Silii, &c.*] scire Tullius auebat, num Silius hortos vellet vendere, & quanti vellet. cui Atticus rescribens, vereri se dixerat, primum ne Silius nollet vendere, deinde ne nollet eo pretio, quo Tullius emere voluisset. *Quanti*] subaudi, velit vendere. *Ne tanti.*] videris, inquit, vereri, ne Silius tanti nolit vendere, quanti nos vellemus. & dixit, Tanti, pro, tam paruo: quo modo etiam locutus est Cœlius: cuius hæc sunt verba in epistola ad Ciceronem: Aut non erit istic bellum; aut tantum erit, vt vos, aut successores, paruis additis copijs, sustinere possint. & Cæsar lib. 6. his verbis: Præsidij tantum est, vt ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. & lib. 3. de bello ciuili: Tantum nauium reperit, vt angustè x v. millia legionariorum militum, & quingentos equites transportare possent. & ipse in epistola ad Cassium: Si quæ, inquit,

inquit, sunt onera tuorum, si tanta sunt, vt ea sustinere possis; nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora; considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Quibus ex locis aperte cognoscitur, in voce Tantus, non semper magnitudinem inesse. quod nos exemplis ideo probare voluimus, ne quis miretur, cur illud, Tanti, explanemus, tam paruo: quod fortasse cuipiam durius alioqui videretur. *Sica aliter,*] Sica aliter dixerat: Sica non idem dixerat, quod tu: sed tibi assentior, verenti primum ne Silius nolit, deinde ne tanti. Sica autem dixerat, & velle Silium vendere, & non magno venditurum. *Vt ei placuit,*] opinabatur Sica, Egnatij opera Silianos hortos haberi posse: itaque Ciceroni suaserat, vt ad illum scriberet. *Transigere Egnatium.*] in epistola superiore locus est de mancipijs Castricianis. quem si quis cum interpretatione nostra legerit, facile, quid hic significetur, intelliget. *Transigere*] conficere cum Castricio: efficere, vt Castricius a Quincto fratre pecuniam accipiat pro mancipijs, quæ illi vendiderat: quam Castricius accipere nolebat; cum a Quincto mancipia mallet abducere, quando is pecunia sibi ad præstitutam diem non numerasset. *Conficiatur.*] curentur ei H·S C, quæ debemus. supra epist. 21.& 22. *Nox erat,*] Atticus in epistola sua ad Ciceronem hoc posuerat: quoniam nox est, plura non scribo. Cui respondens Cicero, Quoniam, inquit, nox erat, & ideo breuiores litteras misisti; ijs, quas hodie mittes, plura exspecto.

IN EPISTOLAM XXX.

Silium mutasse sententiam, Sica mirabatur, &c.] Silium nolle amplius hortos vendere, Sica mirabatur. ego autem eo magis miror, quod, cum ille dicat ideo se nõ vendere, quia filius nolit; ais tamen illum venditurum, si nos præter eum locum, quem ab ipso perijmus, alium petierimus, a quo refugiat, hoc est quem nolit vendere. *Non iniusta*] recte facit, si non vendit, quia filio velit obsequi, roganti ne vendat; cum eum habeat, qualem vult, hoc est, plane ex animi sui sententia: vt reprehendendus non sit, qui tali filio obsequatur. *Si addiderimus aliud,*] si petierimus a Silio, vt alium locum nobis vendat, non vt eum, quem antea petebamus. *A quo refugiat,*] a quo vendendo prorsus abhorreat: quem nulla condicione velit vendere. *Cum ab ipso id fuerit*]

cum is locus, quem addiderimus, valde illius e re fuerit. tunc enim Silius locum antea nobis destinatum vendet, si petierimus vt alium, ipsi cariorem, vendat. Recte igitur dixit Cicero, Miror, quod ais, &c. nam, si hortos ideo Silius vendere non vult, quia filio cupiat indulgere: ne hoc quidem artificio, quo nos vti vis, adducetur vt vendat. Dixit autem, Conferret, potius quam, Conferat, vt ostendat Silium ea excusatione vsum fuisse non illis ipsis diebus, quibus hæc scribebat, sed aliquanto ante. *Quod summum pretium constituam,*] quantũ omnino pecuniæ in hortos velim impendere. *Quantum anteire istos hortos Drusi:*] subintellige, putem: hoc sensu: Quæris a me, quantum hortos istos Silianos anteire Drusi hortos putem, pretio videlicet. *Accessi numquam.*] numquam accessi ad hortos Drusi: quæ autem villa ibi est, (Coponiana dicebatur, quod eã ante Drusum aliquis e Coponiorum gente possederat) eam noui, & eodem loco siluam nobilem. *Neutrius.*] neque siluæ, neque villæ. quem fructum Drusus capiat aut e villa, aut e silua, compertum nõ habeo: quod tamẽ, puto, nos scire oportet. Et hoc adscribit propterea, quod vna cum hortis & villam, & siluam Drusus vendere cogitabat. *Vtrius istorum*] vtrius hortos æstimem, vel Silij, vel Drusi; æstimare debeo, nõ quanti sint, sed quanti meum tempus postulare videtur: hoc est, non ex ipsorum fructu mihi æstimandi sunt, sed ex meo tempore; quod eiusmodi est, vt hortos omnino velim emere, de pretio non laborem. Vtrius istorum: æstimandi sunt. *Possim autem assequi,*] possim hortos emere. *Cogites.*] potes enim hoc vel facile cognoscere; cum mea nomina tractes, & videre possis, ecquæ sit spes pecuniæ a nostris debitoribus exigendæ: quod ego absens non possum: itaque tu hoc velim cogites. *Faberianum*] nomen Faberianum: quod mihi a Faberio debetur. cum enim debitam sibi a Faberio pecuniam exigere Cicero non posset, nomen illud alicui vendere cogitabat, vt præsentem pecuniam haberet ad emptionem hortorum. *Explicare vel repræsentatione non dubitarem.*] non dubitarem hortos emere, vel si repræsentandum sit: hoc est, vel si pretiũ nunc enumerandum sit, nulla temporis dilatione. Est enim, Repræsentare; quod aliquando futurum est, id præripere, vt, nulla interposita mora, statim fiat. Quoniam autem constituerat

tuerat ita hortos emere, vt partem pecuniæ solueret, reliquæ pecuniæ vsuram penderet; (quod ipse ostendit ep. 21. & 24.) nunc, si Faberianum nomen possit vendere, dicit se non cogitare de die, neque solutionis tempus velle differre, sed repræsentaturũ, hoc est nõ exspectaturum diem, quam cõstituerat, vniuersumque pretium statim persoluturum. *De Silianis*] ad, Explicare, refertur. *Transirem ad Drusum*] emerem a Druso. *Magno etiam, &c.*] adiuuabit enim repræsentationẽ Hermogenes, si soluet nobis H-S DC, quæ debet. vnde illud epist. 24. H-S DC exprimes ab Hermogene, cum præsertim necesse erit. *Doloris mei,*] ex interitu filiæ suscepto. *Regi*] fortasse ego, cupiditate & dolore prolapsus, hortos pluris emerem, quam quanti æquum esset: itaque volo a te regi. *Locutus erit*] de Drusi hortis. Supra ibidem: Transirem ad Drusum vel tanti, quanti illum Egnatius velle tibi dixit. *Id agendum puto.*] ad hortos Drusi spectare debemus. nam cum Silio non video confici posse. *Agendum*] curandum, cogitandum. *Quid agendum sit.*] de tota hac re, id est de hortorum emptione.

IN EPISTOLAM XXXI.

Publiliã] altera Ciceronis vxor, quam, post Terentiæ diuortium, virginem duxit: cum qua & ipsa postea diuortium fecit, quia lætari Tulliolæ morte videbatur. Plutarchus in Cicerone, Quinctilianus l. 6. Dio lib. 46. *Publilio*] fratre Publiliæ, Ciceronis vxoris. nam mulieres familiæ nomine appellabantur. *Affectum,*] dolore, quem ex obitu filiæ capiebat. *Non illius esse.*] apparebat, a matre scriptas, aut dictatas. *Quod fore video,*] video fore, vt omnino veniant: ego autem hoc volo vitare. *Vna est vitatio: & ego nollem.*] vna tantum ratione vitare possum, ne illæ ad me proficiscantur; si ego istuc ad ipsas veniam: quod nollem: sed necesse est; quando hæc est vna vitatio. Infra clarius his verbis: Cum scribas, videndum mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum illius profectionis diem non habere: putaui esse commodius, me istuc venire. *Ne opprimar.*] a Publilia, & matre. & hoc dicit; quia, si scisset, quo die illæ Roma profecturæ essent, vt ad se venirent; ipse ante illum diem Romam ad eas profici potuisset: quod facere cogitabat. Ne opprimar: ne ve-

niant cum de illarum aduentu nihil suspicer. *Ciceroni*] filio. *Si tibi non iniquum*] fortasse enim tibi videbitur, plus ei dandum esse, quam quod ex mercedibus Argileti & Auentini recipietur. sed, si tibi non iniquum videbitur, hoc est, si putas eũ his mercedibus contentum esse debere; propone ei, vt sumptus huius peregrinationis ad eas mercedes accommodet. *Peregrinationis*,] Cicero filius Athenas iturus erat studiorum caussa. Dic, inquit, filio, me pro sumptu, quem Athenis facturus est, tradere ei mercedes Argileti & Auentini. *Si Romæ esset, &c.*] vt Athenis tantos sumptus faciat, quantos Argileti & Auentini mercedes ferre poterunt. quibus sumptibus, si Romæ viueret, conducta etiam domo, contentus futurus erat; quanto magis Athenis? *Argileti & Auentini*] in Argileto & Auẽtino locare volebat Cicero insulas quasdam, eamque mercedem assignare filio Athenas proficiscenti. ep. 10. libri 9. & 4. libr. 6. *Moderere*,] tractes quod attinet ad hanc locationem: videas, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit; hoc est, quod infra ostendit, conductores qui sint, & quanti; deinde, vt sit qui ad diem soluat. *Nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam*] Calpurnium Bibulum, Manlium Acidinum, Valerium Messallam. hos adolescentes Athenas profecturos studiorum caussa, Cicero audierat. *Conductores qui sint, & quanti:*] qui velint conducere eas tabernas, aut domos, quas in Argileto & Auentino volumus locare. *Quanti:*] quanti velint conducere.

IN EPISTOLAM XXXII.

Is fuerit, quem tu putas,] difficilis in hortis vendendis. *Aggrediare.*] vt mihi hortos vendat. *Ripa*] Tiberina. nam hortos Transtiberinos quærebat Cicero, vt celebri loco fanum exstrueret. *Quotenorum iugerum*] Damasippus suos hortos in partes diuiserat: & qualibet parte nescio quotena iugera continebantur, certo cuiusque partis pretio. *Plura enim nõ possum.*] de hoc ad te scribere; cum & de pædagogo, & de medico, & de tota domo mihi certum sit.

IN EPISTOLAM XXXIII.

Vel sine Sica,] cuius consuetudine delectabatur: itaque epist. 25. Niciam, inquit, vellem mecum habere. sed mihi solitudo &

tudo & recessus prouincia est: quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero. *Tironi enim melius est:*] caussa, cur sine Sica possit esse. Tironem, inquit, mecum habeo, qui iam prope conualuit. *Facillime*] libenter: vt illud in epistola ad Cœlium: In maritimis facillime sum. Et libro 2. de oratore: Et dici ornatissime possunt, & audiri facillime. Et ad hūc ipsum in sequenti libro: Locum habeo nullū, vbi facilius esse possim, quam Asturę. Et Terentius in Heaut. Dabo tibi puellam lepidam, quam facile ames. *Opprimar;*] subito aduentu Publiliæ. vide supra epist. 31. lib. huius.

IN EPISTOLAM XXXIV.

Tu tamen,] quamquam, inquit, breui te videbo: tamen, si quid de hortis cum Silio confeceris vel illo ipso die, quo ad Sicam venturus ero; certiorem me velim facias. *Ad Sicam*] in eius suburbano. *Detractionem*] cum Silius dixisset, hortos suos se esse venditurum, sed velle quendam locum excipere: vide, inquit Cicero, ne velit eum ipsum locum excipere in venditione hortorum, cuius loci caussa hortos ipsos emere cogitamus. Detractionem: exceptionem. *Extremi*] extremi loci, extremorum hortorum, extremæ partis hortorum. *Detotare,*] de hortis Silij emendis. *Vt scis,*] scis tu qua in parte hortorum fanum ędificare constituerim: itaque, si eam ipsam partem Silius in venditione vellet excipere; cur hortos emeremus, caussa non esset. *Hirtij epistolam*] forte consolatoriam in morte Tulliolæ. *Recentem,*] ex Hispania, vbi erat Hirtius cum Cæsare. & puto eam esse, de qua epist. 46. & epist. 6. lib. 16. Rhegini quidam eo venerunt, Roma sane recentes. & Philipp. 1. Municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes. *Quod lege conceditur,*] lex erat, quæ sumptum sepulcrorum præfiniebat. supra eum sumptum si quis in sepulcrum impendisset, tantundem populo vt daretur, iubebat. *Quod non magnopere moueret,*] quasi dicat: Si vellem sepulcrum filiæ facere, facerem operosissimum & magnificentissimum; neque me in hoc moueret pœna legis: sed fanum fieri volo, non sepulcrum; idque, non tam propter legis multam, (nam hæc me minus moueret, si de sepulcro cogitarem) quam vt locus,

quasi consecratus, sempiternam religionem obtineat. Hoc aperte paullo post his verbis: Fanum fieri volo: neque hoc mihi erui potest: sepulcri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam vt maxime assequar ἀποθέωσιν. Recte: quod enim fani nomine appellatur, religione habet; quod sepulcri, non item. *Appellari:*] supra, epist. 19. lege quæ diximus ad illud, Quasi consecratum. *Nisi mutato loco.*] constituëramus fanum in hortis Transtiberinis facere: sed mutandus locus est, si assequi volumus, vt fani nomine appelletur. in hortis enim si faceremus, vbi multa multorum sunt sepulcra; sepulcrum & ipsum videretur esse, sepulcrique nomine potius appellaretur, quam fani. *Minus Orgeor,*] dolore amissæ filiæ.

IN EPISTOLAM XXXV.

Erui] hoc mihi non potest ex animo euelli. *Propter pœnam legis*] pœna erat, vt, quo quis in sepulcrum plus insumpsisset, quam nescio quid quod lege concedebatur; tantundē populo daret. supra, epist. 34. *Commutationes dominorum*] epist 19. de eadem re sic. Ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum illud, quasi consecratum, remanere possit. quo in loco vide nostram interpretationem. *Vt posteritas habeat religionem.*] vt posteri illud cū religione conseruent. quod in villa fortasse non facerent. in qua fanum ædificatum nescio an eadem religione tuerentur. forte enim ex fano rursus villā facerent studio habitandi. *Res, locus, institutum*] vt fanum fiat, vbi fiat, quale fiat. explano enim, Institutum, fani genus a nobis designatum. nam & supra, epist. 18. vbi plane idem dicit, Neque, inquit, de genere dubito; placet enim mihi Cluatij: neq; de re; statutum est enim: de loco non numquam. *Eam effugere*] ne in legis pœnam incidamus, si pecunię plus in hoc monumentum erogabimus, quam quod lex concedit. *Si tibi placebit sic agere, &c.*] cœpimus agere de fano ædificando: nescio, an idē consilium tibi placeat, vt scilicet fanum filię faciam pietatis ergo: sed, si placet, cohortare & exacue Cluatium architectum, vt in hac re suo nos consilio iuuare velit.

IN EPISTOLAM XXXVI.

Ad Villam] in suburbano. nam infra, Velim certiorem me facias,

facias, quam diu in ſuburbano ſis futurus. quo ſe contulit rationum cauſſa. deinde eaſdem rationes cogitauit ſe poſſe Romæ conficere, ſi ſe domi includeret: itaq; in vrbem rediit. epiſt. 42. & 43. *Tuæ litteræ mihi redditæ ſunt tertiodecimo die.*] Hoc totum librarius, aut quicumque ille fuit, qui Ciceronis epiſtolas retulit in volumina, trāſlatum ex alia epiſtola, per ignorantiam hic intexuit. cum enim Cicero eſſet in Antiati, Atticus Romæ, vel in ſuburbano; ſimile veri non eſt, tredecim dies eum, qui Attici litteras tulit, tantulo in itinere conſumpſiſſe, ſed eſto: cōſumpſerit nec opinata re impeditus: quid? non hanc tarditatem Cicero tenui ſaltem ſignificatione attigiſſet? at ne litteram quidem poſuit. itaque redeo ad illud, membrum eſſe ex alia epiſtola, translatum in hūc locum ignorantia eorum, qui Ciceronis epiſtolas in vnum congeſſerunt. *Bruti litteras,*] ad Atticum ſcriptas. *Rationem tuam de Tuſculano.*] conſilium tuum, vt fanum in Tuſculano faciamus, ſi in hortis non poſſumus, epiſt. 42. & 43. *Celebritatem*] vt fanū celebri loco fiat. celebriores autem horti, quam Tuſculanum, vtpote qui propius vrbem eſſent. *In Scapulæ*] ſubintelligitur, hortis: vt illud, epiſt. 42. Ex Apollodori puto poſſe inueniri: ſubaudi, hortis. Scapula hic deceſſerat, relictis aliquot heredibus: a quibus, Cicero ſperabat fore, vt venirent horti Scapulani. *Propinquitas præterea, & ibi ſis*] præter celebritatem hoc habent commodi, quod proxime Romam ſunt. *Vbi ſis*] vbi ſine incommodo eſſe poſſis: vt in iis facile eſſe poſſis. *Ne totum diem in villam.*] ne totum diem ponam, in villam proficiſcens: ne mihi ſemper totus dies ſit in itinere conſumendus, animi cauſſa dum ad villam me confero. quaſi dicat: Si quando vrbis ſatietas me capit, ad aliquam mearum villarum ire ſoleo: quæ ita longe abſunt, vt totum diem in via ponam. quod ſi Scapulæ hortos habebo; libentius in hortos exibo propter propinquitatem. eodem loquendi genere ſupra vſus eſt, cum dixit: Itinera ita facit, vt multos dies in opidum ponat, epiſt. 18. lib. 11. *Othonem*] vnum ex iis, quos Scapula heredes reliquerat. *Si nihil erit,*] ſi nihil erit, quod emamus; tibi tamen non deſinam moleſtus eſſe, vt aliquid inuenias, vſque eo, vt meam ſtultitiam ſtomachere. Deinde incipit moleſtus eſſe, & infert: Druſus enim certe vēdere vult: vt tua culpa futura ſit, ſi nihil emamus:

quandoquidem venales certe sunt horti Drusiani. *Si ergo aliud erit,*] si, præter Drusi hortos, aliquid inueniemus, quod venale sit; id nisi emero, non mea erit culpa, sed tua. nam ego quidem, quod ad me attinet, sæpissime te admonebo. Drusianos autem hortos Atticus minus probabat: itaque aliud quærebat. Paullo infra: De Drusi, inquit, hortis, quamuis ab iis abhorreas, vt scribis; tamen eo confugiam, nisi quid inueneris. *Ne labar,*] ne, prolapsus cupiditate, multo pluris emam, quam quanti sint. Supra ep. 30. Concede, inquit, mihi, vt eo animo sim, quo is debeat esse, qui emere cupiat. & tamẽ seruio ita cupiditati & dolori meo, vt a te regi velim. *Prouidendi autem vna ratio est, si quid de Scapulanis possumus.*] quærit aliquis caussam, cur hæc vna sit prouidendi ratio. respondeo sic: quia sperabat fore, vt Scapulani horti in auctione venirent. quod si ita esset; labi non poterat, neque eos multo pluris emere, quam quanti essent. itaque infra, epist. 39. De hortis, inquit, Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud mea, vt præconi subiiciantur. id nisi fit, excludemur. *Apud Terentiam, &c.*] Terentiam iam dimiserat: quippiam fortasse nunc significat de dote reddenda. *Cor duba exisse,*] hac de re Hirtius lib. 6. commentariorum, haud ita procul ab extremo. *Nescio quo.*] Carteiam: vt auctor est idẽ Hirtius lib. 6. comm. fere in extremo. *Caninij naufragio*] de quo etiam ep. 43. his verbis: Volo etiam scire de naufragio Caniniano quid sit. *εἰς ἀποθέωσιν*] ad consecrationem filiæ. *Etiam Othonem vide.*] etiam: quasi, iterũ: nam dixerat iam, Othonem conuenias peruelim. iterum, inquit, te admoneo de Othone conueniendo. nam, Vide, valet conueni, & alloquere. vt illud libro 4. epist. 12. Grauiter se acturum cum Aquillio, confirmauit. videbis ergo hominem. Et l. 12. ep. 14. Septimium vide. Et ibidem: Appuleium prædiatorẽ videbis.

IN EPISTOLAM XXXVII.

Nostro cognato.] fratris mei, & sororis tuæ filio. qui erat in Hispania cum Cæsare aduersus Pompeij liberos bellum gerente, & Ciceroni patruo detrahebat. fuisse autem in Hispania, constat non solum ex proxime sequentibus verbis, sed etiam ex illis epist. 8. Cum a fratre familiaritate & omni gratia vinceretur. *Dolabella obscure,*] manifestum est subintelligi ver-

ligi verbum, scripsit. scripsit autem ex Hispania. nam ei bello interfuit; vt aperte indicat illud 2. Philippica: Ter depugnauit Cæsar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus his pugnis affuit Dolabella, in Hispanienſi etiam vulnus accepit. Postea, cum in Italiam reuertisset, coram de Quincti maledictis & iniurijs cum Cicerone locutus est. epist. 9. lib. 13. *Firmitatem,*] nam imbecilliore animo videbatur esse, qui filiæ mortem tam diu lugeret. Quod putas, inquit, cogitandum mihi iam esse de animi mei firmitate. *Adiuuandum: tu effice, &c.*] adiuuandum: dolore liberandum: quippe qui etiam consolatorium librum scripsit ad se ipsum. Effice: vt hortos habeam, vt, erecto monumento, filiam consecrare possim. *Hoc mihi debere videor,*] videor fanum filiæ debere, neque posse liberari, nisi id, quod debeo, soluero. Idem supra, Quasi voto quodam & promisso me teneri puto. epist. 18. & 42. *Qualem Colo,*] mihi appositus videatur ad filiam consecrandam. *Istos hortos,*] Scapulanos. *Partibus quattuor factis liceri cogitant:*] quattuor enim erant coheredes, Otho, Mustela, Crispus, Virgilius. epist. 42. h. lib. & 3. lib. 13. *Publicatus,*] vt publice vendatur. Et quod addit, Qui est Treboni, & Cusinij: tum non erat, sed fuerat: sicut & hortos Scapulæ appellat, iam mortui. *Erat ad me allatus,*] optio mihi delata est emendi. *Scis aream esse.*] scis in eo ædificati nihil esse, quo maiore impensa fanum esset exstruendum. nam, si ædificati aliquid esset; veteris ędificij materia ad fani constructionem vtens, sumptum facerem multo minorem. *Placent,*] horti. *AEdificatio*] scribis, te abhorrere a Drusi hortis, quod minor in ijs, quam tu velles, ædificatio fit. id, inquit Cicero, me non mouet. nam ego nihil ibi cogito ædificare præter fanum: quod omnino ædificaturus sum, etiam si illos non habuero. ædificationem autē voluisset Atticus esse maiorem in hortis Drusi, vt in fanum deinde minus insumeretur; quippe quod ex ipsa ædificatione fieri posset, impensa multo minore, quam si materia fieret importata.

IN EPISTOLAM XXXIIX.

Suades,] suades, vt certos tabellarios instituam. *Respondebant tempori*] ibant, redibant ad vtrumq; nostrum, ea ipsa,

qua exſpectabantur, hora. *Erat aliquid, &c.*] erat quod ſcriberemus de Silio, de Druſo, alijs præterea de rebus. *Id ipſum dilatum eſt.*] ſcribere ſolebamus de Othone, id eſt de hortis Scapulanis. nunc etiam hoc argumentum litterarum ad aliquod tempus eſt ereptum. abes enim, (erat autẽ in ſuburbano, vt patet ex epiſt. 36.) & Othonem, qui Romæ eſt, de hortis alloqui non potes. ita ſequitur, vt nec ſcribere de eo quidquam poſſis, donec in vrbem redieris. *Tamen alleuor,*] etſi ad ſcribendum argumenti nihil habeo, quando idipſum de Othone dilatũ eſt: ſcribo tamen, quia doloris acerbitatem minus ſentio, cum tecum quaſi loqui videor.

IN EPISTOLAM XXXIX.

Cæſaris vituperatio] liber a Cæſare ſcriptus contra Catonem, Ciceronis libro laudatum. Infra epiſt. 40. Hirtij epiſtola quaſi προάπλασμα videtur eius vituperationis, quam Cæſar ſcripſit de Catone. Laudationem ſuam Cicero inſcripſit, Catonem; vituperationem Cæſar, Anticatones. *Perſpexi ex eo libro,*] ex Hirtij libro contra Catonem ſcripto conijciebat Cicero, qualis eſſet futura Cæſaris vituperatio. cum enim in ſuo libro Hirtius collegiſſet vitia Catonis, ſed cum maximis Ciceronis laudibus; Cæſar autem eum librum vidiſſet; (neque enim aliter putandum eſt; cum Hirtius cum Cęſare eſſet, in Hiſpania bellum gerente) magno id erat argumento, eas Ciceronis laudes Cæſarem probaſſe. alioqui exire librũ paſſus non eſſet; neque Hirtio permiſiſſet, vt ad Ciceronem mitteret. ex eo conjecturã Cicero capiebat, Cæſarem acerbius in ſe nihil ſcripſiſſe in ſuo libro, cuius laudes in alieno probaſſet. συμβουλευτικὸν *ſæpe conor;*] ſæpe conor aliquid ad Cæſarem ſcribere de ordinanda republica. συμβουλευτικὸν: conſilij plenum, quod deliberationem contineat. *Eiuſmodi*] nam, ſi dixero, quæ mihi honeſta ſint; illi grata non erunt: rurſus ſi, quæ illi grata; mea perſona minus digna videbuntur. *Dum tua me domus leuabat,*] ſi, dum tuæ domi fui, nemo eſt a me excluſus; nemo vmquam ad me venit, quin comiter & humaniter acciperetur: quid eſt, cur me quiſquam dicat dolore victum iacere? quando neque, dum apud te fui, quemquam ſeuerius accepi; neque, dum Aſturæ, ceſſaui, ſed & multa ſcripſi, & eius generis, quod certe abiecto animo facere

nemo

nemo posset. *Leuabat,*] delectabat. nam domi suæ Cicero non sine summo dolore potuisset esse, quę memoriam amissæ filiæ repræsentaret. eademque caussa Tusculanum, quasi admonitionē Tulliolæ, refugiebat: vt infra epist. 44. *Nunc ipsum*] similiter locutus est epist. 3. lib. 7. & 9. lib. 8. & 16. h. lib. *Discessus*] post XVI. Kal. Februarij, senatores plerique Roma discedebant; quod senatus reliquis Ianuarij diebus per legem Pupiam haberi non poterat, ac ne Februario quidem toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. Ad Appiū. lib. 3. fam. In ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras. *Huius temporis:*] apti ad oblectandum. hilaritatis enim tempus illud erat; quo senatores, laxati a curis, animi caussa exibant. *Is, qui optimas Baias habebat,*] qui se tamē huc, suis Baijs omissis, quotannis conferebat; quod hunc recessum amaret, Baianam illam frequentiam fugeret. quem significet, diuinare non facile est. *Aliud tua gratia, aliud nostra,*] partim tua gratia, partim nostra. *Excludemur.*] verebatur, ne heredes Scapulæ hortos Scapulanos præconi non subijcerent, sed ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis. Si igitur, inquit, præconi non subijciuntur, ego excludor. & supra epist. 37. Heredes Scapulæ si istos hortos, vt scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. *Sin ad tabulam venimus,*] sin præconi subijcientur, & auctio fiet. nam, Tabulam, posuit pro auctione; quod auctionis signum tabula figebatur. In oratione pro Cæcina, Æbutio, inquit, negotium datur. ad est ad tabulam, licetur Æbutius. *Othonis*] Scapulæ heredis, qui & ipse ad hortorum emptionem animum adiecerat. Quanquam, inquit, locuples sit Otho: tamen mea cupiditas efficiet, vt eum in auctione vincam. infra epist. 42. De Othone diffido, fortasse quia cupio: sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostræ, præsertim aduersatio & cupido, & locuplete, & herede. & epist. 46. Difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. & epist. 29. lib. 13. Si Faberius nobis nomen illud explicat: noli quærere, quanti: Othonem vincas volo. *De Lentulo, &c.*] quod scribis, videndum esse, vt a Lentulo exigamus: res in eo non est: id parui refert: magis laborandū de pecunia Faberiana: quam si exigimus, quod velim enitare; consequemur quod volumus, vt hortos

habeamus. Faberiani nominis cum alibi supra, tum epist. 28. mentionem facit his verbis: Cum ijs communices, quantopere, & quare velim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum.

IN EPISTOLAM XL.

Quam sit φιλαύτιον συμφορὰ] quam sit querula res calamitas: quam facile querantur, qui in calamitate sunt. Tacite Atticum hortatur, vt de fano maiorem adhibeat diligentiam; cum sciat, quam sit *φιλαύτιον συμφορά*. quod apertius paullo post: Nisi fanum fieri videro, incursabit in te dolor meus. *Minime in te quidem:*] minime ego quidem tecum queror: minime ego te accuso, quod hortos adhuc non inueneris; sed tamen ita auide sum affectus de fano, vt, nisi id fieri videro, incursaturus in te sit dolor meus. *Omnes tuas, &c.*] si me consolari vis, locum fano reperi. hæc est vna mei consolandi ratio. Paullo post; Si me leuari vis, hæc est summa leuatio, vel, si verum scire vis, vna. *Aget iniuste,*] iniquum pretium poscet pro suis hortis. epist. 48. *Dominum*] hortorum Treboni, & Cusinij. epist. 37. *Tusculanum placet,*] vbi fanum fiat. epist. 36. & 47. *Perficies,*] vt locum habeamus aliquem, vbi fanum exstruere possimus. *πρόπλασμα*] præfigmentum. qualis, inquit, futura sit Cæsaris vituperatio de Catone, perspicitur ex ea epistola, quam ad me Hirtius misit. Forte enim Hirtius in epistola idem faciebat, quod in libro suo, vt Catonem vituperaret cum laude Ciceronis. vide illud epist. 39. Perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit. *Scelere me liberatum non putabo.*] scelerati putantur, qui vota non soluunt. item Cicero scelere se adstrictum putabat, donec fanum, quod filiæ manibus promiserat, non fecisset. infra epist. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit vllius voti, obstrictum puto. supra epist. 18. Quasi voto quodam & promisso me teneri puto.

IN EPISTOLAM XLI.

Videbam enim, quæ scribis:] cum viderem quæ scribis, te scilicet esse occupatissimum; nullum a te desideraui diem litterarum, hoc est, numquam desideraui, numquam exspectaui tuas litteras, & tamen etiam, te non habere quod scriberes, in-

res, intelligebam. *Mittam.*] aliquem ex meis, qui tibi a me litteras afferat; vt habeas, cui tuas ad me dare possis. *Nihil aliud scire me, nouit te nihil habere.*] scire me, nouit te nihil habere, præterea nihil. *Scripsisti tamen*] rectius, vt ego existimo, Scripsisti tamen. quamquam, inquit, essent inanes tuæ litteræ; nescio quid tamen de Clodiæ hortis habebant. *Res, &c.*] horti Clodiæ. vellem, inquit, Scapulanos hortos emere; secundum eos, Clodiæ cuperem. *Secundum Othonem,*] hortorum Scapulæ pars ad Othonem heredem peruenerat; ideo dicit, Secundum Othonem, pro secundum hortos Scapulæ. quo modo & infra paullo post, Malim primum Othonis, deinde Clodiæ; eosdem Scapulæ hortos significans. *Illud alterum quam sit difficile,*] Scapulanos hortos habere, scis difficile esse. Cur difficile? quod & magni pretij res erat; & eorum hortorum quam partem Otho habebat, tantum aberat, vt vellet vendere, vt etiam a coheredibus reliquas partes emere cogitaret. difficile igitur erat Othonem in emptione vincere, qui & cupidus erat, & locuples, & heres. epist. 43. & 45. *Excogitemus.*] si neque Clodiæ, neque Othonis hortos cõsequi possumus; enitamur, vt aliud quippiam ad fanum excogitemus. Quod idem infra his verbis: *Si ista minus confici possunt, effice quiduis. Aut domum:*] Romam. supra epist. 40. *Vt id ipsum, quod facis, faceres:*] vt domi te includeres rationum caussa. contulerat enim se Atticus in suburbanum, vt rationes suas commodius posset conficere, interpellatione sublata. deinde venit in mentem, idem illud Romæ posse facere, si se domi includeret. itaque fecit. epist. 43. 44. 45. & 46. *Commodius*] Romæ, quam in suburbano.

IN EPISTOLAM XLII.

Quod scies recte illam rem, &c.] deprauatus locus: neque scripti libri dissentiunt ab impressis. quod si coniecturis locus esset, quas ego probare non soleo, nisi cum ad litterã admodum accedunt; legerem sic: Quod scribis, reri te, illam rem fore leuamento, bene facis: quamquam id esset, mihi crede, perinde, vt existimare tu non posses. vt, Illam rem, fanum intelligas: & verbum, Esset, referas ad dictionem Leuamento. In epistola ad Pætum similiter fere locutus est, cum inquit: Gaudeo perspectã tibi esse curam meam valetudinis tuæ: sed mihi crede, non, vt est reapse, ex litteris perspicere potuisti,

Perinde, vt existimare tu non posses.] maiori leuamento, quã tu existimare posles. *Diffido,*] me posse eum vincere in hortorum licitatione. epist. 39. *Aduersario*] Othone: qui & ipse eosdẽ Scapulæ hortos a coheredibus suis emere voluisset. infra epist 46 Difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. *Istæ*] vt neque Scapulæ possim, neque Clodiæ hortos habere. *Maiore religione, &c.*] fanum, filiæ manibus promissum, donec faciam, maiore me religione obstrictum puto, quam qui vota non persoluunt. epist. 18. & 42. *Trebonianos,*] hortos, de quibus epist. 37. & 40. *Domini.*] vnum dominum nominat infra, in epist. 40. sed hic numero multitudinis vnus est; quia, dominus quisnam esset, ignorabat. vt epist. 41. *Ne æstas effluat:*] considerandum tibi & de hortis, & de Tusculano: vt, si hortos nõ inuenis, Tusculano vtamur: ne æstas effluat: hoc est, vt omnino fanũ hac æstate absoluatur. epist. 40. & 26. lib. 13.

IN EPISTOLAM XLIII.

συμπαθῶς] ad indicandam similem animi affectionem accommodate. scripserat enim Hirtius, Ciceronis casum se dolere, de filiæ morte. *Tu enim etiam humanius.*] nam, si illam epistolam misisses, meum dolorem quasi tractando renouasses. *Illius librum,*] epist. 38. & 45. *Illius maior laudatio.*] Catonis. *Agu,*] de hortis. epist. 46. & 50. *A Pontiano.*] a quo tempore eius amicũ, vel affinem defendi Pontianũ. *Vt aditus sit emptori?*] vt in auctione veneant. nam ad emptionem aditus est omnibus, cum quid per præconem venditur. verebatur autem, ne coheredes ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis. supra epist. 37. Heredes, inquit, Scapulæ si istos hortos liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. sin venibunt; quid fieri possit, videbimus. & epist. 41. De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, vt præconi subijciantur. id nisi fit, excludemur. sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate. *Per quemuis heredem*] ex quattuor heredibus Scapulæ si vnus modo, quilibet, adnitetur, vt horti Scapulani præconi subijciantur; perficiet. *Mustelam*] qui erat vnus ex heredibus. epist 3 lib. 13. Ἐγκώμια.] vbi in senectute viuam. οἰκοδεσποτικὰ] non satis officio patris familiæ conuenire. fortasse quia non essent ita fructuosi

fructuosi horti, vt Scapulani. fructum enim & vtilitatem spectare debet pater familias. *In Gilla ista?*] sine fructu. *Othonis*,] hortos, quos heres Otho cupit. epist. 43. *Druso ludus est suggerendus*,] aliquod malitiæ genus est excogitandum, vt suos nobis hortos Drusus vendat æquiore pretio. pro hortis suis iniqua postulabat Drusus. quod indicare videtur illud: Si Silius nolet, Drusus age iniuste, epist. 40. & quoniã, venditorem artificio decipere cum volumus, aliquem subornamus, qui pretium non nisi minimum promittat, vt ille sua spe deiectus ad æquiora descendat, & nobiscum transigat multo minoris, quam quanti prius dixerat; aut hoc, aut quippiam huius generis significat, cum dicit, Druso ludus est suggerendus. *Vtendum Tusculano.*] fanum in Tusculano faciundum. epist. 36. & 40. *Domi te inclusisti*,] vt rationes conficeres. quod intelligit & supra epist. 41. cum dicit: Venerat mihi in mentem monere te, vt idipsum, quod facis, faceres. putabã enim, commodius te idem istud domi agere posse interpellatione sublata. & infra epist. 48. Velim scire, quid tibi restet, aut iam ne confeceris. *Contudi enim animum*,] cum abhorreret a Tusculano, quod quasi admonitio videretur amissæ filiæ; suspensus & incertus per aliquot dies ancipiti consilio pependit, vtrum Lanuuio in Tusculanum, an Romã se conferret: itaque epist. 40. Postridie, inquit, Iduum Lanuuij constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romæ. & epist. 41. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum. & ibidem: Ego postridie Iduum Lanuuij manere constitui, inde aut Romæ, aut in Tusculano. & epist. 26. lib. 13. Proficiscar hinc: quo autem Lanuuio? conor equidem in Tusculanum, sed faciam te statim certiorẽ. Tandem vicit animum repugnantem, & in Tusculanum profectus est. epist. 41. & 42. *Contudi animum*] pugnaui cum animo meo, & vici. Idem epist. 45. Vincam, opinor, animum: Lanuuio pergam in Tusculanum. *Si modo permansero.*] si modo in hac sententia permanebo, vt in Tusculanum eam. *Nec Cartini, &c.*] narrabat Philotimus, tantum abesse vt Pompeius Cartini teneretur, vt etiam bellum esset adhuc satis magnũ. Cartini: rectius puto, Carteiæ: nam, Cartini, mendosa dictio videtur; cum in Hispania, qui hoc nomine appelletur, locus omnino sit nullus. Carteia autem in extrema Be-

tica opidum est ad mare Ibericum, quo Cn. Pompeius Magni filius ex fuga se recepit, magno prœlio victus a Cæsare ad Mundam. auctor est, qui librum scripsit de bello Hispaniensi. *Teneri:*] quia sine copijs exire non audebat: ad extremum, seditione concitata, Carteiensium xxx. naues longas occupauit, & profugit. auctor idem. *Qua de re, &c.*] Clodius Patauinus acceperat litteras ex Hispania, Pompeium Carteiæ teneri. *Se id factum arbitrari:*] cum dicerent; quod in litteris ad Clodium missis esset scriptum, se id arbitrari vere scriptum esse, vt Pompeius Carteiæ teneretur. *Fuluiaster.*] Fuluio similis: solet Fuluium imitari, qui pro Pompeio facile mentiebatur. solet esse mendax pro Pompeio: itaque non videtur ei magnopere credendum. epistola septima libri 10. *Naufragio Caniniano*] epist. 36.

IN EPISTOLAM XLIV.

Ego hic] Asturæ adhuc erat, statim discessurus. *Duo magna σωτάγματα*] duos libros Academicos, & quinque de Finibus: quæ scripsit Cæsare in Hispania bellum gerente contra Pompeij liberos. *Aberrare*] epistola trigesima septima. Ego hic scribendo dies totos nihil equidem leuor, sed tamen aberro. *Optime.*] quod valet. supra de Atticæ inualetudine. *Ἀκηδία*] torpedo. scripserat enim Atticus, insolita quadam torpedine se teneri: quam græco verbo ἀκηδίαν nominauerat. est autem vsum ex indicijs, quæ morbum prænunciare dicit Hippocrates. *Etsi scribis nihil esse.*] etsi scribis nullius periculi rem esse. *Ἀνιαρότερα*] dolor ex interitu filiæ tolerabilior Asturæ, quam in Tusculano. Vt etiam epistola vigesima sexta libri decimi tertij. Locum habeo nullum, vbi facilius esse possim, quam Asturæ. *Erant*] quia discedere statim cogitabat, ideo dicit, Erant, licet adhuc esset Asturæ. *Nec hæc,*] si esset in Tusculano, vt quibusdam placuisse video; cum illis arbitrarer particulam, Nec, mendosam esse, & affirmationem requiri potius, quam negationem. sed, cum dixerit Cicero, Ego hic duo magna σωτάγματα absolui: apparet eum Asturæ adhuc esse. *Magis angunt, &c.*] magis autem angunt

angunt in Tusculano, ex filiæ recordatione: itaque ἀνικτότερα hic erant. *Etsi tamen,*] pro Quamquam Cicero dixit Tamenetsi in epistola ad Plancium: Sed tamenetsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere; tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui, ne quo periculo te proprio existimares esse. Quod si, Tamenetsi, pro tametsi ponitur: cur, Etsi tamen, reijciamus? præsertim cum idem Cicero &, Etiam si, dixerit, & Si etiam, eodem sensu: vt in oratione de haruspicum responsis: Cuius si etiam vim & grauitatem illam singularem ac pæne diuinam assequi posses: tamen non dubito, quin ea tela, &c. explano igitur, Etsi tamen, tamenetsi; vel, quod vsitatius est, tametsi. *Illa*] quæ refricant dolorem. in Tusculano, inquit, magis angor: sed vbique tamen angor. vbique enim refricat amissæ filiæ recordatio, quamquam magis in Tusculano. *De Cæsare Vicino, &c.*] in colle Quirinali & Quirini templum erat, & Salutis ædes, Salutis augurium dicta. cum autem in Quirini templo statua Cæsaris posita esset, cum hac inscriptione, θεῷ ἀνικήτῳ, vt scribit Dio libro quadragesimo tertio, facete ominatur Cicero, & ait, eum σύνναον Quirini malo, quam Salutis: id est, Salutis in templo Cæsarem esse nolo, vt scilicet seruari ne possit; in Quirini volo, vt ob tyrannidem, quemadmodum ille, crudeliter a ciuibus occidatur. Vicino autem intelligit Attici. & paullo post per iocum, Domum, inquit, tuam pluris video futuram vicino Cæsare. Domum enim Atticus habebat in colle Quirinali, ab auunculo hereditate relictam, vt in ipsius vita Nepos tradit: & habebat prope Quirini templum, vt in primo de legibus scriptum est: & P. Victor in VI. regione statim post templum Quirini collocat ædes Attici, eademque in regione Salutis ædem statuit in colle Quirinali. vnde illud epistola prima libri quarti: Tuæ vicinæ Salutis. σύνναον *Quirini*] infra ipse se explanat (epistola vigesima octaua libri decimi tertij) cum dicit, hunc Quirini contubernalem. *Hirtium:*] librum ab Hirtio scriptum contra Catonem. *Amici nostri*] Hirtij.

IN EPISTOLAM XLV.

Vincam, opinor, animum:] Tusculanum fugiebat; quod eius loci, vbi Tulliola perierat, adspectus renouare dolorem videretur: itaque epist. 43. Contudi animum, & fortasse vici. & epist. 26. lib. 13. Conor equidem in Tusculanum. non dixit Cogito, sed Conor, vt inuitus, & animo repugnāte. *Fundo illo*] Tusculano. *Manebit,*] æternus erit. erit quidem dolor meus vitæ æqualis, tantū aliquanto leuior: dies enim mitigabit. quod si Tusculanum, quasi admonitionem filiæ, refugio: aut eo mihi numquam eundum est: (nam dolor idem manebit) aut, si iturus aliquando sum, nescio quid interfit, vtrum nunc eam, an ad decem annos. *Admonitio,*] Tusculanum. cuius adspectus admonitio quædam amissæ filiæ videbatur. non est, inquit, grauior is dolor, quem ex Tusculani conspectu capio, quam qui me dies noctesque conficit. *Quibus assidue, &c.*] quæ erātistę admonitiones, quibus assidue Cicero conficiebatur? virtutes Tulliolæ.

IN EPISTOLAM XLVI.

Tu igitur,] subaudi, ad me venies. *Vel binæ*] prius quam ad me venias, vel binas vterque dare litteras poterimus. *Occurram*] veniam ipse ad te, si tu ad me minus commode poteris. *Magnum opus est.*] vt Scapulanos hortos habeamus: primum, quod emptori esse aditum heredes nolunt: (epist. 37.) deinde, quod, etiam si permittant, mihi tamen in auctione certamen impendet cum Othone, id est, cum cupido, cū locuplete, cum herede. epist. 46. *Ad Clodiam.*] vt potius de Clodianis hortis cogitem. *Explorandum est.*] videndū, quid de eo nomine sperare possimus; sine quo neutrum possemus, neque Scapulæ hortos emere, neque Clodiæ. *Cum Balbo*] quo adiuuante, nomen Faberianum facile potuisset expediri: quod, absente Cæsare, cum Oppio remp. administrabat; &, quæ illi egissent, Cæsar omnia probabat. supra epist. 28. Communices, inquit, cum Balbo, & Oppio, quantopere, & quare velim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. *Nec audere incerto.*] non audeo hortos emere, incerto isto nomine: hoc est, nisi certus sim pecuniam a Faberio futuram. *Quia tanti rem æstimas,*] hic aliquis exponeret:

neret: quia scribis, Clodiæ tibi hortos valde probari. ego malo sic: quia scribis, Clodiæ hortos multo minoris esse, quam Scapulæ: adductus in hanc sententiam ab ipso Cicerone: qui se ipse interpretatur ep. 29. l. 13. A Clodia, inquit, sperare videor ob eam caussam, quod & multo minoris sunt, & Dolabellæ nomen iam expeditum videtur. At relatiuum, Tanti, num quid potest ad paruitatem referri? potest: & exemplum est epist. 38. interpretatione nostra satis illustratum. *Illud*] hortos Scapulanos. *Magna res est,*] magni pretij. *Cum cupido, &c.*] Othonem intelligit, vnum ex coheredibus; qui & ipse eosdem hortos cupiebat. ep. 39. & 41. *Hirtij librum.*] in quo colligit vitia Catonis. ep. 38. & 43. *Arbitrabar.*] eum esse mendacem, & illa, quæ dixit de Pompeio, vera non esse. ep. 43. Solet omnino esse Fuluiaster. *Pluris video futuram*] video fore vt pluris æstimetur. Iocatur. *Vicino Cæsare.*] non quod ille prope te habitet, sed quod eius statua sit in templo Quirini, a quo templo non longe abest tua domus. ep. 43.

IN EPISTOLAM XLVII.

Confeceris.] rationes. ep. 41. & 42. *Totus,*] cum vniuersa familia. *Quod licebit*] quot, in antiquis libris: & mandaui meis, vt ita imprimerent. ego, Quotus. vt dicat, Tu ad me, quotus licebit. pro, cum tot comitibus, quot mea villa poterit recipere. vnde illud apud Horatium in epist. ad Torquatum:

Tu, quotus esse velis, rescribe; & rebus omissis,
Atria seruantem postico falle clientem.

Quotus esse velis, dixit, id est, quot comites velis tecum adducere. Et Martialis: Dic, quotus es, quanti cupias cenare: eodem sensu.

IN EPISTOLAM XLIX.

Cognationem,] quia Ciceronis auus amitam C. Marij septies consulis in matrimonio habuerat. libro 3. de legibus. *Quem scripsissem,*] Cicero scripsit versibus librum de C. Mario, eumque inscripsit, Marius. lib. 1. de legibus. *L. Crassi, aui sui,*] L. Licinij Crassi, oratoris eloquentissimi, qui consul fuit cum Q. Mucio Scæuola. *Aui sui*] materni etiam ep. 8. lib. 13. appellat eum L. Crassi nepotem. *Vt se defenderem:*] contra eos, qui negabant C. Marij nepotem esse. Est autem hic, Herophilus ille Equarius medicus, de quo mentionem

facit Valerius c. 16. lib. 9. quem Cæsar extra Italiam relegauit, doctus non C. Marij nepotem esse, sed Herophilum quẽdam Equarium. cui deinde post mortem Cæsaris vncum esse impactum, quod de trucidando senatu cogitasset, scribit Cicero Philipp. 1. quod etiam significat in epist. 8. lib. 14. *Propinqui eius,*] C. Marius, ille septem consulatibus insignis, vxorem duxit Iuliam Cæsaris amitam. ideo propinquum eius Cæsarem appellat. Plutarchus in Mario, & Cæsare, & Suetonius in Iulio; qui, eam a Cæsare pro Rostris laudatam, scriptũ reliquit: quod & Plutarchus tradidit. *O tempora, &c.*] scripserat Atticus aut sic, aut in hanc fere sententiã: Curtius consulatum vellet, sed dubitat petere. O tempora, inquit Cicero cum indignatione: fore, cum dubitet Curtius consulatum petere? quasi dicat: Curtius igitur consulatum vellet? infimi igitur homines de consulatu cogitant? o tempora. *Fore*] verbum per se positum. & est figura, ἀποσιώπησιν quam appellat Quinctilianus: quam fere solemus vsurpare, cum quid indignantes pronunciamus: quale illud apud Virgilium,

Me ne incepto desistere victam?

Epistolam ad Cæsarem tibi misi.] vt mihi rescriberes, quid & tibi, & istis videretur. Illa epistola Cæsarem Cicero ad Parthicum bellum cohortabatur. epist. 2 & 34. *Horti*] Scapulani: quorum auctio futura erat. paullo post: De Virgilio, vt scribis. hoc tamen velim scire, quando auctio.

IN EPISTOLAM XLIX.

Sexti auctioni] Sex. Peducæus, Attici amicissimus, quippiã in auctione venditurus erat, Attico auctionem curante amicitiæ causa. epist. 50. h. lib. & 2. lib. 13. *Quid dicam, gratus?*] nedum gratus.

IN EPISTOLAM L.

Si vnus esses.] si te vnum haberem, minus solus essem, quã cum multos habeo. maiorem enim ex tuo vnius, quã ex multorum sermone delectationem capio. *A Peducæo*] post auctionem Peducæi, vt epist. 30. lib. 13. Ab ea igitur. *Etiam ante.*] non nihil significas, te esse venturum etiam ante Peducæi auctionem. *Quando auctio.*] hortorum Scapulanorum. nam Virgilius vnus ex coheredibus Scapulanis. quod infra, ep. 26. lib. 13. non obscure perspicitur. scribit enim sic: De Virgilij parte valde probo. fic ages igitur. & quidem id

erit

erit primum, proximum Clodiæ. ep. 48. Horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas. *Vt tempora,*] vt postulant tempora. nihil enim scripsi in epistola, nisi quod optimũ ciuem deceret, sed vt temporibus tamen paruerim. quasi dicat: non plane tamen, quod sentiebam, edidi. quid agas? tempora ita ferunt. De eadem epistola paullo ante. *Isti*] Cæsariani. *Simulatio*] nam, si eos simulare senseris, pro eo accipiam, quasi epistolam repudiarint. *De Cærellia*] cui debebat, ep. 21. l. 13. hæc est, quam epistolarum, quæ Familiares vocantur, l. 13. commendat P. Seruilio. *Perscriptionem*] solutionem. perscribemus enim in tabulis, cui data pecunia sit. *Hoc metuere,*] vereris, ne sit contra dignitatem meam, si ego diutius debeam. *Alterum*] perscriptionem. non metuis, ne non sit, vnde soluamus. Ita locutus ep. 21. l. 14. *Sustinenda solutio*] videndum nobis est, vt ne Cærelliæ prius soluamus, quam de Metone & Faberio, debitoribus nostris, sciamus: videlicet, an possint & ipsi nobis soluere, & id quando velint.

IN EPISTOLAM LI.

Profectus est.] Athenas. *Præs pro Flaminio*] ep. 16. l. 14. *Quid egeris,*] num ostenderis iis, quibus scis ostendi me velle. *De Silio*] de hortis Silij, supra. *Spintherem*] opinor intelligi filium P. Cornelij Lentuli, eius, quem ab affecla quodã Spintheris cognomen sumpsisse Valerius tradit. nam pater iam perierat, vt in libro de claris oratoribus. & Spintheris cognomine filium quoque Plutarchus appellat in Cæsare. epist. 10. l. 13. & 11. l. 14. *Securi es animi,*] non laboras. Libros de philosophia his temporibus Cicero scribebat: quorum argumẽtum & sententias fere sumebat a Græcis; verbis vtebatur non admodum consuetudine tritis, cum Græcorum verborum vim exprimere Latinis verbis cogeretur, idque consequi nõ posset vsitatis: vt in eo nimium libertatis assumẽs, de lingua Latina minimũ laborare videretur. *Talia*] de philosophia. quos autem libros, non scribit: quod, tam prope cum essent, vt non modo per litteras, sed etiam præsentes sæpe colloquerentur, nominare videbatur esse minus necessarium. ἀπόγραφα *sunt.*] hæc quæ scribo, non scribo cum labore, cum e Græcorum libris descripta transferam in meos. *Verba tantum affero:*] verba affero de meo, res mutuor a Græcis.

IN EPISTOLAM LII.

Epiroticæ litteræ] quas in Epirum scribis tuorum negotiorum causſa. Forte autem, Litteræ, abundat. aptius certe ad breuitatem, Ciceroni in his epistolis familiarem, videretur. *Fasciculum*] quem in Epirum mittis, vt ex Epiro deinde Athenas deferatur. nam Athenis erant Martianus & Montanus cum Cicerone filio. *Dedisti.*] fasciculum, in Epirum perferendum.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DECIMVMTERTIVM EPISTOLARUM Ciceronis ad Atticum.

IN EPISTOLAM I.

CICERONEM] filium. *Seuerius*,] obiurgans eum, quod immoderatos sumptus faceret. quod indicat illud, ep. 46. Turpe est nobis illum, qualiscumque est, hoc primo anno egere: post moderabimur diligentius. *Magis, quam quemadmodum*] dictio Quam videtur abundare. sic infra, Nec in hac quidem re quidquam magis, vt vellem, accidere potuit. *Tullios*] Martianum, & Montanum, qui cum Cicerone filio Athenis erant. quod illud ostendit, ep. 51. lib. 12. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est.

Et illud

Et illud ibidem, epist. 52. Misi ad te epistolas ad Martianum & Montanum. *Aut ista proficient,*] ista, hæc diligentia, qua tu in litteris tuis ad Ciceronem & ad Tullios vsus es. *Proficient.*] vt Cicero in sumptibus sit restrictior. *De pecunia*] a debitoribus exigenda, vt hortos emere posset. *Ob eam caussam, quæ suscepta est:*] ob fanum, quo filiam consecrare deliberatum est. *Cuius festinationem mihi tollis,*] non vis me festinare, neque pateris vt ego te vrgeam, cum hac æstate nos, quod volumus, habituros affirmes. *Istis placeat*] istis: Cæsarianis. placeat: mittenda sit ad Cæsarem, nec ne. ep. 49. *Nicias*] hic erat apud Ciceronem. ep. 25. & 52. l. 12. *Quanti patrem feci,*] cuius quæstor Cicero fuerat in Sicilia, auctore Pediano. *Et si de epistola*] ad Cæsarem: de qua paullo ante.

IN EPISTOLAM II.

Celeritas tua,] in scribendo. *Res ipsa.*] quam scripsisti: qua nihil potest esse indignius. *Humanitatem omnem*] omnem sensum humanitatis: vt iam neq; dolere vllo damno, neq; lætari vllo commodo possimus. id autem ob interitum filiæ; qua amissa, nihil iam in reliqua vita sibi esse curandum statuebat. *Verumtamen.*] exspectabam. & est figura, qua vsus est epist. 8. & 12. lib. 14. & in epistola ad Tironem his verbis: Confice professionem. etsi hæc pecunia ex eo genere est, vt professione non egeat. verumtamen. *Epistolas*] quibus eos Cicero rogabat, vt exactionem Faberiani nominis adiuuarent. nam & supra, epist. 28. lib. 12. Cum Oppio, inquit, & Balbo communices, quantopere, & quare velim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. *Et tamen*] quamquam ad Oppium & Balbum scripsi de Faberio: tu tamẽ ficubi Pisonem poteris conuenias, vt cum eo de auro colloquaris. Et, opinor, hoc intelligit, vt ad emptionem hortorum auream pecuniam a Pisone argentario mutuam sumeret vsura pendenda: vel: vt argentea pecunia Pisoni daretur, Piso auream redderet. Pisonem autem argentarium fuisse, indicat illud epist. 5. lib. 12. Ad Aulum scripsi, vt ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. quo etiam loco de permutatione agitur. & infra epist. 4. Si quid poteris, inquit, cum Pisone conficies: Aulus enim videtur in officio futurus. vtrobique enim Auli mẽtio: & vtrobique eius opera apud Pisonem

Cicero videtur vti. de Pisone autem epist. 4. 10. 12. huius lib. & 10. lib. 14. *Attribuatur*,] numeretur, soluatur. Attributam pecuniam Pedianus dicit esse, quam in stipendium militum ex ærario depromptam tribuni ærarij quæstoribus adnumerabant. idem fere M. Varro. sed a rebus publicis transferri ad priuatas, docet illud epist. 3. lib. 16. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum: quæ quamquam explicata sunt; tamen, quod & Dolabellæ nomen in his est, & attributio est mihi nominum ignota, conturbor. item illud in epistola ad Tironem fam. lib. 16. De attributione conficies: de repræsentatione videbis. De domesticis rebus hactenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius. *Accipies ab Erote.*] cognosces ab Erote, quantum nobis a Faberio debeatur. is enim Ciceronis rationes procurabat. epist. 15. & 18. lib. 15. & 2. & 14. lib. 16. *Ariobarzanis filius*,] eius, quem a Mithridate fuisse expulsum legitur in oratione pro lege Manilia. *Eum Sextius noster parochiis publicis occupauit:*] ei Sextius noster & domum iam, & omnia ad victum necessaria de publico curauit. *Parochiis*] præbitionibus: & parochus, qui huic muneri præerat, vt sumptu publico siue legatos, siue alios muneribus ornaret, aut etiam aleret. & dixit, Occupauit, quasi, ante me cepit, vt ego eum frustra sim inuitaturus. quale illud in Tusculanis, opinor, quæstionibus: Occupaui te fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos intercluſi, vt ad me adspirare non posses. legendus Acron in illud Horatij,

Proxima Campano ponti quæ villula tectum
Præbuit, & parochi, quæ præbent ligna, salemque.

Summo beneficio meo] nam Ariobarzanē, eius fratrem, Cappadociæ regem, præsentibus insidiis nec opinantem liberauerat, regnumque ei seruauerat, vt in epistola ad senatum, & in ea, quam eodem libro ad Catonem scripsit. epist. 20. lib. 5. & fam. epist. 2. & 4. lib. 15. *Cum fratribus illius*] vnum Ariobarzanem seruauit, vt ipse ad senatum & ad Catonem scribit: & vnum ibi nominat Ariobarzanis fratrem Ariarathem: vt hic videatur, Fratre, legendum potius, quam Fratribus. sed repugnantibus antiquis libris, nihil muto. *Apud me*] domi meæ: cum tamen ipse abesset. sic locutus ep. 3. lib. 15. *Attio Peducæi:*] cui Atticus dare operā volebat. ep. 48. lib. 13.

Cum

Cum poteris ergo,] ad me venies. *Faberius.*] exactio nominis Faberiani. *A discipulis*] quos Romæ habebat. & fortasse is est, qui Cicerones filios docuerat. de quo supra.

IN EPISTOLAM III.

Nondum scilicet,] litteras equidem a te exspectabam, sed nondum tamen. qui enim tabellarij a te mane discedunt; (erat autem Atticus Romæ, Cicero in Tusculano, vt propinqui maxime essent: epist. 12.) mane certe huc peruenire non possunt, multo etiam minus, qui meridie. *Ista nomina*] de quibus ad me scribis. Cicero, cum pecuniam non haberet, vnde hortos emeret, Attico mandauerat, vt aliquid venderet. Atticus in venditione non pecuniam accepit ab eo qui emit, sed nomina, ita tamen, si ea nomina Cicero probasset, ad quẽ de ea re scripturus erat. *Videris dubitare.*] quod & plura sint nomina, vt exigi deinde omnia, nisi magna molestia, nõ possint; & in istis nominibus non bonum nomen Cœlius videatur. *Ad me refers.*] Atticus ad Ciceronem retulerat de nominibus illis, vt faceret ipse quod liberet; hoc est, vt illa vel acciperet, vel reijceret, quandoquidem ipsius res ageretur. *Ipse*] si ipse adessem, & meum negotium gererem. *Vtrumque laudo.*] vtamur, inquit, his nominibus. nam neque mihi plura videntur: & Cœlium probo. *Factus esset,*] Germani in suis libris, Factus es: ego, Factus esses: hoc sensu: nisi hæc nomina haberemus, tu aliquando præs factus esses pro me. & quia dixerat, Aliquando, incertum tempus & incertam rem significans: definit, & tempus remque exprimit, cum infert, In his quidem tabulis. in his quidem tabulis, quas in hortorum emptione facturus sum, pro me certe spopondisses, nisi hæc haberemus nomina, quæ hortorum venditoribus dari possent. *Ame igitur omnia*] fient. ego te de sponsione non rogabo: ipse per me omnia conficiam. *Quod dies longiores:*] malim sic, Quod dies longior est: vt intelligatur dies nominum exigendorum, quam scripserat Atticus abesse lõgius, quam oporteret. *Teneamus modo, quod volumus, &c.*] cõtingat modo, qd optam⁹, vt scilicet hortos assequamur. nã, qd ad diẽ nominũ attinet, quã scribis longior ẽ esse: puto fore, vt prẽco, qui Scapulanos hortos in auctione vẽditurus est,

non præsentem pecuniam ab emptore poscat, sed diem largiatur solutionis faciendæ non minus longam, quam ea dies est, ad quam hæc nomina exigentur. quod si istam diem præco non concedet; non dubito, quin ab heredibus eam impetremus. itaque vtamur his nominibus: neque te ista dies moueat; cum æque longa futura sit ea, quam ad hortorum pretium persoluendum, si minus præco, heredes certe dabunt. *Videbis:*] vt in auctione Scapulanorum hortorum, quantum poterint, nos adiuuent. Erat enim ex coheredibus: quod insequens membrum declarat. *Pars duorum.*] quæ pars hortorum ad Crispum, quæ ad Mustelam pertineat. epistola 5. *Epistolam,*] mihi a Bruto missam.

IN EPISTOLAM IV.

Habeo munus, &c.] infra epist. 26. ita scribit: Sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. eorum nomina Atticus inuenit, inuenta misit ad Ciceronem. Habeo, igitur, inquit, munus a te elaboratum decem legatorum. Et hic quoque perspicuum est, lapsum esse in ordine qui has epistolas retulit in volumina: cum infra de nominibus decem legatorum Atticum roget, hic autem ea se dicat accepisse. *Et quidem puto.*] puto eos fuisse, quos tu scribis. *Nam filius, &c.*] dixerat olim Hortensius Ciceroni; in decem legatis cum L. Mummio ad bellum Achaicũ profectis Tuditanum fuisse; cum Tuditanum proauum suum intelligeret, Cicero autem de auo dictum acciperet. sed Atticus proauum fuisse ostendit, eius patrem, quem Cicero significari ab Hortensio putauerat. Respondet igitur ad epistolã Attici, in qua ille scripserat, in decem legatis fuisse Tuditanum Hortensij proauum; cum Cicero eius filium, Hortensij auum, intelligi putasset. Sensus est: Puto plane fuisse decem legatos, quos ad me scripsisti, & fuisse in ijs Tuditanũ Hortensij proauum. ego autem de Tuditano eius filio intellexeram: quem in decem legatis non fuisse, nunc quidem facile credo; cum quæstor fuerit anno post, quã quæstor Mummius: vt simile veri non sit, legatum Mummij fuisse, cum adhuc esset adolescens. vide epist. 6. 31. 32. & 33. *Mummius.*] L. Mummius Achaicus, qui consul fuit cum L. Cornelio Lentulo, clarus euersa Corintho. *De nominibus quaris quid placeat:*]

placeat:] de nominibus legatorum a te scriptis. *Placere.*] ostendit sibi placere legatorum nomina, cum dixit, Et quidē puto. *Conficies:*] de auro. epist. 1. *Aulus, &c.*] Aulus in eo nos adiuuabit. *Velim ante posis:*] cuperem, ante Bruti aduentum liceret tibi in Tusculanum ad me venire. *Vt quærat.*] vt quærat de familiaribus, aut de seruis Bruti, quo die sit venturus in Tusculanum. *Et videlicet:*] & videlicet puto ita esse. cum enim ad Corinthum fuerit, & fuerit consulis frater; consentaneum est, eum in decem legatis, quos frater habuerit, fuisse.

IN EPISTOLAM V.

Torquatum] librum Torquati nomine inscriptum: de quo epist. 32. Torquatus Romæ est. iussi, vt tibi daretur. *Vrge.*] vt hortos suos nobis vendat. *Illam diem, &c.*] intelligit hortos Scapulanos, cum dicit Illam diem; cum, Istam, Silianos: & diem intelligit solutionis. Silius enim concedebat, vt hortorum suorum emptor mense Maio pretium persolueret: heredes Scapulæ tam longam diem non concedebant, ideoque Atticum Cicero hortatur, vt vrgeat de Silianis. *De Crispo & Mustela,*] hoc est de hortis Scapulanis: vterque enim heres erat Scapulæ. epist. 3. *Aduentum*] cum in Tusculanū veniet. *In magno nostro negotio*] de hortis scilicet.

IN EPISTOLAM VI.

De aquæ ductu] non in agro, sed in vrbe. *Columnariū, &c.*] tributum, quod in singulas columnas domum sustentantes exigeretur, propterea quod opulentiam significarent habitantium. Cæsar lib. 3. de bello ciuili: Acerbissime imperatæ pecuniæ tota prouincia exigebantur: multa præterea generatim ad auaritiam excogitabantur: in capita singula seruorum ac liberorum tributum imponebatur: columnaria, hostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. *Vide, ne nullum*] malo, Vllum. vt dicat: vide, ne in columnarium vllum vectigal incidamus: vide, vt omnino columnarij debitionem effugiamus. Forte quippiam cum columnis Atticus ædificabat Romæ Ciceronis nomine: vt de columnario deinde pendendo nō sine causa Cicero timeret. *Legem.*] qua columnarium antea pen-

debatur. *Pisoni, &c.*] argentario, pecuniam, Catoni pupillo, aut eius tutoribus creditam, repetenti. *Coheredibus*] Catonis creditoribus. *De puero Lucullo:*] si de pecunia, quam Luculli pueri tutor in Achaia sumpsit, Piso aget. erat autem, vt est in procœmio lib. 3. de finibus, vnus e tutoribus Cicero. *Cum illius obiurgatoria*] qua Brutus eum obiurgauerat, quod interitum filiæ mollius ferret, quam virum deceret. itaque ipse Brutum solans in morte matris, Est, inquit, alienum tanto viro, vt es tu, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse. me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio mœrore deterruit. cum enim mollius tibi ferre viderer, quam deceret virum, præsertim eum, qui alios consolari soleret; accusasti me per litteras grauioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. *Iudiciali modestia & vt caream*] scripserat Atticus, esse qui eius patrocinium in iudicijs desiderarent. videbis, inquit Cicero, ne quis mihi molestus sit, vt eum in iudicio defendam. nam iudiciali molestia omnino cupio carere. *Istum*] quem tu scribis in decem Mummij legatis fuisse. *Filium,*] istius Tuditani filium fuisse putaram in decem: sed videlicet assentior tibi, qui patrem scribis fuisse; cum filius, qui tum erat adolescens, legatus esse non potuerit. *Mummium fuisse ad Corinthum*] cum Lucio fratre, qui eam deleuit. epist. 4. *Spurius,*] nepos, vt opinor, Spurij Mummij, quem dicit ad Corinthum fuisse cum fratre. *Nuper est,* * *Epistolas, &c.*] tale quippiam desideratur, Mortuus: vt, Qui nuper est mortuus, legatur, quod in antiquo libro legitur. *Missas*] a Sp. Mummio. *Quin fratri fuerit legatus, non in decem.*] proficiscentibus ad bellum legati dabantur: postea, vt victa prouincia componeretur, decem legati decernebantur. in oratione pro Cornelio Balbo, C. Cæsarē, inquit, senatus & genere supplicationum amplissimo ornauit, & numero dierum nouo. idem in angustijs ærarij victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit. Et de prouincijs consularibus: Actum est de decem legatis: quos alij omnino non dabant, alij exempla quærebant, alij tempus differebant, alij sine vllis verborum ornamentis dabant. Et in epistola ad Lentulum: Stipendium Cæsari decretum est, & decem legati. quamquam Cæsari, ob multas de Gallis victorias, dignitatis

causſa

causſa decem legati decreti ſunt, non vt Gallia, in qua bellum adhuc gerebat, in prouinciæ formam redigeretur. Fuit igitur Sp. Mummius in primis fratris legatis, in decem non fuit. *Illum fratri*] Sp. Mummium L. Mummio. *In primis eius legatis*] in ijs, quos primum eduxit.

IN EPISTOLAM VII.

Hæc cures,] hæc, quæ ad me ſcripſiſti. nam Attici litteris reſpondet. *A Cæſare*] in Hiſpania bellum gerente contra Pompeij liberos. *In epiſtola noſtra,*] intelligit epiſtolam, quam ad Cæſarem ſcripſit: quam tamen, vt opinor, non miſit, quòd in ea Cæſaris amici, qui Romæ erant, nimium multa mutari vellent. epiſt. 27. & 28. argumentum autem illius epiſtolæ hoc fuit, vt Cæſar remp. conſtitueret; quæ minus firma videretur, legibus, quas ipſe tulerat, neglectis; deinde ad Parthicum bellum proficiſceretur. epiſt. 33. *Leges ſuæ*] vt de iudicijs, de ſumptibus, de præmijs eorum, qui plures filios ſuſcepiſſent. quas leges tulit poſt bellum Africanum. Dio lib. 43. *Ἔστ ἐυλογον,*] velle Cæſarem Romæ manere propter eam cauſſam. *Idque eram ſuſpicatus, &c.*] ego item exiſtimaueram, fore, vt Cæſar maxime propter eam cauſſam Romæ vellet manere, ne ſe abſente leges ſuæ negligerentur: idque ſcripſi in epiſtola ad Cæſarem. *Sed iſtis mos gerendus eſt,*] quibus eam epiſtolam mitti non placet. epiſt. 28. *Niſi placet, &c.*] niſi tu in hac opinione es, vt hanc ipſam ſententiam perſequamur, hoc eſt, vt omnino ſcriptam epiſtolam ad Cæſarem mittamus. *Et Lentulum cum Metella feciſſe diuortium.*] refertur ad illud, Sextius narrabat. *De Muſtela, aut ſi Siluum videris.*] de hortis Scapulanis, & Silianis. hoc ſupra ita ſæpe narratur, vt hic putidum videatur explanare. *Miſi equidem ei nunciari,*] pro, ſignificaui, vt ei nunciaretur. infra epiſt. 10. Hodie Spintherem exſpecto: miſit enim Brutus ad me. Et ad Brutum, epiſt. 16. lib. 11. fam. Mitte ad Lupũ noſtrum, vt is nobis eas centurias conficiat. Raro tamẽ cum infinitiuo iunctum inuenitur: & abundare poteſt, Nunciari. Et ep. 9. ad Tironẽ: Curio miſi, vt mediço honos haberetur.

IN EPISTOLAM IIX.

Triplices remiſeras,] modo a me diſceſſeras, & paullo poſt

ego ad te trinas litteras miseram, tuque ad omnia responderas: vt iam, quod scribam, nihil plane sit. *Triplices*] non dicit, trinas, sed triplices, quasi, tribus meis epistolis respondentes. Et cum dicit, Paullo post triplices remiseras; plus dicit ad ostendendam argumenti inopiam, quam si dixisset, Paullo post trinas ad te miseram. quod enim tribus epistolis Cicero scripsisset, colligere eadem illa, & in quartam conijcere potuisset: quod facere nonnumquam solemus. ita scribendi sententiam habuisset. cum autem nō modo ipse ad Atticum trinas misisset, sed Atticus ad omnia respondens triplices remisisset: iam plane, quod scriberet, reliquum nihil erat. *Cælianorum*] vide illud epist. 7. lib. 12. In Bruti epitoma Fannianorum. *A Philoxeno*] mitte Panætij librum de prouidentia, a Philoxeno sumptum.

IN EPISTOLAM IX.

Dolabella.] confectum enim bellum erat in Hispania: cui Dolabella interfuit, & ante Cæsarē in Italiam reuertit. Ἐκτενέστερον,] cum maiore significatione beneuolentiæ. Et subintelligi perspicuum est, illius sermone. *Ventum est tamen ad Quinctum.*] pro, Tamen, rectius mea sententia legeretur, Tandem, sensu non obscuro. *Multa ἄφατα, ἀδιήγητα:*] dicebat Dolabella a Quincto filio dicta contra Ciceronem in Hispania: quod & antea litteris idem Dolabella obscure significauerat. epist. 37. lib. 12. *Exercitus*] Cæsaris in Hispania. non, inquit, secreto, aut inter paucos mihi male dixit Quinctus, sed ita palam, vt exercitus omnis cognosceret. & cum alia in me coniecit ἄφατα, ἀδιήγητα, tum vnum eiusmodi, quod ego, nisi exercitus id sciret, non dico Tironi dictare, sed ipse scribere non auderem. *Sed hactenus.*] reprimit se. nam cum ostendisset, illud maledictum a Quincto in se collatum ita turpe esse, vt scribendum non videretur, sed scribere tamen se velle, quando id exercitui notum esset vniuerso: victus acerbitate rei, scribēdi consilium omisit, & intulit, Sed hactenus, figura vtens sententiam terminante. *Secum egissem,*] de re Torquati. vt apud Cæsarem aliquid ageret Dolabella Torquati caussa: cum Torquatus ipse gratia minus posset, qui Pompeianus fuisset. intelligo autem Aulum Torquatum. nam

tum. nam Lucius frater perierat, vt in Bruto legitur: quem librum ante hoc tempus scriptum esse, vel id aperte indicat, quod in eo libro Marcellum ait Mitylenis viuere. hic autem occisum esse tradit. epist. sequenti. *Si quid de Bruto.*] quid significat? Bruti nouas nuptias. nam, dimissa Claudia, Appij filia, de qua in familiaribus epistolis lib. 3 epist. 4. Porciam duxit Catonis Vticensis filiam: cuius & Plutarchus in Bruto, & Catone Vticensi, & Valerius Maximus lib. 3 mentionem fecerunt. *Nicias*] qui erat apud Ciceronem epist 23. & 52. lib. 12. *Confectum putabat.*] de Porciæ nuptijs. & confectum sane est ante Cæsaris aduentum. nam infra, Porciæ laudationem, scribit, esse mittendam Domitio, & Bruto; Domitio, quod filius esset; Bruto, quod affinis, ex Porciæ coniugio. epist. 37. & 45. *Diuortium*] Claudiæ. *Laboro idem, quod tu.*] vt Porciam ducat, Catonis filiam. in quo fallitur Plutarchus, qui Brutum ait eam vxorem accepisse a Catone auunculo; cum hæc scripta sint post deuictos in Hispania liberos Pompeij, id est post obitum Catonis. *Offensionis,*] si quid apud homines offendit, quod Claudiã repudiarit. *Hæc res*] nuptiæ Catonis filiæ. quos enim offendit Claudię diuortio, eos sibi reconciliabit Porciæ coniugio. Et non ita multo post eadem de re, Bruto, inquit, quam primum agendum puto, præsertim si statuit: sermunculũ enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. erat enim Catonis nomen maxime popularе, quod nemo vmquam a libertate constantius stetisset, vsque eo, vt sibi mortem conscisere maluerit, quam seruire. *In Arpinum*] erat enim in Tusculano, cũ hæc scripsit. *Constitui*] vt fructus redderent vberiores. Fuit faciendum, inquit paullo post, vt constituerem mercedulas prædiorum. *Exeundi*] si manerem hic ad Cæsaris aduentum, cum ex bello Hispanienſi Romam victor redibit; tum mihi in Arpinum ire minus liceret, ne ille suspicaretur, iccirco me longius discedere, quod victorem æquo animo videre non possem. eundum igitur, ante quam veniat. *De cuius aduentu*] ad quam diem affuturus esset. *Illuc*] in Arpinum. *Quid negotij sit,*] in constituendis prædiolis.

IN EPISTOLAM X.

De Marcello,] quem P. Magius Chilo in Athenienſium

portu interfecerat. exstat de eius interitu Sulpicij epistola ad Ciceronem. *Neque acciderat antea,*] numquam enim acciderat, vt clarissimus vir ab homine tæterrimo, veteri amico, & comite, nullam ob caussam occideretur. cum autem nunc acciderit, quod nemini in mentem venisset timere: nullum iam est periculi genus, quod metuendum non sit. παρὰ τὴν ἱστορίαν,] scripserat Atticus Ciceroni, vt se diligentissime custodiret, præsertim reliquum consularem. hoc, inquit, est præter historiam; contra veritatem. quid enim? Ser. Sulpicius non & ipse consularis? *Tu:*] posuisti in epistola tua. vel cõiunge sic: παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu præsertim, reliquum consularem. vt sit, Tu præsertim, qui errare nõ soles in historia. *Reliquum consularem.*] subintelligitur, vt omni diligentia tuear, atque conseruem. *Hoc nullam ad partem valet*] hæc cautio, atque hæc diligentia, quam in tuenda salute adhiberi vis, quem fructum afferet, mihi præsertim, qui in vita iam quod agam nihil habeo, neque domi, neque foris? Equidem sic existimo, non minus bene actum cum illis, qui perierunt, quam nobiscum, qui fortunæ beneficio conseruati sumus. *Quid enim sumus?*] non est de pluribus sententia, sed de ipso tantum. nam infert, Quod nisi hoc mihi venisset in mentem, scribere ista nescio quæ: quo me verterem, non haberem. κοινότερα, & πολιτικώτερα] subaudi, mittenda. Puto, inquit, quemadmodum tu scribis, librum aliquem ad Dolabellam nobis esse mittendum, qui contineat non τὰ φιλοσοφικὰ, sed potius κοινότερα quædam, & πολιτικώτερα. quod eius generis scripta magis viderentur Dolabellæ conuenire, qui non in studijs doctrinarum, sed in republica, & in communi quodã litterarum genere versatus esset. *Valde enim desiderat.*] epist. 13. Volo Dolabellæ valde desideranti: non reperio, quid: & simul αἰδέομαι τρῶας. *Brutus si quid;*] si Porciam in matrimonium duxerit. Plutarchus in Bruto. *Si statuit*] si statuit eam ducere, puto ei faciundum esse vt quamprimum ducat. *Sermunculum*] eorum, qui diuortium Claudiæ reprehendebant. nam & supra: Nicias confectum putabat; sed diuortium non probari. *Restinxerit, aut sedarit.*] hoc est quod dixit in epistola proxima superiore: Si quid est offensionis, hæc res mederi potest. nam populum non tam offendit Claudiæ dissidio, quam delectabat Porciæ nuptijs. *Qui*

loquantur

loquantur etiam mecum.] Claudiæ diuortium improbantes. *Ipse*] Brutus. hæc, inquit, ipse optime statuet, præsertim si vtetur consilio tuo. mecum enim hac de re loqui non poterit, qui in Arpinum cogito XI. Kal. Quinct. *XI Kal.*] Quinctiles. profectus tamen est triduo post, nempe IIX. Kal. vt scribit epist. 21. & 34. *Sed tamen illic*] illic tamen quiddam est, quod agam. quid autem illud erat? vt scilicet sua prædiola constitueret. lege in ea, quæ hanc antecedit, & ea, quæ consequitur, epistola. *Spintherem*] hic est, de quo epist. 51. lib. 12. & 10. lib. 14. a patre Spintheris cognomen accepit. *Misit*] significauit. vt illud ad Tironem: Curio misi, vt medico honos haberetur. & ad Brutum: Mitte ad Lupum nostrum, vt is nobis eas centurias conficiat. *De interitu Marcelli:*] erant enim, qui suspicabantur, M. Marcellum a P. Magio fuisse occisum auctore Cæsare. *Cum de Magio constet,*] cum constet, P. Magium, qui Marcellum vulnerauerat, paullo post flagitium agnouisse, seque ipsum, sibi e scelere iratum, interfecisse: res indicat, eius facti causam non in Cæsarem, sed in Magij furorem conferendam. *Non intelligo.*] cur Brutus Cæsarem purget. apparet enim, aliquid in Cæsarem dici. quod quale sit, velim explanes. *Quamquam, &c.*] ego, inquit, quod ad me attinet, non dubito, quin Magius amentia impulsus Marcellum interfecerit inscio Cæsare: sed illud cogito, quænam illi tantæ amentiæ causa potuerit esse, vt talem virum, amicum suum, etiam sponsorem occideret. *Nimirum id fuit.*] nimirum propter eam sponsionem Marcellum Magius interemit. cum enim vna cum Marcello Romam rediret, & creditoribus non haberet vnde solueret: credo, petijsse aliquid a Marcello sponsore suo, illum autem non quidem cum opprobrio, sed constanter respondisse, negantem se daturum: ex eo Magium in iram & amentiam prolapsum, illum occidisse. Hoc Cicero, coniecturam secutus, opinabatur: sed Valerius Maximus libro nono, aliam ponit eius amentiæ causam: cuius verba subscribemus: Consternatum, inquit, Magij Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Cæsare spiritum sua manu eripuit, vetus amicus, & Pompeianæ militiæ comes, indignatus aliquos sibi amicorum ab eo præferri. vrbem enim a Mitylenis,

quo se contulerat, repetentem, in Athenienſium portu pugione confodit, protinuſque ad irritamenta veſaniæ ſuæ trucidanda terendit.

IN EPISTOLAM XI.

Credebam eſſe facile:] longius abeſſe a te. nam hæc ſcripſit Arpini, quo ſe ex Tuſculano contulerat. *Poſtea quam ſum a te diſiunctior:*] poſtea quã huc veni, e Tuſculano profectus. vbi minus eram a te diſiunctus, quam nunc ſum. nam Roma multo propius abeſt Tuſculanum, quam Arpinum. *Fuit factendum,*] veniendum omnino huc fuit. *Mercedulas prædiorum,*] ſupra: Mihi Arpinum eundum eſt: nam opus eſt conſtitui a nobis illa prædiola. *Mercedulas*] vectigal, quod ex prædiorum locatione capiebat: vt epiſt. 30. lib. 12. Ciceroni velim hoc proponas, vt ſumptus huius peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti & Auentini. & epiſt. 18. lib. 15. Ab Erote quæras, vbi mercesinſularum. *Conſtituerem*] certiores atque vberiores redderem. *Onus obſeruantiæ Bruto noſtro imponerem.*] cum enim vterque eſſet in Tuſculano, Bruturſque Ciceronem quotidie videre vellet; Cicero autem ad illum quotidie ire non poſſet; ſequebatur, vt Brutus ad Ciceronem. quod Cicero nolebat, indignũ exiſtimans, Brutum ad ſe quotidie domum venire. Exiui, igitur inquit, e Tuſculano, ne Bruto noſtro quotidie ad me veniendi onus imponerem. *Obſeruantiæ*] obſeruare eſt aſſidue cum aliquo eſſe honoris cauſſa. vnde illud in prima epiſtola: Dies fere nullus eſt, quin hic Satyrus domum meam ventitet. obſeruat L. Domitium maxime: me habet proximum. Et Philipp. 2. Cultus ſum a te, tu a me obſeruatus in petitione quæſturæ. *Commodius colere inter nos*] nam hoc tempore minus commode poterant. itaque epiſt. 23. Nunc, inquit, cum ita ſimus affecti, vt non poſſimus plane ſimul viuere, (intelligis enim profecto, quo maxime poſita ſit συμβίωσις) facile patiebar nos potius Romæ vna eſſe, quam in Tuſculano. *Priuabatur, &c.*] mecum eſſe quotidie volebat, nec id poterat ſuo commodo, cum ei veniendum ad me eſſet. ita nullam delectationem capiebat ex Tuſculano. *Venerit,*] Romam. *Egerit,*] de nuptijs. epiſt. 9. *Quando obuiam:*] Cæſari proficiſcatur, ex Hiſpanienſi bello reuertenti. *Conuenias.*] vide

nius.]vide illud epist.2.Pisonem sicubi de auro. *Quam maturum*] aurum enim a Pisone quærebat, vt Scapulanos hortos, quos in auctione coheredes vendituri erant, posset emere. *Maturum*]quia dies auctionis instabat.quod infra paullo apertius,his verbis: De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus: dies adest.

IN EPISTOLAM XII.

De Attica] quod eam significabant ægrotare.epist.13.15. 17.21.& 22. *Consolabare*]cum causſam scriberes, cur eius inualetudinem putares fore non diuturnam. *AEgritudinem.*] dolorem & molestiam meam ex Atticæ morbo susceptam. Et est ægrotatio in corpore, ægritudo in animo. ipse Tusculanarum quæstionum lib.3. *Vendidisti.*]metaphora sumpta de iis,qui, quod vendere cupiunt,prius laudāt,quo libentius ematur.ex quo illud Horatij:

Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Vendidisti, inquit,præclare oratiunculam meam pro Q. Ligario:hoc est,ita meam orationem laudasti,vt alij, tuam auctoritatem, tuumq; iudicium secuti, eam probare cœperint, æque atque ij,qui venditori,suas merces laudanti,fidem adhibentes, bonum sæpe putant esse, quod vitiosum est. infra epist.13.Ligarianam,inquit,præclare auctoritas tua commẽdauit.scripsit enim ad me Balbus,ac Oppius,mirifice se probare. *Præconium deferam.*] perstat in translatione. nam præcones in auctione vendebant. dicit igitur, Præconium,id est vendendi munus. Cum aliquid, inquit, a me scriptum emittere voluero, rogabo te, vt id ante, quam emittatur, tua auctoritate commendes: vt scilicet alij deinde probent, quod a te, tali viro, prius esse laudatum senserint. *De Varrone*]Varronem desiderare aliquid a me, vt scilicet meis eum scriptis intexam. epist. 14. *Nusquam*] quod neque in orationibus personæ loquentes inducuntur: & in libris,qui rationem oratoriam complectantur,scis Varroni locum nõ esse, ex eloquentia minus claro.in oratoriis quidem libris ideo ei locus non fuerat,quod ab iis,qui disputant, mentio cuiusquã fieri non potuit, nisi eius, qui illis notus, aut auditus esset.ep. 16.l.4. *Denunciauerat,&c.* dixerat,se magnum quiddam velle ad me mittere. προσφώνησιν.]libri destinationem,de-

dicationem, vt nunc loquimur, expreſſit Græco verbo, quod Latino non potuit. de hoc autem libro, Academicarum quæſtionum in primo, ſic loquitur Varro: Intemperantis eſſe arbitror, ſcribere, quod occultari velit. ſed habeo opus magnũ in manibus; quod iampridem ad huncipſum (Ciceronem autem dicebat) quædam inſtitui, quæ & ſunt magna ſane, & limantur a me politius. & Cicero: Iſta quidem, inquam, Varro iam diu exſpectans, non audeo tamen flagitare. & in epiſtola: Exſpectabam omnino iam diu, meque ſuſtinebam; ne ad te prius ipſe ſcriberem, quam aliquid accepiſſem, vt poſſem te remunerari quam ſimillimo munere: ſed cum tu tardius id faceres, hoc eſt, vt ego interpretor, diligentius; teneri non potui, quin coniũctionem ſtudiorum, amorisque noſtri, quo poſſem litterarum genere declararem. *προσφώνησις* autem illa Varronis, vt opinor, opus fuit de lingua latina, quod Ciceroni inſcriptum poſtea emiſit. *καλλιππίδης*] tragœdiarum ſcriptor, percelebris Ageſilai ætate, cuius nimium motum in ſcena reprehẽſum, vt etiam a Myniſio hiſtrione ſimia ſit appellatus, oſtendit Ariſtoteles in Arte poetica: quo in libro bis eum nominat: inde Græcum adagium in eos, qui ſatagunt, & nihil agunt. Suetonius in Tiberio, & Plutarchus in Apophthegmatis. *καλλιππίδιον* igitur Varronem appellat, quod, aſſidue ſcribendo, nihilo tamen proceſſiſſet magis, quam *καλλιππίδης* in curſu. *Parabam*] reddere aliquid pro eo, quod ille dediſſet, & reddere pari menſura, aut etiam, ſi modo potuiſſem, cumulatiore. *Heſiodus*] verſus Heſiodi eſt,

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι.

Quo verſu eadem menſura iubet reddere, qua acceperis, & cumulatiore, ſi poſſis. In primo de officiis: Quod ſi, inquit, ea, quæ acceperis vtenda, maiore menſura, ſi modo poſſis, iubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio prouocati facere debemus? Et de claris oratoribus: Illud Heſiodium laudatura doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis. *Αἴκε δύνηαι*] proximo ſuperiore verſiculo, cum hemiſtichium Heſiodi poſuiſſet, adſcripſit, Si modo potuiſſem: ſiquidem etiam Heſiodus nõ hoc modo dicit, *αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον*, ſed adſcribit, *αἴκε δύνηαι*. *Deſpondimus*;] conſtituimus Bruto mittere. *Illam ἀκαδημαϊκὴν*] libros duos Academicarum quæſtionum: quorum,

Catulus,

Catulus, priorem inscripserat; Lucullus, alterum; quod duorum dierum sermonem, a Catulo & Lucullo habitum, exponerent. postea, cum eos libros a Catulo & Lucullo ad Varronem transferre vellet; non solum vt Attico satisfaceret, roganti vt Varronem suis scriptis insereret; sed etiam, quod ἀκατάλληλον videretur, inducere loquentes de philosophia Catulum & Lucullum, homines illos quidem nobiles, sed earum rerum, quæ in iis libris disputarentur, minime peritos: ex duobus libris contulit in quattuor, eosque ad Varronem misit; cum quidem, Catuli & Luculli omni prorsus mentione sublata, partes ei Antiochinas dedisset, sibi sumpsisset Philonis. sed accidit vel hominum negligentia, vel temporum iniuria, vt ex quattuor libris ad Varronem primus dumtaxat, ac ne is quidem integer, ad nostram ætatem peruenirent. ex duobus autem, quos primum scripserat, Catulo & Lucullo inscriptis, de quorum salute multo minus Tullium laborasse, quam de posterioribus ad Varronem, credibile est; (quippe, cum dicat paullo post: *Multo hæc erunt splendidiora, breuiora, meliora*) nescio quo modo Lucullum æquior fortuna seruauit. *Nullo modo philologi,*] infra epist. 16. *In his rebus* ἀπορία. & epist. 19. *Antiochia*] cum ij libri sententiam Antiochi de Academia complectantur; Varro autem partes Antiochinas valde probet; recte ad eum transferentur. epist. 16. & 19. *Reponemus:*] aliis libris eos ornabimus. *Si tu hoc probas:*] vt ad Varronem transferamus. *De Brinniana auctione*] Brinnius suorum bonorum heredes aliquot instituerat, in iis Ciceronem. eorum bonorum auctionem coheredes facere volebant, more in omnibus fere hereditatibus vsitato, in quibus scilicet plures heredes essent: vt, omni hereditate in pecuniam redacta, suam quisque partem capere faciilius posset. *Ait sine vlla controuersia rem ad me esse collatã ad* IIX. *Kal. Quinct.*] ait, IIX. Kal. Quinct. coheredum omniũ sententia magistrum auctionis me esse constitutum. in auctionibus enim hoc seruabatur, vt ex iis, quorum res in auctione ageretur, vnus auctionẽ gubernaret ac moderaretur, qui scilicet, quanti quæque res venire deberet, ipse statueret arbitratu suo, sociis non repugnantibus. in epistola prima, *Vna,* inquit, agebant & ceteri creditores, in quibus erat & Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si

bona venirent, L. Pontius. Et Quinctilianus lib. 6. vbi de risu agit, Ciceronis dictum ponit in Plætorium, Fonteij accusatorem: Plætorij matrem, dum vixit, ludum; postquam mortua esset, magistros habuisse. Et ludum per translationem ait esse dictum, magistros per ambiguitatem: quod ad Plætorij matrem, dum vixit, infames feminæ conuenire solitæ; post mortem, eius bona venibant. *Putauerunt,*] putauerunt me Romæ fore, aut in Tusculano, vt suo commodo me conuenire & colloqui de auctione possent: cum ignorarent me Arpini fore vsque ad nonas: quo venturos credibile non est; cum Arpinum Roma distet multis millibus passuum. *Amico tuo,*] Egnatio Maximo. epist. 44. *Proferant auctionem*] vltra III. idus: qui erat auctionis dies. Puto, inquit, circiter nonas me in Tusculano fore. ibi me conuenire, & meâ de auctione sententiam poterunt cognoscere. quod si a nonis ad III. idus, hoc est ad auctionis diem, minus interesse spatij videtur, quam ipsi vellent; paullum proferant auctionem. infra epist. 14. Obire, inquit, auctionis diem facile poterunt (est enim III. idus) si me in Tusculano postridie nonas mane conuenerint. quod si laxius volent proferre diem, poterũt vel biduum, vel triduum, vel vt videbitur: nihil enim interest. *Cum Pisone Erotem habes.*] nunc & Piso, & Eros Romæ sunt. cum Pisone igitur, si potes, confice de auro; & ab Erote cognosce, quantum nobis & a Faberio, & ab aliis debeatur. supra epistola prima, Pisonem, inquit, si cubi de auro. Faberius si venerit, videbis vt tantum attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ita hunc locum, alioqui obscurum, ille locus illustrat, illum autem nostra interpretatio. *De Scapulanis hortis*] quos emere cupiebat, vt in iis filiæ monumentum posset ædificare. & superiore proximo versiculo & de Pisone & de Erote Atticum admonuit horum hortorum caussa. *Dies adest.*] dies auctionis; quo Scapulani horti in auctione venibunt. supra, huius auctionis tempus significans, Pisonem, inquit, conuenias. vides, quam maturum sit.

IN EPISTOLAM XIII.

Abstuli, transtulique] abstulit a Catulo & Lucullo, transtulit ad Varronem. & appellat eos nobilissimos homines, quod

quod honoribus & rebus gestis Varroni præstabant. *Multa detracta.*] quamquam hi libri grandiores sint, quam erant illi ad Catulum & Lucullum: tamen in illis multa erant, quæ in hos non contuli. *Qui intellexeris illum velle.*] intelligere te scribis, Varronem velle, vt ego eum meis ornem scriptis. nunc mihi peruelim scribas, quo modo intellexeris hoc illum velle. epist. 18. Exspecto, inquit, quid ad ea, quæ scripsi ad te: primum, qui intellexeris eum desiderare a me, cum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset. ζηλοτυπεῖσθαι:] nam & hoc Atticus adscripserat, intellexisse, nescio quem a Varrone ζηλοτυπεῖσθαι, eorum, quos Cicero in suis libris intexuisset. epist. 18. *Brutum.*] cui opus de finibus desponderat. *Id Hercle restabat.*] εἰρωνικῶς, quasi dicat: inuidia exstitit inter pares: at Varro neutiquam Bruto comparandus: cur igitur illi inuideat? Eadem ironia Terentius vtentē Æschinum inducit in Adelphis: qui lenoni dicenti, Lenosum, fateor, pernicies communis adolescentium, Perturus, pestis; tamen tibi a me nulla est orta iniuria: respondet: Nam Hercle etiam id restat. *Libri, &c.*] facile assentior, veritatis caussa, iis, qui libros de finibus ad Brutum intelligi putant. certe enim quattuor Academicos ad Varronem significare non potest, qui nondum exierant. nam, si exissent, Atticus eos legisset: non legisse autem, aperte indicat illud, Hæc erunt splendidiora, breuiora, meliora: & præterea tota epistola, & sequentes etiam, quibus Atticus consulit, num quattuor Academicos ad Varronem mittat, quos tamē iam perfecerat, Varrone partes Antiochinas in iis defendente: sed, inquit, etsi nomina iam facta sunt; tamen vel induci, vel mutari possunt. *Illam iacturam*] quos enim libros de quæstionibus Academicis prius scripseram, Catulum videlicet, Lucullum, eos vides frustra a te esse descriptos: siquidem hæc ad Varronem posteriora intelliges esse splendidiora, breuiora, meliora. *Breuiora,*] erit, cui Cicero videatur eadem de re non idem dicere. quo modo enim hæc ait fore breuiora, qui paullo ante de iisdem libris hoc scripserit, Grādiores sunt omnino, quam erant illi? Non iniuria dubitabatur. certe enim grandiores, & breuiora, voces inter se sunt non modo cohærentes, sed etiam contrariæ, & plane repugnant in sententia. sed refer hanc ad genus narrandi, illam ad operis ma-

gnitudinem. tolletur omnis dubitatio. significat enim: cum in his libris plura dixerit, quam in illis, quod attinet ad res; pressius tamen esse locutum, & breuitatem magis adamasse. *ἀπορῶ, quo me vertam, &c.*] dubius sum, quid agam. nã scribere aliquid vellem, quod Dolabellæ desideranti possem mittere: quid autem mittam, non reperio. ego enim nunc τὰ φιλοσοφούμενα persequor: quæ non videntur eius personæ conuenire; cum is in philosophiæ studio minime versetur. præterea, *αἰδέομαι Τρῶας*, hoc est, vereor ne reprehendar a bonis, si quid scripsero in gratiam Dolabellæ, qui contra rempub. arma tulit Cæsarem secutus. versus est, quo vtitur Hector apud Homerum, Troianorum & Troianarum reprehensionem timens, nisi cum Achille fortiter pugnauerit.

Αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Dubius igitur, inquit, sum, dem ne ex meis scriptis aliquid Dolabellæ, nec ne. nam & Dolabellæ caussa volo: & idẽ bonorum accusationem timeo. supra epist. 10. Ad Dolabellam, inquit, vt scribis, ita puto faciendum, *κοινότερα* quædam, & *πολιτικώτερα*. faciendum certe aliquid est. valde enim desiderat. *Si aliquid, &c.*] si aliquid ad Dolabellam misero, non potero bonorum reprehensionem effugere. *Aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum.*] aut mihi a scriptione desistendum est: aut, si desistere nolo, excogitandum aliquid, quod Dolabellæ dem, quod scilicet ab eius persona videatur esse non alienum. scribere enim si pergo, & ad eum nihil mitto; offendetur, quod alios meis inseram scriptis, ipsum desiderantem non inseram. aut igitur nihil omnino scribendum; aut excogitandum, quod illi mittam. Quod enim dixerat, Non reperio, quid; intulit, Aliquid excogitandum. *Angit.*] quod infirma est. epist. 12. & 15. *Regusto*] crebro, inquit, tuas litteras in manus sumo, iis legendis acquiesco; quia scribis te de ea recte sperare. epist. 17. *Nonas*] quæ significent, illam aut iam cõualuisse, aut ægrotare minus grauiter. Idem infra his verbis: Attica nostra quid agat, scire cupio: etsi tuæ litteræ (sed iam nimis veteres sunt) recte sperare iubent, tamen exspecto recens aliquid. vel *Nonas*, diem Atticæ periculosum: quem exspectandum fortasse Atticus scripserat.

IN

IN EPISTOLAM XIV.

Ad me venire.] in Arpinum: vt ijs de auctione meam sententiam ostendam. in epistola proxima superiore. *Hereditas tanti non est*,] vt eius caussa hanc molestiam hic subire debeam: cum huc venerim, vt constituendis prædiorum meorum mercedibus operam darem, non vt occupatus curanda auctione detinerer. *In Tusculano*] vbi ad nonas futurus sum. epist. 12. 18. *De Bruto*,] de nouis nuptijs. epist. 10. *Cæsare*,] de eius reditu ex Hispania. epist. 22. *Quod scripsimus*:] quattuor libros Academicos. *Te ei dialogo adiunctum esse tertiũ.*] infra epist. 19. Tu es tertius in sermone nostro. *Nominã*] Varro, Cicero, Atticus: qui in ijs libris colloquebãtur.

IN EPISTOLAM XV.

Caussa fuerat.] cur quisquam veniret, cur quemquam ad me mitteres; quod rem, de qua scriberes, non haberes.

IN EPISTOLAM XVI.

Sustentare nos] afflictos & debilitatos tum ex ruinis reip. tum ex interitu filiæ. epist. 20. *E villa*] Arpinati erat enim Arpini, cum hæc scripsit: & paullo post, in Tusculanum dicit se esse rediturum ad nonas: idemque epist. 12. *Traduximus.*] epist. 13. *Hortensii.*] nam interfuit dialogo, quem secundo libro, Catulo audiente, Lucullus & Cicero habuerũt. *Hominibus*] homines sciebant, Catulum, Lucullum, Hortensium esse non illos quidem rudes, sed earum rerum, quæ in ijs libris agerentur, ignaros. epist. 12. *Brutumque*] erat enim Antiochius. epist. 25. *Tua litteræ*] quibus ad me scribis te intellexisse, Varronẽ desiderare, vt ego eum meis scriptis insererem. epist. 13. *Nemini, &c.*] epist. 19. Vt legi tuas de Varrone, tanquam ἐρμαῖον arripui. aptius nihil esse potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari videtur. & epist. 14. *Placeat ne tibi, &c.*] iam transduxit libros Academicos ad Varronẽ: sed consulit Atticum, primũ placeat ne aliquid ad illũ mitti; deinde, si placebit, hos ne potissimum de Academia libros. nam, si Attico aliter visum esset, rursus Academiam a Varrone ad alios transduxisset, nominibus mutatis, vt ait epistola 13. quo item loco, Academiam cum dixisset

Catulo se abstulisse, & Lucullo, ad Varronemque transtulisse; rogat Atticum in epistolæ clausula, num ei placeat ad Varronem mitti quod scripserat. & epist. 19. Dandos ne putes, inquit, hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. cum eos libros in eadē epistola dixerit se iam ad Varronem transtulisse. Perspicuum igitur est, Academicas quæstiones Varroni non ita libenter Ciceronē dedisse: cum de eo, quod iam scripserat, crebro Atticum consulat, num mitti placeat. aperte etiam epist. 19. Mihi, inquit, quædam occurrunt: subaudi, cur Academia Varroni danda non sit. & epist. 25. Sæpe mihi occurrit vultus eius, querentis fortasse vel hoc, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quam suas. *Venit?*] Romam. *Ecquid agit, ecquando?*] de Porciæ nuptijs dictum accipio, vt supra. *De Cæsare*] de eius reditu ex Hispania. vide epist. 20. *Ad nonas,*] in Tusculano futurus sum. epist. 12. *Cum Pisone,*] conficies. conficies autem quid? de auro. vide illud, Pisonem sicubi de auro, epist. 2.

IN EPISTOLAM XVII.

De VI.] de sexto Kalendas. *Tuis.*] vt a te mihi litteras referrent, cum ab alijs exspectarem. *Eadem*] cum scribendi sententiam non habeam, eadem nunc ad te scribam, quæ antea scripsi, hæc sciliçet; quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit; hoc est, num Porciam cogitet vxorem ducere, aut si iam duxit. *Quid a Cæsare.*] quid afferatur de eius aduentu. epist. 10. & 12. *Quid agat,*] vt valeat. epist. 14.

IN EPISTOLAM XIIX.

Conficiamus hortos.] emamus hortos: vt & habeam non modo vbi fanum ædificare, sed etiam vbi ipse esse possim; & ab vrbe tamen longe ne absim. epist. 36. lib. 12. Maxima, inquit, est in Scapulæ celebritas, propinquitas præterea vbi sis; ne totum diem in villam. *Iam erit.*] iam ero in Tusculano. erat enim Arpini. *Desiderare a me,*] vt ad ipsum ex meis scriptis aliquid mittam. epist. 12. & 19. *Numquam me lacessisset:*] nihil vmquam ad me misisset. *Quem ζυλοτυπεῖν,*] epist. 13. *Multo Hortensium minus, &c.*] sensus est: Scribe ad me, cuinam inuideat Varro. nisi forte Bruto. quod si Bruto non inuidet; multo minus Hortensio, aut ijs, quos in libros

de rep.

de rep. induxi: siquidem omnes mortui, ideoque extra inuidiam. Videtur propter breuitatē subobscura sententia. nam ante illud, Multo Hortensium minus, apparet aliquid desiderari: & sane desideratur: quod autem desideratur, hoc est: Nisi forte Brutum. id enim Cicero omittit, quod apertius paullo ante scripserat, his verbis: Illud vtique scire cupio, quem intelexeris ab eo ζυλοτυπεῖσθαι: nisi forte Brutum. Hortensium autem Cicero inscripserat eum librum, quo philosophiam laudauit: vt lib. 2. de Diuinatione. itemq; eum inclusērat in eum dialogum, qui secundo Academicorū libro explicatur. *Vt mittam ad eum, quæ scripsi:*] vt mittam ad eum quattuor libros Academicos. *Coram.*] iam enim ero in Tusculano: quo tu ad me venies, vt de his rebus coram. epistola 14. & sequenti.

IN EPISTOLAM XIX.

Ne tristius sis,] propter ipsius inualetudinem. Ἀκίνδωλα] non periculosa: quod scribis eam non periculose ægrotare. *Commendauit:*] cum enim eam a te laudari Balbus ac Oppius cognouisset, auctoritate tua permoti probare & ipsi cœperunt. epist. 12. Ligarianam, inquit, præclare vendidisti. *Ne viderer* φιλένδοξος.] constituerat Cicero neminem includere in dialogos, eorum, qui viuerent; ideoque Varronem intexere nusquam poterat: sed, commotus Attici litteris, qui scripserat Varronem & desiderare, & magni æstimare, mutato consilio in libros illum Academicos induxit, Antiochi sententiam de Academia explicantem. φιλένδοξος: amator illustrium virorum. scripserat enim Atticus, non semper Ciceroni quærendos esse Catulos, & Lucullos, Africanos, & Lælios, aut huiusmodi viros, quibus sermonem tribueret in suis libris; ne nimis ambitiosus in claros viros videretur; sed etiam dandum esse aliquid ijs, qui minus illustres essent; propterea- que de Varrone cogitandum: ne, si semper in suis dialogis disputantes fecisset homines gloria præstantes, vt in tribus oratorijs libris, sex de rep. duobus Academicis, φιλένδοξος videretur. Respondet: Academicas quæstiones ad Varronem non ideo transtuli, ne viderer φιλένδοξος, (nam ista caussa me non moueret: siquidem iccirco ego de Varrone minus cogitabam, non quod essem φιλένδοξος, verum quia constituebā,

corum, qui viuerent, neminem in dialogos includere) ſed quia ſcribis, & deſiderare illum, & magni æſtimare. *Eos*] dialogos de Academia: quod per appoſitionem explanat, inferens, Academicam omnem quæſtionem. *Academicam omnem quæſtionem libris quattuor.*] hoc totum ſuſpicor abundare, vt gloſſema ſuperiorum verborum. *Collecta*] quæ enim Antiochus contra Philonis opinionem colligere ſolitus erat, aſſerentis nihil poſſe comprehendi; ea Cicero Varronem fecit explicantem in libris Academicis. *Ipſe reſpondeo.*] ideo dicit in epiſtola ad Varronem: Tibi dedi partes Antiochinas; quas a te probari, intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumpſi Philonis. *Cottam,*] L. Aurelium Cottam, L. Torquati in conſulatu collegam, inſignem iudicijs inter tres ordines cõmunicatis. *In antiquis perſonis*] cum ijs, qui multis annis ante nos fuerunt, ſermonem tribuimus; nullas loquendi partes ipſi aſſumimus: idque ſuauiter & venuſte fit. quod ſeruauit Heraclides, itemque nos in de rep. *Heraclides*] cognomento Ponticus, ſiue Pompicus a mollitie, Platonis, & deinde Ariſtotelis auditor; cuius ſcripta nõ exſtant. epiſt. 5. lib. 3. ad Q. fr. & in Tuſc. 5. & Laertius. *Ἀριστοτέλειον morem*] in quo ita diſputatur, vt eius ſententia, qui illam diſputationem ſcribit, principem locum obtineat. *Ita confeci*] Ita, Ariſtotelico more. in primo enim & ſecundo libro cum Torquato, in tertio & quarto cum Catone, in quinto cum Piſone diſputat, & ita diſputat, vt penes ipſum ſit principatus. *Somniaſſe*] vſque adeo Catulus, Lucullus, Hortenſius earum rerum, de quibus in duobus Academicis diſſerebant, imperiti, ignarique erant, vt de ijs ne ſomniaſſe quidem vmquam videri poſſent. epiſt. 12. & 16. *De Varrone*] vt eum deſiderantem meis libris intexerem. epiſt. 16. *Ad id philoſophiæ genus,*] ad Antiochiam rationem, quæ in ijs libris explicatur, aptius nihil eſſe potuit, quam Varronis perſona. epiſt. 12. *Eaſque partes*] quas ego mihi ſumpſi. recte, inquit, cecidit, vt Antiochia Varroni dederim, quæ ſunt vehementer πιθανὰ, partes Philonis mihi ſumpſerim. facile enim hac ratione ſum conſecutus, ne ſuperior mea cauſſa videretur. quo maiorem a Varrone gratiam inibimus. *Vehementer πιθανὰ*] quæ Varro narrat in ijs libris, ab Antiochio audita, ſunt ad perſuadendũ aptiora, quam illa, quę ego contra An-

tra Antiochum ex Philonis sententia disputo: vt hoc queri nõ possit, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quam suas. epist. 25. *Occurrunt:*] cur non dandos putem. epist. 22. & 24. *Corã.*] nam in Tusculano iam ero. quod & in proxima superiore epistola, & in ea, quæ proxime sequitur, significat. Tusculanum autem ita propinquum Romæ erat, vt eo sæpe ad Ciceronem Atticus excurreret.

IN EPISTOLAM XX.

Consolatorias,] in Tulliolæ morte. epist. 22. *Hispali,*] quo Cæsar iuit post Pompeij filium acie victum, vt est in libro de bello Hispaniensi. *Vrbe augenda*] vt a ponte Miluio secũdum montes Vaticanos Tiberis duceretur. sic enim fiebat, vt, Vaticanis montibus cis Tiberim inclusis, & ea fossa, qua prius Tiberis decurrisset, exsiccata, magnam in amplitudinem vrbs explicaretur. epist. 33. & 35. *Promulgatum,*] scriptum in lege proposita. nam Promulgare valet legem proponere, facta potestate, vt intercederet, si quis vellet: nemine intercedente, ex promulgatione ad populum ferebatur. *Nostra officia*] quod eum Dolabellæ de meliore nota commendauerim. epist. 9. *De Vxore Tuberonis, & priuigna,*] de rixa inter vxorem & priuignam Tuberonis orta. *Neque Tuberonem Solo defendere.*] qui eam rixam aluerit, cum exstinguere deberet. *Theatrum habuisti.*] quod, tamquam in theatro, spectare posses cum voluptate, quid autem spectare? rixam scilicet inter vxorem Tuberonis, & priuignam. *Nihil melius.*] stulte ad te scripserã, nihil esse melius fama; hoc est, nihil apud nos pluris esse debere, quam vt homines de nobis honorifice loquantur. nunc de fama nihil laboro: curandum enim non est. *Atque hoc, &c.*] de fama curandũ non est: at hoc quidem est curandum: in omni vita sua quemque a recta conscientia transuersum vnguem non oportet discedere. ad duas enim dictiones, Atque hoc, subintelligitur, Curandum. malim autem, Quemquam, pro, Quemq;. *Quam φιλοσόφως;*] quam philosophice tecum agam. & refertur ad illud, quod proxime dixit, In omni vita sua quemque a recta conscientia transuersum vnguem non oportet discedere. est enim philosophica sententia. *Hæc in manibus habere?*] libros de philosophia tractare? Nam hoc tempore

philosophiam Cicero Latinis litteris explicabat. *Δεδῆχθαι te nollem:*] nollem te memordisset, quod scripsi nihil me laborare de fama. ego enim in toto nihil curo, nisi vt ei ne desim. *Quod nihil erat.*] nihil putes licet, quod supra scripsi de fama. nollem, inquit, te memordisset id, quod scripsi de fama: quod nihil erat. *Eodem*] ad id, quod instituera m scribere de fama. *In toto,*] re ipsa. *Id ago scilicet,*] εἰρωνεία: quasi hoc dicat: Non id ago, vt iudicia videar tenere, vt in iudicijs videar regnare: itaque, quod attinet ad iudicia, non curo famam: sed, si summam videas cogitationum & actorum meorum, curare me diceres. a recta enim conscientia transuersum vnguem non discedo: ita ne famæ quidem desum: siquidem recte viuentes infamia non sequitur. ad speciem igitur nihil ago, vt videar laborare de fama: sed in toto, hoc est re ipsa, famæ non desum; cum ita viuo, & ita animatus sum, vt nemo me in officio boni viri possit reprehendere. *Μηγὰρ αὐτοῖς.*] neque enim ipsis: subaudi, quidquam tribuo. & videtur locus ex vetere poeta: quem Cicero suo more, vt Attico satis notum, non totum recitat. *Domestica*] quæ sunt domestica, quæ dicit se non posse ferre? interitus filiæ, Quinctorum in se maledicta, patris, & filij. epist. 9. lib. 11. & 37. lib. 12. *Ista*] vrbana. *Perfectum*] rectum, & honestum. *Sententiam suam*] ostendere: sed tamen hoc, quod dicam, vere dictum puta: quod iudicijs olim operam dederim, non possum non probare: eadem tamen non curare pulchre possum.

IN EPISTOLAM XXI.

Quid possum de Torquato,] scribis, vt significē tibi de Torquati negotio: quid possum significare, nisi aliquid a Dolabella cognouero? nam illud negotiū Dolabellæ Cicero commendauerat. epist. 9. *Quod simul ac,*] simul ac scripserit ad me Dolabella quid egerit cum Cæsare de Torquati re; continuo perscribam. *Scietis.*] tu, & Torquatus. *Ab ἐποχῆς*] ab assensionis retentione. Inhibitio, inquit, non idem est, quod retentio. nam, retinere, illud est, quod aurigæ faciunt, equorum cursum adductis habenis sistentes. inhibere autem, non cum remiges nauem sistunt, sed cum, alio modo remigantes, eam conuertunt ad puppim. Acad. qu. lib. 2. *In libro*] in secundo Academicorū. *Nec est melius quidquam, &c.*] in

&c.] in 2. Academicarum quæstionum libro, contra se ipsum ex Luculli persona sic loquitur Cicero: Nihil me lędit, inquit, ego enim, vt agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo; eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, præceps erit. sic me ante sustinebo: nec diutius captiose interroganti respondebo. Hic, vt opinor, Atticus Ciceronem monuerat, vt pro, Equos sustinebo, scriberet, Equos inhibebo. eumque Cicero secutus, locum mutauit. deinde cum, Inhibere, non idem esse, quod Sustinere, didicisset; Attico scripsit, vt restitueretur, Sustinebo. *Nec est, &c.*] verbum, inquit, Inhibere, quod valde arriserat, in istum locum video non recte venire: nec est melius quidquam, quam vt dicatur, sustinere currum, equosque. Quoniam autem illa, quæ ex Academicarum secundo recitaui, sunt ex Luculli persona, qui futurum dicit, vt ad interrogationes soritarum non minus assensionem sustineat, quam sustinere equos soleat agitator callidus: iccirco in hac epistola Cicero, Nec est, inquit, melius quidquam, quam vt Lucullus sustineat currum, vt bonus sæpe agitator, equosque. hoc est: Melius nihil esse potest, quam vt Lucullus sustinere se dicat siue currum, siue equos, quemadmodum sæpe sustineat bonus agitator. Illud autem, Sustineat currum, vt bonus sæpe agitator, equosque: sentio versum esse ex vetere poeta: quem Cicero integrum sumpsit, quod ad sententiam faciebat. quod & alibi eum fecisse animaduertimus. atque illud, quod supra posui ex secundo Academicarum; Ego enim, vt agitator callidus, equos sustinebo; ex eo versu esse sumptum, nemo non videt. προβολὴ *pugilis*] προβολὴν ait esse id, quod pugiles in pugna faciunt, cum, feriendi caussa, brachia protendunt. *Aut de rumore, aut de Pollione.*] scripserat enim Atticus rumoris esse nescio quid, præsertim de Asinio Pollione, qui cum Cæsare bellum gesserat in Hispania contra Pompeij liberos. *De Pansa etiam,*] de Pansa etiam curo: si quid certius, vt id ad me perscribas. *Credo enim, &c.*] vtinam Attici epistolas ad Ciceronem haberemus. quam multa paterent, quę nunc, tamquam in tenebris abdita, non videmus. hic certe, quid de Pansæ negotio significetur, si quis ex ingenio velit quærere; frustra sit diligens. *Si quid esset.*] scribe, subauditur. *Certe ne, &c.*] certe ne ita est, vt ad me scripsisti, de Metello Balbino? *Dis*

mihi, &c.] leuiter cum Attico queritur, quod Balbo quinctũ de Finibus librum dederit describendum. *Faciebat,*] quod tu facis, cum iniussu meo mea diuulgas. venditabat ille quidẽ Platonis libros, numquam tamen eos edidit insciente domino. Λόγοισιν ἑρμόδωρος.] verbis lucratur Hermodorus. quod tum in ore hominum frequentissimum fuit. *Cuiquam*] dari. nam quinctum librum Balbo dederat ante, quam Bruto, ad quem opus mittebatur. Ἀδιόρθωτα] imperfecta, non plane correcta. nam, quædã dicit se mutasse in quincto, postquam eum Balbus ab Attico descripserat. recte igitur ἀδιόρθωτα. & epist. 22. Nolebam, inquit, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. quo loco inchoatum posuit pro rudi & impolito: & ἀδιόρθωτα hic in eam sententiam vsurpauit. sic enim est legendum. Ἔωλα] obsoleta, nimis vetera. nam si & Balbus, & alij eos libros habebunt ante, quam Brutus: ἔωλα certe erunt, cum illi dabuntur, eoque minus grata. *Quæ scripsi,*] quattuor Academicos significat. *Me tibi dicere?*] id quod sequitur, Cærelliam describere libros Academicos. *Cærellia*] cum hac Ciceronem libidinis commercium habuisse, Q. Fusius Calenus in oratione sua apud Dionem obiecit, lib. 46. *Ame*] a librarijs: vt paullo post: Ad te scripseram, Cærelliam quædam habere, quæ nisi a te non potuerit. *In Tusculano*] me conuenient, vt de auctione Brinniana colloquantur. epist. 12. & 13. *Aduentu,*] redibat ex Hispania, deuictis Pompeij liberis. *Leuius*] ægrotat. epist. 12. & 13. *Cogitatione*] cuinam in matrimonio collocetur, cum fere iam sit nubilis. *Nihil tibi credo, &c.*] quippe cum ipse nouerim. credimus autem ea, quæ non nouimus. *Hominem,*] hoc refer ad genus, nõ ad mores. infert enim, Ipsum non noui. *De Scrofa.*] sic alibi, Audiui de socero meo. *Accedit,*] cum prope Attici ædes habitaret: vt, si Atticam vxorẽ haberet, ad soceri non longinquas ædes commode iret. opinor enim, cum vnicam filiam Atticus haberet, eum apud se habitare cum filia volebat. quod fere nunc quoq; fit. εὐγενέστερος] nobilior. quod ad genus attinet, ob maternos affines.

IN EPISTOLAM XXII.

Quid tibi placeat,] num ad eum mittendi videantur quattuor Academici. epist. 20. *Occurrunt*] cur mittendi non sint.

sint. *Intexui,*] nam ei dialogo tertius adiunctus es. epist. 13. & 19. *Crebrius.*] vt te in meis libris intexam. *De Marcello*] de Marcelli interitu. epist. 10. *Seruius*] Sulpicius. cuius epistolam de interitu Marcelli significat. ea legitur fam. epist. lib. 4. *Culpa libero,*] quod meorum librorum copiã fecerint. paullo ante, Tuorum, inquit, nullum delictum arbitror. a me enim prætermissum est, vt dicerem, eos exire nondum velle. *Aliud quiddam*] & tamen, quasi te accusans, scripseram, Cærelliam quædam habere, quæ nisi a te non potuerit. epist. 21. *Satisfaciendum*] vt quinctum de Finibus librum describeret. Erat autem Balbi apud Cæsarem summi ponderis auctoritas: vt non sine caussa dicat, Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse. epist. 21. *Aut obsoletũ Bruto, aut Balbo inchoatum*] nolebam, libros de Finibus exire, ante quam ego eos ad Brutum, cui desponderam, misissem: ne scilicet, cum mitterem, obsoleti viderentur, quos iam multi ante legissent. *Inchoatum*] nolebam eorum librorum Balbo copiam fieri, quod inchoati & rudes, neque dum perfecti essent. epist. 21. *Mittam,*] quattuor Academicos. epist. 21. *Quid autem dubitarim,*] cur dubitarim, mittendi essent, nec ne; scies, cum te videro. epist. 19. *Attributos*] assignatos tibi a me, quos exigeres. *Appellas,*] vt pecuniam numerent. epist. 19. lib. 5. *De prædio auiæ*] de prædio, quod ad te hereditate peruenerat auiæ tuæ morte. epist. 2. lib. 1. *Perodiosum:*] opinor de diuortio: de quo supra. *Tullium scribam*] hic est M. Tullius cognomento Laurea, de quo in epistola ad Rufum, & Plinius. *Tibi mandassem,*] apud Tullium scribam pecuniæ quiddam Cicero posuerat, Atticoque dixerat. Atticus, qui a Cicerone haberet in mandatis, vt, nominibus exigendis, quantamcumq; posset ei pecuniam cogeret; arbitratus eam pecuniã apud Tullium positã nomine voti, adiit ad eum: petijt, quod apud eum Cicero posuisset voti nomine, sibi daret. tum ille, voti nomine quidquã apud se positũ, negauit. *Nomine Voti:*] ad fanũ, quod filiæ vouerat. ep. 18. & alibi. *In hanc rem*] in fanũ. *Dixi, Vbi esset,*] dixi, apud Tulliũ me pecunię nescio quid habere. *Cõtinuo adoriamur.*] hanc quoq; pecuniam quam primũ exigamus. *Hominibus*] ad fanũ probo: ad hominũ habitationẽ nõ probo. Εὐλογίαν.] quod probemus. vide epistolã sequentem. *Qui omnia.*] qui

omnia ad te refero, nihil cõstituens nisi de consilio tuo. *Adero:*] in Tusculano. *Sin quid; multa enim, &c.*] sin quid te Romæ detinebit, multa enim possunt; vtique postridie mecũ sis. etenim coheredes eo die aderunt, id est postridie nonas. epist 13. *Malitia est.*] nam, si me illi ante aduentum tuum opprimerent, astute factum ab illis videretur: vt, te absente, facilius mihi de hereditate imponerent. *In optima spe pono.*] te enim de ea nihil scribente, in spem venio, aut leuiter ægrotare, aut fortasse etiam iam conualuisse. epist. 19. *Indicaris*] multo rectius, quam, vt alij, Iudicaris: vt referatur ad Atticum. *Epistolam Cæsaris*] quam Cæsar ad Ciceronem misit ex Hispania, consolans de obitu filiæ. epist. 20.

IN EPISTOLAM XXIII.

Mallem me accerseret.] significas, Brutum in Tusculanum ad me venturum. mallem, Romam me accerseret. *Iter*] cum ire obuiam Cæsari constituisset, ex Hispania redeunti. epist. 10. *Longum:*] cum Cæsari obuiam ire longissime vellet. epist. 39. Aueo scire, qualis ei totius itineris summa fuerit. *Affecti,*] vterque curis de republica, ipse vero etiam interitu filiæ. *Viuere*] refertur ad iucunditatem, remissionemque animorũ: quale illud epist. 15. lib. 4. Rosiæ vixi cum Axio. & epist. 20. lib. 14. Cum Pansa vixi in Pompeiano. *Quo maxime posita*] posita est enim in iucunditate. cum autem iucunde non liceat viuere, nulla potest esse συμβίωσις. *Non morabantur.*] quattuor Academici ad Varronem non impediunt, quo minus Romam venire possim. *Sunt enim defecti*] verbum, Defecti, sententia non patitur, ac ne linguæ quidem latinæ consuetudo. quod si, Perfecti, aut Descripti, recte. *Dubitasse.*] num ad Varronem mitterentur. epist. 22. *Quos Bruto mittimus,*] libros de Finibus. *Ista retentione*] vt debitam pecuniam non omnino soluant, sed aliquid retineant. &, Ista, a Cæsare permissa, vt debitoribus subueniret; quorum etiam causa legem de æstimatione tulerat. lib. 3. de bello ciu. *Istos*] Cæsarianos: qui, quod omnibus iure conceditur, eo magis vtentur potentiæ causa. intelligit autem, opinor, coheredes, quibus partem suam vendi ab Attico cupiebat. *Domum?*] ex hereditate. *Confice*] vende meã scilicet partem. εὐλόγως] honesta condicione, non optima, sed

ma, sed tolerabili. *Ista*] facultates, & opes: quæ multi curãr. *Cui tradam*,] quod & de filio desperaret, amissa republica. vel, Cui tradam, cui tradenda videantur. quasi filium nõ probaret. & certe non fuit, quem tanti patris filium agnosceres. Plinius. *Quam habere*,] subaudi, lætor: vt ad duo verba, Offensioni, & Delectationi, duo item membra referantur. *Illud*] de retentione. *In sermonem*,] cum coheredibus. *Persecta*:] vt res, si non perficiatur, saltem aliqua ratione terminetur. iam enim rei familiaris iacturam non curo. *Cum illo Scæua*] cum quo soles admodum libere loqui. *Eos*] Cæsarianos. *Consectari*] in rapinis, vel in auctionibus de Pompeianorum bonis, vel quouis modo. *Remissurõs*.] non esse vsuros retentione, quæ illis communis omnium videatur. *De die*] de retentione recusandum nobis nõ est: de die, quam illis ad soluendũ permitti velimus, videndum: neque id ipsum tamen vehementer est agendum. confici enim prorsus volo; si non licebit, qua die volumus; ea, qua licebit. *Bono modo*.] leuiter, non acriter. itidem locutus est ad Q. fratrem libro 2. ἀμφιλαφίαν illam tuam bono modo desidero.

IN EPISTOLAM XXIV.

Ciceronem] Marcum filium. *Litterarum?*] dedit Cicero, subaudi. *An non vidit?*] an potius eum Andromenes non vidit? *Facies, &c.*] cognosces ex ipso Andromene, num eum Corcyræ viderit. *De Varrone*] de mittendis ad Varronem quattuor Academicis. *Quattuor διφθέραι*] μετωνυμία: vt illud Virgilianum:

Nunc pateras libati Ioui ——

posuit enim continens pro contento, quattuor libros Academicos significans: nam διφθέραι, librorum opercula. *In tua potestate*.] quia, mittendi sint ad Varronem Academici, nec ne, ad te refero. epist. 19. & 22. *Nec tamen αἰδέομαι τρῶας*] non equidem vereor, ne quemquam offendam, si Academicos ad Varronem mittam: sed, ipsi quam res illa probaretur, veritus sum: ideoque dubitaui, vtrum mitterem: verum hoc in tua potestate est, mittãtur, nec ne. Et illud, αἰδέομαι τρῶας, non arbitror hic ad Pompeianos, aut ad Cęsarianos pertinere, potius generatim esse positum, hoc sensu, Nec tamen sermones hominum reformido. illud autem, epist. 13. Et simul

οἰδέομαι τρῶας, ad Pompeianos spectat. *Res illa*] quattuor Academici. *Tu suscipis*,] tuo periculo Academicos ad Varronem mitti vis. & ita promittis fore, vt illi probētur, vt in te recipias. *In alteram aurem.*] dormio. securi animi sum de Academicis; quando tu hoc suscipis, fore vt Varroni placeāt.

IN EPISTOLAM XXV.

De retentione,] vide supra. *Ita putaram.*] non esse verū, quod Clodius eum sibi dixisse narrabat, Ciceronem filium ab eo visum Corcyræ. *Scisses*] Andromenes tibi dixisset, tuque mihi. *Tu tamen, &c.*] quasi cum admiratione. Nihil, inquit, de te scribis, nihil de Bruto: cum ego de vtroque ex tuis litteris exspectem. *Illum*] in Tusculanum exiturum. *Romam*] cogito. hæc enim scripsit Arpini. *Quoniam tute legisse scribis*] potest hoc ea figura concludi, quæ dicitur παρένθεσις. & hoc ideo dicit, quasi Atticum iudicare velit, num illud ad Brutum sit obscure scriptum. ideo infert, Fortasse: quod ipse certum nesciret, num fuisset obscurior. hoc, inquit, volui scribere, me ex tuis litteris intellexisse, nolle eum, &c. *Nec enim ad tabulam eum desideraturus eram.*] Brutum cupiebam idibus esse Romæ, non vt auctioni interesse, sed vt ad obsignandum testamentum adhibere possem. *Ad testamentum*] veteres facto testamento obsignatores ex lege adhibebant. in Verrem libro quarto. adhibebant autem amicos fere, aut homines auctoritate præstantes: quo magis ratum haberetur id, quod anulis clarorum virorum esset obsignatum. vide epist. 2. lib. 7. & apud Valerium Maximum, testamentum Anci Carseolani Pompeium Magnum signasse, legitur lib. 7. *Malo alio die*,] nolo, vt constitueram, idibus testamentum obsignare, sed alio die; ne videar ideo Romam veniisse, (venturus autem erat pridie idus, vt paullo ante scripsit) vt Brutum ad obsignationem testamenti adhiberem, post aduentum meum vno tantum die. *Totum hoc ita gubernes*,] fac quæso, vt Brutus suo commodo in Tusculano sit, de idibus nihil cogitet: quod iam opus nihil est. *Quia tuo periculo*] ad proximam epistolam superiorem Atticus respondet & de Andromene, & de Academicis ad Varronem. de quibus cum Cicero ita scripsisset, Quoniam tu suscipis, in alteram aurem: Atticus respondens quodam modo refugere

vitus

visus est, vt ipsius periculo mitterentur. ad id igitur Cicero, Quid est, inquit, quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros Varroni dari? *Si quando in Epirum veneris.*] vbi soles esse otiosus. nunc enim te Alexionis epistolæ occupatum habent. quas te nolo abiicere, tuis de rebus ex Epiro scriptas, (sic enim opinor) vt meos libros legas. leges autem, si quando in Epirum veneris. *In macrocola,*] in chartas regias: in quas ex archetypo Academicos libros transtulerat. impensam, inquit, iam fecimus in chartas: facile igitur patior, a nobis propositum teneri, vt Academiam Varroni demus: ne, si ad alium, mutato consilio, mittendam censueri-mus, rursus mihi impensa facienda sit in alia macrocola. Plinius lib. 13. cap. 12. *Si addubitas,*] vtrum Varroni Academiam demus. *Ad Brutum transeamus.*] demus eam Bruto. quod etiam constituerat, antequam de Varrone cõsilium caperet ab Attico admonitus. ep. 14. *Antiochius.*] probat Antiochi partes, quas Varro defendit in Academicis: vt eas a Varrone ad ipsum transferre non absurde possimus. *Sui similem,*] libri Academici a Cicerone scripti, cum modo ad hunc, modo ad illum mitterentur, similes plane videbantur Academiæ: quæ, cum affirmaret nihil sciri posse, non constare videretur in sententia: quoniam, si dicis, nihil sciri posse; dicis idem, affirmari nihil posse. quod si affirmari nihil dicis posse: cur hoc affirmas, nihil sciri posse? inconstans igitur Academiæ ratio. *Epistola mea ad Varronem*] epistola illa, quæ legitur lib. 9. ad Varronem, hoc principio, Etsi munus flagitare. quam scripsit, vt cum quattuor Academicis mitteret. *Spintheri*] seruo amanuensi. & ostendit, quam diligenter scripta sit epistola ad Varronem, cum eam Spintheri sylla batim dictauerit.

IN EPISTOLAM XXVI.

De Virgilij parte] hanc epistolam, cum in ordinem libri superioris inseri deberet, detrusit in hunc locum ignorantia librariorum. argumentum est vel maximum, quod Asturæ epistolam scribit, & inde Lanuuium cogitat: Lanuuio in Tusculanum vellet, sed ab eo refugere videtur, ne dolorem ex Tulliolæ morte susceptum locus renouaret: propterea quod in Tusculano perierat. itaq; dicit, Conor equidẽ in Tusculanum: quasi, animo repugnante. Colligamus nunc, quæ

scribit superiore libro. primũ ep. 40. Posttridie, inquit, iduũ Lanuuij constitui manere, inde posttridie in Tusculano, aut Romæ. vtrum sim facturus, eo ipso die scies. & epist. 43. Ego hinc posttridie idus Lanuuium, deinde posttridie in Tusculano. contudi enim animum, & fortasse vici, si modo permansero. & epist. 45. ibidem. Vincam, opinor, animum: Lanuuio pergam in Tusculanum. Sunt & alia argumenta: quę omitto, ne perspicua in re sim nimius. *De Virgilij parte*] Virgilius vnus erat ex coheredibus Scapulanis, qui fortasse Attico dixerat, se suam partem Scapulanorum hortorum Ciceroni concessurum; vt ei locus esset, si fortasse coheredes non in auctione hortos vendere, sed inter se liceri cogitarent. vnde illud epist. 37. l. 12. Heredes Scapulæ si istos hortos, vt scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. & illud epist. 43. lib. 12. Perfice aliquid: quid autem aliud, nisi vt aditus sit emptori? quod per quemuis heredem potest effici: sed Mustelam id perfecturũ, si rogaris, puto. & ep. 3. lib. 12. de parte Crispi & Mustelæ vult ab Attico certior fieri, cum eam sibi vendi cuperet. *Valde probo.*] quod dicas te tentaturum, num Virgilius, quæ pars hortorum Scapulanorum ad ipsum pertinet, eam partem nobis velit attribuere. ep. 50. l. 12. De Virgilio, inquit, vt scribis. *Id erit primum; proximum, Clodiæ*] Scapulanos hortos primum cupio; secundum eos, Clodiæ. Idem scribit ep. 40. l. 12. Si quæris, quid optem: primum Scapulæ, deinde Clodiæ. & epist. 41. eiusdem libri. Nescio quid de Clodia scripsisti. vbi ergo ea est, aut quando ventura? placet mihi res sic, vt secũdum Othonem nihil magis. & epist. 43. eiusdem libri. Malim primum Othonis, deinde Clodiæ. & ep. 51. eiusdem lib. Tu mihi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. *Metuo ne turbem, & irruam in Drusum.*]hortos cupio vsque adintemperantiam. itaque, nisi tu mihi Scapulanos, aut Clodianos efficies, Drusianos emam. & vt ostendat, in eius rei cupiditate se propemodum insanire, moramque non ferre, communibus verbis non contentus, vsurpauit translata, ad significationem haud paullo plus afferentia. *Eius rei*] fani, cuius caussa hortos quæro; vt sit, vbi ædificari possit. *Reuoluor identidem in Tusculanum:*]sæpe venit in mentem, facere fanum in Tusculano, si hortos non inueniam: mihi enim, o-

mnino

mnino illud hac æstate absoluere, deliberatum est. epist. 23. De fano, inquit, si nihil mihi hortorum inuenis, valde probo rationem tuam de Tusculano. sed nescio quo pacto celebritatem requiro: itaque hortos mihi cõficias, necesse est. & ep. 42. lib. 12. Cõsiderabis etiam de Tusculano; ne æstas effluat: quod certe non est committendum. & epist. 40. eiusdem lib. *Vt tempus est nostrum,*] quasi dicat: Ne Asturæ quidem facile sum: sed, vt tempus est nostrum, sed, vt in malis, facilius tamen sum, quã vbiuis. & cum dixit, Nostrum tempus, potius ad mortem filiæ respexit, quam ad reip. calamitatem. supra, ἀνεκτότερα erant Asturæ. *Facilius*] libentius: vt illud in epistola ad Cœlium: Quod in maritimis facillime sum, mouet suspicionem me velle nauigare. & alibi. *Conor*] vt inuitus, & contra voluntatem. abhorrebat enim a Tusculano. vide epist 43. lib. 12. *Tu litteras conficies.*] dicit hoc, Tu ad me velim sæpe scribas. *Epistolam ad Cæsarem:*] hæc est epistola, de qua lib. 12. epist. 46. 50. & 51. & lib. 13. ep. 17. 28. & 30. *Nihil sane est necesse mittere.*] nam videtur erga nos ita, vt volumus, esse animatus: vt necesse non videatur, ei me hac assentatoria epistola blãdiri. In epistola, quæ proxime sequitur: Quod aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi κολακεία fuit? *Nisi forte Romam.*] nam si Lanuuio Romam me conferam, ipse epistolam mecum afferam.

IN EPISTOLAM XXVII.

Isti ante legerent:] Isti: Cæsariani. ante: quã ad ipsum mitterem. epist. 50. lib. 12. & 1. lib. 13. *Quamquam de bello Parthico, &c.*] quamquam non est, cur illam partem reprehendant, quæ est de bello Parthico. quod enim hortatus Cæsarẽ sum, vt id bellum susciperet, nihil spectaui, nisi quod illum arbitrabar velle. sciebam enim, quod ego suaderem vt faceret, id ipsum iam in animo habere. quod si ita est; quamobrem eã partem isti non probant? Maluissent autem Cæsaris amici, vt potius ei Cicero commorationis vrbanæ suasor esset, ne se amplius fortunæ committeret, confectis iam omnibus ciuilibus bellis, & Pompeianis partibus plane deletis. *Quid spectare debui?*] Ciceronem, cum illa ad Cæsarem scripsit de bello Parthico debuisse spectare incertos bellorum euentus, communemque Martem, Cæsaris amici dicebant. quod si

feciſſet, Cæſari potius vrbanum otium, quam bellicam fortunam, laudaſſet. Ego, inquit, cum illa ſcripſi, quæ iſti non probant; ipſius volũtatem ſum ſecutus, (quid enim aliud ſpectare debui, niſi quod illum velle arbitrabar?) quem ad bellum Parthis inferendum valde ſcirem ſua ſponte eſſe propenſum. *Totis igitur, &c.*] prorſus non mittenda eſt illa epiſtola. *Επίπευγμα magnum*] quod lucrum illa epiſtola Cicero ſequebatur? Cæſaris beneuolentiam. *Απόπευγμα vel non magnum moleſtum futurum ſit:*] vel minima enim apud Cæſarem offenſiuncula mihi eſſet permoleſta: itaque periclitari nolo. *Me niſi toto, &c.*] me exſpectaſſe exitum Hiſpanienſis belli, deinde ſcripſiſſe: quaſi antea ideo non ſcripſerim, quod de Pompeianorum victoria ſperauerim. *Quaſi Catonis μέγεθος*] ne putet me ob eam cauſſam hanc ſibi epiſtolam miſiſſe, vt hoc quaſi munere eum placarem, alienatum eo libro, quem ſcripſi de laudibus Catonis. *Valde me pœnitebat:*] pœnitebat me, eam epiſtolam ſcripſiſſe: & plane cupiebam, iſtis non probari; vt cauſſam haberem non mittendi. accidit igitur vt volebam, quod ſtudium in ea ſcribenda a nobis poſitum non probarunt. *In illos,*] qui apud Cæſarem ſunt. qui, ex illa epiſtola nacti occaſionem calumniandi, operam darent, vt me in odium Cæſaris adducerent. *Cognatum tuũ.*] Q. Ciceronem, Pomponiæ, quæ Attici ſoror erat, filium. quẽ de Cicerone patruo apud Cæſarem detrahere ſolitum, ſupra oſtendimus, epiſt. 37. lib. 12. & 9. lib. 13. *Illuc*] ad hortos videndos. hoc inſequens epiſtola primo verſu declarat. *Quidquid erit,*] ſiue futurum eſt, vt Scapulanos hortos emamus; ſiue etiam non eſt; pecuniam exigamus a Faberio debitore. *Auctionis*] hortorum Scapulanorum. Sic & epiſt. 50. lib. 12. De Virgilio, vt ſcribis. hoc tamen velim ſcire, quãdo auctio. Erat enim auctio futura hortorũ Scapulanorũ. quod indicat illud ep. 23. Puto fore iſtã etiam a præcone diem, certe ab heredibus. De Criſpo & Muſtela videbis: & velim ſcire, quæ ſit pars duorum. Erat autem Muſtela Scapulæ heres, itemque Criſpus. & de Muſtela perſpicuum eſt epiſt. 29.

IN EPISTOLAM XXIIX.

Cras ſcilicet.] ex tuis litteris cognoſcam. Volebat autem Atticus hortos Scapulanos diligẽtius inſpicere, vt, quoniam eorum

eorum auctio futura erat, ante cognosceret, quanti a Cicerone recte possent emi. *De Faberio*] de exigenda a Fabetio pecunia, pro emptione hortorum. *De epistola ad Cæsarem, &c.*] quod me hortaris, vt epistolam aliquam ad Cæsarem conficiam, eique proponam quod ad laudem sempiternam valeat: iurato mihi crede, non posse: non quod me turpitudo deterreat, (etsi maxime deterrere debebat: scribere enim ad Cæsarem sine assentatione nihil possum: porro, cum nobis vel ipsum viuere turpe sit, libertate amissa; quanto est turpius, ei, quo eripiente amisimus, assentari?) sed quia prorsus nihil venit in mentem, quod ad illum scribam. Idem epist. 39. lib. 12. *Vellem quidem, &c.*] vellem, me turpitudo deterreret. essem enim qui esse debebam: hoc est, in seruitute non viuerem, sed ab hac turpi vita vel morte me volũtaria vindicarem, Catonis exemplo. *Hominum eloquentium, & doctorum*] vt Aristotelis, & Theopompi. epist. 39. lib. 12. *Verissimæ gloriæ,*] non enim vera gloria incensus Cæsar est, sed falsa & inani, quam ex interitu reip. quæsiuit. *Ego quid possum?*] ad veram gloriam cohortanti verba non deessent: sed id quidem tuto non possum. hoc autem erepto argumento, præterea quod scribam non reperio. *Tamen nescio quid, &c.*] scripseram tamen nescio quid, & mehercule cum labore, vt quasi e quercu viderer exculpere, quę est arbor durissima. *Simile simulacri.*] vult ostendere: quemadmodum e quercu simulacrum facere difficile sit, duriore materia, quam vt circumcidi, aut expoliri possit; ideo que potius simulacri quiddam simile, quam simulacrũ efficiatur; sic se, cum ad Cęsarẽ scriberet, argumento admodũ angusto, (neq; enim, quod & ipsi honestũ esset, & Cæsari gratũ, scribere licebat; itaq; difficili in loco versabatur, vt quasi e quercu videretur exculpere) perfectũ opus nõ potuisse facere, sed fecisse nescio quid, quod operis tamẽ simile videretur; more fabrorum lignariorũ, qui e quercu non perfectũ simulacrum formãt; quod propter ligni duritiem difficillimũ est, sed quod simulacri simile sit. significat epistolã ad Cęsarẽ, de qua ep. 48. l. 12. & 26. l. 13. *Reprehenduntur:*] a Cæsarianis, qui Romæ sunt: a quibus, placuit nobis, vt epistola legeretur, antequã eã ad Cæsarẽ mitteremus. ep. 27. l. 13. *Quod me minime pœnitet.*] qđ mihi est minime molestũ. *Peruenissent*] ad Cęsarẽ.

Hunc de pompa, Quirini contubernalem,] Cæsarem: cuius simulacrum, quasi alicuius dei, per pompam inter deorum signa gestatum est in ferculo. quod Suetonius declarat his verbis: Non honores modo nimios recepit, vt continuum consulatum, perpetuam dictaturam, statuam inter reges, sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, Lupercos. Et Dio lib. 43. καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτῷ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν, ἄλλω τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν, θεῷ ἀνικήτῳ, ἐπιγράψαντες. hac sententia: Decreuerunt, vt eburnea Cæsaris statua, & currus etiam solidus, quo die cursus equorum in Circo spectantur, inter deorũ imagines in pompa gestaretur; & vt alia præterea statua in Quirini templo poneretur, cum hac inscriptione, DEO INVICTO. Ideoque eum appellat Cicero Quirini contubernalem, & supra epist. 44. lib. 12. græco verbo σύνναον, quod in eodem templo simul habitarent. idque etiam Suetonius significat, cum dicit, Simulacra iuxta deos. *Hunc*] qui deorum in numero habeatur; cum & imago eius inter deorum imagines per pompam sit vecta, & eiusdem statua, quasi dei, Quirini in templo collocata. *Potius non scripta desideret, &c.*] malo ab illo desiderari, quæ scripta non sint, quam non probari, quæ scripta sint. *Postremo, vt volet.*] iam non laboro, quo animo erga me sit: abijt illa cura, quæ me antea stimulabat: cum hoc quærebam, qua ratione & Cæsarem mihi conciliarem, & personam tamen optimatis sustinerem, quod tibi quoque dabam cogitandum, vt consilio me iuuares. eaque tunc erat quasi Archimedis quæstio, obscura scilicet, & inexplicabilis. epist. 3. lib. 12. *Casum illum,*] interitum meum. significat enim illud tempus, cum in Italiam reuertit, Pompeio in Pharsalia deuicto. quo tempore solicitus erat de salute sua, maxime timens, ne Cæsar in eos, qui Pompeium secuti essent, foret acerbior. hinc illæ lib. 11. plenæ doloris & desperationis epistolæ. *Mihi optato Veneris.*] scripserat enim Atticus, se velle ad illũ, si videretur, proficisci. *Profectus est.*] cum aliquot dies cum Cicerone fuisset. epist. 51. & 52. lib. 12.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XXIX.

De philologis] de peritis ad disputandum. epist. 12. & 19. lib. 13. *In Talnam*] in sermonem de Talna. *De ingenio, &c.*] ingenium Talnæ Nicias laudabat, sed non supra modum: frugi hominem, & modestum dicebat esse. *Hoc mihi non placuit.*] quod eius rem audiui non maiorem esse DCCC. *Hoc putaui te scire oportere.*] forte, quod Atticus aliquam sibi affinitatis, aut amicitiæ iure deuinctam, cogitabat Talnæ in matrimonio collocare. *De hortis*] Scapulanis: quos Atticus inspexerat epist. 27. lib. 13. *Et Chrysippo.*] & Chrysippi sermone. hortis enim cum Attico inspectis, ad Ciceronem profectus est. erat autem architectus, fueratque Cyri architecti libertus. epist 9. lib. 14. & in epist. fam. epist. 14. lib. 7. *In villa,*] quæ in hortis est. *Insulsitatem*] insulsa placere non solent. recte igitur & venuste insulsitatem tribuit villæ, quæ nihil haberet, cur placere posset. contraque, cum de villa loquitur eleganti, Salis, inquit, satis est. in epistola ad Pætum. *Video nihil, aut pauca mutata.*] putabam dominos in villa multa mutasse, a quo tempore nos eam vidimus: sed, vt ę Chrysippi sermone intelligo, nihil, aut pauca mutata: vt eadem sit insulsitas. *Laudat maiora.*] vt bina essent in ea villa balnearia, maiora, & minora; maiora, inquit, Chrysippus laudat; de minoribus ait ea posse effici, quibus per hiemem vtamur. *Ad id, quod volumus, ἀφίδρυμα*] ad fanum filiæ dedicandum. *Celebritatem nullam*] quo enim tempore ego illum noui, non frequentabatur. *Τὸν τύφον, &c.*] obsequere cupiditati meæ. *τύφος* enim valet elatio: quæ ad cupiditatem transfertur: vnde illud libro primo de Diuinatione: Ducem ei præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse. Et ad hunc ipsum epist. 11. lib. 1. In hoc genere sic studio efferimur, vt abs te adiuuandi, ab alijs prope reprehendendi simus. *Si Faberius, &c.*] si Faberius soluit quam nobis pecuniã debet: noli quærere, quanti horti vendantur: eme quouis pretio: vince Othonem in certamine licitationis. Erat enim Atticus Ciceronis nomine licitaturus. Othonem autem, qui & ipse eosdem hortos cupiebat, aduersarium in auctione timebant. vnde illud epist. 46. lib. 12. Difficile certamen cum cu-

pido, cum locuplete, cum herede. & epist. 39. lib. 12. & 31. & 33. huius libri. *Insaniturũ*] Insanire dicuntur, qui aliquam rem multo pluris emunt, quam quanti sit. vnde Insana cupiditas, in Verrem. *Tractatum*,] in re minus nota. *Vt mihi, &c.*] vt hortos empturus non videatur. *Quid enim pateretur?*] imperfecta sententia. abiecit enim, recordatus in Faberiano nomine totum esse. *Si Faberianum explicas*,] si pecuniam exigis a Faberio. epist. 24. lib. 12. *Clodiam igitur*,] aggrediamur. videamus, inquit, de hortis Clodiæ. ep. 46. lib. 12. *Multo minoris sunt*,] quam Scapulani. Et epist. 46. lib. 12. de ijsdem hortis: Quia tanti rem æstimas, eo prorsus specto. *Et Dolabellæ nomen*] & Dolabella, quam pecuniam debet, iam eam nobis soluet. debebat autem ex dote Tulliolæ. *Repræsentatione*] hortos Scapulanos emissem, die sumpta. Clodiæ vero si emimus, de die nihil cogito; repræsentare possum: cum & multo minoris sint, quam Scapulani: & Dolabellæ nomen iam expeditum videatur. Repræsentatione, igitur explano, solutione facienda ante illud tẽpus, quod in emptione Scapulanorum hortorum cogitaram, de quo epist. 3. his verbis: Quod dies longior est: (sic enim puto legendum) teneamus modo quod volumus: puto fore istũ etiam a præcone diem, certe ab heredibus. *Cras aut te, &c.*] concisa sententia, nec satis omnibus aperta. explanemus igitur; vt consulatur etiam ijs, quorum acies ad intelligendum est obtusior. Cras, inquit, aut te exspecto, aut caussam cur non veneris. caussam autem, quæ te moretur, hanc puto fore, vt pecuniam exigas a Faberio. sed, si poteris, omnino velim venias.

IN EPISTOLAM XXX.

Ciceronis epistolam, &c.] Quincti filij ad Atticum. *O te ferreum*,] cum ironia. *Periculis*] de quibus tam multa scribit. *Me quoque*] cum scribat non modo tua, sed mea quoq; culpa factum esse, vt in Hispaniam ad bellum ire coactus sit. *Eam epistolam*] ad me missam a Quincto. *Mississem.*] nisi te cras exspectarem. quod proxime dixit. *Eodem exemplo*] puto ijsdem verbis scripsisse ad te de rebus a se gestis, quibus ad me scripsit. *Quas Pharnaci dederas.*] ad me perferendas; vt ego eas deinde ad Vestorium curarem. *In eius epistola*] in epistola, quam is attulit a te scriptam. *Auctionem biduum.*]

auctionem

auctionem hortorum Scapulanorum biduum futuram. sic & lib. 4. epist. 12. Idibus auctionem Larini video, & biduum præterea. *Ab ea igitur*] ad me venies. *Confecto negotio Faberiano:*] exacta a Faberio pecunia. *Quem quidem, &c.*] negat Eros Faberium hodie Romæ futurum. vnde illud ep. 28. De Faberio, cum venerit. & epist. 2. *Colendus*] Faberius, obserua eum diligenter, vt assiduitate & studio tandem exprimas debitam ab eo pecuniam. κολακεῦαι] assentationes: in quibus turpitudo, & prope scelus est. *Perendie.*] vidébo. *Non sane quadrat.*] si enim prætor est factus x i v. annis post, quam consul Mummius; apparet, quo tempore consul Mummius ad oppugnandam Corinthum est profectus, adolescentem fuisse, vt legatus esse non potuerit. epist. 6. & 33. *Volo aliquem, &c.*] hoc ne Atticus quidem intellexit; vt apparet ex epistola, quæ post proximā sequentem legitur.

IN EPISTOLAM XXXI.

Morabor te:] morę causſam afferam. retinebit enim te negotium Faberianum. *Cum poteris igitur,*] venies, cum per negotia licebit. *Quoniam etiam dum abes,*] quoniam nōdum in viam te dediſti; &, cum hæc ad te afferetur epiſtola, etiam dum Romæ eris: ideo illud ſcripſi, vt venias cum poteris. *Dicæarchi quos ſcribis libros,*] libros de anima. epiſt. 32. καταβάσεως.] librum, quem ſcripſit Dicæarchus περὶ τῆς εἰς Τροφωνίς καταβάσεως. de quo Athenæus lib. 13. κεπφικὰ] κέπφος auis eſt ita leuis, vt, quamcumque in partem ventus flauerit, in eam auferatur. κεπφικὰ igitur μεταφορικῶς dixit, pro, leuia & inania. non recte, inquit, iſti meam ad Cæſarem epiſtolam reprehendunt; & ea, quæ dicunt, minimi ſunt ponderis, plane κεπφικά. nam quod illū aiunt ſcribere, ſe, niſi conſtitutis rebus, non iturum in Parthos: idem ego ſuadebam in illa epiſtola. ep. 6. & 26. *Auctore me.*] ego enim ſuaſi, vt & res conſtitueret, & Parthis bellū inferret. *Aggredere Othonē,*] velim, quod ſcribis te facturū, Othonem moneas, ne contra nos liceatur; quo facilius ad hortos peruenire poſſimus. Idem paullo poſt. *Iſtam rem.*] hortos Scapulanos: quorum auctio futura erat. *Et tecum eſſe poſſim.*] propter vicinitatē. hoc eſt quod dicit ep. 28. lib. 12. De hortis, quæſo, explica. caput illud eſt, quod ſcis. ſequitur, vt etiam mihi ipſi quiddam opus ſit.

nec enim esse in turba possum, nec a vobis abesse. huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. *Quanti autem,*] quanti putem nos emere posse Scapulanos hortos, ita ratiocinor: cum C. Albanius proximus vicinus ∞ iugerũ H·S cxv. de M. Pilio emerit; nunc, iacentibus omnium rerum pretijs, debere Scapulanos hos multo minoris esse. *Nunc minoris.*] ob ciuilem calamitatem, & reip. perturbationem. *Accedit cupiditas:*] cuius caussa pluris hortos æstimare debemus, quam quanti sint. *Mouere*] vt nobis hortos concedat. *Canium*] Attici & Othonis amicum. *O gulam insulsam:*] Othonis, qui hortos tam auide appetat voluptatis modo caussa.

IN EPISTOLAM XXXII.

De Faberio,] expedi nomen Faberianum: sine quo hortos consequi non possumus. *Quod cogitamus:*] intellige, hortos. *Non laborarẽ.*] de pecunia a Faberio exigenda. *Istuc*] ad istam diligentiam. *Vtrosque*] vtrumque sermonem de mortalitate animorum. duos enim sermones, alterum Corinthi, alterum Mitylenis habitũ ternis libris explicauit. Cicero Tusc. 1. καταβάσεως] librum περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως. epist. 31. τριπολιτικὸν] Dicæarchi librum: cuius mentio apud Athenæum lib. 4. *Aristoxenum*] Aristotelis discipulum, philosophum, & medicum nobilissimum, maximeque in musica præstantem. Suidas. Cicero de orat. lib. 3. Tusculana prima. *Ad id, quod cogito.*] ad Tusculanas quęstiones: quas scribere in animo habebat. quarum libro primo, Dicæarchi vtitur sententia contra immortalitatem animorum. *Torquatus*] liber Torquati nomine inscriptus; vt de senectute, Cato; de amicitia, Lælius. epist. 5. *Catulum, & Lucullum,*] Academicos libros, quos primum scripserat: quorum alterum, Catulus, alterum, Lucullus, inscripserat. vide illud epist. 12. Ἀκαδημαϊκὴν, &c. *Eas litteras*] ea prooemia. quandoque enim Litteræ pro scriptis ponuntur; vt lib. 1. Meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus. διὰ σημείων] per notas. sic enim Cicero dixit lib. 2. de Diuin. *In Libonis*] in Libonis annali. epist. 29. *Legatus esse potuisset,*] cum admiratione dictum: vt significet, non putare se Tuditanum consuli Mummio XIV. annis ante, quam prætor factus est, lega-

ēt, legatum esse potuisse. fuisset enim admodum adolescens: vtpote XII. annis ante præturam, quæ legibus dabatur anno ætatis XXXIX. consulatus autē Popillij & Rupilij a consulatu Mummij distat annorum XIV. interuallo. *Nisi admodum sero, &c.*] annus petendæ quæsturæ certus lege non erat, certi autem curulium magistratuum, ædilitatis XXXVI, præturæ XXXIX. consulatus XLII. vt inter curules magistratus biennium necessario interesset. eos autem magistratus legitimis annis capere, in primis erat honorificum; quod Cicero sæpe de se ipso gloriatur. nā repulsam multi ferebant; vt honores consequi non possent anno legitimo. quod si quis ædilitatē non suo anno, sed serius cepisset; magistratus quoque reliquos serius capiebat. eorum enim tempus necessario protrahebatur, cum inter omnes biennij spatium oporteret esse. Recte igitur, Nisi admodum sero quæstor est factus. nā, si factus est quæstor admodum sero, vt anno trigesimo octauo, aut quadragesimo: potuit esse legatus Mummij Tuditanus & XIV. annis ante præturam, nec tamen adolescens. quod si quæstor mature factus est, puta XXIIX, aut XXX. ætatis anno: necesse est legatus fuerit admodum adolescens. *Curules magistratus*] de curulibus magistratibus in suo libro plenius. curulis autem magistratus prætura fuit. quam si Tuditanus cepit anno legitimo, hoc est vno & quadragesimo; eiusque prēturæ annus, quæ fuit Popillio & Rupilio cos. annis XIV. distat a consulatu Mummij: sequitur, vt legatus consulis Mummij fuerit annum agens sextum & vigesimum. quod non quadrat. non enim, illa ætate qui sunt, ijs honorem legationis demandare moris est. *Sciebam fuisse.*] in decem legatis. *Cum Lucullo fuit:*] consul, anno ab V. C. DCIII. *Addidisti.*] confirmans id quod sciebam. *Ad illum σύλλογον, &c.*] dignum, qui in illa ciuium collectione numeretur. *Videbis igitur ceteros*] scribes, qui præterea in decem Mummij legatis fuerint. *πομπεύσαι καὶ τοῖς πρώτοις*] ex personarum dignitate quasi pompam agere.

IN EPISTOLAM XXXIII.

Negligentiam miram] Balbi, & Faberij, qui non semel, sed sæpe mihi dixerint, professionem in tabulas publicas relatā.

Professionem] omnium bonorum. *Oportere*] vt aliquem mitterem, qui profiteretur, si ego de illa caussa Romam ire nollem. *Libertus.*] hoc fortasse glossema fuit. satis enim Attico notus erat Philotimus. *Librarium.*] eum, qui cuiuslibet professionem in tabulas publicas referebat. *Sed scribis, & quidem confectum.*] sed scribis, librarium te nosse: & addis etiam, de professione confectum. *Litteras misi.*] admonens eum, & rogans, vt pecuniam nobis debitam persolueret. *Aliquid fecisse H.*] aliquid fecisse hodie. sic enim interpretor antiquam notam. &, Fecisse, de nomine Faberiano. vt, Balbo adiuuante, pecunia exigeretur a Faberio. simile illud est, vel potius idem est, epist. 28. lib. 12. Cum Oppio & Balbo communices, quantopere, & quare velim hortos: sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. Et supra, In vtroque Faberianum nomen explorandum est. de quo nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, & quidem, vt res est, emere nos velle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerto. Scripserat autem Atticus Ciceroni, se esse eo die cum Balbo locuturum in Capitolio. *In Virgilio, &c.*] Othonis herede. epist. 29. *Ανοωπία*] stulta verecundia. fortasse, quod ab aliquo ex coheredibus partem hortorum emere cogitaret. *Debeo.*] vt eius caussa ne emam. *Quod postulet?*] quod me emisse queratur. *Videbis cum Cispio.*] ne Cispius nobis satisfaciat. de quo nomine epist. 23. lib. 12. Cispiana, inquit, explicabis. *Destinat,*] statuit hortos emere. *Difficultatem.*] in auctione magnum haberemus aduersarium. *Ista res*] actio Scapulanorum hortorum. *Posse vinci*] in certamine licitationis. epist. 29. *De æstimatione, &c.*] hortorum Scapulanorum. *Scripsit,*] fortasse Cæsar. vt in lege non prefinierit, quo ne quis plus iugerum emeret, sed de modo agri, id est, quo ne quis plus haberet. *Cum Pisone. si quid poterit.*] conficies. & de auro intelligendum. vide illud, Et tamen Pisonem sicubi de auro. *Dicæarchi librum*] librum posuit pro volumine. nam Dicæarchi duos sermones de anima, quos intelligit, nō vno libro, sed ternis explicatos manifestum est ex prima quęstione Tusculana. etiam ep. 28. l. 15. ita locutus est, vt pro toto opere librum vsurparet scribit enim sic: Librū tibi celeriter mittā de Gloria: cū duos libros significaret. *κατα-βάσεως*] librū hoc titulo. *Dederis.*] cui videbitur ex tuis seruis, vt

tis, vt quærat de decem L. Mummij legatis in eo libro, in quo sunt eius anni S. C. quo ipse Mummius cũ Cn. Cornelio consul fuit. *L. Mummio*] qui Corinthum euertit, anno vrbis DCIIX. *Antiocho*] seruo tuo litterato. scies autem, si ei negotium dederis, vt quærat. *De Varrone loquebamur:*] nisi fallor, hoc est principiũ epistolæ. sæpe enim, quę distribuenda erant in epistolas, Tiro, Ciceronis libertus, siue alius quis, ita coniunxit, tædio fortasse crebræ distentionis, vt iam non internoscantur. quæ res lectori nonnihil interdum tenebrarum offundit. Cum loqueremur, inquit, de Varrone, superuenit. id enim significat, lupus in fabula, adagium satis notum, ac vsque iam contritum. *Id temporis,*] elegans loquendi modus, pro eo tempore; vt, id ætatis, pro ea ætate: & similia. *Vt vetmendus esset.*] cum scilicet hora cenæ vel aduentaret, vel iam adesset. *Ita egi, & vt non scinderem pænulam.*] vt remanerent, valde nõ rogaui. qui enim retinere aliquem cupiunt, abeuntem apprehensa veste retinent; vt remanere cogatur, ne in illa contentione scindatur vestis. *Memini enim tui:*] sic in Bessarionis libro: recte. feci, inquit, quod memini te solere; qui sic interdum ad cenam inuitas, vt pænulam tamen non scindas. *Quid refert?*] Varrone dimisso, eiusque comitibus, quia cenæ apparatus non erat is, vt commode eos ac laute possem accipere, nihil tamen egi: nam remanserunt, quamquam leuiter inuitati, Capito, & Carinas. *C. Capito*] Ateiæ gentis, hic Cæsaris maxime studiosus fuit. epist. 15. lib. 16. & epist. 29. lib. 13. fam. fuit alter Capito, non Ateiæ, sed Fonteiæ gentis, M. Antonij amicissimus, de quo Plutarchus in Antonio, & Horatius sat. 5. lib. 1. *C. Carinate*] Albiæ gentis, vt ex Tacito cognoscitur. Bessarionis liber prænomen C. non habet. quod siue omittatur, siue ponatur, puto esse hunc C. Albium Carinatem, qui cum P. Ventidio consul fuit; cum Carinas in locum Cæsaris Octauiani, qui abdicauerat, Ventidius autem in locum Pedij, qui mortuus est in magistratu, successissent. porro Octauianus & Pedius, interfecti is Hirtio & Pansa, consules facti erant. In scriptis libris gemina r legitur Carrinas: sed Varro lib. 7. in extremo, vnica r scribendum ostendit; cum deducat a loco, nimirum a Carinis. *Cecidit belle.*] iocosa ironia. cecidit, inquit, contra quam volebam, cum remanserint ij, quorum vix attigi pænulam;

Varro autem abierit, cum quo egeram quidem vt remaneret, ita tamen, vt pœnulam non scinderem. *De Vrbe augenda,*] de pomerio proferendo, quod post exactos reges vnus protulerat L. Sylla. miror autem, de pomerio a Cæsare prolato nihil Suetonium, nihil Tacitum, alioqui diligentissimos in historia, tradidisse: quod tamen & hic Cicero, & infra in epist. 35. plane significat, & Gellius lib. 13. cap. 14. & Dio lib. 43. declarat his verbis: ταῦτά τε ἐποίᾳ, καὶ νόμους ἔσφερε τότε πωμήριον ἐπὶ πλέον ἐπεξήγαγε. Nec vero quis credat, quoties pomerium proferretur, toties murorum ambitum vna prolatum esse. nam, vt ostendit Dionysius lib. 4. manere veteres muri, a Seruio rege conditi, sed ita permisti priuatarũ ædium multitudine, vix iam vt ipsius Dionysij ætate agnoscerentur. quibus vero nunc Roma sæpta mœnibus est, ea condidit Aurelianus Imperator: partem, a Gothis euersam, Belisarius, Iustiniani dux, restituit festinanter, dum Gallorũ ad vrbem reditum exspectat: itaque non æqualem ambitum videmus, cũ Belisarius, ne longior mora interponeretur, priuatas etiam ædes ad continuanda mœnia reciperet. *A ponte Mului Tiberim duci secundum montes Vaticanos,*] hunc locum vix intelligere videtur posse, qui Romæ non fuerit, & ipsa loca diligenter non inspexerit. Satis constat, extra pomerium fuisse campum Martium, quo populus ad comitia conuenire solitus est. post campum Martium, interfluente Tiberi, campus Vaticanus sequebatur: quod totum spatium a collibus Vaticanis ad Tiberim, hortis excultum amœnissimis, frequentabatur a ciuibus Romanis animi caussa: ijque horti Transtiberini vocabantur. cogitabat Cæsar pomerium proferre, & in vrbem campum Martium includere; Tiberim autem, obducta vetere fossa, ita flectere, vt radices Vaticanorum montium allueret; campum autem illum Vaticanum, qui cis Tiberim futurus esset, quasi Martium campum efficere, id est, vt in eo, sublatis hortis, comitia fierent, quæ fieri solita essent in campo Martio. nõ enim centuriata comitia, quæ Seruius rex instituit, intra pomerium fieri licebat. propterea, prolatis pomerij finibus vltra campum Martium, quem Cæsar ædificari volebat, alium campum, æquata planitie, qui populum caperet, comitijs habendis dicare opus erat. *A ponte Mulvio*] qua Tiberis hodieque fluit. *Duci*] moneo lectorem, in anti-

in antiquo Bessarionis libro, & in aliis, quos quidem ego viderim, legi, Pauci, non, Duci. quod etsi manifeste corruptum est, testimonium tamen antiquitatis notum esse volo: vt studiosorum omnium coniecturæ locus relinquatur. *Secundum montes Vaticanos,*] iuxta Vaticanos montes, vt ad imas radices decurreret. Vaticani montes, & quidquid agri ab ea parte vltra Tiberim est, ad Etruriam olim pertinuit: quæ vero cis Tiberim, vsque ad Circeios, ad Latium, longitudine L. millium passuum: postea producti sunt ad Lirim amnem Latij fines, vt esset longitudo circiter LXXX. millium passuum. Erant igitur olim extra pomerium, id est extra vrbem, Vaticani montes: nunc in iis habitat Pontifex Max. in arce illa ampliſſima, Pontificum singulorum opibus aucta, cum qua Diui Petri templum augustissimum coniunctum est. *Tum ædificari,*] vt augeretur vrbs, exstructis ædibus in campo Martio, in quo tunc ædificati minimum esset. Antiquus liber, Cũ, mendose; nec tamẽ omnino placet, Tum: videtur enim otiosa fere particula. malim, Totum: si modo est in aliquo vetere libro, Tum. sin, vt in Bessarionis libro, item est in omnibus, Cum: non displiceret, Hunc: vt inuicem respondeant, campum Martium hunc ædificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi campum Martium. Manſit eadem tamen diutissime, quæ fuerat antea, Martij campi planities, nec Tiberis alueus est immutatus, quamquam prolato a Cæsare pomerio. *Quasi Martium campum.*] cum in eius locum succederet. Quasi, dixit, quia re vera non est Martius, sed Vaticanus campus: fit autem quasi Martius, quia, sicut in Martio comitia habebãtur, item in Vaticano, pomerio vltra Martium campum prolato, futurum erat, vt comitia haberentur. *At ego ad tabulam,*] iturus eram, vt emerem Scapulanos hortos, si recte, id est, æquo pretio, possem. Tabula proponebatur inscriptis nominibus earum rerum, de quibus auctio futura erat. *Ista lex*] pomerium igitur non nisi lata lege proferri poterat. Ista lex, dixit, quia promulgata iam erat, ep. 20. *Perferetur.*] perlata est. prolatum enim a Cæsare pomerium, ex Gellio & Dione iam probaui. perlatum autem ab ipso Cæsare consule crediderim: cum dixerit Dio, νόμῳ ἐξενεχθέντι, καὶ τὸ πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐξήγαγε. *Vult enim Cæsar.*] legem a se, nemine intercedente, perferri. quod factum est. quis enim

contra Cæsaris voluntatem auderet? *Audire me, facile passus sum:*]sic in antiquo Bessarionis libro: nec obscura sententia. in quibusdam tamen vulgatis libris legitur, Aude rem. facile passus sum. quod vitiosum opinor. nam opponit Cicero verbis facta: & ait: Audiui sine molestia: sin, quod audiui, fiet, moleste feram. *Non concedit Camillo.*]æque, vt Camillus, diligenter nouas res perquirit. Camillo maxime, post Atticũ, Cicero confidebat. itaque belli ciuilis initio, dubius animi vtrum vxorem & filiam in vrbe relinqueret, an eas euocaret, ita scribit ep. 14. lib. 14. ad vxorem: His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, cõsideretis. *Facies igitur me certiorem de idibus.*]an idibus, vt putamus, auctio sit futura. nam, si auctio in eum diem non proscribitur, argumento est perlatum iri legem de augenda vrbe: quis enim, cum eam legem perlatũ iri videat, qua hortos, vt ibi quasi Martius campus fiat, solo æquari necesse erit, de hortis emendis cogitet? falsum est quod a Capitone audiui: itaq; accurram. auctionis enim causa Romæ esse velim. sin autem proscribitur; falsum est scilicet, quod de lege perferenda, Tiberique secundum Vaticanos montes ducendo, a Capitone audiui. Romæ autem auctionis maxime causa idibus esse velim. *Quas consequi tamen, &c.*] aliarum rerum causa non refert, idibus ne Romæ sim. siquidem eas nihilo minus biduo post, aut triduo conficiam. at vero bonorum auctio si omnino idibus fiat, aduolandum est, vt de lege cognoscam. *Te tamen, &c.*]etiam si ego differam aduentũ meum, te tamen ad me nolo venire; ne, cum tãti calores sint, (hæc enim scripta videntur exeũte Iunio) itineris labore conficiaris. Et hoc dicit, quia scripserat Atticus se velle ad eum. epist. 31. *Ignosco.*]si ad me non venit. *Idibus Maij,*]manifestum mendum. nec dubito, quin legendum sit, Idibus Iulij: vel, Idibus, mense subaudito. nam, de Maio absurdum est intelligi: cum e Tusculano profectus esset Arpinum 11x. Kal. Quinct. & recurrere nonis Brinnianæ auctionis causa cogitaret, nonis inquam Quinctilibus.

IN EPISTOLAM XXXIV.

11x. *Kal. Iul.*]profectus e Tusculano. epist. 21. *Tres horas acquieueram.*] quam ob causam Arpinum, angustiis temporis exclusus, eo die peruenire non potui, & Asturæ mansi.

Efficiat,]

Efficias,] cum heredibus Brinnianis, coheredibus meis. epist. 12. Dices, inquit, vel amico tuo, vel Othoni coheredi meo, vel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem: me circiter nonas in Tusculano fore. *Illuc*] in Tusculanum. *Egnatium Maximum.*] fortasse interpungendum hoc modo: Egnatium Maximum illud in primis, &c. *Illud in primis:*] diuortium fecerat cum Publilia; nunc de dote agebatur: de cuius solutione epist. 1. & 5. lib. 16. *Publilio*] fratre Publiliæ; quæ Ciceronis vxor fuerat. *Me pæne absente*] epist. 46. Te, inquit, spero cum Publilio confecisse. me absente omnia cum illis transigi malo. Pæne: quia re vera non aberat, cum circum villulas suas, quæ prope Romam sunt, erraret, Romam etiam aliquando se conferret. *De quo,*] de diuortio Publiliæ scribes, inquit, num populus me reprehendat. *Non mehercule arbitror.*] non mehercule arbitror populum hoc factum reprehendere; quippe qui Publiliæ nuptias improbauerat: vt omnibus essem quasi fabula, quod ætate proiectus puellam virginem duxissem. Hoc & Calenus ei per contumeliam exprobrat apud Dionem libro 46. *Hæc decantata erat fabula:*] populus multa ridicule dixerat de Publiliæ matrimonio: diuortium igitur non improbabit. *Ipse enim adsum,*] in Tusculano. iam, inquit, adest meus aduentus: epist. 25. *Scripsi enim ad te de hortis.*] vt de hortorum auctione certiorem me faceres. quam si scribes prorogari; futurum est, vt meum aduentum ego item prorogem.

IN EPISTOLAM XXXV.

Gentilis tuus] nouum hominem significat, cui Cæsar vrbis augendæ negotium dederat: qui ii Attici gentilis, ergo Pomponiæ gentis, aut Cæciliæ fuit; in quam adoptatus erat Atticus ab auunculo Cæcilio. *Vrbem auget,*] vide ep. 33. & 20. *Quam hoc biennio primum vidit:*] his verbis nouitatem hominis demonstrari quis non videt? *Visa est,*] quod eius cõsilio Cæsar adductus de vrbe augenda consilium inierit. *Etiam ipsum capere*] quod turpe est. vtinã vrbs tam fuisset angusta, vt etiam non cepisset. *Simul ac venerit.*] subaudi, Daturũ quattuor Academicos. quod significat insequens verbũ. quo modo & alibi locutus est Cicero. *Dati igitur iam sunt,*] dies enim iam præteriit, quo eum Romę affuturũ scripserat;

Nec tibi integrum est.] adempta tibi facultas est deliberãdi, vtrum dandi sint; siquidem iam dedisti. *Quanto periculo tuo:*] quia Varroni fortasse nõ probabuntur: tu autem dixisti fore, vt probarentur. Ad hanc sententiam facit illud epist. 24. Ipsi quam res illa probaretur, verebar: sed, quoniã tu suscipis, in alteram aurem. *Litteræ meæ*] quibus scripsi, vt Academicos Varroni dares tuo periculo. *Has proximas*] quibus significas te daturum, simul ac venerit. *Quo modo res se habeat.*] num Academicos Varroni dederis.

IN EPISTOLAM XXXVI.

Amore,] erga me.

IN EPISTOLAM XXXVII.

Has alteras] ad te mitto. *De Xenonis nomine,*] Atticus debitam sibi a Xenone pecuniam, & H-S insuper XL. quæ in Epiro habebat in nominibus, solui volebat Ciceroni filio, qui erat Athenis, vt Romæ tantũdem ipse postea exigeret ex nominibus Ciceronis. vide epist. 16. libr. 14. & 1. & 6. libr. 16. *Cum Quincto*] fratris filio, omnibus locis, maximeque in conuiuiis mihi male dicente. *Redire ad patrem.*] etiam de patre detrahere. & venuste, Redire, quasi domum. *Regem,*] Cæsarem. *Animi*] aduersus ipsum. *Ciceronem meum vexari.*] filium meum a Quincto filio. *Arbitratu suo.*] Quincti filij. *Laudationem*] mortuos Romani veteres in funere laudabant, præsertim ortos illustri familia. laudabant autem non modo propinqui, sed & amicitia coniuncti. Cicero Porciam laudauit, Catonis sororem, laudatione non habita, sed scripta. *Porciæ*] quæ L. Domitij Ahenobarbi vxor fuerat. Plutarchus in Catone Vticensi *Quam tuas acceperim litteras.*] quibus monebas, vt quædam corrigerem. gaudeo igitur me eam Leptæ tabellario iam dedisse ad te perferendam: laborem enim correctionis effugiam, cũ ad te missam corrigere nõ sit integrum. correxit tamen, ab Attico remissam. epist. 46. *Isto modo*] vt est a me scripta, omissa, quam tu adhiberi velles, correctione. *Mittendam*] Romæ enim non erant, Cæsari longe obuiam profecti, quasi victoriam Hispanien sem gratulaturi. *Domitio*] Porciæ filio, ex L. Domitio Ahenobarbo. epist. 46. & Philippica 2. *Bruto*] Porciæ

ciæ affinitate coniuncto; cum ea Catonis esset soror, ipse autem Catonis alteram filiam haberet in matrimonio, de cuius nuptiis epist. 12. & Seruiliæ filius esset, quæ Catonis vterina soror erat. *Balbum,*] qui Cæsaris, vt puto, coheredis res curabat. epist. 50. *Offilium,*] vt coheredem. *Auctione*] Cluuianorum bonorum. Cluuius enim Puteolanus heredes scripserat T. Hordeonium, & Ciceronem, alios item, vt patet epist. 5. libr. 16. inter coheredes autem de auctione conuenerat; vt, bonis in pecuniam redactis, suum quisque capere facilius posset. epist. 45. *Omnia.*] Cluuiana bona, quæ in auctione venibunt. *Propinquum diem,*] auctionem proscribi non longe a Cæsaris aduentu, sed propinquo die; vt post aduentum fieri statim posset: quod si Cæsar moraretur; futurum, vt eum diem, in quem proscripta esset auctio, prorogare possemus, quoad ille in vrbem se recepisset. Romæ autem proscribi auctionem, non Puteolis, Balbo placebat. *Placet enim Vestorio.*] Balbi sententiam Vestorius probabat, vt Romæ auctio proscriberetur.

IN EPISTOLAM XXXIIX.

Contra Epicureos,] Tusculanam secundam, quam scripsit de tolerando dolore, contra Epicuri sententiam, qui summũ malum ponebat in dolore. *Fortasse* οὐκ ἐπέστησεν.] fortasse lapsus est per ignorantiam, cum non intelligeret contumeliosum esse quod scribebat. *Istum*] Q. Ciceronem, sororis tuæ filium. Commotum, autem, cum præsens præsentem audiret. Brutus enim tunc erat apud Cæsarem; cum ex Hispania redeunti longe obuiam processisset: vt eum de Ciceronis laudibus prædicantem Quinctus, cum Cæsare ex eodem bello reuertens, audire posset. *Scripsisti*] mendosa dictio: & omnes in mendo consentiunt antiqui libri. equidem sententiam video; neque enim est obscura: sed immutare verba non ausim sine vetustis exemplaribus; ne plus ipse mihi sumam, quam quantum aliis licere volo. *Idque vt sciam,*] num ad te quoque scripserit Quinctus, significabis. πότερον, &c.] vtrum iuste agam. Græca verba significant, vtrũ iustitiæ murum altum ascendens vitam traducam. hic enim subaudiendum, ἀναβὰς διαβιῶ, ex Platone, qui lib. 2. πολιτείας hoc Pindaricum & ipse vsurpat. est igitur: Vtrum iustitiã tuear: hoc

est, vtrum aperte Quinctum filium asperner, ac respuam, sicuti iustum est; an obliqua fraude vtens dissimulem. *ἀτρεκέα εἰπεῖν*] vere vt dicam. vsitatum loquendi genus apud Græcos, *ἀντὶ τοῦ, ὡς ἀτρέκεαν εἰπεῖν*. *Illud aptius:* illud, quod primum posuit de iustitia seruanda. *Sed hoc*] obliqua fraude vti, & dissimulare. *Idem mihi, &c.*] sequar consilium & sententiam tuam. *Opprimar.*] ne veniat ad me Quinctus filius, dum in Tusculano sum. ego autem alicubi mallem, vbi maior esset hominum frequentia. nam in turba facilius dissimularem. epist. 39. Illum, inquit, hic excipere nolo. *Asturæ?*] melius esset Quinctum excipere? sed quid? Cæsar videtur Asturæ cum illo iam affuturus. iuua me igitur consilio. Asturam autem postea Cæsar cum venisset, apud Ciceronem cenauit. epist. 4. lib. 14.

IN EPISTOLAM XXXIX.

Vanitatem:] Quincti filij; qui ad patrem scripserit, domo sibi carendum propter matrem: at quam matrem? plenam pietatis. *Hic autem*] Quinctus pater. *Langueſcit,*] filio placari cœpit. *Sed vtar, &c.*] non agam acerbe cum Quincto filio, sed in congressu acceptam iniuriam dissimulabo. tibi enim ita video placere. *In scribendo hæreo.*] totus in scribendo sum. scribebat autem quæstiones Tusculanas. *Brutum, &c.*] Brutum ais eadem de rep. sentire. bene est. sed nisi hoc esset; id est, nisi recte sentiret; non ego, vt ei reditum gratularer, Romam redirem. neque enim ista res tanti esset, vt me cogere posset: verum ideo veniam, quia recte sentientem libenter video. *Vnde mallem:*] mallem, victoribus Pompeij liberis obuiam iuissem, quam Cæsari. *Totius itineris*] obuiam Cæsari longe prodierat, cum eodemque reuertebat. epist. 1. lib. 14. *Φιλόρρ, &c.*] de hoc libro, cuius video corruptum esse titulum, certi nihil esse potest. *Illum*] Cæsarem ad bonos viros *φιλαγέλια* ferre, hoc est, venire Romã eo consilio, vt remp. constituat. *Vbi eos?*] inueniet? *Suspendit.*] nisi forte Brutus simulat. *Fultum est?*] qui poterit hic simulatam personam sustinere? Translata verba, Suspendit, Fultum est. *φιλοτέχνημα illud tuum,*] iactantiæ plenum, a te positum Athenis in Parthenone templo. posuerat autẽ Atticus nomina Ahalæ & Bruti, vindicum libertatis: a quibus vtriusq; Brutus genus ducebat, paternum a Bruto, qui Tarquinium

ciecit,

eiecit, maternum a Seruilio Ahala, qui Q. Melium regnum appetentem occidit; vt ad imitationem præclari facinoris accendi Brutus deberet, Cæsaremque tyrannum interficere. *Quid faciant?*] etiam si nunc viuant Ahala & Brutus, quid faciant contra tam potentem tyrannum? *Omnium flagitiorum auctor,*] Hirtius potius, quam Cæsar. nam is ad Cæsarem Quincto filio aditū aperuit; (epist. 20. lib. 11.) vt quæcumque flagitia Quinctus committit, Cæsaris gratia fretus, Hirtio adscribi iure possint. *Bene de nostro.*] bene sentit de propinquo nostro, id est de Quincto filio. *At vellem, &c.*] vellem, Brutus aliquid de fabulis degustasset: certe Quinctū filium non amaret. sermones autem, quos & de ipso habuerat Quinctus acerbissimos, & item de Attico auunculo, fabulas appellat; quod a veritate nihilo minus abessent, quam fabulæ quibus fictæ res & commenticiæ narrantur. *Illum hic excipere*] Quinctum filium. hoc & in proxima epistola superiore, his verbis: Vereor, ne in Tusculano opprimar. in turba hæc essent faciliora. vtrum igitur Asturæ? *Pater hodie*] iturus erat. *Saxa Acrimonia,*] loci nomen ignoti. antiquiores libri Acrunoma. *Ego ipse κέτφωμα.*] leue quiddā sum, qui obiurgauerim fratrem filio iratum, a quo sum grauiter offensus. itaque posthac non obiurgabo. *Quid de aduentu meo censeas,*] ibidem paullo ante: Quid mihi auctor es? aduolo, an maneo?

IN EPISTOLAM XL.

Ego vero, &c.] Quincto fratri epistolam misi, a te scriptam ad sororem: vt videret, quæ scriberes. *Domo cessurum*] vide epist. 19. *Illum*] Quinctum filium. *Alterum mirabatur:*] mirabatur, filium commodas ad matrem litteras misisse, a qua paullo ante sciret illum fuisse alienissimū. *Suam culpam,*] quod filius nullas ad te litteras misisset, in eo suam ipse culpam frater agnoscebat, qui sæpe grauiter ad filium de tua in illum iniuria scripsisset. *Dicit:*] frater, qui se aiebat filio pæne placatum. epist. 38. *Me non fore:*] sicuti fueram: non fore inquam iratum Quincto filio. id autem simulaui, ex tuis litteris, in quibus vidi σκολιὰ tibi placere. ep. 38. *Mētio Canai.*] de Canai filia Quincto filio collocanda. sic enim explano, ex epistola sequenti. *Id consilium*] vt Quinctus

filius vxorem duceret. *Esset necesse.*] vt placaret ei re vera, non simulate. nostrarum enim discordiarum opinio valde illi ad vxorem inueniendam obesset. *Grauitatis:*] leues enim videri possimus, si, acceptis a Quincto filio grauissimis iniurijs, statim ei nos totos remittamus. *Vtriusque nostrum*] debemus vterque aut placari, aut iniuriarum memoriam retinere; cum vtrumque ille offenderit: etsi me quidem grauius, & apertius. epist. 37. *Afferet:*] de Quincto filio a nobis non alieno. *Nulla dubitatio*] quin placatos Quincto filio nos præbeamus. *Cras*] in vrbem veniam. *Commotus.*] de meo veniendi consilio.

IN EPISTOLAM XLI.

Venit ille ad me,] Quinctum filium intelligit. *Quod iter instet:*] quod mihi eundum cito sit ad bellum. *Tum periculosum, tum etiam turpe.*] periculosum, quia contra Parthos, gentem bellicosam, & iam Romanis cladibus insignē; turpe, propter æs alienum, & inopiam viatici. *Quæ res igitur*] te ad huiusmodi bellum extrudit inuitum? *Æs alienum*] in vrbe. quod quia non est vnde dissoluam, appellationes creditorum fugiens ad bellum ire cogor. *Sumpsi quiddam de tua eloquentia:*] te sum imitatus, tacere solitum in ijs rebus, quæ tibi minus placent. argute, silentium Attici vocat eloquentiam. *Tacui.*] quod ad viaticum ego quidem nihil ei pecuniæ conferre vellem. *Auunculus.*] Atticus. *Quam ducerem,*] vxorem. *Rem probo.*] vxorem ducam arbitratu matris, & auunculi: de tempore ipsi statuant. *Censeo prius, quam proficiscaris.*] censeo prius vxorem ducas, quam ad bellum proficiscaris. *Patri quoque*] non solum matri, & auunculo. *Aderis igitur.*] venies in Tusculanum, vt natalem meum vna celebremus. *Scripseram iam:*] cum hoc scripsissem, ecce tibi litteræ a M. Lepido consule, quibus orat, &c. *Vt veniam,*] Romam, quod augur sim. *Augures nihil habere,*] quod opponant. nam, si quid obijcerent, quo minus liceret effari templum Saturni; ego non accerferer. *Ad templum effandum:*] effari templa dicuntur, cum ab auguribus effantur qui in his fines sunt. & Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sint finem. hæc Varro. Seruius autem vbi illud Virgilianum explanat, *Sic effatus vestigia pressit*, proprie, inquit, effata sunt augurum preces: vn-

de ager

de ager post pomeria vocabatur effatus, vbi captabantur auguria. Et Liuius lib. 10. in pugna ad Luceriã facta Iouis Statoris ædem scribit votam, vt Romulus ante vouerat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus sacratus fuerat. Et Gellius ex augurum libris pomerium ita definit: Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auspicij. eodemque cap. Auentinum montem, inquit, neque Ser. Tullius rex, neque Sulla, neque postea Cæsar, cum pomerium proferret, intra effatos vrbis fines incluserunt. Cicero autem lib. 2. de legibus: Vrbem, agros, & templa liberata & effata habento. Et pro domo sua: Nec institutas cærimonias persequi, nec verbum vllum sollemne potuit effari. Neque solum in templorum dedicationibus, sed etiam in fœderibus verbum Effari, animaduertimus vsurpatum. vt apud Liuium lib. 1. Fetialis M. Valerius patrem patratum Sp. Fusium facit, verbena caput capillosque tangens: fœdus multis verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. *Saturni ἀκρόνυκτος*] Saturni immitis, siue implacabilis: tale enim eius astrum, vt inter astrologos omnes conuenit. *Videbimus te igitur.*] Romæ.

IN EPISTOLAM XLII.

Vtar prorogatione diei:] cum Atticus Ciceroni scripsisset, auctionem hortorum Scapulanorum vltra idus esse reiectã; respondet, se non iturum Romam qua constituerat die, sed vsurum prorogatione diei. supra, epist. 33. Facies, inquit, me certiorem de idibus. ista enim me res adducebat: eo adiunxeram ceteras; quas consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero. & fortasse fuit hæc epistola ante proximam superiorem collocanda. *Ab ludis*] cum alij spectaculis operam dant, tu ad me scripsisti. humanitatem igitur tuam agnosco. vel, Ab ludis, cum tu simul cum Attica spectares. spectauit enim Attica, vt in epistola sequenti; nec, puto, sine patre. *Consequemur biduo post.*] conficiemus. Idem scribit epist. 33. his verbis: Ista me res Romam adducebat: eo adiunxeram ceteras; quas consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero.

Acerba pompa.] acerbum, quod scripsisti de pompa. pompam autem intelligit Circensem, qua Cæsaris signum inter deorum signa gestatum est decreto senatus. Dio historiarũ lib. 43. & Suetonius in Iulio. *Vel de Cotta.*] vel id, quod scribis de Cotta percrebescere. Percrebuerat enim, vt ait Suetonius in Iulio, L. Cottam x v. virum sententiam dicturum proximo senatu, vt, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur. quæ causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Idem in secundo de diuinatione legitur, ita scriptum: Sibyllæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres nuper falsa quadam hominũ fama dicturus in senatu putabatur, eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoq; esse regem, si salui esse vellemus. *Propter malum vicinum, &c.*] cum in pompa signum Victoriæ, quæ apud Romanos vt dea colebatur, per ora populi veheretur, populus contra consuetudinem plausum non dedit, ne Cæsari dare videretur, cuius signum prope Victoriæ signum gestabatur: sed Cicero circuitione vtens, Victoriæ malum vicinum Cæsarem appellat. *Ne Victoriæ quidem*] cui maxime plaudi soleret. *Aliquid ad Cæsarem.*] scribere. *Sed pompam videret.*] opinor hoc intelligi: Non videtur ad eum esse scribendum, qui iam colatur vt Deus, cũ in sollemni pompa inter deorum statuas eius quoque statua gestetur. quidquid enim scripsero, fastidiet. In eandem sententiam scripsit epist. 28. Quid, tu, inquit, hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? Est autem antiquis scriptoribus vsitata locutio: vt apud hunc ipsum lib. 3. de officijs: Male Curio, cum caussam transpadanorum æquam esse dicebat: semper autem addebat, Vincat vtilitas. potius diceret, non esse æquam, quia non esset vtilis reipublicæ, &c. pro dicere debebat. & alibi. *Tu tamen, &c.*] respondet ad aliam partem epistolæ ab Attico acceptæ. Tu tamen ausus es Varroni dare quattuor Academicos, quamquam ego sæpe ad te scripserim me dubitare, num essent dandi. epist. 21. 22. 25. & 33. *Probo.*] quod eam ludis interesse volueris. *Spectatione,*] ludorum. *Religionũ*]

ligionis] quia videret deorum simulacra in Circensi pompa gestari. Circenses autem ludos Cæsar dedit, & in Circensi pompa, quæ ante ludos ducebatur, ferculo tamquam deus simul cum alijs dijs gestatus est. Suetonius de Cæsaris ferculo: Dionysius de Circensi pompa. *Cottam, &c.*] tres libros intelligit, cum dicit, Cottam, Libonem, Cascam. & de Libonis annali, quem scribit secum habere, epist. 30. & 33. *Ante Cascam.*] ante Libonem Cascam habueram. *T. Ligarii*] fratris eius, pro quo est oratio. *Pharnaci, Antæo, Saluio,*] librarijs tuis. *Tollatur.*] idque factum. nam in oratione Ligariana Curfidius nusquam appellatur.

IN EPISTOLAM XLIV.

Quam illæ Diocharinæ:] probo coniecturam viri optimi, & in primis eruditi, Petri Antonij Montagnani, qui legendũ existimat, Illæ Diocharinæ: vt litteræ, vel epistolæ significentur, a Diochare scriptæ, Cæsaris liberto, qui nominatur epist. 6. lib. 11. *Ad ludos omnia pararet,*] cum ædilis esset. ædiles autem sollemnes ludos curabant. vnde illud Ciceronis: Sunto ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorumque sollemniũ: lib. 3. de legibus, sexto in Verrem, tertio ad Quinctum fratrem, alibi. de Lamiæ vero ædilitate, in epist. fam. epist. 16. lib. 11. *Ante eam diem*] qua ludi Romani committi solerent. *Dies feriarum*] diutius possum quasi feriari, quando auctionem Brinnianam scribis esse dilatam, cuius caussa Romam cogitaueram. Neque dubium est, Brinnianam auctionẽ intelligi, cum inferat; Quam diu feriari possim, de Egnatio scire poteris. quem coheredibus Brinnianis amicum & familiarem fuisse, iam ante ostendit. epist. 34. scribit enim sic: Tu velim, si graue non erit, efficias, ne ante nonas mihi illuc veniendum sit. id potes per Egnatium Maximum. & epist. 12. De Brinniana auctione accepi a Vestorio litteras. at, rem ad me collatam ad 11x. Kal. Quinctilis. dices igitur vel amico tuo, vel Othoni coheredi meo, vel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem; me circiter nonas in Tusculano fore. idemque epistola decima octaua. *Torquati caussa*] vt agam de eius re cum Dolabella. vide epistola 9. & 21. *Puteolos*] vt cretionem Cluuij, & rationem testamenti cognoscerem. hoc autem ei curandum erat, qui sciret

se a Cluuio heredem institutum. epist. 46. huius libri, & 5. lib. 16. *Ad tempus*] vt aduenientem Cæsarem possim excipere. Et infra epist. 46. Puteolos, inquit, non fuit eundum, cum ob ea, quæ ad te scripsi, tum quod Cæsar adest. *Multos nummos*] a Cluuio relictos. *Domi*] Cluuij. *Diuidi.*] coheredibus. *Auctionem*] bonorum Cluuianorum. epist. 37. *Præterprædia*] exceptis prædijs Cluuianis: forte, vt integrum esset Cæsari, si quod eorum concedere amicis, aut familiaribus vellet. Et infra in epistola proxima: Etiam de hortis Cluuianis egi cum Balbo liberalius: se enim statim ad Cæsarem scripturum. Horti enim auctionem non subibant, cum inter prædia numerarentur. & videtur vnus ex coheredibus Cæsar fuisse: cuius res Balbus curabat. *Quid tibi placeat.*] vtrum auctioni Brinnianę Vestorium præficiam, an ipsi nostrum negotium curemus, ne negligentiores esse videamur. *Item te fecisse*] scripsisse ad Vestorium, de auctionis curatione. erat autem is hoc tempore Puteolis, hoc est in patria. epist. 17. lib. 4. & 48. huius libri. *Hoc satis videtur.*] satis esse puto, si Vestorius interfit auctioni; qui & diligens homo est, & officiosus. *Negligentiores*] qui nostram rem non agamus, alteri mandantes. *Pollux*] Puteolis profectus.

IN EPISTOLAM XLV.

Plane pollex, non index.] nullas a Vestorio litteras attulit, vt cognoscere quidquam possem de cretione Cluuij. itaque fuit plane pollex, non index. Iocus in ambiguitate nominis. pollex enim etiam digitus in manu: quem index pone sequitur. *Cognosces igitur ex ipso.*] ex ipso Pollice, quem ad te mitto, cognosces, cur ei Vestorius nihil dederit litterarum. epist. 46. Tu velim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias. ex quo apparet, a Cicerone ad Atticum iuisse. *De sua vi in curatione laborans,*] vt aliqua sibi curatio daretur munerum regionum, hoc est, ludorum, qui apparabantur in Cæsaris aduentum per omnes vrbis regiones. in epistola ad Leptam, De curatione, inquit, aliqua munerum regionum cum Oppio locutus sum. nam Balbum, posteaquam tu es profectus, non vidi. & Suetonius in Iulio: Edidit spectacula varij generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim vrbe tota.

tota. Quod autem legitur, Vi in; ego, vt dicam quod sentio, (quamquam possum falli vt humanus) corruptam suspicor lectionem. nec vero verbum Vis quot modis accipiatur, ignoro. sed hic, vt quidem ego existimo, locum non habet. Alberti Ferri liber habet, Re sua in ratione laborans. *In eo autem Lanuino,*] pater meus impresserat in suis libris, Meo autem Lanuuio: alij, Me autem Laniuio: ego, In eo autē Lanuino, nulla prope mutatione, correctionem indicante sententia, vel ipso potius Cicerone; cuius hæc sunt verba epist. 47. Cum mihi Balbus nuper in Lanuino dixisset, se, & Oppiū scripsisse ad Cęsarē, me legisse libros contra Catonē, & vehementer probasse; consctipsi de his ipsis libris epistolam Cæsari. Lanuinum autem, prædium in agro Lanuino: vt Formianum, Pompeianum, & similia. supra, epist. 8. lib. 9. De Lanuino, statim, vt audiui Phameam mortuum, optaui, vt id aliquis emeret meorum. & epist. 11. lib. 9. *Ex eo hoc primum*] cognoui. quid autem est, quod ex Balbo primum cognouit? eum tradidisse Lepido Lanuinum. *Acceperam.*] Lamia paullo ante mihi ostenderat eas litteras, in quibus hoc Cæsar magnopere confirmat, se ante ludos Romanos afturum. epist. 21. *Legi epistolam.*] Balbo a Cæsare missam. *Meo Catone:*] intelligit librum a se scriptum de laudibus Catonis. epist. 38. lib. 12. *Bruti Catone*] Brutus Catonis auunculi consiliū, qui se interfecerat, edito libro reprehendit. Plutarchus. *Disertum.*] his verbis Cæsar ostendebat, Ciceronis consilium sibi non placere, qui Catonem laudaret; Bruti placere, qui reprehenderet. res enim in Bruto, in Cicerone verba laudat. *Cretionem Cluuii*] Cernere, vt ait Festus, quandoque valet hereditatem adire. inde cretio, hereditatis aditio. epist. 12. lib. 11. Galeonis hereditatē creui. puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. & apud Varr. de lingua Latina: Quod in testamentis, crento: id est, facito videat te heredem esse: itaque in cretione iubent adhiberi testes. sic enim est legendum, non, vt in omnibus libris, creatione. & apud iurisconsultos. Explano igitur sic: Ex eo cognoui cretionem Cluuij: id est, quid in testamento Cluuij scriptum sit. *Negligentem,*] qui nihil significauerit. paullo post aperte. *Liberam,*] vt quiuis posset interesse, cum testamentum recitaretur. *Ille*] Vestorius. *Arcessendus*] huc,

vt ei mandarem aliquid de cretione. *Vt meo iussu cernat.*] vt adeat hereditatem, mihi a Cluuio relictam: id est, vt actionem curet faciundam eorum bonorum, quæ mihi, & T. Hordeonio Cluuius legauit: itaque cernat, hoc est, meam partem capiat meo nomine. *Idem igitur Pollex*] idem Pollex, qui a Vestorio venit, remittendus est ad eum, vt meo iussu cernat. In epistola, quæ sequitur proxima, Idem, inquit, Pollex remittendus est, vt ille cernat. *De hortis Cluuianis*] ostendi Balbo, me cupere Cluuianos hortos: respondit liberaliter, se esse de ijs hortis ad Cæsarem scripturum. Hoc autem, quia bonorum Cluuianorum auctio futura erat, prædijs exceptis, de quibus Cæsar suum arbitrium esse vellet. itaque & paullo ante, Lamia, inquit, a Balbo audiuerat, auctionem, præter prædia, primo quoque tempore fieri oportere. *Cluuium autem*] refertur ad verbum, Cognoui. *A T. Hordeonio*] hic haud dubie constat, heredes Cluuij fuisse Hordeonium, & Ciceronem. quamquam & alij erant, vt apparet epist. 5. lib. 16. Est autem hic, vt opinor, C. Cluuius Puteolanus, quem commendat Q. Thermo in epist. fam. ep. 56. lib. 13. Et, Legare ab Hordeonio Terentiæ, pura locutio: vt si diceret, Iubere vt Hordeonius Terentiæ numeraret. Pro Cluentio: Grandem ei pecuniam legat a filio, si qui natus esset; ab secundo herede nihil legat. Et in Topicis, Pater familias vxori ancillarum vsumfructum legauit a filio. Eademque figura dixit epist. 17. lib. 7. Quinctus frater laborat, vt tibi, quod debet, ab Egnatio soluat. & epist. 21. lib. 5. *H-S* ɪɔɔɔ] vt Terentiæ daret scutatos 150. præterea in sepulcrum, multaque res pecuniæ quiddam erogaret. *Nihil a nobis.*] ita meliore ego conditione sum, quam Hordeonius, coheres meus. illi enim de sua parte detrahendum est, quod Terentiæ soluat, quod sepulcro, multisq; rebus, mihi prorsus nihil. *Balbo.*] significasse. *Ne per meos quidem.*] erat enim apud Vestorium Ciceronis puer, ob hoc ipsum existimo, vt esset qui cretionē Cluuij statim significare posset. quod epistolæ clausula declarat. *Quinto delegabo,*] Delegare dicimur, cum id, quod nostrum est, ad alium transferimus: vt de Oratore lib. 2. Hæc ipsa, quæ nunc ad me delegare vis, ea semper inter præstantia fuerunt. Et ad hunc ipsum epist. 13. lib. 12. Balbi regia condicio est delegandi. Cum igitur, inquit, ęs meum alienum

num dissoluero, & emero ea, quæ mihi emenda sunt; tum, si quid pecuniæ supererit, tradam Quincto fratri: sed puto fore, vt etiam æs alienum mihi sit faciendum ex emptionibus: tantum abest, vt pecuniam sperem superaturam. *Testamenti.*] a Cluuio scripti.

IN EPISTOLAM XLVI.

Nisi Torquatus esset,] cuius causa hic me tenet. epist. 44. *Quod iusseras, edolaui.*] rude opus edolatur primum, deinde politur. a ligno ad scripta Cicero transtulit. *Illum,*] Marcum filium. *Qualuscumque est,*] hoc dicit, quia Marcus filius, qui se Athenas contulerat studiorum causa, tantos sumptus faciebat, vt assignata pecunia non sufficeret. ideoque etiam Atticus leuiter eum litteris castigauerat: quod indicat illud epist. 1. Ad Ciceronem ita scripsisti, vt neque seuerius, neque temperatius scribi potuerit. *Moderabimur*] modum illius sumptibus statuemus. *Vt ille cernat.*] vt Vestorius meo iussu hereditatem adeat. supra, Mittendum, inquit, est, vt meo iussu cernat. idem igitur Pollex. *Puteolos non fuit eundum,*] respicit ad illud, quod scripserat epist. 44. Nisi me Torquati causa teneret: satis erat dierum, vt Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire. *Ob ea, quæ ad te scripsi,*] ob Torquati causam, & Dolabellæ consuetudinem. *Magistrum molestum:*] magistrum: sic etiam appellat eum in fam. epist. 7. lib. 9. quia docebat Ciceronē, quonam modo se gereret aduersus Cęsarem, & quibus maxime rebus posset illius animum recolligere. Molestum: quod apud Ciceronem frequentior erat, quam ille, otij cupidus, voluisset. *Est ager.*] podagra laborabat. nam, in epistola ad Leptam, quam hoc ipso tempore scriptam manifestum est, Balbum, inquit, posteaquam tu es profectus, non vidi. tantis pedum doloribus afficitur, vt se conueniri nolit. *Domi.*] Romæ. sic epist. 41. lib. 12. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum. *Kalendis in Tusculanum recurram:*] dimisso senatu, statim in Tusculanū recurrā. *Cum illis*] cū Publilio, & sorore, ac matre. *Transigi*] de dote reddenda. nam & cum Publilia, quam duxit, dimissa Terentia, diu ortiū fecerat. agebatur igitur de dote reddenda. ep. 34. Illud in primis cū Publilio, me pæne absente, conficies. *Quod tibi satis sit,*]

in qua tamen ea de te scripta sint, quæ tibi satisfacere possint. *Accurram.*] Romam. *Opinor ex Vncia:*] puto Cæsarem Babulij heredem esse ex vncia: etsi de hoc nihil adhuc intellexi. Vniuersa hereditas nomine assis, aut libræ significatur. heres igitur ex vncia dicitur is, ad quem duodecima pars omnium bonorum pertinet: heres ex triente, ad quem quarta. *Si accierit,*] vt ego eum in hoc negotio Cæsaris amicis, meis familiaribus, commendem. Valebat autem gratia Tullius apud eos, qui apud Cæsarem multum poterant. itaque eundem Leptam paullo ante Balbo commendauerat in curatione ludorum. & in epistola ad Gallum: Olim, cum regnare existimabamur, non tam ab vllis, quam hoc tempore obseruor a familiarissimis Cæsaris. *Cum poteris.*] mitte ad me, vt ego eum ad Vestorium remittam cretionis caussa.

IN EPISTOLAM XLVII.

Correctam:] correxit eam, ab Attico admonitus. supra enim epist. 37. Laudationem, inquit, Porciæ gaudeo me ante dedisse Leptæ tabellario, quam tuas acceperim litteras. eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendâ Domitio & Bruto. *Hæc mitteretur.*] hæc, quam correxi: ad differentiam prioris, quam ante Attico miserat, Leptæ tabellario data. epist. 37. *Varronis, & Lollii*] qui & ipsi Porciam laudauerant. *De Tigellio,*] tibicine, & cantore, Cæsaris familiari, Phameæ nepote. Placet epistolæ partem subijcere, quam hac de re scripsit ad M. Fabium Gallum: sic igitur scribit: Phameæ caussam susceperam, ipsius quidē caussa: erat enim mihi sane familiaris. is ad me venit, dixitq; iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. respondi, nullo modo me facere posse: quem vellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. ille autem, qui sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum cantorem, discessit a me, vt mihi videbatur, iratior. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Etiam Horatius, Sardum fuisse Tigellium, & Cæsaris amicum, his versibus ostendit:

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum cantare, rogati;
Iniussi, numquam desistant. Sardus habebat

Ille

Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ouo
Vsque ad mala citaret, Io Bacchæ.

Lege Pompeia] quæ, testibus datis, vno die atque eodem & ab accusatore, & ab reo perorari iubebat, ita vt duæ horæ accusatori, tres reo darentur. hoc Pedianus. In libro autem de claris oratoribus: Lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas, vel potius easdem noui veniebamus quotidie. *In consilium iri*] ire in consilium dicuntur iudices, cum, audita & cognita causa, in vnum coeunt, de re, vel de reo sententias laturi. *Illorum iudiciorum*] quæ fiunt lege Pompeia, de ambitu, & de vi. Pedianus. *Præstitutos*] vt, iis diebus prætermissis, in alios dies reiicere causas non liceret. quo fiebat, vt die præstituto causam agere patronus cogeretur. Pedianus. *Quid ego deberem Sextio:*] qui Ciceronis restitutionem in tribunatu præcipue iuuerat; vt in oratione pro ipso. *Alieni*] qui mihi arta necessitudine deuinctus antea non fuisset, quale illud in epistola ad Lentulum: Enitor, vt neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. Et pro Murena: Ea condicione videbatur nobis in ciuitate natus, vt eius opes & ingenium præsidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimicus esse deberet. Et ad Appium: Tuum factū iis, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis, (vt leuissime dicam) & fugientis congressum, meum vero coniunctissimi & amicissimi videtur esse. *Quid audissem:*] dixi Balbo, me audisse, Tigellium mihi esse iratum. *Neque nominaui Balbum minorem.*] non dixi, me id audisse a Balbo minore. Is enim, cum Tigellio familiariter vteretur, in consuetudine cognouerat, illius animum offensiorē esse Ciceroni propter Phameam; eaque de re certiorem fecerat Ciceronem. *Habuit suum negotium Gallus,*] hac de re ita laborauit, vt ipsius res si ageretur. duxit suum negotium. eadem figura vsus est epist. 22. *Ait illum*] cum Tigellio Gallus dixisset, Ciceronem audisse, sibi illum esse iratum; respondit Tigellius, Ciceronem id a nemine audiuisse, sed animi conscientia id de se suspicari, quia Phameam destituisset. *Ait illum*] ait Gallus Tigellium dicere, me animi conscientia, &c. *Hactenus mando,*] hoc tan-

tum tibi mando: de me ne quid labores. *De illo nostro,*] de Balbo minore: cognosce de Balbo, quo animo Tigellius in me sit. epist. 48. *Et quemadmodum*]mallem, Quemadmodum, &c. *Non omnibus seruire.*]epistolæ, quam scripsit ad Gallum, cuius partem supra recitauimus, principiũ hoc est: Amoris quidem tui, quoquo me verti, vestigia, vel proxime de Tigellio. sensi enim ex litteris tuis valde te laborasse. amo igitur voluntatẽ. sed pauca de re. Capius, opinor, olim, Non omnibus dormio: sic ego non omnibus, mi Galle, seruio.

IN EPISTOLAM XLIIX.

Libros contra Catonem,] a Cæsare scriptos. epist. 38. lib. 12. *Ad Dolabellam:*]vt is eam Cæsari redderet. *Mancipio dari*]vendi lege mancipij. *Pro mea parte*]nam etiam ad alios, quos heredes cum Cicerone Brinnius reliquerat, is fundus pertinebat. epist. 13. *Vt ipse ei, &c.*]vt caueretur Hetereio; cui si fundum iniussu Ciceronis Vestorius dedisset, non bene dedisset. *Cum Tigellio,*]egisse de reconciliatione. epist. 49. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum. *Velut hoc ipsum*]trãsit a re sua ad aliam rem: hoc saltem cum eo agere debuisti, quantum ei Cęsar donauerit obuiam profecto. scire enim cupio. *Nec tamen flocci facio.*] quamquã hoc apud me minimum est: ne flocci quidem facio. Intellectum est, (inquit epist. 15. lib. 4.) tres ἀρετοπυγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique rempub. flocci non facere. *Quid cogitem de obuiam itione.*] quam longe Cæsari cogitem obuiam prodire. *Nisi Alsium?*]Alsium vsque obuiam ibo, non vltra. *De hospitio?* vt me Alsij hospitio acciperet. *Profectum.*] opinor Alsij non esse, obuiam Cæsari cum Matio profectum. *Sallustius igitur Virgebitur.*]Sallustij igitur hospitio vtemur. *Silius*]Sallustius, legendum videtur: cum proxime dixerit, Sallustius igitur virgebitur: vel vtrobique, Silius. *Totam Sillam*] itaque nobis in ea locus non esset.

IN EPISTOLAM XLIX.

Vt me puderet tui,]noli putare, me tibi eius epistolæ exẽplum ideo nõ misisse, quasi puderet me tibi eam nimis assentatorie

tatorie scriptam ostendere. tale enim in ea nihil est. nec aliter scripsi, ac si scriberē ad æqualem. nam, quod illius libros contra Catonem laudaui, non sum assentatus; bene enim existimo de illis libris. *Ne ridicule Micillus.*] donec melius inuenero, sequar eorum opinionem, qui sic interpretantur: Assentatorie nō scripsi; ne ridicule quasi Micillus fierem; id est, me ipse indignum patria ostenderem, cum tyranno assentarer: sicuti illum apud Ouidium libro 15. Metam. iubet Hercules patriam deserere. *Mihi est exploratum.*] eam bene valere. Et dicit, Nunc demum; quia, cum Atticus antea scripsisset, eam febri carere, postea idem confirmauit. Nunc demum igitur, inquit, mihi est exploratum. *Totum mihi*] restitue. Erat enim iratus Ciceroni propter Phameam. ep. sequenti. *Quinctus cras,*] Quinctus filius cras Romā veniet, id est 11x. Kal. sic enim ad me scripsit. *Ad me, an ad te*] domum meam an tuam. *Romam 11x. Kal.*] subaudi, se esse venturum. *Veniendum est,*] mihi ipsi. *Ille*] Cæsar, qui ab Hispanensi bello reuertebat.

IN EPISTOLAM L.

Hospitem mihi tam grauem ἀμεταμέλυτον:] non pænitet Cæsarem apud me cenasse. locutio similis epist. 43. Suaues tuas litteras: etsi acerba pompa. & epist. 5. lib. 14. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas. *Ad Philippum*] affinem, quod Atiam, Iulia Cæsaris sorore natam, in matrimonio habebat. Plutarchus in Cicerone. *Villa*] in Pompeiano, vbi Ciceronis quoque villa erat. *Sum commotus,*] quia Cæsar postridie apud me cenaturus erat. *Barba Cassius*] hunc inter naufragia Cæsaris amicorum nominat in Philippica 13. *Custodes dedit.*] dedit, qui meam villam custodirent, & ex militibus neminem introire paterentur. *Castra in agro,*] milites igitur omnes in agro discubuerunt. Et Castra pro militibus posuit, poetice, & quasi periocum; vt cum infert, Villa defensa est: pro, ex militibus nemo villam introiuit. *Rationes, opinor, cum Balbo.*] puto; rationes confecit cum L. Cornelio Balbo; qui Cæsaris negotia procurabat. epist. 3. lib. 7. de pecunia videlicet, quam Balbus ex publicis vectigalibus Cæsaris nomine exegerat. *Audiuit*] qui eum alloqui, aut rogare aliqua de re voluerunt.

De Mamurra] hic Cæsaris præfectus fabrum fuerat in Gallia, & ad opes tantas peruenerat, vt parietes totius domus suæ, quod a Plinio in scriptis relictum est, crusta marmoris primus operuerit, idemque primus nullam totis ædibus, nisi e marmore, columnam habuerit, solidas omnes e Carystio aut Lunẽsi. opinor eum ob luxuriam hanc, immoderatumque sumptum lege sumptuaria Cæsaris esse damnatum; nec Cæsarem id mutasse, quippe qui negligi suas leges nollet. ep. 7. Venisse a Cęsare narrabat litteras: hoc scribere, sibi certũ esse Romæ manere: causſamque eam adscribere, ne se absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. Et Suetonius, Ius, inquit, laboriosissime, & seueriſſime dixit, legem præcipue sumptuariam exercuit. Non enim arbitror legem sumptuariam de obsoniis dumtaxat fuisse, verum de omnibus rebus, in quas pecunia supra modum erogaretur. *Accubuit:*] vt ederet. Post balneum accumbebant veteres in lecto, cibi capiendi gratia. quem Plinius lib 14. cap. 22. morem ostendit. Ne putemus Cæsarem solum accubuisse in Ciceronis villa: nam & Ciceronem ipsum, & præterea Philippum, & Balbum, fortasse etiam Cassium, in eodem triclinio cum eo cenatos esse credibile videtur. Ἐμετικὴν *agebat:*] non est, vomebat: (nam vomebatur post cenam, non ante: idque ratio medicinæ postulat) sed, vomitionem parabat: itaque, cum vomere decreuisset, nullum cibi genus vitauit: edit, & bibit ἀδιεῶς, & iucũde. Ἐμετικὴν adiectiuum nomen est: subaudiri videtur, διασκευὴν, vel aliquid simile. *Opipare*] hoc ad copiam refertur. *Apparate:*] diligentia significatur. *Sermone bono,*] de cena ipsa, non de sermone, loquitur hic Cicero, de sermone autem infra, cum ait: σωκρατικὸν ἀδὲν in sermone, φιλόλογα multa. itaque interdum putaui hoc totum abundare, Sermone bono, si quęris, libenter. nam, ad cenam hoc tantum attinebat, Bene, cocto, condito. quod autem sequitur, additũ fortasse ab aliquo, qui supplere versum Lucilij voluerit, a quo sumptum illud videret, Bene, cocto, condito. hanc ego capio coniecturam ex libro 2. de Fin. in quo est: Quid bene? dicet Lucilius, Cocto, condito. Sed cedo caput cenæ. Sermone bono. Quid ex eo? si quæris, libenter. Quæ si componantur, Lucilij versus erit huiusmodi,

Quid.

——*Quid bene? cocto,*
Condito, sermone bono, si quæris, libenter.

Tribus triclinius] in vno liberti lautiores, in altero minus lauti, in tertio discubuere serui. οἱ περὶ αὐτὸν] qui circa illum erant, alij aliis muneribus præpositi. Hos diuidit in libertos, & seruos: libertos autem in lautiores, & minus lautos. *Valde copiose.*] copiose omnes, non omnes tamen eleganter. nam, lautiores tantum liberti, vt infra legitur, eleganter accepti. *Homines*] inest interdum laus in hoc verbo, vt hic, & epist. 2. lib. 2. Ἡρῴδης, si homo esset, eum potius legeret, quam vnam litteram scriberet. Nero imperator, nouis ædibus post vrbis incendium exstructis, tandem se quasi hominem aiebat habitare cœpisse. *Non is,*] quia sumptu exiguo accipi non potest. *Amabo te, eodem ad me, cum reuertere.*] superuacaneum videtur Ad me, cum dixerit, Eodem. *Siue ἐπισταθμίαν.*] siue diuersorium potius. nam, ad hospitium non ita frequentes ire soliti sunt. *Odiosam,*] ob curam apparandi. *Non molestam.*] ostendit se non laborare de sumptu. *Præteriret,*] Cæsar. *Dextra, sinistra,*] sine copula, vt Sallustius quoque in Iugurtha: Circumuentus ab equitibus dextra sinistra. *Nec vsquam alibi.*] quasi ab vno Dolabella timeret. *Nicia.*] Curtio Nicia, grammatico, Dolabellæ familiari. ep. 10. lib. 9. fam.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DECIMVMQVARTVM EPISTOLARUM Ciceronis ad Atticum.

IN EPISTOLAM I.

AD ILLVM,] sine dubio Matium intelligit: quem aperte nominat duabus epistolis, quæ post proximam inferiorem leguntur. &, si loca conferas inter se, Matium hic significari non obscure videbis: quem quidem & Caluenam, & Madarum, ficto nomine, appellat epist. 5. & 9. *Nihil perditius:*] aiebat, subintelligitur: vt sit sensus: repub. nihil aiebat esse perditius, nihil desperatius; periisse omnia. *Explicari rem non posse.*] hoc dicebat, rempub. interitu Cæsaris ita esse perturbatam, vt constitui nullius consilio posset. quis enim id poterit, quod Cæsar ipse, tali præditus ingenio, non potuit? *Gaudens:*] gaudebat Matius tanta perturbatione reipub. vtpote qui cuperet mortem Cæsaris omnibus esse acerbam. quod ipse in epistola, quæ legitur libro vndecimo famil. in extremo, perspicue dicit. *Tumultum Gallicum.*] putat futurum, vt Galli, audita Cæsaris morte, deficiant a nobis, &, nostram dissensionem suam occasionem putantes, arma capiant. Idem epist. 4. his verbis: Doleo, quod numquam in vlla ciuitate accidit, non vna cum libertate remp. recuperatam. horribile est, quæ loquantur, quæ minitentur. ac vereor Gallica etiam bella. & epist. 8. Quid Galli, quid Hispania, quid Sextus agat, vehementer exspecto. item epist. 9. *Post idus Martij,*] quo die Cæsar fuerat interfectus. *Prater quam Lepidi,*]

pidi,] hoc dicebat Matius, vt ostenderet, nulla se inire consilia contra remp. qui Cæsarianorum sermonibus nollet interesse, cum tamen in Cæsaris amicissimis fuisset. *Lepidi,*] mallem, Lepido. *Illum*] Cæsarem. *Quod quemquam bonum offendat.*] quasi Matius non prudenter faceret, qui bonis odiosa loqueretur. *De Sexto*] Pompeio, Magni filio. *Satis ne certum:*] eum esse in armis. epist. 4. & 13. *De Bruto nostro:*] scribe, si quid habes de Bruto nostro. Brutus enim Antonium timens, & populum ab eo concitatum, vrbe excesserat, Antijque morabatur, vt, cum primum plebis iracũdia deferbuisset, recurreret. Plutarchus, & alij. *De quo quidem, &c.*] de Bruto Matius aiebat Cæsarem solitum dicere: Magni refert, & quæ sequuntur. eadem verba Plutarchus in Bruto refert. *Eum*] Cæsarem. *Cum pro Deiotaro Niceæ dixerit,*] Deiotaro: Bithyniæ rege, qui pro Pompeio contra Cæsarem in Pharsalia pugnauerat. Niceæ: Bithyniæ vrbe. dixerit: Brutus. cuius defensionis mentionem facit Plutarchus, & Tacitus in dialogo de oratoribus. *Vt quidq; succurrit,*] ex ijs, quæ mecũ Matius locutus est. *Apud eum*] cum ad Cæsarem venissem, vt agerem cum eo de P. Sextio restituendo, qui exsulabat, ambitus opinor crimine damnatus. nam ep. 46. lib. 13. apparet accusatum lege Pompeia, quæ de ambitu erat. vide, quæ diximus in commentario epist. 27. lib. 7. fam. *Et eiusmodi multa.*] mecum locutus est Matius.

IN EPISTOLAM II.

Theatrum, Publiumque cognoui,] plausum significat, qui P. Dolabellæ datus est, theatrum ingredienti. cum enim perditi homines (vt est in prima Philippica, & apud Suetonium in Iulio) columnam prope xx. pedum lapidis Numidici in honorem mortui Cæsaris in foro posuissent, & inscripsissent, PARENTI PATRIAE, vt Suetonius tradit: Dolabella columnam euertit, & ex ijs alios cruci affixit, alios de Capitolio præcipitauit. quod infra epist. 15. declaratur his verbis: O mirificum Dolabellam meum: iam enim dico meum: antea, crede mihi, subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quæris? heroica. & in fam. epistola 1. lib. 12. Manabat illud malum vrbanũ, & ita corroborabatur

quotidie, vt ego quidem & vrbi, & otio diffiderem vrbano; sed ita compressum est a Dolabella meo, vt mihi videamur omne iam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri. De theatri autem plausu quo magis perspicuum sit, verba subijciemus ex Philippica 1. Dicerem, inquit, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te paullisper esse expertum videremus. quem potes recordari in vita tibi illuxisse diem lætiorem, quam, cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, te domum recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ studia tum laudi & gratulationi tuæ se non obtulerunt? recordare quæso Dolabella consensum illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significauerunt se beneficio nouo memoriam doloris veteris abiecisse. *Bona signa*] e consensu illo multitudinis, qui perspectus est in theatro, videtur bene sperandum de rep. *L. Cassio*] is erat C. Cassij frater, eius, qui Cæsarem occiderat. in epistola ad C. Cassium de eodē plausu his verbis: Tuus necessarius affinitate noua delectatur: itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoque fratris tui plausu dirumpitur. Erat autem L. Cassius hoc tempore tribunus pl. vt in Philippica 3. & fuisse tres fratres, C. Q. L. supra diximus, lib. 5. epist. 21. *Datus*] in theatro. forte de ludis Apollinaribus significatur; quos C. Cassij, prætoris vrbani, nomine, collega eius C. Antonius dedit. Dio lib. 47. *Facetus*] cur facetus? quia quodam modo ridiculum erat, L. Cassium a populo plausum excipere propter ea, quæ Caius frater fecerat. Caius enim, non Lucius, remp. seruitute liberauerat interfecto Cæsare. *De Madaro*] de Matio. caluus enim Matius, vt infra: & caluus græce μαδαρός. præterea, idem agitur, quod in proxima superiore epistola: in qua Matium significari, manifestum est. *καλάκωμα*,] nullum meum σαλάκωμα fuit, nulla inanis iactantia, tamquam interitu Cæsaris recuperata rep. *Processi*] in via. *Aiebat*] Matius. *φαλάκρωμα*] Matium significat: sed caluitium appellat, quia caluus erat Matius. itaque eum & infra Caluenam vocat, epist. 5. & 9. *Habes φαλάκρωμα*] habes de Matio: habes, quod Matius mecum locutus est. φαλάκρωμα vero, quia Matius, vt iam diximus, caluus: & φαλακρὸς græce caluus. *Inimicissimum otii*,] qui quidem

quidem Matius inimicissimus otij videbatur, id est Bruti. nam, si, vt ille cupit, omnia miscentur: Brutus, qui Cæsare interfecto liberam fore, & sine vllo negotio remp. sperauit, opinione deceptus, ipse venit in dubium de sua salute. ita, qui inimicus otij, idem Bruti. *Tibi ignosco:*] qui illam tecum esse velis.

IN EPISTOLAM III.

Tranquilla] tranquilla nunciantes, & de rep. quæ volumus. *Matius posse negabat.*] negabat Matius otium fore diuturnum, sed impendere, & prope adesse omnium rerum perturbationem. Hic apparet, Matium fuisse illum, ad quem Cicero se scribit diuertisse in epistola huius libri prima; eundemque esse, quem in proxima superiore otij inimicissimum appellat. *Structores nostri,*] ij, quorum hic vtor opera ad villam ædificandam. Et paullo post Corumbum architectũ exspectat. *Profecti,*] Romam, vt emptum frumentum referrent. *πανικὸν certe.*] oportet hoc subitum quiddam fuisse, terroribus simile, quos Græci appellant *πανικά*. subitum hoc fuit Antonij consilium de frumento ad se comportando. nam, si diebus superioribus id curasset, tu mihi aliquid significasses. *Scripsisses enim.*] nisi hoc subitum quiddam, & plane *πανικὸν* esset, tu ad me scripsisses litteris superioribus. *Corumbus Balbi,*] subintellige, seruus. *Nullus adhuc,*] adhuc non venerat. Et Nullus, pro non, eleganter & antique positum: vt epist. 24. lib. 11. Philotimus nullus venit. epist. 23. lib. 15. Sextus ab armis nullus discedit. *Architectus.*] ideo Cicero eum exspectabat; vt haberet adiutorem, & consiliarium in ratione ædificandi. *Volunt*] Cæsariani, a quibus ad obsignationem testamenti adhibitus es. *Ita putare.*] vt tu scripsisti. *διάθεσιν.*] sensum, animumque in remp. *ἐπισυμασίαν*] quia populus, cum in theatrum, aut alio spectandi gratia conueniisset; quid de ciuibus sentiret, plausu & acclamatione significabat: vt epist. 19. lib. 2. Populi sensus maxime in theatro & spectaculis perspectus est. nam gladiatoribus qua dominus, qua aduocati sibilis consciss. & epist. 15. lib. 1. Ludis & gladiatoribus mirandas *ἐπισυμασίας* sine vlla pastoricia fistula auferebamus. & pro Sextio: Tribus locis si-

gnificari maxime potest populi R. iudicium, ac voluntas, concione, comitijs, ludorum gladiatorumque consessu.

IN EPISTOLAM IV.

Quid putas me Lanuuiit?] noui habere. *Istic*] Romæ. *Cum Matius,*] lib. 9. epist. 9. Matius ad me venit, homo, vt mihi visus est, temperatus, & prudens; existimatus quidem est semper auctor otij. Dicit igitur: Cum Matius, quem studiosum reip. putabamus, is nunc inimicissimus otij sit; quid censes ceteros? Paullo ante: Habes φαλάκρωμα, inimicissimum otij. *Minitentur.*] ij, qui Cæsaris mortem se dicunt persequi velle. *Ac vereor*] non modo ciuilem contentionem, sed Gallica etiam bella vereor. Verebatur autem e Matij sermone, qui affirmauerat, minus diebus xx. tumultum Gallicum. epist. 1. *Ipse Sextus*] etiam vereor, quid acturus sit Sex. Pompeius. mihi enim certum non est, vtrum hoc exercitu, quem habere dicitur, ad recuperandã remp. sit vsurus, an & ipse tyrannidem spectet Cæsaris exemplo. ne de ipso quidem Sexto securi, inquit, animi sum. *Quo euadat.*] quid acturus. *Omnia licet concurrant:*] vt omnia misceantur; me tamen semper idus Martiæ, quo die tyrannus est interfectus, voluptate afficient; hoc est, numquam erit, vt, quod idus Martijs transactum est, id cupiam infectum. Ἥρωες] Brutus, & alij, qui Cæsarem oppressérunt.

IN EPISTOLAM V.

Spero] dicit, Spero, quia nihil Atticus proximis litteris significauerat. spero te nunc recte valere. *Quam leuiter commotus esses.*] vt bene ominaretur, non dixit, Quam grauiter, aut, Quo modo, sed, Quam leuiter, vsus amicissimi animi significatione. *Caluena*] Matius. epist. 9. Omnia plena pacis, aliter, ac mihi Caluena dixerat. & epist. 3. Habes φαλάκρωμα. vbique de Matio. *Suspectum*] quasi Cæsarianum, & reip. id est libertati, non amicum. Cur autem signa bella dicit esse, quod Matius moleste ferret, se suspectum esse Bruto? quia, cum de Bruti gratia Matius laboraret, apparebat eum Cæsarianorum partibus diffidere, vt infirmis. *Cum signis.*] hoc, quod ad sententiam spectat, minime necessarium videbatur: (quis nescit sua cuique legioni esse signa?) sed addidit, vt

didit, vt quasi iocaretur ambiguo Signorum nomine. *Idem postulaturas?*] rumor enim erat, legiones, quæ in Gallia fuerant præsidij causſa, Romam venire, postulaturas, vt promissum sibi a Cæsare solueretur. *Transportauit*] in Græciam, ad bellum contra Parthos a Cæsare cogitatum. *Caninium*] non Annium. Φυρμὸς πολύς.] multa miscet & turbat aleator. item ego in nominibus, cum Annium pro Canio posui. *Nam ista, &c.*] ab ista quidem Cæsaris libertorum coniuratione haud magnopere timeo: quæ facile opprimeretur, si recta saperet consul Antonius. Eam postea cõiurationem alter consul oppressit Dolabella, vt est in Philippica prima. Cum serperet in vrbe infinitum malum, idque maneret in dies latius; ij demque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; & quotidie magis magisq; perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis vrbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellæ cũ in audaces sceleratosque seruos, tum in impuros & nefarios liberos, talisque euersio illius exsecratæ columnæ, vt mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo vno die dissensisse. Et in eadem aliquanto post: Quem potes recordari Dolabella in vita tibi illuxisse diem lætiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, te domum recepisti? Item alijs in locis. *Legari noluerim ante res prolatas,*] legationem liberam a senatu petere noluerat, ne remp. videretur deserere, illam quidem e seruitute ereptam Cæsaris interitu, sed nondum tamen plane confirmatam, Antonio & Lepido pernicioſa molientibus. exspectabat igitur anni tempus, quo nihil neque publice, neque priuatim ageretur; vt, vacatione omnibus concessa, honestius discederet. nam Prolatæ res dicebantur, cum omnes feriarentur. vide epist. 12. lib. 7. *Hunc rerum tumorem:*] interitum Cæsaris magnæ turbæ statim consecutæ sunt. eas Tumorem appellat, sumpta translatione a corporibus male affectis: ideoque infert, Mederi. etiam in epistola proxima superiore: Tument negotia. *Vides magistratus,*] qui Cæsaris partes fouebant, cum ab ipso creati essent. *Vides tamen, &c.*] se ipse corrigit, qui magistratus appellauerit eos, quos tyrannus constituerit: & vocandos potius ostendit, Tyranni satellites in im-

perijs. *Exercitus,*] qui, Cæſaris profectionem in Parthos exſpectantes, in vrbe manſerant. *In latere*] in Campania, nam agri Campani partem incolebant a Cæſare aſſignatam, hos poſtea quingenis denarijs Octauianus in ſuas partes traduxit. epiſt. 7. lib. 16. Εὐρίπισα.] mobilia, tamquam Euripus, qui ſæpius in die fluit, & refluit. timendum igitur, ne cõtra libertatis patronos, hoc eſt Cæſaris inimicos, moueantur. *Eos autem,*] intelligit maxime Brutum, & Caſſium. *Magni debebant eſſe,*] non placet, Magni. Beſſarionis liber, Magis edebant. vt fortaſſe, Vagi eſſe debebant, legendum ſit. vt indicet, non æquum eſſe, Brutum parietibus contineri; ſed vagum potius debere eſſe, libereque, quo vellet, ire. alij diligentius perpendant. mihi certe, Magni eſſe, non admodum ſatisfacit. *Parietibus contineri.*] quia Cæſarianorum metu prodire in forum non audebant. *Quo quo modo beati,*] etiam ſi parietibus contineantur, beati tamen, qui tam præclarum facinus conſciuerint. *Miſera.*] quæ, tyranno liberata, libera tamen non ſit. *Aduentus Octauij;*] cum, audita Cæſaris nece, Apollonia Romam venit. Velim, inquit ſcire, aduentus Octauij quid pariat. Νεωτερισμὸς] rerum nouarum, ex aduentu Octauij.

IN EPISTOLAM VI.

Primum igitur, &c.] primum cognoui, te rectius valere: deinde, bonam ſpem eſſe de rep. nam illa fuerant odioſa, legiones e Gallia venire. *Suſque deque.*] non laboro, in vtramque partem æquo animo ſum, ſiue ad eum concurſus fiant, ſiue non fiant. Quia paullo ante ſcripſerat: Velim ſcire quid aduentus Octauij, num qui concurſus ad eum; nunc, De Octauio, inquit, ſuſque deque. *De Mario:*] hic a Cæſare relegatus, quod impudenti mendacio C. Marij ſepties conſulis nepotem ſe eſſe dictitabat, qui re vera Erophilus eſſet Equarius medicus: poſtea reuerſus in vrbem Cæſare interfecto, cum de interficiendo ſenatu conſilium cepiſſet, pœnas dedit. hoc Cicero ſignificat Philippica 1. cum dicit: Liberatus cædis periculo ſenatus: vncus impactus eſt fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaſerat. & Valerius in lib. 9. & Appianus lib. 3. *Sublatum*] cum exſularet. ſic fere tyranni ſunt. quos in vrbe occidere non audent, eos primum aſtuto conſilio re-

filio relegant, deinde ab oculis populi remotos interfici mãdant. cum autem Cæsar hunc pseudoMarium relegasset, suspicabatur Cicero postea de medio sublatũ, ne quid vmquam nouare posset. *Colloquium cum heroibus nostris,*] cum ijs, qui Cæsarem occiderant. *Pro re nata*] vt se res habent. medium quiddam inter summum & minimum significatur. vide epist. 8. & 12. lib. 7. *Sextilii fundum*] hunc fundum Cæsar ademptum Sextilio, qui Pompeianas partes secutus erat, Verberoni Curtilio tradiderat. epist. 10. *Biennium,*] subaudi habebimus? *Quos ille voluit?*] quos Cæsar designauit? Cæsar enim, contra Parthos profecturus, consules & tribunos pl. designauit in biennium. Dio lib. 43. in extremo. *Exsultant lætitia*] propter interitum tyranni. *De re.*] de Cęsaris nece. *Nec vlla interea decreta*] a senatu, pro tyrannoctonis. πεπολιτεύμεθα,] remp. gessimus. *Victos*] Cæsarianos. hoc est, quod scribit in epistola ad Cassium contra M. Antonij potentiam: Dominum ferre non potuimus; conseruo seruimus.

IN EPISTOLAM VII.

Paullum] L. Æmilium Paullum, in consulatu collegam C. Marcelli, fratrem M. Lepidi. *De Mario*] pessime in remp. animato; vtpote qui de occidendo senatu cogitauit. epist. 6. & 8. *A te scilicet nihil.*] de his rebus tu nihil ad me dedisti litterarum: nec mirum: nemo enim meorum Roma profectus est, cui dare posses. *A Cicerone*] filio. *Cetera autem*] optabilia de moribus illius afferuntur: sed ea fingi possunt: doctiorem quidem ex ipsius litteris video esse. πίνος] elegantia. Suidas recitat Damasij locum his verbis: ὁ δὲ ἦν καὶ λέγειν ἱκανὸς, οὐ τοὺς νεωτέρους ἐκμιμησάμενος σοφιστὰς, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἀρχαῖον πίνον τῆς λογογραφίας ἀμιλλώμενος. *Si ergo est,*] hic aliquid desidero. non enim cum sequentibus apte coniungitur.

IN EPISTOLAM IIX.

Probe:] quod ei vncus est impactus pro facinore cogitato. epist. 7. *Nepotem.*] epist. 48. lib. 12. *Iuniam*] Bruti sororem, coniugem M. Lepidi. *Moderate, & amice scriptas*] a viro suo, M. Lepido, qui tunc erat in Gallia transalpina cum

exercitu. Moderate, & amice: cum in ijs litteris ostenderet, neque se illam potentiam velle, quæ supra leges esset; neque in eos, qui starent a partibus reip. aliter, ac deceret, esse animatum. *A fratre*] M. Lepido, Iuniæ viro. *Nec mihi placebat*,] cur? quia videbat, eos, qui insidias tenderent Lepido, otium non ferre, & res nouas quærere. *Reginæ*] Cleopatræ, Ægypti reginæ: quam Cæsar amauit, filiumque natum appellare suo nomine passus est: de quo intelligi puto epist. 20. De regina velim, atque etiam de Cæsare illo. Præterea, quam hic Reginam appellat, eam esse Cleopatram, argumento est etiam illud epist. 16. lib. 15. Reginam odi: me iure facere scit: sponsor promissorum eius Hammonius. Nam Hammonio & Ptolemæus, pater Cleopatræ, vsus fuerat legato, cum id ageret, vt a senatu in regnum restitueretur: vt est in epistola ad Lentulum: Hammonius regis legatus aperte pecunia nos oppugnat. *Fuga*] ex vrbe. venerat igitur Romam etiam post Cæsaris mortem. nam, ante Cæsar ipse accitam, cum habuisset in amoribus, postea remisit, maximis honoribus, præmijsque auctam. Suetonius. *Quid Galli, quid Hispani*,] num bellum inferre nobis cogitent. epist. 1. & 4. *Sextus*] Pompeius, Magni filius. epist. 1. *Nauseolam*] scribis, te, quod incidisses in nauseolam quandam, abstinuisse a negotijs: itaque mihi non displicet, eam tibi causam otij dedisse. epist. 10. Tua tamen ὑπονόμιος nausea iam ne plane abijt? *Spero iam tuto vel solum, &c.*] sperabat, quod Antonius & Dolabella consules curam reip. videbantur suscepisse, qui Marium illum falso creditum, de senatus cæde cogitantē, occidissent. supra in hac ipsa epistola, De Mario probe. *Verumtamen*] subaudi, scribito ad me de Bruto, vbi sit, quid cogitet. & est vsitata figura. epistola 1. lib. 13. & 19. huius libri.

IN EPISTOLAM IX.

Multiiuges] litteras multijuges valet, plures epistolas. *Cluuiana*] ea, quæ mihi Cluuius testamento legauit. Et infert, Delectant, quia tunc erat Puteolis, prælensque videbat, quæ sibi Cluuius Puteolanus reliquerat. ep. 45. lib. 13. *Chrysippum*:] architectum. epist. 29. lib. 13. *Inquilini*] iocose: nam inquilinus ipse erat, nouusque habitator, cum paullo ante ex

ante ex hereditate Cluuiana eas tabernas accepisset. *Mures*] tradit Plin. lib. 8. cap. 28. ruinis imminentibus musculos præmigrare. id videlicet iocans Cicero spectauit. *Damnum quæstuosum*] infra dicit, Ruina rem fecit fructuosiorem, epist. 11. *Quasi designati consules.*] Hirtius & Pansa; (vt infra epist. 11. huius lib. & 1. lib. 12.) quos Cæsar in annũ sequentem designauerat, vt scribit Dio, & alij. *Quasi designati*] qui ita consules futuri putantur, quasi a republica, non a tyranno, designati sint. *Facta defendimus?*] quia S. C. factum fuerat, vt, quæ Cæsar egisset, rata manerent, ipso maxime suadente Cicerone. quod & Dio lib. 44. & ipse in epistola ad Cassium his verbis: Vlta resp. suas iniurias est per vos interitu tyranni; nihil amplius: ornamenta vero sua quæ recuperauit? an, quod ei mortuo paret, quem viuum ferre non poterat? cuius æra refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in rep. plurimum: sed immoderate quidam & ingrate nostra facilitate abutuntur. *A Vetere*] C. Antistio Vetere, partium Cæsarianarum. *Pridie Kal. Ian.*] ante Cæsaris interitum. *Cæcilius*] Q. Cæcilium Bassum, qui Pompeium Magnum secutus fuerat, excitasse bellum in Syria, & a C. Antistio Vetere Apameæ circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeque Alchandonio Arabe, obsidione esse liberatum, scribit Dio lib. 47. *Bellum illud*] nam Cæcilius Parthorum subsidijs fultus id aget, vt eas regiones occupet. *Dolabella*] cui Syria prouincia, & Parthicum bellum est decretum. Appianus lib. 3. *Niciæ*] qui cum Dolabella proficiscetur. erant enim arta familiaritate deuincti. epist. 26. lib. 13. & 21. lib. 15. & fam. lib. 9. epist. 10. *Meliora de Gallia.*] contra opinionem Matij: qui affirmauerat, minus diebus xx. tumultum Gallicum. epist. 1. *Re audita de Cæsare*] audita Cæsaris nece. *Caluena*] Matius: qui dixerat, omnia perijsse. epist. 46. lib. 13.

IN EPISTOLAM X.

Itane vero, &c.] hæc cum indignatione sunt scripta. Ideone, inquit, Brutus Cæsarem occidit, vt deinde Lanuuij esset? vt in vrbe tuto esse non posset? vt Trebonius quasi fugiens,

in prouinciam occulte proficiſceretur? *Prouinciam?*] Aſiam. *Clamare*] me. *Vocari?*] vocandum ſenatum eſſe in Capitolium a Bruto & Caſſio prætoribus illo ipſo die, quo a Cæſaris nece in Capitolium ſe receperunt. quod ſi feciſſent; tum quidem, lætantibus omnibus bonis, fractis & perterrefactis perditis hominibus, facile fuit ea decernere pro ſtatu reipublicæ, quæ nunc minime licet, audentibus latronibus quod auſi tum non eſſent. *Vocari?*] vocandum eſſe, vocari debere. & eſt figura, quæ properationem ſignificat: vt hoc loco: nam dixit, Illo ipſo primo Capitolino die. Brutus autem & Caſſius magnam occaſionem amiſerunt, cum primo Capitolino die ſenatum in Capitolium non vocarunt. itaque & infra epiſt. 14. reprehendit Cicero ſeſſionem illam, id eſt moram Capitolinam. Et epiſt. 12. Dicebam, ſenatum vocari oportuiſſe, populum ardentem ſtudio vehementius incitari, totam ſuſcipere remp. *Liberalia*] quo die factum eſt S. C. de præmijs veteranorum, (epiſt. 14.) multaque alia in æde Telluris decreta. Philippica 1. *Iampridem*] & hic moram illam Capitolinam carpit. *Cauſſam*] libertatis, & reip. *Funere elatus*] perſpicuum eſt, Cæſarem intelligi. etiam ep. 14. Recordare, inquit, tua. non ne meminiſti clamare te, omnia perijſſe, ſi ille funere elatus eſſet? ſapienter id quidem: itaque, ex eo quæ manarint, vides. Scribit Suetonius, animum fuiſſe coniuratis occiſi corpus in Tiberim trahere, bona publicare, acta reſcindere; ſed metu Antonij conſulis, & magiſtri equitum Lepidi deſtitiſſe. & Plutarchus Bruti conſilium reprehendit, qui Antonio, roganti vt Cæſar funere efferretur, conceſſerit, Caſſio contradicente. nam Antonius cum eum miſerabiliter laudaret, explicata veſte cruenta, & ictibus perforata, ita populum commouit, vt cum facibus ad tecta coniuratorum accurrerit. vnde illud in 2. Philippica: Tu funeri tyranni ſceleratiſſime præfuiſti: tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio: tu, tu illas faces incendiſti, & eas quibus ſemiuſtulatus ille eſt, & eas, quibus incenſa L. Bellieni domus deflagrauit. *Noſtra*] bonorum virorum. nam re vera tantummodo ad coniuratorũ domus cum facibus plebs cucurrit. *Quæ deinde?*] quæ deinde ſunt conſecuta? eiuſmodi, vt audeant dicere; Cæſar hoc cogitauit; nemo igitur contra. tale illud in epiſtola ad Caſſium: Interfecto rege, regios

gios omnes nutus tuemur. *Audeant*] homines perditi, & libertatis inimici. τὴν πρὸ γῆς *cogito*] non Græciam, sed longinquam & vagam peregrinationem animo spectat, vt de loco semper in locum proximum transeat, sicuti illa apud Æschylum Io; quæ percita œstro, huc illuc vaga ferebatur. satis enim mihi certum est, ad illud Æschyli Ciceronem respexisse:

——οἰστροπλὴξ δ' ἐγὼ
Μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.

est enim ei, præsertim in his epistolis ad Atticum, familiare in primis atque vsitatũ, duo triave verba ex aliquo vetere poeta suam ad sententiam transferre; qui, ne non intelligeret Atticus, homo admodum in Græca lingua exercitatus, appriqueque sciens, minime vereretur. Atque hũc ipsum, quem recitaui, locum Æschyli videtur imitatus Alciphro in ea epistola, quam Leontidis meretriculę nomine ad Lamiam scripsit. φεύξομαι, inquit, γῆν πρὸ γῆς. ὑπωνέμιος *nausea*] quæ, quasi sub vento exposita, haud diuturna solet esse. epist. 31. lib. 13. *Thebassos, Scæuas, Frangones,*] nomina veteranorum, qui ex Cæsaris largitione Pompeianorum bona possidebant. Cassium quidem Scæuam centurionem, insigni fortitudine virũ, nominat Plutarchus in Cæsare, & Florus lib. 4. & dixit, Redeo, non quia Thebassi, aut Scæuæ, aut Frangonis supra mentionem fecerit: sed, Redeo, ad eos, quibus tranquilla resp. non placet. Frangones, autem lego, ex Ferri libro: vt a Frango nomen deriuetur; & quia puto esse, quem Dio lib. 48. C. Fusicium Fangonem uocat, cui regendam Africam cum Numidia Octauianus dedit. antiqui libri, Francones. *Illa*] agros, a Cæsare donatos. cupiunt igitur omnia miscere. *Ista*] maxime designat Antonium, qui erat consul. *De Curtilio, &c.*] cum scripsi, indignum esse, quod Sextilij fundum Curtilius Verbero possideret; significaui etiam de fundo Censorini, de Messallæ, de Planci, de Postumij; quorum fundos Cæsariani, a Cæsare donatos, possiderent. *Censorino,*] opinor esse, quẽ Antonius, in Asiã proficiscens, Græciæ præfecit. Plutarchus. *Messalla,*] contra veteres libros opinor legendum esse, Mustela. nam neque mutatio magna fit; & inter Antonij sodales Mustelam, non Messallam, inuenio. Primum hic epistola 10. lib. 16. Anagnini, inquit, sunt, Mustela ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum bibit. Et Philipp. 2. Quid habes, quod mihi oppo-

nas, homo diserte? vt Mustelæ Tamisio, & Tironi Numisio videris. Et in eadem post: Inter omnes constabat, neminem esse resalutatum, præsertim cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Et Philipp. 12. Nolite ne Tirones quidem Numisios, & Mustelas, Saxasve contemnere. Et 13. Tironem, Mustelam, Petisium. *Postumio.*] epist. 12. lib. 6. fam. *Quod numquam accidisset,*] vt, interfecto tyranno, melius fuerit perire, quam superesse. *In Cumano,*] eodem die Balbus in Cumanum ad me venit. dicebat, Octauium hereditatem Cæsaris aditurum. *ῥιξόθεμιν*] subintellige, futuram constat. *ῥιξόθεμιν* autem, magnam concertationem. & sane inter Octauium & Antoniũ graues discordiæ propter Cæsaris hereditatem consecutæ; cum Antonius omnem pecuniam auertisset. *Buthrotia mihi tua res*] Buthrotij cum pecuniam imperatam non soluerent, Cæsar eorum agrum proscripsit. Atticus, qui ciuitatem conseruatam cuperet, pecuniam numerauit de suo; & a Cęsare decretum abstulit, quo Buthrotij liberabantur. illud decretum Atticus interfecto Cæsare cum a consulibus confirmari vellet, quibus & senatusconsultum, & lex cognitionem dabat earum rerum, quas Cæsar statuisset, decreuisset, egisset; Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate vtebatur. epist. 14. huius lib. & 15. lib. 16. *Iam ne ad centena Cluuianum:*] subaudi, perducatur. nam in epistola, quæ sequitur proxima: De Cluuiano, res ad centena perducitur. &, vt dicam quod sentio, libentius ita legerem: Quod quæris, iam ne ad centena Cluuianum: aduentare videtur: sed primo anno LXXX. deterſimus. vt sensus hic sit: Quod scire vis, num ego hic Cluuiana bona ita constituerim, vt ex iis posthac centena H-S quotannis capere possim: breui futurum spero, vt ita sit: & hoc ipso anno, quo Cluuianam hereditatem adiui, LXXX. H-S cepi. *Centena*] centum H-S in singulos annos: vt in libello Paradoxorum: Capit ille ex suis prædiis sexcenta H-S, ego centena ex meis. *Cluuianum:*] Cluuiana res, quam ex hereditate Cluuij acceperat. epist. 39. libr. 13. *Aduentare*] ad centena, ad fructum centenorum sestertiorum. *Deterſimus.*] cepimus: sed venustius, deterſimus, quam, cepimus. *Ille autem*] Quinctus filius.

IN

IN EPISTOLAM XI.

Quæ proxime.] quæ mihi proximis litteris significasti. *Vellem mehercule*] Atticus scripserat, Brutum Asturæ futurum. *Istorum*] Cæsarianorum: qui non contenti S.C. quod in eam sententiam factū est, vt, quæ Cæsar egit, statuit, decreuit, fixa sint, maiorem ad licentiam progrediuntur. *De tanto viro, de clarissimo ciue:*] verba sunt ex Antonij concione, quibus Cæsarem appellauerat. epist. 20. lib. 15. *Adrisum:*] significat, se a philosophia confirmatum humana cõtemnere, vt ea, quæ accidunt, etsi non ferenda, iam tamen pæne rideat. *Nostri illi*] qui tyrannum occiderũt. *De Cicerone,*] filio, qui Athenis dabat operam philosophiæ. *Velim sint prospera.*] optat eam remp. filio, in qua virtutis percipere fructus possit. *Me ipsum diligentia vincis.*] hoc dicit, quia litteris identidem Atticus quærebat, num ita rem Cluuianam constituisset, vt vectigal inde posset capere centum sestertiorum in singulos annos. epist. 10. *Ruina*] duæ tabernæ corruerant e Cluuiana re. *Rem non fecit deteriorem:*] non imminuit vectigal, quod antea capiebã, potius auxit. eas enim ita rursus ædifico, vt hoc damnum quæstuosum sit. epist. 9. *Hic*] Puteolis. nam de bonis Cluuianis mentionem fecit: & in epistola sequenti dicit se scripsisse apud Vestorium Puteolanum. vtramque autem eodem in loco scriptam esse, patet ex Octauij mentione. *Philippi,*] vitrici. *Mihi totus deditus.*] Octauius enim Antonio inimicus, quia ex Cæsaris hereditate grandem pecuniam auerterat, suadentibus maxime vitrico Philippo, & Marcello sororis viro, ad Ciceronem se contulit, seque ei & suam causam commendauit, id spectans, vt propter eius gratiam & auctoritatem a senatu contra Antonium iuuaretur. historici omnes.

IN EPISTOLAM XII.

Præter lætitiam,] interitus tyranni præter lætitiam nihil attulit; siquidem libertatem non recuperauimus. *Odij pœnam ac doloris.*] punire odium ac dolorem, est, odio ac dolori satisfacere. Nostrum igitur dolorem & indignationem, nostrumque in Cæsarem odium puniuimus nos quidē illius interitu, sed remp. tamen in libertatē minime vindicauimus.

pro Milone: Fuit vltor iniuriæ, punitor doloris sui. & de orat. l. 1. Iracundia est cupiditas puniendi doloris. ὦ πεπράξεως, &c.] o pulchrũ facinus, sed imperfectũ. Ideo aũt imperfectũ, quia suũ ius resp. nõ recuperauerat. mortẽ. n. Cæsaris significat, cũ dicit, ὦ πεπράξεως καλῆς. *Clientelam*,] Siculi Ciceronis erãt in clientela, eorumque caussa C. Verrem accusauerat, cum quæstor apud eos fuisset prætore Sex. Peducæo. *Latinitas*] aliud est, habere ius Latij; aliud, ciuitatem Romanam. Cæsar Siculos, non ciuitate Romana, sed Latinitate, donauit: quod ipsum vix ferendum Ciceroni videbatur: Antonius post etiã ciuitatem dedit: quod grauissimum, nec vllo modo ferendũ, Cicero significat. *Accepta*] a Siculis. *Fixit legem*,] de Siculis ciuitate donanda: cuius rei neq; mentionem vllam Cæsar fecerat; &, si fecisset, figere tamen neque de ea re, neque de alia legem vllam licebat: cum S. C. esset factum, ne qua tabula post idus Martias vllius decreti Cæsaris aut beneficij figeretur. Philippica 1. & 2. *Fixit*] quia incisæ in æreis tabulis leges affigebantur parietibus, vt inquit Seruius ad illud Virgilianum: *Fixit leges pretio, atque refixit.* quo etiam loco Virgilium credit ad M. Antonium respexisse. Et Philippica 1. De exsilio reducti sũt a mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed etiam nationibus, & prouinciis vniuersis. Item 5. Falsas leges, C. Cæsaris nomine, in æs incidendas, & in Capitolio figendas curauit. *A dictatore comitiis latam*,] impudens Antonij mendacium. nam Cæsar non modo legem comitiis non tulerat de ciuitate Siculis danda, sed nec mentionem eius rei vllam fecerat. quoniam autem Cæsaris acta senatus rata esse voluerat; Antonius, vt ostenderet legem esse Cæsaris, non suam, incidit in tabula eam legem, & fixit, vt a dictatore comitiis latam, id est, vt iure latam, & a dictatore, & comitiis. *Non similis?*] ostendit, & Siculos esse bonos viros, & Deiotarum omni regno dignum: sibi tamẽ non placere, vt hic regnum a Fuluia, illi ciuitatem ab Antonio pecunia emerent. de Armenia minore a Cæsare mortuo adẽpta, mox, Cæsare mortuo, per Antonium, quasi e Cæsaris commentariis, restituta, Philippica 2. & Hirtius lib. 4. de bel. Alex. *Per Fuluiam.*] Fuluiam antea P. Clodij coniugẽ, quem Milo interfecit, M. Antonius vxorem duxit, Antonia repudiata, C. Antonij filia. Et Antonio cum Fuluia ante nuptias

ptias consuetudinem fuisse, indicat illud in Philippica 2. Vxorem tuam, & sororem eiecisti, alia condicione quæsita, & ante perspecta. *Per Fuluiam*] ad hoc spectauit in 5. Philipp. cum dixit, Mulier sibi felicior, quam viro, auctionem prouinciarum regnorumque faciebat. *Illuc refero.*]hæc ideo dico, vt ostendam; cum hæc de Siculis & Deiotaro fiant, quæ sunt iniquissima; rem fore nõ ferendam, si nos tam testatam rem, tamque iustam, Buthrotiam non teneamus. Quæ nam autem res esset Buthrotia, supra diximus, ad illud, Buthrotia mihi tua res est, vt debet, eritque curæ, epist. 10. *Tam claram, tamque testatam*] nam eam Cæsar decreto concesserat, non vt de Siculis, aut de Deiotaro, de quibus non modo decretum, sed nec mentionem vllam fecerat. *Aliqua ex parte?*] quasi dicat, omnia tentabimus, vt teneamus. aut, aliqua saltem ex parte, si non omnino, non tenebimus? *Quo ista plura.*] quo plura ista sunt, quæ ab Antonio tam improbe fiũt; eo magis obtinere debebimus Buthrotiam rem, quæ & iusta est, & iam ab ipso Cæsare concessa. *Philippus*] vitricus Octauij. *Non:*]quia, lege curiata de eius adoptione nondum lata, quam postea tulit Octauianus ipse cõsul, cognomen Cæsaris iure sibi adscisceré non poterat. Dio lib. 41. *Posse bonum ciuem*]esse. *Nostris*]liberatoribus reip. Cassio, Bruto, & aliis. *Negat hæc ferri posse.*]quæ fiunt ab Antonio, vt de Siculis, de Deiotaro. *Quid censes, &c.*]si absens irascitur Antonio; multo grauius, cum Romæ erit. videbit enim ea, quæ nunc, cum audit, ferre non potest. *Nos (nisi me fallit) tacebimus.*] dicit, quod supra epist. 5. Illi quoquo modo beati, ciuitas misera. & epist. 11. Illis magna consolatio conscientia maximi & clarissimi facti: nobis quæ? qui interfecto rege, liberi non sumus. Et epist. 14. Idus Martiæ nostris amicis, diuinis viris, aditum ad cælum dederunt, libertatem populo Romano non dederunt. *Nec Pelopidarum,*] locus ex Attij tragœdia, quæ inscribitur Atreus. eum locum recitauit integrum epist. 12. lib. 15. & item in epistola ad Curium: Euolare cupio, & aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomẽ, nec facta audiam. Et ad eundem, non integro versu: Quod tu pedibus es consecutus, vt ibi esses, vbi nec Pelopidarum; nostri cetera; nos idem propemodum consequimur alia ratione. Huc etiam spectauit Philippica 13. cum dixit: Moueri sedi-

bus suis huic vrbi melius est, atque in alias, si fieri possit, terras demigrare, vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat; quam illos, Cæsaris virtute eiectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia videre. Et Pelopidæ μεταφορικῶς vocantur homines, qui res turpes honestis anteponunt: qualis erat M. Antonius. *Inquit*] Attius. *Vel hos designatos,*] ne Hirtium quidem & Pansam, consules designatos, amo: quamquam ipsi me amare videantur. epist. 9. & 11. *Etiam me declamare coegerunt,*] ideo epist. 22. suum discipulum appellat Hirtium. *Apud aquas*] Baianas: quo se non solum valetudinis, sed etiam voluptatis caussa permulti conferebant. Baianus enim sinus amœnitate præcellit. vnde illud Horatianum:

Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.

Erat quondam quasi necesse:] quia, cum Cæsar viueret, satisfacerem necesse erat & Hirtio, & Pansæ, & cæteris, qui apud illum gratia multum poterant. nunc meę facilitatis est, quod iis rogantibus concedo vt declamem. *Quoquo modo se res habet,*] quoquo in statu resp. est, non tamen seruimus, vt antea: itaque declamem, nec ne, positum in me est: sed declamo tamen propter meam nimiam facilitatem. *In arithmeticis*] in scientia numerandi. & hoc significat, deditum pecuniæ magis, quam litteris, Vestorium.

IN EPISTOLAM XIII.

Septimo] principium epistolæ. *Ambulatione ἀλιτενῆ*] locis humilioribus. Αλλ' ὅ δαιτὸς, &c. Vlysses apud Homerum legatus ab Agamemnone ad Achillem, vt iratum illi placaret propter abreptam Briseida, acceptus ab Achille magno & splendido epularum apparatu, pronunciat hos versus ἰλ. λ. quos Cicero aptissime vsurpat, vt significet, nō se nunc, de tumulis, aut de ambulatione ἀλιτενῆ cogitare, sed de reip. salute solicitum esse. *Aduentu*] in Galliam citeriorem. *Suas legiones,*] tres, vnam tironum, veteranas duas. Appianus l. 3. *Sextus*] permanebit. *Quid nobis faciendum*] non se tantum intelligit, sed etiam Atticum, vt patet epist. 22. *Neque huc, neque illuc.*] licuit mihi Cæsaris & Pompeij bello neutram partem sequi. *Bruti*] Decimi, qui tres legiones habebat.

nam

nam de Marco non est vt accipi possit, cui nullæ erant copiæ, circa Lanuuium aut Actium priuato comitatu versanti. *Τέκνον ἐμόν, &c.*] verba sunt Iouis ad Venerem ἰλιάδος ε, sed, quod Homerus de rebus amatorijs dixit, *γάμοιο*, Cicero, vt inseruiret senili personæ, dixit *λόγοιο*. senum enim opera sunt sermones. *Proficiscor,*] non affirmat, sed deliberat. si proficiscor, ait, vt constitueram, legatus in Græciam; cædis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus, &c. *Legatus*] legatione libera. *Cædis impendentis*] idem epist. 11. lib. 9. *In discrimine:*] si maneo, video me in discrimine manere. *Illuc*] in Græciam. nam Cicero filius Athenis philosophiæ studium colebat, Cratippo magistro. epist. 16. & libro 1. de officijs. *Legari ab Cæsare.*] nam etiam viuo Cæsare liberam legationem ab eo petere cogitauerat, hanc vnam ob causam, vt in Græciam filij causa proficisceretur. *Quincto*] fratri. *Impenso pretio,*] magno: vt apud Cæsarem lib. 4. Gal. bel. Iumenta impenso parari pretio. Et Suetonius in Tiberio: Coactus est, tam suis, quam matris impensissimis precibus reditum expostulare. *Quo introducatur.*] vt Aquilliæ, de cuius nuptijs patrem suum cogitare Quinctus filius Attico dixerat, ea villa dotis cautio sit. *Debitore dotis:*] satis habet negotij reddenda tibi dote. facto enim diuortio cum Pomponia, Attici sorore, dotem reddere Q. Cicero cogebatur. *Q. Egnatio*] qui pecuniam fortasse ad solutionem dotis obtulerat. *Sex. Clodii:*] qui exsulabat, condemnatus, quod eo duce populus in curiam P. Clodij corpus intulisset, cremassetque subsellijs, & mensis, & codicibus librariorum: quo igne & ipsa curia, & curiæ iuncta Porcia basilica flagrauerat. Pedianus in argumento Milonianæ, & in extremo eiusdem orationis commentario. *Falsis*] nam in commentarijs Cæsaris delebat, & reponebat Antonius arbitratu suo; cum in eo Q. Faberij manu, scribæ Cæsaris, vteretur. Appianus lib. 3. *Debere tueri commentarium Cæsaris.*] quia senatus decreuerat, vt, quæ Cæsar egisset, decreuisset, statuisset, rata manerent. sed Antonius, cum haberet penes se Cæsaris cõmentarios, abutens facilitate senatus, addebat, tollebat, mutabat ad arbitriũ & libidinẽ suã. *P. Clodiũ*] Antonij priuignũ, P. Clodij filiũ, quo cum inimicitias Cicero grauissimas gesserat: priuignũ autẽ, quia Fuluiã eius matrem

Antonius duxerat vxorem. *Hanc familiam.*] Claudiam. *Contumaciæ.*] priuati odij. *Nec his præsidijs nosmet ipsos esse spoliandos.*] nam, si infectaremur amicos inimicorum nostrorum, spoliaremus ipsi nos omni amicorum præsidio. nemo enim amicis abundaret, si acerbiores vellemus esse non modo aduersus inimicos, sed etiam aduersus eos, qui nostris essent inimicis amicitia coniuncti. *Tuas partes*] qui vitricus illi es. *Puero quoque hoc a me dabis,*] puero dices, mihi placere Sex. Clodij restitutionem; quod omnem veterum inimicitiarum memoriam ex animo deleuerim. *Quam domus.*] propter Fuluiam Antonij coniugem, quæ P. Clodij prius vxor fuerat.

IN EPISTOLAM XIV.

Itera dum] sic in 2. Academica, & in 2. Tusculana. *Coronatus Quinctius noster Parilibus?*] puto Parilia illa significari, quæ dedisse Octauium suo sumptu, vt populum muneribus caperet, scribit Dio lib. 45. *Coronatus*] coronati enim cum tibijs & cymbalis Parilia celebrabant. Athenæus 8. δειπνοσοφιστῶν. *Quinctius noster.*] Quinctus filius, qui Parilia coronatus celebrauerat, vt amorem suum erga Cæsarem etiam mortuum ostenderet: vt epist. 17. De coronatis, cum sororis tuæ filius a patre accusatus esset; rescripsit, se coronã habuisse honoris Cæsaris caussa, posuisse luctus gratia: postremo se libenter vituperationem subire, quod amaret etiã mortuum Cæsarem. *De hæresi Vestoriana,*] quia, cum ego ad te scripsissem, Vestorium a dialecticis remotum, in arithmeticis satis exercitatũ; ipse eos, qui pecuniæ studiosiores essent, quam doctrinæ, hæresim Vestorianam appellasti. *Pherionum*] hoc videtur cognomẽ familiæ Puteolanæ: quorum consuetudinem, de qua scripserat Atticus, valde se risisse Cicero significat. *De Clodio:*] de Sex. Clodio: quem Antonius dicit se restituere ex commentarijs Cæsaris, cum Cæsar non modo hoc non facturus; sed ne passurus quidem fuerit. *Sequetur*] restituetur & Rufio Vestorianus, & Victor; quem Cæsar numquam in commentarijs scripsit se velle restitui: item ceteri, quos Antonius voluerit: denique quis nõ restituetur? Quis hic Rufio sit, & cur Vestorianus dictus, ostendimus epist. 2. lib. 5. *Non venire?*] venimus enim coacti

acti ab Antonio consule. *Defendendi fuerunt?*] hoc & in Philippica 1. & hic epist. 10. *Sessionem*] moram, & ignauiam. nam, sedere, quandoque valet nihil agere, tempus otiose terere: vt epist. 43. lib. 12. Quid enim sedere totos dies in villa ista? Et apud Terentiũ, vt opinor, Virginem tam grandem sedere domi? Reprehendit Brutum & Cassium, qui illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium non vocarint, sed otiosi tempus consumpserint. epist. 10. *Brutorum?*] Marci, & Decimi. vel Brutos posuit pro omnibus, qui patriam tyranno liberauerant. *Aliorum Brutorum,*] optimates intelligit. Et in voce Brutorum amphibologiam quæsiuit. nam & hominum, & bestiarum inest significatio; cum tamen ad bestias potius Cicero respexerit. *Lætari,*] interitu tyranni. *Gratulari,*] tyranno octonis. *Nullis, permanere.*] cum a bona mente, quam lætitia & gratulatione ostẽderant, postea desciuerint. *Istos*] Brutum, Cassium, alios, qui Cæsarem regnantem occiderũt. *Ex eo quæ manarint,*] corpora tyrannorum abijci insepulta, leges iubebant: (Appianus lib. 3.) itaque non fuit concedendum, vt Cæsar funere efferretur: concessum tamen est. ille fuit quasi fons omniũ malorum: nam Antonius, cum Cæsarem in funere laudaret, permiscuit quædam ad misericordiam commouendam, vt populus ad coniuratorum domos cum facibus accurrerit; qui perculsi metu, ex vrbe aufugerunt. inde perturbatio reip. & immoderata Antonij licentia. epist. 10. *Vtrisque*] Gallijs, cisalpinæ, & transalpinæ. Et sane Kalendis Iunijs Antonius numerum annorum prouincijs prorogauit: vt in 2. Philippica. *Dies*] legitimum tempus. *Ad Opis*] subintellige, ædem: vsitata figura. Antonius Cæsaris pecunias, in Opis templo positas, ad se transtulit. vnde illud in 2. Philippica: Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat? quonam modo sestertium quadringenties, quod idibus Martijs debuisti, ante Kal. Aprilis desijsti? Et in 3. Illa dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusque auertit: vt portenti simile videatur, tantam pecuniam populi R. tam breui tempore perire potuisse. Et in 1. Pecunia vtinam ad ædem Opis maneret, cruenta quidem illa, sed his temporibus, cum ijs, quorum est, non redditur, necessaria.

quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis eius fuit. Antonius enim, cum diceret in actis Cæsaris esse, vt ea pecunia distribueretur: distribuit ex libidine sua quibus voluit, & quantum voluit: Dolabellamque ære alieno oppressum, data ei grandi pecunia, quasi in actis Cæsaris ita scriptum esset, in suas partes facile traduxit. *Egregiùs Virus,*] interfectoribus Cæsaris. *Eorum scelera,*] libertatis inimicos, maximeque Cæsarem significat. *Obsidemur?*] quasi dicat: facerem cum periculo: nam liberi nondum sumus: etiam nunc dominos habemus. intelligit autem Antonium. &, Obsidemur, μεταφορικῶς. nam, qui obsidentur, liberi non sunt: liberati autem, qui ex obsidione exempti. itaque in epistola ad D. Brutum, Cum te, inquit, incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio: quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? *Nec me rauduſculum mouet:*] laudare cogar eos, qui te obsignatorem adhibuerunt; non propter rauduſculum, id est propter pecuniã, (æs enim veteres Raudum dicebant) quam mihi debent: quod verear, ne, si illos non laudauero, ab alienati, pecuniam non soluant: sed ideo laudabo, quod eos beneuolentia prosequor: beneuolos autem homines, qualescumque sint, graue est insequi contumelia. Nec dubito, quin Dolabellam significet, amicũ suum, eundemque debitorem. nam infra, epist. 19. Tibi assentior, maiorem πρᾶξιν Dolabellę fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. & epist. 20. L. Antonij horribilis concio, Dolabellæ præclara. iam vel sibi habeat nummos, modo numeret idibus. Adhibuerat autem obsignatorem Atticũ, opinor, in testamento faciendo. epist. 2. *Qualescumque sunt,*] hoc dicit, quia Dolabellæ mores non admodum probati, vt qui contra reip. partes a Cæsare steterat. *De Buthrotiis*] vide epist. 10. de Buthrotia re. *Vicinis tuis Massilienſibus*] quia Phocenses, a quibus Massilienses ortum ducebant, finitimi Atticæ regioni. Liuius lib. 5. Lucanus lib. 5. & alij. *Sua reddis.*] redditum iri putas a rep. quæ illis Cæsar ademerat, quia sibi portas clausissent, belli ciuilis initio, Antonius in epistola, quæ legitur Philippica 13. cum multa obiecit Hirtio & Cæsari, tum infert: Massilienſibus iure belli, adepta reddituros vos pollicemini. *Fortasse*] dubius enim bellorum eventus.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XV.

Meliora,] de rep. *Magnam ἀναθεώρησιν*] magna administrauit, magna gessit Dolabella. administratio autẽ hæc fuit. *De saxo,*] subaudi, præcipitare eos, qui Cæsari columnam erexerãt: & impunita quadam licẽtia grassantes, bonis ciuibus pericula intendebant. *In crucem,*] tollere. nam ex illa seditiosorum manu, qui liberi homines fuerunt, eos Dolabella de saxo Capitolino deiecit: seruos in crucem egit. *Columnã tollere,*] quam prope viginti pedũ lapidis Numidici, vt Suetonius tradit, de plebe homines perditi in foro statuerant, inscriptam, CAESARI PARENTI PATRIAE. *Locum illum*] vbi plebs bustum & monumentũ Cæsari fecerat. Hæc ex historia colliguntur: sed ipse aperte in 1. Philippica, his verbis: Cum serperet in vrbe infinitum malum, idq; manaret in dies latius, ijdemq; bustũ in foro facerent, qui illam insepultã sepulturã effecerant, & quotidie magis magisq; perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis vrbis minitarentur: talis animaduersio fuit Dolabellæ cum in audaces sceleratosq; seruos, tum in impuros & nefarios liberos, talisque euersio illius exsecratæ columnæ, vt mirũ mihi videatur, tam valde reliquũ tempus ab illo vno die dissensisse. Et in eadem: Quem potes recordari, Dolabella, in vita tibi illuxisse diem lætiorẽ, quam cum, expiato foro, dissipato cõcursu impiorũ, principibus sceleris pœna affectis, te domũ recepisti? Et in 2. Qui dies ille, ô Antoni, collegæ tui, cum illud, quod tu venerari solebas, bustũ in foro euertit? *Simulationem desiderii,*] dictio, Desiderij, refertur ad tyrannidẽ, & potentiam supra leges: hoc sensu: Videbatur antea desiderare tyrannidẽ Dolabella, quã re vera minime desideraret: nunc, cum tanto malo laborantem remp. sanauerit, prorsus, quæ fuit in eo simulatio desiderij, eam sustulit. Ostendit enim, simulationem desiderij in Dolabella fuisse, desiderium non fuisse. *Acta nefaria*] Cæsaris. *Non possunt omnia simul.*] explicari eodem tempore omnia non possunt: gradatim ad suum ius, suamque dignitatem resp. perueniet. *Si mihi cum illo nihil fuisset,*] si nulla mihi cum eo consuetudo, aut amicitia fuisset. Locutio Ciceroni vsitata. Mihi ante ædilitatem nihil erat cum Cornificio, inquit epist. 18. Et in epistola ad C. Marcellum: Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus;

allegarem ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi. Et epistola 1. lib. 13. fam. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt.

IN EPISTOLAM XVI.

Cluuianis] in agro Puteolano: ex hereditate C. Cluuij Puteolani. *Epicopum*] remigabilem, vt ita dicam: id est, qui iam in eo erat, vt remis impelleretur. *Tradidissem*] vt & villa, & villicis procuratoribus vteretur, tamquam suis. *Tyrotarichum*] patinam tyrotarichi, qua me Papirius Pætus accipere solitus est. In epistola ad Pætum: Quem tu mihi Pompilium, quem denarium narras? quam tyrotarichi patinam? facilitate mea ista ferebantur antea: nunc mutata res est. Est autem Tyrotarichus, caseus sale conditus. *In Pompeianũ:*] rediturus. ibi enim eum fuisse v. Kal. Maij, patet ex insequenti epistola. hæc autem scripta est v. nonas Maij. *Regna*] regna appellat, Puteolana, & Cumana prædia; quod ijs mirifice delectaretur, vt quasi in regno videretur esse. *Ἀριστείαν.*] intelligit quod scripsit in epistola proxima superiore, de columna euersa, & sceleratis hominibus supplicio affectis. *Quid de re, quid de viro*] de re, quam gessit: de viro, ipso Dolabella. *Proposita cruce, vel saxo?*] alludit ad factũ Dollabellæ, qui liberos homines, remp. perturbantes, de saxo præcipites deiecerat, seruos cruci affixerat. Nemo igitur, inquit, tam erit inimicus otij, qui Brutum audeat violare, proposita cruce, vel saxo. *Infimorum?*] hoc dicit, quia seueritas animaduersionis non solet esse popularis: sed illam tamẽ Dolabellæ seuerissimam animaduersionem infimus quisque vehementer probauerat. epist. 17. *Expedias.*] ita expedias velim mea negotia, vt hic me nulla res possit morari. *Epistola Leonidæ,*] in qua Ciceronem filium ita laudauerat, vt diceret: Quo modo nunc est, videtur de eo bene sperandum. *Ille*] Cicero filius. *Quo modo nunc est.*] verba sunt ex Leonidæ epistola de Cicerone filio. & epist. 17. lib. 15. Leonides, inquit, retinet suum illud, Adhuc. Apparet autem hominem fuisse magna auctoritate, & existimatione: cum Cicero filius ad Tironem ita scribat: Multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium, & Leonides, & horum ceteri similes. *κατὰ μίτον*] diligentissime omnia de filio, quasi, per fi-

lum

lum. Pherecrates apud Varinum: κατὰ μίτον τὰ πράγματα ἐκλογίζομαι. *Ad Xenonem scripsisti*,] vt Athenis Ciceroni filio suppeditaret. epist. 1. & 3. lib. 16. *De Montani negotio*] quid significet, ipse declarat epist. 51. lib. 12. *Ne prose, &c.*] puto fore, vt ipse soluat quod Planco debet, non vt Montanus præs pro illo dependat. *Non belle valuisse.*] ægrotasse.

IN EPISTOLAM XVII.

In Cumano] in villa mea Cumana ad Lucrinum. epist. 16. *In fortuna*] itaque nunc ipsi nobis consulere non possumus. *His de rebus*] subaudi, consilium capiemus. *Proficiam.*] erat enim consul Antonius: ideoque cum eo agendum erat, vt decretum, a Cæsare factum de Buthrotiorum agro liberato, confirmaret. *Magno reip. malo*] hac de re sic in 2. Philippica: O præclaram illam percursationem tuam mense Aprili, atque Maio, tum, cum etiam Capuam deducere conatus es. & quæ sequuntur. *L. Cæsari*] Antonij auunculo. *Ad Kal. Iun.*] quo die coacto senatu agetur de rep. ep. 14. *Tractanda, & perficienda*] remedium afflictæ reip. non modo quærendum est, sed etiam inueniendum. Μελήσει.] ipse viderit, ipse cogitet. *Non modo acta*] senatus enim consulto sancitum erat, vt acta Cæsaris rata manerent. *Rem*] Montani negotium. de quo epist. 51. lib. 12. & 16. huius libri.

Dolabellæ] P. Cornelio Dolabellæ, qui cum antea Ciceronis gener fuisset, postea diuortium fecerat, vt apparet lib. 11. *Etsi contentus eram*] gratulatur Dolabellæ, quod columnam, ab infima plebe erectam Cæsari mortuo, euertisset, perditis hominibus, qui eam erexerant, in crucem actis, vel de rupe Tarpeia deiectis. qua de re vide epist. 15. & 16. & fam. epist. 2. lib. 11. & 1. lib. 12. Suet. in Iulio, & Lactantium lib. 1. cap. 15. *In hac loca*] ad salubres Baiarum aquas. epist. 12. & fam. epist. 12. lib. 9. *Extulerunt*,] ob euersam a te columnam. *Consulem*] erat enim Dolabella consul cum Antonio. *Agamemnoni*] hac de re Homerus Il. lib. 1. *Alumnum*] discipulum vocat epist. vlt. lib. 8. & 7. & 9. lib. 9. fam. *Sororis filium*] M. Antonium, collegam Dolabellæ in consulatu; cuius mater L. Cæsarem, fratrem suum, proscriptum postea seruauit. Appianus lib. 4. de bel. ciu. *De facto, ac de re gesta:*] de columna euersa, seditiosis supplicio affectis, e-

pist.15. & fam. epist.1. lib.12. & Philip.1. *Cernere*;] adire. epist.12.lib.11.& 43.lib.13. *Ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis.*] vide translatum translato redditum. sunt enim antitheta translata, Transfundere, & Exhaurire. *Idibus Mart.*] quo die Cæsarem Brutus occidit. fam.epist. 28.lib. 10. *Dilexisse.*] Diligere leuius est quam Amare. epist. 1. ad M. Brutum, Clodius, inquit, valde me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον, valde me amat. & fam.epist. 9.lib.3. *Seueritas*] populo enim gratior clementia, quam seueritas. epist. 4. lib. 10. *Ad causam*] ad rei, quam gesseras, commemorationem. fecit enim sapiẽter Dolabella, qui, cum vereretur, ne plebis animos incenderet, si ad mentionẽ summæ animaduersionis, quæ non solet esse popularis, repente veniisset, in ea commemorãda diutius perstitisset; gradatione quadam vsus est, & pedetentim tum accessus ad causam fecit, tum recessus. *Vt res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret.*] vt per omnes liceret tibi quam primum animaduertere in eos, qui columnam erexerant. *Vrbem periculo, ciuitatem metu:*] tecta ab igne, ciues a cæde. perspicuam inter Vrbs & Ciuitas differentiam ostendit Cicero pro Sylla sic: In qua ciuitate res tantas gesserim, memini; & in qua vrbe, intelligo. Et Acad.lib. 2.

IN EPISTOLAM XIIX.

Abalienauit] quia mihi non soluit quod debet. Debebat autem ex dote Tulliolæ, cum qua diuortium fecerat. fam. epist. 18.lib. 6. *Pudentem.*] εἰρωνικῶς. *Faberii manu*] iocatur. Quinctus enim Faberius, Cæsaris scriba, ad arbitrium Antonij, vt scribit Appianus, mutabat, aut addebat in Cæsaris libellis. ita magnam pecuniæ partem, a Cæsare relictæ, interuertit, ad seque transtulit Antonius: eaque pecunia cum alios, tum collegam suum Dolabellam, magno ære alieno oppressum, ad suas partes traduxit. itaque non Antonio solũ, sed & Dolabellæ beneficium attulit Faberij manus. Philippica 8. *Et opem ab eo petierit.*] alludit ad ingentem illam vim pecuniæ, quam a Cæsare de Pompeianorum bonis redactam, & ad ædem Opis custodiæ caussa positam, Antonius diripuit, posteaque se distribuisse dixit e Cæsaris libellis, vsus in eo Faberij manu. Philippica 2. Maximo te, inquit, ære alieno ad

ad ædem Opis liberasti: per easdemque tabulas innumerabilem pecuniam dissipauisti. Ea igitur pecunia emptus ab Antonio Dolabella, graui se alieno ære liberauit. epist. 14. lib. 16. Dolabella, inquit, cum remp. me auctore defendere cœpisset, non modo eam deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuit, euertit. Et oratione prima in Antoniū: Per deos immortales: te enim intuens, Dolabella, qui mihi carissimus es, non possum de vtriusque vestrum errore reticere. credo enim, vos homines nobiles, magna quædam spectantes, non pecuniam, vt quidam nimis crediliſuſpicantur, sed caritatem ciuium, & gloriam concupisse. Et Paterculus historiæ suæ lib. 2. Septies millies H-S depositum a C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, corruptis eiusdem commentarijs; atque omnia pretio temperata, vendente remp. consule. *IIX. idus litteras dederam*] quas paullo post aculeatas appellat, quod in ijs Dolabellam quasi aculeis pungeret, & excitaret ad solutionem pecuniæ. *Albianum*] negotium. epist. 13. lib. 13. & 2. huius lib. *Mihi suppeditatus es,*] pro, mihi suppeditasti. si tamen locus vacat mendo. nam, Suppeditor, cum agendi significatione, inusitatum. ideo legendum putabat Montagnanus, Suppetiatus es: pro, subueniſti, opem tuliſti: quo verbo Appuleius vsus est. Aut igitur suppetiatus erat Atticus Ciceroni in exigenda a Petulcio pecunia, aut pecuniā de suo dederat, tantundemq; se scripserat a Petulcio, qui Ciceroni debebat, exacturū. *Ad ista expedienda*] ad mea nomina exigenda. *Factum, &c.*] videbar mihi Erotem reliquisse aptissimum ad ista expedienda. Factum: quasi a natura: vt in 1. de Officijs, Facti ad ludum: pro Milone, Ad eam legem non docti, sed facti. *Vacillarunt,*] nomina: id est, exacta non sunt. *In foro,*] quia scripserat Atticus, Brutum Kal. Iun. Romæ futurum, sed in senatum non esse venturum. *De Græcia*] de profectione in Græciam. epist. 13. & 16. *Exsilium, vt scribis ipse, meditanti,*] nam, si aliquid meditaretur pro rep. non discederem: sed exsilium meditanti non video quid prodesse possim: itaque in Græciam cogito. *Non satis delectarunt.*] quia de Cicerone filio scripserat, Quo modo nunc est. epist. 16. *Herode*] hic Athenis morabatur. epist. 15 lib. 15. & 16. huius lib. *Saufeium*] Saufeij librum. epist. 4. lib. 15.

IN EPISTOLAM XIX.

Auaritia:] quia non soluit, quod debet. epist. 18. *Alium portum*] mortem videlicet. *Huic ætati*] meæ. *Non Strumuis.*] non licet nunc mihi, quod Cæsaris bello licuit, non interesse ciuili bello. nunc in manu mea non est, vt faciam vtrum volo. epist. 13. *De Clodio*] de Sex. Clodio: de quo scripserat Cicero, se libenter concedere, vt restitueretur. epist. 13. *De Deiotaro*,] cui ereptam a Cæsare Armeniam Antonius, accepta grandi pecunia, restituerat, idque se dixerat facere ex eiusdem Cæsaris commentarijs. epist. 2. & 5. & Philippica 2. *Factum Dolabellæ*] animaduersionem in seditiosam illam manum, & euersionem columnæ. epist. 15. *De coronatis*] de ijs, qui Parilia coronati celebrauerant. epist. 14. *Luctus gratia:*] propter Cæsaris necem. Parilibus enim cum per aliquod spatium coronam gestasset, deposuit. *Scripsi diligenter.*] de pecunia scilicet, quam vtriq; debebat Dolabella. epist. 18. *Hoc onerii*] vt tu Dolabellam appelles de solutione. *Tricatus est.*] tricatur, qui falsa loquitur. epist. 14. lib. 15. *Missa abistis*] Publilio, matre, & sorore. Missa vt ageret cum eo de reducenda Publilia. epist. 34. lib. 13. & 1. lib. 15. *Antonium*] qui versabatur in ijs locis tum, cum coloniam Cassilinum deduxit. epist. 10. *De Buthroto.*] hoc explanauimus epist. 33. lib. 13. *Facere magnam πτῶξιν Dolabellæ.*] præclarum ducere factum Dolabellæ. epist. 15. *Ex tuis litteris.*] vnis & alteris. epist. 18. *De profectione*] in Græciam. epist. 13. & 19. *De matre*] quod totam villam ad Lucrinum, villicosque procuratores tradiderim. ep. 16. *Diligenter tuebimur.*] quia minus recte valebat. epist. 1. lib. 15.

IN EPISTOLAM XX.

A Lucullo postridie eadem fere hora, qua veni,] subaudi, alteras litteras accepi. *Postridie*] v. idus. *Eadem fere hora, qua veni,*] hora fere tertia. *De tuo autem*] negotio. rem Buthrotiam intelligit. epist. 10. & 19. *Quid speres.*] hoc non ad Buthrotum, sed ad remp. refertur. nam Antonius cursabat huc illuc, vt agros veteranis diuideret, quibus beneficio deunctis vteretur adiutoribus ad omnia. epist. 17. *Roma igitur*] agemus cum Antonio Kal. Iunij. epist. 14. *L. Antonii*] qui

tonij]qui tribunus erat plebis, Marci frater. *Nam vel sibi, &c.*] concedo, vt, quos mihi nummos Dolabella debet, eos sibi habeat, modo vsurã idibus pẽdat. Mos fuit apud veteres, vt idibus vsuræ soluerentur. ideoque in oratione 1. in Catilinam, Prætermitto, inquit, ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties. propterea quod idibus soluere feneratoribus vsuras cogeretur. Et in 2. Philippica: Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat? tu autem sestertium quadringenties, quod idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kal. Apr. debere desiisti? Ex vsura, quam idibus Martiis Antonius soluerat, apparebat eum debere sestertium quadringenties. Sed Horatius perspicue:

Fenerator Alphius Omnem relegit idibus pecuniam:

Tertullæ]Tertulla, Bruti soror, vxor Cassij, abortum fecerat. Feminæ appellabantur familiæ nomine; sed, vt internoscerentur, cum duæ erant, maior, & minor vocabantur: vt apud Suetonium in Augusto, Octauia maior, & Octauia minor. cum tres erant, quæ tertia nata esset, Tertia dicebatur: cum quattuor, Quarta: cum quinque, Quincta: vnde in oratione pro M. Cœlio, & de haruspicum responsis, Quincta Claudia. ergo Tertia, siue Tertulla per deminutionem, Bruti soror, quia post duas edita esset. epist. 12. libr. 15. de qua Macrobius hæc Saturnaliorum lib. 2. Mater M. Bruti Seruilia, cum pretiosum ære paruo fundum abstulisset a Cæsare, subiiciente hastæ bona ciuium, nõ effugit dictum tale Ciceronis: Et quidem, quo melius emptum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia deducta. filia autem Seruilię erat Iunia Tertia; eademq; C. Crassi (hic pro Crasso Cassium repone) vxor, lasciuiente dictatore tam in matrem, quam in puellam. *De regina, &c.*] vide ep. 8. *De Quinctis*,]patre & filio. *Buthroto*,]re Buthrotia. ep. 10. lib. 14. & 15. lib. 16. mendose autem in quibusdam libris, de Quincti Buthroto. *Ciceroni*] filio, epist. 17. *Scriptam concionem*]qua Brutus vtatur, cum in vrbem redierit. *In quibus satis exercitati sumus.*] quoniam, inquit, in litteris satis exercitatus sum, eo debes putare certius, quod dicturus sum. Nemo vmquam, &c. *In edicto.*] Brutus edictum composuit, quo postulauit ab Antonio consule, vt sibi & Cassio prætoribus liceret ab vrbe abesse: quos

leges vetabant. quibus ille item edicto respondit minaci & contumelioso. epist. 3. lib. 11. fam. *Non probari.*] Brutus enim orationis vim, & sententiarum grauitatem contemnebat, Atticos oratores imitabatur, humili quodam in genere versantes. ep. 1. *Non scite:*] nõ scite scripsit Atilius, suã cuiq; sponsam, mihi meam; suũ cuiq; amorẽ, mihi meum: siquidẽ, aliena contemnere, sua nimis amare, nõ sapientis est. & tamẽ nemo vmquam fuit neq; orator, neq; poeta, qui non se meliorem arbitraretur, quam quemuis alium. *Poeta durissimus.*] Licinius enim Atilium vocauerat Ferreum scriptorẽ, in primo de Finibus in proœmio. *Isti*] Bruto. *Ducem*] Antonium. *Quod Hirtium, &c.*] epist. 4. l. 15. Cassius vehementer orat, ac petit, vt Hirtium quam optimum faciam. Erat enim Hirtius maxime deditus eloquentiæ, ideoque Ciceroni familiarissimus. In epistola ad Pætum: Hirtium & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Et in hoc libro epist. 12. Qui etiam me declamare coegerunt. *Cum Balbo:*] qui cum Cæsaris amicissimus fuerit, quo modo in rempub. sit animatus, non facile potest diiudicari. *Valde placere*] quia rempub. præclarissime gessit. epist. 14. *Vixi*] iucundissime fui, vt epist. 15. lib. 4. Vixi cum Axio. *Editum Bruti, & Cassij*] in epist. 13. lib. 10. *Istis*] Bruto, & Cassio. *Ibat res.*] erat, cur bene speraremus. epist. 15. Incipit res melius ire. *Ducem:*] Octauium significat, ad quem veterani confluebant. Dio, Appianus. πολιτεύεσθαι.] abstinendum administratione reip. nam Epicurus ad se ipsum omnia referebat, aliena causa nihil dicebat esse agendum. Ideoque in epistola ad Trebatium, quem audierat Epicureum esse factum, iocans ita scribit: Quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua causa facias, non ciuium? Et in eodem: Quid fiet populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? *Bruti nostri*] qui, Stoicos sequens, dissentiebat ab Epicuro. *Vulticulus*] talis apparet Brutus in antiquis & lapidibus, & nummis, vultu macie attenuato. *Est dextella.*] eo quasi dextra vtemur ad auferendum ab Antonio quod volumus de re Buthrotia. nam Quinctus filius Antonij familiaris. ep. 17. *L. Antonius*] qui erat tribunus pl. & tribunis licebat quẽ vellent in concionem abreptum interrogare qualibet de re: vt in libro de Magistratibus exemplorum copia probauimus. *Concio*]

Concio] Octauij. *Hæc scripsi.*] quasi dicat, Propere, quia statim discessurus erat Cassij tabellarius. *Salutaturus:*] in villa Cumana ad Lucrinum. epist. 16. *Ad epulas Vestorij*] Puteolos. epist. 13.

IN EPISTOLAM XXI.

Venit] Roma. *Non de re mea,*] non de pecunia, quam mihi debet. *Nondum enim meas acceperat,*] intelligit eas litteras, quas appellauit aculeatas. epist. 18. *Quarum exemplum tibi miseram,*] quarum est principium, Etsi contentus eram mi Dolabella, tua gloria, epist. 17. *Timere*] nolle. sic paullo post: Nemo est istorum, qui otium non timeat. Et in ea, quæ sequitur: Timent otium. quod contra dixit, Cupere pacem, epist. 20. *Nosti virum, quam tectus:*] sic Cœlius ad Ciceronem: Nosti Marcellum, quam tardus: itemque Seruium, quam cunctator. Plautus in Aulul. Tu me, & ego te, qualis sis, scio. Terentius in Ad. Illum, vt viuat, optant. *Acta Cæsaris*] vide in orationibus. *Duumuiri*] municipiorum præfecti. *De sua inuidia:*] quod inuisus esset quasi Cæsaris amicus. *Illares*] Cæsaris interitum significat. *Regni heredem relictum:*] Antonium. *Hoc metuere, alterum in metu non ponere?*] regem metuere, heredem regni non metuere. Et latenter significat, Antonium occidi debuisse. Locutione vsurpauit eandem epist. 50. lib. 12. *Neapolitanum*] fundum in agro Neapolitano: vt in Academicis: Erat constitutum Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum nauigare. *Matre tyrannoctoni*] Seruilia, Bruti matre: quæ fundum illum ab hasta Cæsaris minimo acceperat. dilexit enim Cæsar vsque adeo Seruiliam, vt bello ciuili, quemadmodum Suetonius tradit, super alias donationes amplissima illi prædia ex auctionibus hastæ nummo addixerit; cum quidem, pleriſque vtilitatem mirantibus, facetissime Cicero, Quo melius, inquit, emptū sciatis, Tertia deducta est. existimabatur enim, Seruiliam etiam filiam suam Tertiam conciliare Cæsari. erat igitur plane ὑποσόλοιπον, cum Brutus Cæsarem occidisset, Seruiliam possidere fundum a Cæsare datum. *Cato maior*] liber de Senectute, ita inscriptus: in quo libro multa præclara ad tollenda senectutis incommoda: ideoque sibi eum sæpe esse legendum, dicit. πεντέλοιπον] Puteolis fuerat

Cicero cum quinque Cæsarianis, Balbo, Hirtio, Pansa, Octauio, Philippo, vt scribit epist. 11. Cum autem Octauius cum Philippo vitrico Romam isset, tres erant reliqui, Balbus, Hirtius, & Pansa. πενταλοιπον igitur, id est, qui reliqui sunt de quinque. reliqui autem erant, vt dixi, Balbus, Hirtius, Pansa. *Sic*] eo, inquit, ad Hirtium, vt eum ad partes reipub. traducam. vide epist. 1. lib. 15. *Videamus:*] paremus, inquit, talaria, vt hinc abeamus. *Octauij concionem,*] epist. 20. *An in meo nomine*] an propter pecuniam, quam mihi debet, legem tulerit de tabulis nouis: qua creditæ pecuniæ debitoribus condonabantur.

IN EPISTOLAM XXII.

Isti] qui otium timent. *Meus vero discipulus,*] Hirtius. *Illum,*] Cæsarem. *Irrita fore, &c.*] fore dicebat, vt nos, qui Cæsaris acta decreto sanximus & confirmauimus, iidem illa infirmemus atque tollamus, timore liberati. *Qua si vsus non fuisset,*] quia interfectus est ab iis maxime, quos, Pompeium secutos, cum posset occidere, seruauit. Et sane Hirtius illi auctor fuerat, vt crudelitate potius vteretur, quã clementia; si, quod armis quæsierat, tenere diutius vellet. quod ex Paterculo didicimus: cuius verba subiiciemus: Laudandum experientia consilium est Pansæ, atque Hirtij, qui semper prædixerant Cæsari, vt principatum, armis quæsitum, armis teneret. ille dicitans mori se, quam timeri, malle, dum clementiam, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est. *Pompeius*] Sextus, Magni filius. *Quod tibi tum licuit,*] quod tibi Cæsaris bello licuit, vt neutram partem sequereris; id nobis nunc non licebit; quos hæc perditorum pars in hostium numero habebit, quia non obscure Cæsaris morte lætati sumus. ep. 13. *Nos ingratos.*] quia læti sumus eius nece, quibus ille nõ solum pepercerat, sed etiam reditũ in patriam concesserat. *Millies mori melius,*] quam ire in castra. supra: Talaria videamus. quiduis. n. potius, quã castra. *Huic præsertim ætati.*] senectuti: cui propinqua iam mors impendet. *Magnum mendum*] acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. epist. 21. *Illi iuuenes*] tyrannoctoni. ἄλλοις ἐν τοῦ λοῖς, *&c.*] aliis in bonis hanc effugiunt vituperationem. hoc dicit: ita de republ. meriti sunt, vt ad eos hoc dedecus non pertineat. *Plura audis,*] cum Romæ sis. *Interes*

teres consiliis,] quod cum Cæsarianis assidue colloquaris. Sic in epistola ad Cassium: Tu eam partem petisti, vt & consiliis interesses, &, quod maxime curã leuat, futura animo prospicere posses. Erat enim Cassius apud Cæsarem. *Super legatione votiua.*] quam petere cogitabat, discessionis caussa; quemadmodum & petiit, & vsus est. quod ipse in 1. Philippica significat his verbis: Quæ cum audire mallem, quam videre, haberemque ius legationis liberum; ea mente discessi, vt adessem Kalendis Ianuarij; quod initium senatus cogendi fore videbatur. Votiuam autem, & liberam legationem idẽ esse, non dubitabit, qui leget quod scriptum est epist. 18. lib. 2. & 13. lib. 14. *Kalendis.*] ne in senatu Kalendis Iuniis adsim. ep. 14. & 1. *Milites ad eam diem comparati,*] vide epist. 4. lib. 15. & in 2. Philipp. *Istos,*] Brutum, & Cassium.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DECIMVMQVINTVM EPISTOLARUM Ciceronis ad Atticum.

IN EPISTOLAM I.

DE ALEXIONE.] medicus Ciceronis Alexio perierat. ep. 2. *De Antonio*] ep. 20. lib. 14. *Egi primum,*] egi cum eo de re Buthrotia. *Nihil mihi concedebat.*] rem Buthrotiam, eque atque ego, videbatur cupere. Sic epist. 33. lib. 13. Nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis: nõ

concedit Camillo. *Huius rei,*]Buthrotiæ. *Consulatus sui.*] erat enim consul designatus. *In eo negotio*] in re Buthrotia. ep.19.lib.14. *Nostros:*] Brutum,& Cassium. *Satisfeci:*] probaui mihi non licere,quod rogaret.ep.19.lib.14. *Laborare*]de ea re,quam rogabat. *Istam vero,*]opinor,Publiliæ matrem. epist.19.l.14. *Quid est hoc?*]quo de nunc agitur. quid est, cur simulem, & quasi cum persona ambulem? tum laudaui, quia debui:at hoc, quod nũc agitur, cuiusmodi est? *Quod Brutus rogat,*]quod Brutum scribis rogare,vt ante Kalendas Iunias eum conueniam; ad me quoque scripsit. *Ante Kalendas*]hoc est,ante quam in vrbẽ redeam.nam ad eam diem Cicero affuturus erat:(ep.14.& 17.lib.14.) Brutus autem redire ipse in vrbem non audebat metu veteranorum. familiar.ep.2.lib.11. *Sua immortalitati*]cum tyrannum interfecit. *Nostro otio*]quia,rege interfecto,liberi tamen non fumus.epist.5.11.&12. *De regina*]Cleopatra.epist.8.lib.14. *De Flamma*]De Flaminio Flamma,obsecro te,si quid potes, age:id est,ne Montanus pro eo dependat.ep.50.lib.12.& 16. l.14. *Pane valentem*] nam ægrotauerat. ep.19.l.1. *Clamitis*] mallem, Clarius: vt certius Attico significet de valetudine Pilię,quam non domi subobscure,sed in publico clare viderit. *Vt eam ne ambitiose corrigerem*]ne in corrigẽdo gratiam aucuparer:ne,gratiam eius captans,parce corrigerem. Eodem verbo,& in eadem sententia, Brutus vsus est, cum ad Atticum scriberet, Ciceronẽ accusans. Quædam,inquit,mihi videtur,quid dicam?imperite vir omnium prudẽtissimus, an ambitiose fecisse, qui valentissimum Antonium susciperepro Rep.non dubitarit inimicum?Ambitiose,pro indulgenter,ad inquirendam Octauij gratiam, dixit. Et epist.2.l.1.ad Q.fratrem: Ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere. *ὑπόθεσιν vides qua sit*] vides, quod sit argumentum,quæ dicentis persona. argumentum est,de tyranno interfecto,patria liberata:loquitur Brutus,qui tam præclari facinoris auctor fuit.ardentius igitur scribi debuit oratio. *Altius sum,*] aliud sequor genus orationis. Et sane Ciceronis & Bruti non idem erat iudiciũ de oratore perfecto.ep.20.l.14. *ὑπερατθικὸς* admodum Atticus: hoc est: vereor,ne, quia cognomen tibi est Attico,valde propensus sis ad ea probãda,quę sunt Attice scripta.nam Brutus eam rationẽ scribendi in oratione

tione sua secutus erat, quam Attici oratores adamauerant. Atticum autem oratorem Cicero talem inducit in libro de perfecto oratore: Summissus est, & humilis, de numeris non laborans, suppressus vt voce, sic etiam oratione. non faciet remp. loquentem; nec ab inferis mortuos excitabit; nec, aceruatim multa frequentans, vna complexione deuinciet. Hūc igitur oratorem & probabat Brutus, & imitabatur: cum eum Cicero principem poneret, nō qui vno in genere excelleret, sicut Atticus in humili, sed qui parua summisse, magna grauiter, mediocria temperate posset dicere. *Ἀτικώτατα grauissime dici.*] qui Atticus maxime velit esse, grauiter tamen posse dicere. Grauitatem Cicero, & vim cum verborum, tum sententiarum in oratione Bruti desiderabat: qui ea neglexerat, quod, Atticorū consuetudinē imitans, tenuitatē sequeretur.

IN EPISTOLAM II.

De Buthroto:] nimium multis verbis de Buthrotia re mecum agis. epist. 10. lib. 14. & 15. lib. 16. *Concionatum esse*] epist. 20. de concione L. Antonij. *Ea non scribam,*] opinor, historiam. epist. 14. lib. 14. *Non satis, &c.*] non multū mihi sperare videris a senatu de re Buthrotia. *Ludorumque eius*] intelligit eos ludos, quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit: de quibus Suetonius his verbis: Ludos victoriæ Cæsaris, non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et Matius in epistola ad Ciceronē: At ludos, quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui: at id ad priuatum officium, non ad statum reip. pertinebat. *Postumius*] ita lego, non Postumus, ex antiquo Bessarionis libro. nominatur epist. 12. lib. 6. fam. tamquam Cæsaris amicissimus. *Collega dignus.*] dignus Matij ac Postumij collega: quia cum ijs ludos procuraret. *Balbum*] Balbum vellem leuare inuidia possemus. vide illud epist. 21. lib. 14. Quæstus est etiam de sua inuidia. *Prima disputatio Tusculana*] quod scribis, te, legendo Tusculanarum quæstionum libro primo, hoc assequi, vt mortem contemnas: sane gaudeo. Primus enim Tusculanarum liber mortem docet non esse malum. *Neque enim vllum est perfugium aut melius, aut paratius.*] quam mortem cōtemnere. *Bene loquitur,*] de suo ære alieno soluendo. ep. 50. l. 12. & 16. l. 14. *Hos tamen πεντέλοιπον*] Hirtiū, Pansam, Balbū, quos appellat πεντέλοιπον, quasi reliquos de

quinque. nam, Octauio & Philippo Romam profectis, tres de quinque remanserant, Hirtius, Pansa, Balbus. *Ista*] quæ fiunt ab Antonio. *Pecuniæ*] publicæ; quam Antonius erogauit ad arbitrium suum, cum ea pertineret ad populum Romanum. Philippica 5. Illa dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est. & in 2. *Doleo*] quod e vita excesserit. epist. 1.

IN EPISTOLAM III.

Multa potiora.] nam exsilium, & mortem, & quiduis aliud seruituti antepono. *Acta in æde Apollinis,*] pro republica, erumpente flamma bellorum ciuilium. *Nec simile tempus*] tunc enim tuto licuit consulere reipublicæ: quod item nunc licere non videtur, præsertim cum scribas, Marcellum, aliosque ab vrbe discedere. *Noui conuentus habitatores*] intelligit colonias proximis superioribus diebus ab Antonio in agrum Campanum deductas. Philippica 2. *In magnis enim versamur angustiis.*] quod iam neque in his locis mihi videor tuto esse posse, propter nouos habitatores Antonio beneuolos; neque Romæ, propter milites non solum Antonij, sed etiam Octauij; quorum neutri σκοτὸς est salus reip. epist. 12. huius lib. & 1. lib. 15. *De Mario*] hic est M. Marius, de quo epist. 9. lib. 2. ad Q. fr. & fam. epist. 1. lib. 7. *Quæ desiderabam.*] cognoscere cupiebam ex tuis litteris & secundos Alexionis heredes, & testamenti diem; cognoui. *M. Cato*] sic in Bessarionis libro: ad quem accommodanda correctio. ego, quod reponam, non audeo: nec temere audeo immutare. *Idem te, quod me, sentire video.*] tu quoq; sentis, ardentius debuisse scribi. epist. 1. *Quasi a Bruto habita oratione,*] vis me in eandem sententiam scribere, quod Bruti nomine diuulgetur: quasi eam orationem, quæ scribatur a me, Brutus habuerit in concione Capitolina. quod ego, qui fieri possit, parum intelligo; cum ille eam, quam scripsit, iam ediderit: vt alia deinde oratio de ijsdem rebus, cum eiusdem nomine non videatur edi posse. *Alio modo,*] atque scripsit Brutus. epist. 1. *Tempore.*] scribendi exspectandum tempus maturius, epist. 4. *Bene tribuni.*] recte factum a tribunis, qui Cæsaris sellam in spectaculis apponi vetuerunt. quamquam vetuisse Antonium consulem, non tribunos, Appianus

pianus tradit: sed credendum potius Attico præsenti. de hac sella Suetonius sic: Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculum Circensi pompa. *Præclaros etiam* XIV. *ordines*] scripserat Atticus de equitibus Romanis, studium erga remp. in theatro significantibus. hi sedebant in XIV. ordinibus lege Roscia datis. Cicero, Plinius, Pedianus, Tranquillus. *Apud me*] in aliqua villa Ciceronis. epist. 2. lib. 13.

IN EPISTOLAM IV.

IIX. fere] IIX. fere hora: vt ita subaudiatur, hora; quem admodum subauditur, dies. *Q. Fusio*] Caleno, Ciceronis inimico iam inde a temporibus Clodianis. Asconius in Miloniana. Postea Ciceroni, acerbe Antonium in senatu accusanti, non minus acerba oratione respondit, quam recitat Dio lib. 46. *Nisi forte*] nobis omnia videantur insulse fieri ab ijs, quos non amamus. *Et leuiorem laudo*] corrupte. placeret si, De Lenio, rem laudo: aut quiddam huiusmodi: vt sit responsionis initium. omnino dictio, Leuiorem, diuidatur. *Carfulenus*] si ita sentit, vt scribis. D. Carfuleni mentio est in 3. Philippica, & in epistola Asinij ad Ciceronem, apud Appianum Carfuleij. *Ἄνω ποταμῶν.*] retro fluminа fertantur. adagium est πρὸς τὸν ἀδυνάτων. *Per populum agat*,] sicut egit. nam corruptis tribunis plebis, populi suffragijs Celticam prouinciam, D. Bruto antea decretam a senatu, obtinuit. Appianus lib. 3. *De illius nerui*] de Bruti virtute. *Non videtur fieri posse sine bello.*] si prouinciam Bruto adimere volet Antonius, bello adimat necesse est. *Non cupio*,] non cupio Brutum armis tueri prouinciam: quia, si tuetur, acta Cæsaris confirmantur: (Cæsar enim eam prouinciã Bruto regendam assignauerat) quod si acta Cæsaris confirmantur; sequitur, vt caueatur Buthrotijs, id est, vt Buthrotij omni molestia liberentur, sicut Cæsar decreto iusserat. Hic exsistet, qui dicat: Ergo Buthrotijs non amicus Cicero. immo amicissimus; sed vsque eo ambitiosus erat in eorum agro liberando, vt eos id consequi ab alio doleret. laborabat autem ea de re propter Atticum, qui pecunias Cæsari de suo numerauerat, vt Buthrotius ager ne diuideretur. epist. 14. libri 14.

2.lib.15.& 15.lib.16. *Nostrũ*] Bruto, & Cassio. *Stulta*] stulte facerem, si me idibus Martijs consolarer. epist. 13. & 28.lib.14.& 4.lib.15. *Excisa*] tyrannus quidem est occisus, sed quædam quasi radix remansit, vnde tyrannis enascatur. *Redeamus, &c.*] legamus Tusculanas disputationes, quæ nos aduersus omnia, quæ possunt accidere, confirmant. *Sæpe & surpas*,] sæpe in tuis litteris mentionem facis Tusculanarũ disputationum. epist. 2. *Saufeium pete*,] disputa contra philosophum Epicureum de contemnenda morte: ita vt ille nesciat, argumenta te sumpsisse de meis libris. *Lanuuium*] ad Brutum. epist. 9.lib.14. *Non sine multo sermone.*] dabit enim sermonẽ hic meus cum Bruto congressus. *Contendis committere*] vis me eãdem scribere orationem, quam Brutus scripsit. vis igitur nos inter nos committere, & quasi in quoddam certamen adducere. Tranquillus in Caligula: Nec cessauit criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. *Ἡρακλείδιον aliquod.*] hortaris, vt præclarũ aliquid de rep. scribam, quod quasi Heraclidis opus videatur. epist. 19.lib.13.14. & 28. huius libri, & 2.lib.16. *Componendum argumentum est, & scribendi exspectandum tempus maturius.*] hoc est, quod dixit epist. 3. huius lib. Sed alio modo & tempore. nam hoc tempore non videbatur sibi de rep. sine periculo posse scribere: cum, interfecto Cæsare, minime tamen esset recuperata libertas. itaque dicit, exspectandum tempus maturius. *Si hæc ita manant, vt videntur*,] si, vt videtur, perditorum vis & audacia quotidie magis corroboratur, iam mihi nullam afferet delectationem Cæsaris interitus. *Numquam reuertisset:*] ex bello, quod Parthis inferre cogitabat, & diuturno, & admodum periculoso. *Eius acta*] quæ decreto confirmauimus, ipso interfecto. epist. 6.lib.14.& fam. epist. 1.lib.12. *Aut vt in Saufeiana, &c.*] videtur locus obscurior; qui tamen illustrabitur distinctione. sic igitur distinguamus: Aut (vt in Saufeianam, reliquasque disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris) ita gratiosi, &c. hoc sensu: Ille numquam reuertisset; aut, si reuertisset, ita gratiosi eramus apud illum, vt nostræ ætati, siquidẽ dominum habituri fuimus, non fuerit dominus ille fugiendus. illud autem, Vt in Saufeianam, &c. explano sic: Vt contra ea dicam, quæ in Tusculanis disputationibus sunt a me scripta.

in ijs

in ijs enim multa de morte contemnenda. qui autem dominum fert, is ideo ferre videtur, quia mortem timet. & primã, opinor, disputationem, id est primum librum Tusculanarũ, Saufeianam appellat, quia contra Saufeij sententiam, qui Epicurum sequebatur, multa complectitur de animorum æternitate. *Nostræ ætati*,] qui senes sumus. *Nostri*] Bruto, & Cassio. epist. 3. *Quid etiam nobis*,] vtrum Kal. Iun. in senatu adsim. epist. 1. *Studium tuum nauare*] ad eum cuperem ire potuisses. epist. 11. *Litteras.*] mittam, quibus te excusem. epist. 5. *Missi*] Romam, vbi erat Atticus; ideo infert, Eum ad te vocabis. *Cum mandatis, & litteris.*] de legatione impetranda. epist. 9. *Quod placeat*,] quod scribendum videatur. *A Balbo*] nihil dum a Balbo cognoueram, vt possem ad te particulatim scribere de consilijs Antonij, quemadmodum superioribus diebus feceram, ex eiusdem Balbi sermone. epist. 21. lib. 14.

IN EPISTOLAM V.

Vtrum de duobus.] Romam eant, nec ne. id enim considerabant, sed veteranos timebant, quorum ad Kalendas Iunias magna multitudo in vrbe affutura erat. in libro superiore in extremo, Moneor, inquit, a multis, ne in senatu Kalendis. dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparati, & quidem in istos; qui mihi videntur vbiuis tutius, quam in senatu, fore. Et in epistola, quæ vtriusque nomine ad Antonium scripta legitur fam. lib. 11. cum hoc ipsum consultarent, num in vrbe tuto esse possent, Scribitur, inquiunt, nobis, magnam veteranorum multitudinem Romã conuenisse iam, & ad Kal. Iun. futuram multo maiorem. petimus a te, facias nos certiores tuæ voluntatis in nos; putes ne nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum: quos etiam de reponenda ara cogitare audimus. Congruit igitur & tempus, & sententia: vt explanem sic, Vtrum de duobus, vtrum Romam eant, an in ijsdem locis maneant. ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες.] adagium est, ab eo, qui thesaurum sperans carbones inuenit. transfertur ad eos, quibus opinione & spe frustratis aliquid euenit contra quam volebant. Ergo sensus est: Cassium numquam putaui fore tã stultum, vt crederet Hirtiũ a me fieri quam optimum posse. Cũ enim Cæsarẽ Hirtius magnopere dilexisset; Cassio & Bruto, e Cæsaris interfectoribus, qui poterat non inimicus esse?

aperte indicant quæ ſcripta ſunt epiſt. 22. lib. 14. Meus, inquit, diſcipulus (Hirtium ſignificat) valde amat illum, quem Brutus noſter ſauciauit: &, ſi quæris, timent otium: ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamque præſeferunt, virum clariſſimũ interfectum, &c. *Epiſtolam tibi miſi.*] quam Caſſius ad me miſit. *Vt tu de prouincia, &c.*] vt tu ſcribis de prouincia Bruto, itemque Caſſio per S.C. mandanda, ita & Balbus ſcribit. *Iam in Tuſculano eſt:*] vt iam in vrbem peruenerit, cum in Tuſculano ſit. *Periculi cauſſa,*] ſuadet, ne Romam proficiſcar; quod ibi non putet me ſine periculo eſſe poſſe. *Sibi etiam*] ſe etiam dicit abfuiſſe periculi cauſſa. *Tantum abeſt, &c.*] ſi Romam non venio, ſuſpicari poterit Antonius ideo me non venire, quod eum ſummis opibus, ſummaque dignitate florentem non libenter videam. ſed ego, tantum abeſt, vt hanc eius ſuſpicionem curem fugere, vt etiam ob id ipſum Romam venire nolim, ne illum videam. *Fugere non curem,*] perſpicuum eſt, negatiuã abundare. *Qui reuiciantur,*] a portione publici agri. fam. epiſt. 2. lib. 11. *Inter iſtos?*] inter Cæſarianos: cum in vrbe ero. *L. Antonius,*] Marci frater. *In Decimum*] in Decimum Brutum profecturus eſt. *Noſtros:*] hac voce ſemper M. Brutum & C. Caſſium deſignat, vt epiſt. 1. Redeamus ad noſtros. Et epiſt. 4. Scribis te neſcire, quid noſtris faciundum ſit. Item epiſt. 1. lib. 14. & 6. h. l. *Seruiui*] Cæſare viuo.

IN EPISTOLAM VI.

Cauſſa] Cæſarianæ. *Iſtos*] Hirtium, & alios Cæſaris amicos. *Caleant,*] in agendis rebus acriter verſentur: *μεταφορικῶς*: quale illud epiſt. 16 lib. 4. Iudicia calent, pro exercentur. Et epiſt. 2. lib. 3. ad Q. fr. Gabinium ad pópulum Iuculente calefecerat Memmius. Et Cœlius in epiſt. ad Ciceronem: Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere; iam calet: nam feruentiſſime concerpitur. *Ad nonas*] vt in ſenatu adſim. nam eo die ſenatus erat futurus. epiſt. 9. *Præſidia*] magiſtratus in biennium deſignati; conſules quidem, Hirtius, & Panſa; poſt eos, D. Brutus, & L. Plancus. nam Cæſar, ad bellum Parthicum profecturus, paucis diebus ante, quam occideretur, deſignauerat magiſtratus in biennium: vt eſſent, qui ipſo abſente res vrbanas adminiſtrarent. Dio. *Per ſe*] Bru-

se] Bruto enim & Cassio rem ad contentionem deducentibus, hæc mala diuturna erunt, quæ ipsa per se non essent. *Verebatur* enim Hirtius, ne Cassius & Brutus eo consilio discederent, vt, exercitu comparato, armati redirent de rep. dimicaturi. ideo dixit Cicero: Isti verentur, ne nostri plus animi habeant, quam habent. *Seruiliam*] M. Brutimatrem, sororem Catonis Vticensis. *Redisse*,] Lanuuio, vbi filium & Cassium erat allocuta. *Non discessuros*.] Brutum & Cassium ex Italia non exituros.

IN EPISTOLAM VII.

Sexti] Pompeij. *Seruius vero pacificator*] Ser. Sulpicius iurisconsultus, pacem curans inter ciues. *Cum librariolo suo*] cum librario, cuius vti opera solitus est. *Legationem*,] cum hunc & illum conueniat pacis causa, quasi legationem hac de re susceperit. *Omnes captiunculas pertimescere*.] quas diligenter vitare solent iurisperiti. Agit Seruius de pace, vt legatus: agit caute, vt iurisconsultus, captiones timens. *Non ex iure manu consertum*:] Ennij versus:

Non ex iure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Quos versus apud Gellium licet videre lib. 20. cap. 9. epist. 13. lib. 7. fam. & orat. pro Murena. Est autē, Ex iure manu consertum vocare, litem intendere, in iudicium vocare. quod non est agendum cum ijs, qui libertatem nobis eripiunt: sed ferro potius, vt ait Ennius, repetenda res est. *Sed quæ sequuntur*:] sequuntur hæc:

——Sed mage ferro
Rem repetunt, &c.

Quæ Seruius agere debuit, non, vt agit, de iure disputare, pacis conciliandæ gratia. *Tuque scribes*.] ad Seruium scribes, quid eum facere par sit.

IN EPISTOLAM IIX.

Veteranis,] quod tam frequentes Romam venerint, spe nouarum rerum a consulibus incitati. Puto enim significari quod est in 1. Philippica: Veterani qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime cauerat, non ad conseruationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem nouarum prędarum

incitabantur. *De Kal. Martijs*] de eo, quod eo die agere decreuerunt. sed locum hic esse Kalendis Martijs non video: Iunijs posset esse: quibus, futurum erat, vt ageretur in senatu de commodis veteranorum. fam. epist 2. lib. 11. *Eutrapelum*,] Volumnium Eutrapelum, Antonij familiarissimum, qui etiam illi amicam suam Cytheridem concesserit. fam. epist vlt. lib. 9. & Seruius in vlt. ecloga. *Vtraque.*] vtar tam prouinciali, quam votiua. *De te*] scripserat Atticus, sibi quoque in animo esse legationem liberam petere, sed vsurum in ea re Ciceronis consilio. vide epist. 9. *Coram.*] mecum de tua legatione deliberare. *Vt ille:*] vt poeta ille scriptum reliquit. videtur enim illud, Cauendum quæ plures vident, de vetere poeta sumptum.

IN EPISTOLAM IX.

Vllam ab istis,] vllam prouinciam accipere a Cæsarianis? Maluisset enim Cicero vtrumque in vrbe manere; quod ijs præsentibus magnum præsidium resp. videretur habitura. *Legatariam*] per contemptum: quod quasi legati ad curandum frumentum mitterentur. Scribit Appianus lib. 3. senatum Bruto & Cassio timentem, demandato rei frumentariæ munere, honeste illos amandasse. *Ad Eurotam*] vsque eo legatariam istam prouinciam parui facio, vt nesciam, vtrum ea sit melius vti, quam prorsus nihil agere, & Lanuuij sedere. Lanuuij enim erat Brutus. *Eurotam*] fluuium Laconiæ, Lanuuij pictum in porticu, quæ Persice dicebatur, fortasse quod in ea simulacrum pugnæ fuerit, qua Persæ a Græcis cæsi sunt. *Prouincia decernantur.*] ad quas ex prætura proficiscantur. nunc enim & Cassius & Brutus prætores erat, neque prouincias poterant administrare, nisi post confectũ annuum prætũræ tempus. interea datum negotium, vt frumentum curarent. *Nolo enim, &c.*] quia Eurotam nominaui, fortasse poteras accipere de Lacedæmone, quam præterfluit Eurotas: ideo addidi de Persice porticu: vt intelligeres, me de Eurota picto locutum, & Lanuuium significare, non Lacedæmonem, quæ longe abest. Bessarionis liber hic habet, Lacedæmonem cum Lanuuium existimauit. quod esse mendosum constat. *Casus armorum?*] rixam significat nescio quam in Attici domo ortam, ita, vt ad arma ventũ sit. *Num-*

bum cito

tum cito transisse] rixam matureſedatam. *Tristi,*] quod Atticus legationis ſpecie migrare alio vellet, ne tam turbulenta in vrbe viueret. *Difficili ad consiliandum*] de qua ego tibi consilium dare non facile possim. Hac de re in epiſtola proxima ſuperiore, his verbis: De te quæſo etiam atque etiam vide.

IN EPISTOLAM X.

Quid ſcribam?] ad Brutum, & Caſſium. *Beneficio iſtorum*] curatione frumentaria. *Si vero aliquid de Decimo gratius:*] ſi quid de Decimo Bruto lætius affertur, vt de Antonio repulſo, de prouincia Gallia in ſenatus poteſtate retenta: quæ noſtris, id eſt Bruto & Caſſio, vita? quaſi dicat, obſcura prorſus, & inhonorata, qui Lanuuij ſedendo tempus triuerint. Antiquus liber Caualcantis: Si vero aliquid de D. gratiuſque noſtris: vt nulla fere mutatione locum, vt opinor, reſtituerim. *Ludos vero non facere*,] prætores ludos facere ſoliti erant. ideoque turpe dicit futurum M. Bruto, ſi eos prætermiſiſſet. qui poſtea conſtituit, vt abſente ſe fierent, cum ipſe in vrbe tuto eſſe non poſſet. epiſt. 11. & Plutarchus. *Frumentum imponere,*] mandare Bruto & Caſſio, vt frumentum curent, hoc eſt eos ſpecie legationis tamquam in exſilium mittere: ſicuti Dionyſius tyrannus Dionem ablegauit; cum tamen eum diceret non in exſilium a ſe miſſum, ſed paullulum ſeceſſiſſe. Plutarchus, & Probus. quanquã apud eos legationis nulla mentio. ſed potuit Dionyſius, ad tollendam inuidiam facti, inter cetera & hoc fingere, Dionem a ſe legatum aliquo miſſum. *Prorſus quidem, &c.*] in tali re ſi quis velit illis conſilium dare, ſine periculo non poſſit: ſed ego, ſi modo quid proficere, & illos conſilio iuuare poſſem, periculum negligerem. *Fruſtra*] quia nihil proficerem, etiã ſi proponerem illi quod maxime gloriosum eſſet. me enim non audiret, qui matri talibus in rebus obtemperet. *Cum vtatur,*] Brutus. *Quo genere vtar litterarum*] ad illos. *Mittam*] litteras vel Antium, vel Circæos. nam alterutro in loco futuri erant Brutus & Caſſius.

IN EPISTOLAM XI.

Seruilia, Tertulla, Porcia,] matre, ſorore, coniuge M. Bruti. *Vt ſaluos eſſe:*] vt ſaluti conſuleremus: vel, vt ſaluus eſſe poſſet. ſic enim licet explanare, cum in antiquo Caual-

cantis libro, Vtsaluus esse, scriptum sit. *Martem spirare*] terribile quiddam adspectu præ se ferre. quod de Scæuola infra Græce dixit, ἄρη πνέων, epist. 4. lib. 3. ad Q. fr. *In Sicilia*] rei frumentariæ caussa. epist. 9. *Ego ne*] ego ne, Calsius aiebat, vt beneficium accepisse videar in contumelia? vt, quæ contumelia est, eam beneficij loco ponam? Clarius explanemus. Si hac, inquit, frumentaria vterer curatione, quodam modo fateri viderer, beneficium mihi esse datum, cum ego ita sentiam, tam sordido munere demandato, nō datum esse beneficium, sed impositam contumeliā. *Nequenunc,*] quia tum gerebat præturam Brutus. *Decimumque grauiter accusabat.*] qui, cum & Galliam prouinciā, & in ea tres legiones haberet, otiosus nihil pro rep. moliretur. *Quid oportuisset.*] ab illis fieri. *Quemquam præterea oportuisse tangi:*] etiam M. Antonium oportuisse occidi. Id autem M. Brutus vetuerat, vt tantummodo tyrannum odisse viderentur. Sed, quoniam video esse antiquos libros, a quibus absit dictio, Tangi; venio in opinionem, distinctione mutata, sic esse legendum: Nec tamen illum locū, attingere quemquam præterea oportuisse, sed senatum vocare, populum ardentē studio vehementius incitare, totam susscipere rem publicam: vt actiue, quemadmodum grammatici loquuntur, omnia ponantur. *Senatum vocari,*] vide epist. 10. & 20 lib. 14. *Tua familiaris.*] Seruilia Bruti mater. *Iturus,*] in Achaiā. *Noster*] Brutus. epist. 12. *Inani sermone:*] cum dixit, se Romam iturum. *Velle enim se dixerat.*] vti Asiatica curatione frumenti. Η' δεῦρ' ὁδὸς, &c.] veteris poetæ senarium vsurpans, loquitur ad se ipsum: Quid profecisti o Cicero hoc tuo ad Brutum itinere? nihil sane: tantum amori satis atque officio fecisti. *Pelopidarum*] malorum ciuium. epist. 12. lib. 14. integer senarius est: Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam. vsus est Cicero eodem versu & in epistola ad Curiū, lib. 7. fam. mutatis paullisper verbis, sententia tamen & metri ratione seruata, sic: Nec Pelopidarum nomen, neque facta audiam. *Ad* IV. *non. Apr.*] vt ad IV. non. Apr. cum eo legatus in Syriam proficiscar. *Votiua*] legatio. *Si stetisset,*] si dij darent, vt resp. staret; voui. cum autem resp. non stet, sed euersa plane sit; cur vota dissoluam, cum id, cuius caussa voui, non successerit? Sic & Liuius lib. 21. C. Atilius Serranus

prætor

prætor vota suscipere iussus, si in x. annos resp. eodem stetisset statu. & lib. 30. Consulibus imperatum, vt ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator vouisset, si eodē statu resp. staret. *Liberæ legationes*] quarum in numero votiua erat. dabantur enim priuatæ rei caussa. *Idque adeo genus legationis.*] liberæ. *Quod nunc mihi additum est.*] vt, quamquam non sit hæc mea libera legatio, liceat mihi tamē introire, exire, cum velim. *Quinquennij licentia.*] vt legatus per quinquennium abesse possim. *Contrahi*] cum res ad bellum & cædem spectare videatur. *βλάσφημα mittamus.*] ne nobis male ominemur, quasi ad quinquennium victuri non simus.

IN EPISTOLAM XII.

Cum litteris,] de re Buthrotia. *Quid nocet?*] quamquam tu scribis, bono loco Buthrotiam rem esse: tamen quid nocet ad Dolabellam ea de re litteras misisse? *De nostris autem Antiatibus*] intelligit Brutū, & Cassium; & Antiates appellat, quod Antij morarentur. *Vsurique beneficio Antonij*] abfuturi ab vrbe, quod Antonius consul illis concedebat. aliōqui, cum prætores essent, abesse non licuisset. *Contumeliosō.*] quia, cum illis Antonius daret, vt abesse possent: adiunxit deinde, vt alter in Asia, alter in Sicilia frumentum emendum, & ad vrbem mittendum curarent. in quo videbatur esse contumelia nullum enim munus in rep. sordidius epist. 1. lib. 14. *Noster*] Brutus. *καὶ μάλα σεμνὸς*] dixit εἰρωνικῶς: quod Brutus, vt ad illustrē & glorioſam prouinciam, sic ad sordidam rei frumentariæ curationem æquo animo proficisceretur. sic Plutarchus de Cicerone, cum, affectis supplicio coniuratis, magno optimatum comitatu insignis domum rediit. *αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν περέφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τὸ ἀνδρὸς ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος. In Asiam,*] erat profecturus. *Sine cura me esse iubet.*] vult me non timere Tusculani mei diuisionem. hoc primum est beneficium, quia me iubet esse sine cura: alterum fortasse consequetur: quod? hoc inquam, si in Tusculanum venerit: id est, si ad diuisionem venerit eorum prædiorum, quæ sunt in agro Tusculano. forte enim, quod litteris pollicetur, id re præstabit, vt mea prædia in diuisione excipiat. Philippica 5. *τὰν δ' αἰτίαν, &c.*] causam Brutorum, quis erat, qui tueretur? animatus quidem er-

ga eos ita, vt vellemus, fore videtur Octauianus; sed, quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατήχησι, magni consilij est, quod & adolescẽs est, & Cæsaris cognomine appellatur, & hereditatem habet ab illo relictam, & vtitur eorum consilio, qui Cæsarem amãt mortuum, nostris liberatoribus inimici. κατήχησις enim valet institutio, eruditio, doctrina, consilium. habebat autem Octauianus apud se non qui illum ad pacem hortarentur, sed qui ad persequendã Cæsaris mortem incitarent, vt est epist. 12. lib. 14. Octauium nego posse bonum ciuem; ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. *Vitricus*] Philippus, Octauiani vitricus, nihil ei censebat esse credendum, propter ætatẽ, propter nomen, &c. *Marcellus*] hic Octauiani sororem in matrimonio habebat; eiusque pater fuit, cuius mortem Virgilius deplorat in sexto:

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. ——

Nostro nostri:] Quincto Quincti filio. hoc ad Attici epistolã refero; qui scripserat, Marcellum Quincto filio præcipere, quas partes in repub. sequeretur; quod antea valde familiaris Antonio fuerat: & eidem postea fuit inimicus. Philippica 3. *Ille*] Quinctus filius, vel Octauianus. ἐὰν διαμένῃ.] si permãserit. & hoc vel ad Quinctum, vel ad Octauianũ referri potest: malim tamen ad Octauianum.

IN EPISTOLAM XIII.

Nec duces simus, nec agmen cogamus:] vt nullum in his dissensionibus neque magnum, neque paruum munus suscipiamus, faueamus tamen rempubl. defendentibus. metaphora sumpta de re militari. *Orationem tibi miss.*] quæ non exstat: nam Philippicæ post hoc tempus habitæ. *Quando illum diem,*] quando ita liberi viuemus, vt eam orationem tuto proferre possimus? *Indutias,*] scribis fore optimum, si quæ indutiæ fieri possint inter hos, quorum animus ad pugnam & ad cædem spectare videtur. hoc nõ video qui fieri possit. melius est silere, de indutiis verbum non facere. *Legiones duas*] M. Antonius Caium fratrem in Macedoniam misit, qui legiones, quas ibi Cæsar ad bellum Parthicum collocauerat, in Italiam transportaret. ad easq; ipse Brundisium mox profectus, cum eas primum ad vrbem ducere instituisset, vt audiuit.

diuit Octauij studio atque virtute firmo præsidio munitam esse remp. mutato consilio in Galliam contra Decimum duxit. Puer egregius, inquit in epistola ad Cornificium, prę sidiũ sibi primum, & nobis, deinde summæ reip. comparauit. qui nisi fuisset, Antonij reditus a Brundisio pestis patriæ fuisset. Et Philippica 3. Quid hic victor nõ audebit, qui senatum stipauerit armatis; armatos in cella Concordiæ, cum senatum haberet, incluserit; ad legiones Brundisium cucurrerit; cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & dispersitionem vrbis venire conatus? *Prius.*] auditis. *Iam probo ἠρακλείδιον,*] quod antea petẽti Attico vt aliquod ἠρακλείδιον scriberet, negauerat; ideo dicit, Iam probo. epist. 5. *Sic enim mauis, &c.*] hic facilius est sentẽtiam videre, quam verba restituere. opem exspectabimus antiquorum librorũ. *Peducæi*] Sex. Peducæi, Attici amicissimi. de quo ep. 1. l. 10 & in Attici vita. *Industrium*] in scribendo. *Foueo.*] amplector omni studio, vt amici sint. Alibi quoq; hoc verbum in hanc sententiam vsurpatur. Vectenum quidẽ nominat ep. 15. l. 10. Faberium aũt ep. 24. l. 12. & 22. l. 14. fuit. n. scriba Cęsaris, ab Appiano nominatus. *Clodium*] apparet amicum Ciceronis esse. nõ enim post obitum P. Clodij video caussam fuisse, cur Cicero Clodios non amaret. & fortasse hic est, quem commendat M. Bruto ep. 1. qui hoc anno tribunus pl. designatus erat. *Ita ne Gallo?*] ignota res, & breuitate magis etiam obscurata. *Marcellum:*] potest esse, qui Octauiam in matrimonio habuit, Octauiani sororem, qui Augustus postea fuit. *Me sic,*] me quoque non incautum. nam particula Sic, minuẽdi vim habet, vt ep. vlt. l. 15. fam. Siue facta sunt, siue sic; fiunt, narrante te, venustissima. Et apud comicos. *Res Hispanienses*] optima nunciãtur de Sex. Põpeio. is. n. contra Cęsaris partes bellũ parabat in Hispania. *Selicia*] forte legendum, Seruilia: vt de Bruti matre intelligatur. sed hæc, siue Selicia, siue Seruilia, venisse aiebat Scaptiũ a Bruto. Erat aũt hic Scaptius natione Cyprius, Bruto familiaritate coniunctus. ep. 21. l. 5. *Non qua pompa:*] non qua põpa olim solebat, non illo quo solebat insignem comitatu. *Statim*] ad te scribã. *Alexandrinas,*] quattuor legiones; quas e Pompeij, Crassiq; clade dispersas, Cleopatra sub Cęsare collectas retinebat. has cũ A. Allienus a Dolabella missus educeret, Cassius cũ octo legionibus in Palæstina adortus, omnes

ad se traduxit. fam. ep. 12. lib. 12. & Appianus lib. 3. *Bassum arcessi,*] a legionibus Alexandrinis, quæ illi tradere se vellēt. De Cæcilio Basso epist. 9. lib. 14. *Ne quid ante.*] modo ne quid ante accidat. *Ad Baias*] Baianas aquas Dolabella petierat valetudinis caussa: quarum salubritatem illi gratulatus est Cicero epistola, quę legitur lib. 9. fam. hoc principio: Gratulor Baiis nostris, siquidem, vt scribis, salubres repēte factæ sunt. *De attributione omnia summa fecisse.*] vt ij, qui ipsi debent, mihi se soluturos pollicerentur. ep. 3. lib. 16. Attributa pecunia dicebatur, auctore Pediano, quam in stipendium militum de ærario promptam tribuni ærarij adnumerare quæstori solebant. deinde etiam ad alias res, non minus priuatas quam publicas, loquendi consuetudo deflexit. exemplis plena sunt omnia. *Vectenum accusat.*] debitorem suum, qui sibi, qua die promiserat, non soluerit. *Suscepisse,*] quoniam ipse ad Baias futurus esset, vt a debitoribus suis nō posset exigere, quod Ciceroni numeraturum se diceret. *Quæro autem*] ostendit Dolabellam eo consilio rem differre, vt numquam solueret. Cur, inquit, sua nomina Sextio potius tradidit exigenda, quam nobis? quid potest in ea re Sextius, quod quiuis nostrum non possit? sed videlicet de solutione non cogitat: ideo nobis nomina non assignauit. *Præter spem*] si qua spes est exigēdæ a Dolabella pecuniæ; quod ego quidem antea non speraui itaque præter spem erit, si quid exigetur. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος] quæ de officio sunt. scribebat enim libros de Officiis, quos ad filium misit. *Tantum quod*] commodum, vix, tantum: vt in Verrem, Tantum quod hominem non nominat: caussam quidem totam perscribit.

IN EPISTOLAM XIV.

Quæ tu velles] de re Buthrotia. συντάξεις] scriptionem librorum περὶ τοῦ καθήκοντος. epist. 13. *Miniata cerula*] Atticus in Ciceronis libris ea, quæ non probaret, notare miniata cera solitus erat. ep. 10. lib. 16. Nostrum, inquit, opus tibi probari lætor: ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebā.

IN EPISTOLAM XV.

L. Antonio, &c.] L. Antonius septemuir agris diuidundis, quod Philippicæ orationes ostēdunt, agri Buthrotij diuisionem

nem vrgebat. *Testimonium*] quo testor ea, quæ de Buthrotiis me præsente cum Cæsare sunt acta. *Nummos Arpinatum*] Arpinates nummos apud Ciceronem depositerant. *Aedilis*] ædilitas erat in Arpinati municipio: alius magistratus præterea non creabatur. fam. ep. 12. lib. 13. *Si ergo*] superiore versu κατὰ παρένθεσιν interposito, redit ad nummos Arpinatum. *Item*] præter nummos Arpinatum puto pecuniæ quiddam apud me depositum. *Erotem*,] hic, vt antea diximus, Ciceronis rationes administrabat. *Reginam*] Cleopatram. epist. 8. & 20. lib. 14. *Promissorum*] Ciceroni quiddam spoponderat Hammonius pro Regina. *Cum istis*:] subintellige, sit. Nolo, inquit, mihi quidquam esse cum istis. *Nec tã animum, &c.*] putant me non modo animum non habere, vt vlciſci audeam, sed nec stomachum, vt irascar. *Profectionem meam*,] in Græciam. ep. 13. & 16. lib. 14. *Dispensatio*] male dispensauit Eros pecuniam ex meis nominibus exactam. *Ex reliquis*,] Eros nonis Aprilibus rationes omnes confecerat: summaque facta, quantum pecuniæ Ciceroni deberetur, quantum aliis ab ipso, apparebat Ciceroni tantum pecuniæ superare, vt non modo non egere, sed etiam abundare deberet. *Reliquis*,] reliqua fecerat Eros, quæ Cicero haberet in nominibus. Eandẽ vocem vsurpauit epist. 14. l. 16. Cum tanta reliqua sint; ne Terentiæ quidem adhuc quod soluam expeditum est. & epist. 20. *Ex istis fructuosis rebus receptum*] mercedes intelligit, quæ Romæ capiebantur ex insulis, & ædibus locatis. ep. 13. *Ad illud fanum*] quod erigere filiæ cogitauerat. lib. 12. *Sepositum putabam.*] nunc video id ab Erote in alias res erogatum. quod si sepositum esset ad fanum, vt ego existimabam; nunc ea pecunia vti possem; cum interea cogor mutuare. *Tironi mandaui*:] vt meas rationes cum Erote cognosceret. ep. 17. & 20. *Nihil datum esse*:] in sumptum huius anni. *Numerabit.*] quantum tu Athenis filio permutandum curaueris, tantundem tibi Eros numerabit. *Eius rei caussa*] vt, cognitis cum Erote rationibus, curaret quod tibi numeraretur.

IN EPISTOLAM XVI.

πεφιλοφρονημένως] eleganter. *Præclara scribunt*] de filio. *Retinet suum illud, Adhuc.*] Leonides cum Ciceronem meum in suis litteris laudat, semper adiungit, Adhuc: quasi vereatur,

ne diuturnum id non sit futurũ. Et fortasse ita scripserat Leonides: Filius tuus adhuc præstat se, qualẽ volumus. ep. 16. l. 14. *Summis vero laudibus*] summe laudat filiũ Herodes. ep. 17. l. 14. *A tuis*] qui Athenis tua negotia curant. *Quod pertinet at ad me,*] quo significetur aliquid de filio. *Narro tibi:*] videtur initium epistolæ, sic autem sæpe Cicero locutus in rebus, quæ tam quam nouæ significantur. ep. 21. & l. 2. ep. 11. *Hæc loca*] Pompeianum intelligit. ep. 13. οἶκος φίλος] domum suã appellat Tusculanum; quod ibi frequẽtior soleret esse, quam vbiuis. adagium, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. *Et tamen hæc*] vt omittam, quod οἶκος φίλος: præterea quæ nũc me delectat virgultorum humiliumq; plãtarum in ripa fluminis descriptio, ea videtur celerem habitura satietatem. *Ranæ enim ῥητορεύουσιν.*] declamitant, quasi rhetorum more sermonem frequentant. Græci κοάξειν vocant. quod est imminentis pluuiæ signũ. vnde illud Virgilij,

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Et in Arateis versibus, a Cicerone conuersis: in quibus cum alia prognostica sunt, tum hoc de ranis. propterea dixit proxime, Prognostica nostra: vt ep. 1. l. 2. Prognostica mea propediem exspecta.

IN EPISTOLAM XVII.

Ficto timore] Antonius enim barbaris stipatus procedebat, cum sibi fingeret timere, aliis re vera timorẽ incutere vellet. τὰ μὴ διδόμενα. & prouerbium ignotũ, & res, de qua scribit, propter breuitatem obscurior. ep. 5. lib. 6. *Deterrebis*,] efficies, vt Buthrotiis molestus non sit. epist. 15. *Auctoritate, vel vi.*] antiquus liber Caualcantis, Anthroni vel vi: is qui fuit Bessarionis, Antonij vel vi locus male affectus, nec sine veterum exemplarium ope sanabilis. *Litteras,*] quarum est principium, L. Antonio male sit: epist. 17. *Nec cuiquam,*] dederis nummos Arpinatum. vide ep. 17. *Merces insularum.*] merces, quæ recipitur ex insularum locatione. Insula in vrbe, domus est nullis cohærentibus ædificiis agglutinata, quam vndique viæ circumambiant. ep. 31. lib. 12. & 16. *De itinere*] de profectione mea in Græciam. *Nisi explicato.*] nisi prius ita explicauero meas rationes, vt iis, quibus debeo, paratum sit vnde soluatur. hoc aperte epist. 20. Nisi explicata solutione

tione non sum discessurus. Sententia quidem non obscura: sed illa nota λ, quæ est etiam in meo antiquo libro, ea vero, obscurum quidem est, quo modo ad solutionem pertineat, nisi, si A pro absolutione, & absolutionem pro solutione posuit: vt est in Ferri antiquo libro. *Id est Bruto.*] Seruiliæ pecuniam numerauerat Atticus, quam illa Bruto daret in Asiã proficiscenti. nam ipsi Bruto circa Lanuuium moranti numerare Atticus non poterat: ire autem ad eum, apud Antonium & Cæsarianos suspiciosum fuisset. mittebat igitur per Seruiliam. & opinor intelligi H S c, quæ Bruto Italia cedẽti ab Attico muneri missa, scribit Nepos in eius vita. *Ex Tirone*] quem Romam miserat ea caussa, vt rationes Ciceronis, ab Erote administratas, cognosceret. epist. 17. *Messalla:*] qui & ipse Athenis fuerat studiorum caussa. is Ciceroni de filio mirabilia narrabat. epist. 1. lib. 1. ad Q fr. *Ab illis,*] a Bruto, & Cassio. *In acroasi*] multis audientibus, in auditorum conuentu: quod alibi dixit, In concione. *Bucilianо*] Bucilianus & Sextius ex percussoribus Cęsaris fuerũt. de quibus etiam ep 3. lib. 16. Appianus Bucolianum vocat.

IN EPISTOLAM XIIX.

In lacu] de hoc, opinor, lacu epist. 13. *Si ei videretur,*] hoc dicit, quia videri volebat, se ideo discedere, quod a Dolabella mandata haberet, cuius legatus erat. epist. 20. *De mulis*] vt mulos mihi dandos curaret pro vectura itineris. publicis enim magistratibus & mulos, & tabernacula de publico dari solita, ipse tradit libro vltimo in Verrem. *Vt in eis,*] vt in talibus rebus, vt in eiusmodi negotijs. refertur ad infra positum verbum, Tribues. *Cum intelligo*] Cum, valet quoniam, vt alijs in locis. Quoniam, inquit, te esse distentissimum intelligo tum in re Buthrotia, tum in Bruti negotijs; iccirco non mihi a te multum operæ, sed, vt in eiusmodi re, paullum tribui volo. *Suorum*] hanc vocem arbitror abundare. de Bruti ludis ipso absente factis epist. 11. & 26. huius lib. & 4. lib. 16. præterea historici fere omnes. *Vt ergo in eiusmodi re,*] recolligit prope dimissam sententiam vsitata figura. nam quia de occupationibus Attici longius membrũ interposuerat, ad prima illa, Vt in eis, redit. *Multo malo.*] quam in Græciam, aut quouis alio proficisci.

IN EPISTOLAM XIX.

Quidnam est, &c.] cum omnia iam tentaueris, neque tamen quidquam impetraueris. *Stetisse*] exspectantem vt aliquid ex sententia tua decerneretur. *Refert*] sibi in animo esse? *Detentum:*] & de Buthrotijs, & de Bruto. supra. *Decem hominibus*] homines appellauit, non viros, per contemptum. nam ad agrorum diuisionem Decemuiri creati erant. fam. epist. 20. lib. 11. *Referendum est acceptum.*] vt agros meos ne diuidant. Ἐργῶδες, *sed ἀνεκτόν*] laboriosum, sed tolerabile. *De armis*] rem ad cædem spectare. *Et, vt ais, coram.*] his de rebus colloquemur. *Ne quid temere fiat.*] ne consilium capiam temerarium. considera igitur diligenter, quid agendum; domi ne maneam, an, quod statueram, alias regiones petam, Italia relicta. *Statius*] libertus Q. Ciceronis. epist. 2. lib. 1. ad Q. fr. *Q. Ciceronem*] filium. vide epist. 21. σχεδίασμα.] subitum & artificiosum consiliũ, vt a patre pecuniam eliciat. *Scit enim, &c.*] ideo pater cõturbatus est, quia scit quæ Statius de filio ad me scripsit. *Mecum quidem ἄφατα*] mecum quidem Quinctus pater locutus est quædam non dicenda. *Nolim.*] nollem, transiret ad Brutum & Cassium Quinctus filius. esset enim verendũ, ne iratus ob eam rem Antonius suam deinde iracundiam in nos exerceret. *Quid velit,*] putat Cicero malitiam subesse, & Statium ac Quinctum eam fallaciã excogitasse ad emungendam a patre pecuniam. Plane, inquit, ignoro, hoc stratagemate quid sibi velit Quinctus filius. *Id est nihil.*] Dolabella mihi in mandatis dabit, quod voluero, id est prorsus nihil. Cum enim Cicero ius exeundi, quo vellet, ideo haberet, quia legatus esset Dolabellæ: tamen dari sibi ab eo mandatorum aliquid volebat, ne discedere sine caussa videretur. neque vero tam ipsa mandata, quam speciem mandatorum aliquam quærebat. ideo dicit, Id est nihil. & in epistola, quæ sequitur proxima: Dolabellæ mandata sint quælibet, modo aliquid, vel quod Niciæ nunciem. *Septemuir?*] ita ne est vt scribis, C. Antonium voluisse fieri Septemuirum? Septemuiros autem diuidundis agris præfuisse, perspicue notum ex Philip. 13. *Fuit certe dignus.*] hoc ad hominis contemptũ. nam in Septemuiratu nulla fere dignitas.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XX.

Sint quælibet,] mandet mihi quidlibet Dolabella, modo aliquid. *Vel quod Niciæ nunciem.*] quem Dolabella præmiserat in prouinciam. epist. 9. lib. 14. *Vt scribis ante? ne*] forte sic: Vt scribis, ante me lubaudi, perferet: ita sum propere discessurus. deinde, Nunc dubitare, &c. *In concione*] quã habuit M. Antonius in funere. epist. 11. lib. 14. *Nostros*] Brutum & Cassium. *Casurus est,*] Casuri sumus, postulat sententia. *Fœdum*] ex culpa eorum, qui, cum Antonij perditis conatibus obuiam ire debuerint, tantum abest vt id fecerint, vt etiam in ipso spem omnem vitæ reposuerint. Bruti & Cassij Lanuuinam sessionem significat. *Quasi denunciatũ*] ita manifestum, vt eæ res, quæ ante denunciantur. *Cartheiæ*] opidum in extrema Bætica. Sex. Pompeium audita Cæsaris morte scribit Dio Bæticam occupasse, cum aliquandiu apud Lusitanos latuisset. *Contra hunc*] contra Sextum. *Vtra ergo castra?*] vtra castra sequar, illa Sexti, quæ sunt infirma; an hæc Cæsarianorum, quæ sunt nefaria? *Media enim tollit Antonius:*] equidem neque hæc vellem, neq; illa: sed Antonius, qui, nisi victorem, neminem dicit esse victurum; facit, vt omnino alterutra sequi sit necesse. nõ enim, illo victore tutus essem, etiam si bello abstinuissem. epist. 13. lib. 14. *Properemus igitur,*] vt in castra. & epist. 21. Ergo propero, ne ante Sextus: quem aduentare aiunt. *Brundisio ne,*] profiscar. *Subito;*] profecturus est. Profectus est autem Puteolis VII. Kal. vt est epist. 26. *Sapienter.*] consideremus de discessu meo. πάσχω] ob discessum Bruti. *Quando enim illum?*] quando erit, vt illum videam? *Videre non potes.*] impeditus re Buthrotia. *Dii illi mortuo,*] Cæsarem dij mortuum perdant, qui vmquam Buthrotum proscripserit, siquidem te nunc eius ciuitatis liberandæ cura Romæ tenet; vt Brutum videre discedentem non possis. epist. 15. lib. 16. *Rationes Erotis,*] Tironem miserat, qui rationes domesticas ab Erote administratas cognosceret. epist. 15. *Versurã scribis esse faciendam*] versurã facit, qui rem multo pluris emit, quam quanti est, pretio intra certã diem soluendo: item, qui mutuam sumit pecuniam magno fenore reddendã. *Mensium quinque,*] vt ducenta H-S, quæ nunc ex versura sumã,

post quinq; mẽses, id est ad Kal. Nou. persoluã. in eam diem scribis cadere nummorum solutionem, qui mihi a Quincto debentur. *Videas*] des operam, vt habeas ducenta illa H S; deinde mihi feras expensa, id est mihi cures numeranda. nã, qui pecuniam alicui dat, is, quantum dedit, ei, cui dedit, expensum in tabulas refert. *Reliqua*] quod mihi reliquũ est in nominibus. vim & significationem huius verbi cognosce epist. 15. h. lib. & 2. lib. 16. *Ex hoc ipso*] ex Erote, cum ad me venerit. venturum autem apparet ex eo, quod paullo ante scripsit, Etsi ipsum nondum vidi. & mox venisse constat, epist. 1. lib. 16. *De mercedibus*] exquiram, vbi mercedes, quæ receptæ sunt ex prædijs dotalibus. *Dotalium prædiorum:*] ex Terẽtiæ dote. Nec dubito, quin intelligat insulas in Argileto & Auentino: quarum fructus Ciceroni filio in annuum sumptum assignauerat. tria loca, epist. 31. lib. 12. 17. huius lib. & 2. lib. 16. confer in vnum, & considera: mecum senties. At insulæ in vrbe, & prædia nõ idem sunt. immo vero sunt. nam prædiorum nomine, auctore Pediano, & domus, & agri comprehenduntur. *Quamquam volo laxius*] respexit ad insequens membrum hoc sensu: Dotalium prædiorum mercedes si fideliter Ciceroni curabuntur, nihil ei prope in annuum sumptum deerit. quanquam non hoc solum volo, vt nihil ei desit, sed vt etiam abundet, & vt illi largius prolixiusque suppeditetur. *Sed id*] Ciceroni ita soluetur, vt ex prædijs dotalibus cadet. mihi autem quod pro viatico opus est, non duabus tribusve dandum est pensionibus, vt Ciceroni filio, sed vniuersum simul ante quam discedam. *Iste, qui vmbras timet,*] fingebat Antonius consul se timere, vt haberet ob eam rem barbaros Ityreos circa se, ad omne facinus paratos. *Nisi explicata solutione,*] nisi videro esse, vnde satisfiat creditoribus meis. *Excitata,*] mallem, Explicata. *Alii nemini.*] nummos Arpinatum, apud me depositos, L. Fabio reddes, præterea nemini. epist. 15.

IN EPISTOLAM XXI.

Et quidem CCCC. *certa,*] vsque eo Quinctus pater lætus est, vt nunc quidem CCCC. H S filio det, reliqua promittat. Et ostendit Cicero, χαρίεσμα illud Quincti filij fuisse, quemadmodum ipse coniecerat, vt a patre pecuniam eliceret. epist. 19. *Reliqua*] Quincto filio ad dissoluendum æs alienum

num neceſſaria. epiſt. 41. lib. 13. 26. h. lib. & 1. lib. 16. *Certiorem nebulonem?*] qui gaudere ſe ſimulet hac Quincti patris & filij reconciliatione, quaſi amantiſſimus eorũ ſit; cum de ijs neutiquam laboret. *Ἐποχὴν veſtram*] ἐποχὴ in libris Academicis eſt aſſenſus retentio: hic valet retentio ſimpliciter: vt ſit, ἐποχὴ deliberationis, quod deliberare noluiſti de re Canij. epiſt. 32. lib. 13. *Ἀκεφαλίως reſtitutam arbitrabar.*] & hoc ad ignotum nobis Canij negotium pertinet. *Es enim occupatus.*] ideo tabellarios meos cito remittere cum tuis litteris non potes. *Quod ad Xenonem,*] quod ad Xenonẽ ſcripſiſti, vt Ciceroni filio meo ſuppeditaret: probe. epiſt. 16. lib. 14. & 1. & 3. lib. 16. *Quod ſcribo,*] quod opus nunc in manibus habeo, mittam ad te, cum abſoluero. *Brundiſiũ:*] me ire Brundiſium, vt inde in Græciam nauigem. epiſt. 20. *Et quidem dicere aliquid de militibus.*] & ait te quiddã loqui de legionibus Macedonicis Brundiſium aduentantibus: vt eo proficiſci minus tuto poſſim. De his legionibus fam. epiſt. 23. lib. 12. & Philip. 3. *Monebant me tuæ quinque horæ.*] vt ego Hydruntem ire vellem, ibíq; nauim conſcendere, faciebat illud, quod te mihi recordabar dixiſſe, ab Hydrunte in Græciã traiectum eſſe quinq; horarũ. hic autem ſi conſcendẽ rẽ, quã longa eſſet nauigatio? Et ſane ab Hydrunte ad Eubœę continentẽ minimum eſſe interuallum, & Plinius, & omnes coſmographi auctores ſunt. *Propero,*] maturo profectionem meam, ne ante Sex. Pompeius in Italiam cum exercitu veniat: quod ego vna cum illo vellem. epiſt. 20.

IN EPISTOLAM XXII.

Si expediet.] ſi ipſius in rem erit. *Illos videbit?*] qui iam diſcedent, longíſquas regiones petituri. *Quouſque ludemur?*] putat Panſam ea, quę loquatur, nõ loqui ex animo, ſed ſimulate: vt ab eo verba dari videãtur. *Ego autem*] in Attici epiſtola caput erat de Sex. Pompeio: quo capite quęrebat de Cicerone, num de Sexto certi aliquid haberet, quẽ ſcripſerat aduentare. *Ab armiſq; nullus diſcederet.*] hoc dicit, quia ſenatus ex M. Lepidi ſententia decreuerat, vt in patriã Sex. Põpeius redire poſſet, dimiſſo prius exercitu. Philip. 5. *Cytherius,*] M. Antonius: a Cytheride mima; quam vſq; adeo amauit, vt, in Galliam cum legionibus proficiſcens, hiberno tempore ſecum adduxerit. hoc & Virgilij carmine notum eſt:

Galle, quid insanis, inquit? tua cura Lycoris
Perque niues alium, perque horrida castra secuta est.

Seruius in eam eclogam, Plutarchus in Antonio, & ipse in Phil. 2. & ad hunc lib. 10. epist. 8. *Nisi victorem neminẽ victurum.*] Antonij minæ. ideoque epist. 20. Media, inquit, Antonius tollit. *Vtro erit,*] apertior sententia, si legatur, Cum vtro erit. vt Antonium, & Sex. Pompeium significet, quemadmodum & epist. 20. Vtra ergo castra? *Vt scribis,*] quia te scribis hodie, aut cras ad me venturum.

IN EPISTOLAM XXIII.

Torqueor,] mihi de meo itinere deliberanti ita multa veniunt in mentem in vtramque partem, vt in capiendo consilio mirifice torquear. *Quousque, inquies?*] quousque deliberabis o Cicero de profectione tua? deliberabo, inquit, dũ integrum erit: erit autem, vsque dum ad nauem venero. *Si rescripserit,*] epistolæ meæ. non enim probo eorum coniecturam, qui legunt, *Si tuæ rescripserit.* nam responsum suis litteris, non Attici, a Cicerone exspectari, *indicant*, quæ proxime sequuntur verba. sed opinor eos locum mutasse, quia viderent in antiquo libro, *Se tuere* scripserit. quod etiam in antiquo Bessarionis libro: mendose omnino, sententia tamen manifesta. *Υπόμνημα compositum,*] dabis, subaudi. fortasse enim aliquid prætermitteret, si tu illi voce mandares. *ὑπόμνημα*: commentarium, collectionem rerum nouarum. *Cuius de itinere*] quando sit discessurus.

IN EPISTOLAM XXIV.

Caussam] Silij.

IN EPISTOLAM XXV.

Multi enim ad me.] multi enim ad me scribunt, alij consilium meum de profectione probantes, alij reprehendentes. *Cogitamus?*] an probas meum discessum, si ad Kal. Ian. futurus Romæ sum? Sic in 1. Philippica: Ea mente discessi, vt adessem Kal. Ian. quod initium senatus cogendi fore videbatur. Et ad hunc ipsum epist. 6. lib. 16. Quamuis non fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dum modo Kal. Ian. Romæ essem. *Est æquus,*] in vtramque partem,

tem, siue ad discedendum, siue ad manendū. potest legi cum antiquis libris, Meus animus est æquus, si tamen, vt si nihil offensionis sit, & tu. hoc sensu: Ita meus animus æquus est, si tamen & tu æquus es, vt nihil putes offendi posse neque in discessu, neq; in mansione. sed malim, Et tuus, pro Et tu: vt periodus hic terminetur. *Olympia,*] cum mysteria scilicet in Græcia celebrabuntur: vt ipse infert ad expositionē Olympiorum. nam erant & mysteria Romana, vt epist. 1. lib. 6. *Vt tu scires*] placeret; Vt tu scribis, casus consilium nostri itineris iudicabit. *Dubitemus*] ne statuamus, sed consilium temporis exspectemus. *Odiosa,*] esset autem hiberna, si post mysteria discessum differrem. & mysteria tamen effugere velim, ne videar eam ob caussam in Græciā profectus: quod leuitatis videretur. *Visum iri*] ante nauigationē. vidit autem eum in Neside, vt est epist. 2. lib. 16. & Philip. 10.

IN EPISTOLAM XXVI.

Quid sit.] Atticus enim hoc verbo vsus erat in epistola sua, quo quid significaretur, Cicero minus erat assecutus. *Ludos suos.*] quos absens dedit. epist. 12. & Plutarchus. *Profectum:*] longius Roma discessisse. nam antea fuerat in propinquis locis. *Post hæc arma*] postquam Antonius & Octauius grauissimis contentionibus rem ad arma perduxerunt, cum vterque magnum numerum militum iam contraxisset. *Ab ipsa commissione*] ab ipso statim ludorum initio. *Epistolæ:*] quam ad me Brutus misit. *Illa namque in vtramque:*] subaudi, partem. multa in epistola Bruti scripta sunt in vtramque partem: vt modo fortis, & ad omnia paratus videatur, modo nimium sui dissimilis. *Vt posses interpretari,*] erat enim ita scripta, vt, quid significaret, vix Cicero posset interpretari. quod & infra scribit epist. 28. Et Plutarchus nimiam breuitatem notat in epistolis Bruti. *Apud Talnæ*] subaudi, fundum: locutione in his libris vsitata. *De illo Tulliano,*] de Tulliano semisse, cupide libero M. Ælium. &, vt caute res agatur, Caselium consule, peritissimum iurisconsultum. semissis autem vsura fuit, cum seni nummi pro centenis in anno pendebantur, sicut as, cum duodeni. quæ centesimæ dicebantur, quia duodeni in anno pro centenis, centesima pars est in mense. epist. 28. *Si mihi imposuisset*

aliquid,] si me Ælius, vt est callidus, in fraudem induxisset. Sic ad Quinctum fratrem locutus est: Catoni egregie imposuit Milo noster. *Adstrane*] vt legitur hic locus, fateor me sententiam non assequi. & cum nostris impressis consentiunt antiqui libri: nisi quod in quibusdam, pro, In ædium, legitur Medium; reliqua eadem. *Mundus istum.*] ita concisa breuitas, vt coniecturæ vix locus videatur.

IN EPISTOLAM XXVII.

Te mihi suadere,] suaserat Atticus, vt scriberet ad Sextiũ quã posset humanissime. *Quod Puteolos prosequitur,*] quod me Puteolos, vt tu scribis, prosecuturus est; humane facit: qd autem queritur, quia de Cosano redeuntem non exspectaui; hoc scilicet iniuste. *Lacrymasse,*] quod ego ex Italia discederem. *Mutassem.*] fortasse consilium de profectione abiecissem. *Congrediendi:*] speras enim te breui esse venturum ad me in eas regiones, in quibus ego consedero. epist. 17. lib. 14. *Meæ tibi litteræ non deerunt.*] hoc dicit propterea quod Atticus id rogauerat, vt litteras sæpe ad se mitteret. quibus desiderium absentis lenire posset. *Scribam ad te omnia.*] cum eum conuenero. epist. 1. lib. 16. *Librum*] Librum accipe pro volumine. siquidem libros fuisse duos de Gloria, & ipse testatur epist. 3. lib. 16. & Franciscus Petrarcha in epistolis, duos Ciceronis libros de Gloria, scribit, apud se aliquandiu fuisse. *De Gloria,*] libros duos significat, quos de Gloria scripsit: qui vsque ad patrum nostrorum ætatem peruenerunt. nam Bernardus Iustinianus in Indice librorum suorum nominat Ciceronem de Gloria. is liber postea, cum vniuersam bibliothecam Bernardus monacharum monasterio legasset, magna conquisitus cura, neutiquam est inuentus. nemini dubiũ fuit, quin Petrus Alcyonius, cui monachæ medico suo eius tractandæ bibliothecæ potestatem fecerant, homo improbus furto auerterit & sane in eius opusculo de Exsilio, adsperſa nonnulla deprehenduntur, quæ non olere Alcyonium auctorem, sed aliquãto præstantiorem artificem videantur. *Excudam*] scribam aliquid eiusmodi, quod simile videatur scriptorũ Heraclidis. neq; hoc refertur ad librum de Gloria, vt manifestum fit epist. 1. lib. 16. quo loco & se de Gloria misisse dicit, nec dum tamen ἡρακλείδιον scribere aggressum.

gressum. *De Planco,*] quod ad me scribis, faciã, vt L. Planco rem Buthrotiam commendem. epist. 9. lib. 16. *Iure quæritur.*] quod tibi a me discedenti non mandauerim, vt eam meis verbis salutares. hoc & in epistola, quæ proximo loco sequitur. *Et de Herode, & Metio meminero,*] mandauerat Atticus Ciceroni, vt & cum Herode, & cum Metio Athenis quiddam ageret. Herodem enim fuisse Athenis, apparet epist. 16. lib. 14. & 15. h. l. *Modo turpem*] vt dicam quod sentio, mallem sic: Quæ te velle suspicer modo. Turpem sororis tuæ filium, cum hæc scriberem. cur autem turpem Quinctũ filium? quia, cum patruũ grauiter læsisset, (vt supra) ad eum tamen iret. Turpem igitur propter impudentiam. *Cum hæc scriberem.*] cum hæc enim scriberem, de illius aduentu allatum est.

IN EPISTOLAM XXIIX.

De ludis:] Bruti. *Vt omnem culpam in te transferas:*] dic me quidem tibi mandasse vt ei salutem diceres, sed oblitum te esse. *Me minime totum, &c.*] quamquam longius discedam, futurum tamen, vt animus meus ab ea me absente non absit: hoc est, vt absens eam æque diligam, ac si vna essemus.

IN EPISTOLAM XXIX.

Bruti ad te epistolam misi.] eam, de qua in epistola proxima superiore. *Ludorum,*] Bruti. *Nullus tu quidem domum veneris,*] non tu quidem ad eum domum veneris; sed, si cubi inciderit, alloqueris epist. 27. *Tullianos semisse*] vide epist. 27. *M. Axianum adhibebis*] vt cautius agatur: ne nobis Ælius aliquid imponat. epist. 28. *Legationem probari meam*] idem epist. 1. Meam profectionem laudari gaudeo. Verebatur enim, ne discedens reprehenderetur, quod reip. deesset tanto graui tempore. vide epistola 13. libro 14. *Quod promittis, dii faxint.*] vt breui congrediamur. epistola 28. *Meis*] dandi casu, non auferendi. nam, quod copulam omisit, fecit idem epist. 4. lib. 1. ad Q. fr. & in fam. ep. 24. lib. 13. *Istam, quam tu excipis, metuo:*] ego te (sic opinor Atticus scripserat) breui tempore videbo, nisi si Atticæ meæ infirma valetudo impedier. erat enim puella imbecillior. *De Planco & Decimo,*] qui erant consules futuri post annum insequentem, id est post Hirtium & Pansam, ex Cæsaris designatione. *Sextium*] Pompeium. *Scutum abiicere.*] arma deponere:

vt defensæ reip. laus ad Plancum & Decimum, mihi amicissimos, perueniat: si quidem, vt tu scribis, id cogitant. *Vsque Puteolos:*] mecum venit. *Fauonium*] Fauonius Catonis imitator, reip. amantissimus, ex historia notus. *Asinium*] Pollionem; qui bonarum partium studiosissimus videbatur: vt indicant ipsius epistolæ lib. 10. fam. *Duas ob caussas,*] Puteolos venit. σπείσασθαι] fœdus facere, conciliari. *Bruto & Cassio.*] a quibus antea grauissime dissederat, vt qui etiam Parilia coronatus celebrasset honoris Cæsaris caussa. epist. 19. lib. 14. *Ait hic*] ait Quinctus, Iuliam suas illi nuptias deferre; constituisse enim diuortium facere cum Othone. sed tu, qui sis Othonum familiaris, hoc quæres, & me certiorem facies. *Pater,*] Quinctus pater. *Qualis esset fama*] de Iulia. ep. 25. lib. 7. De quo quæ fama sit, scribes. *Nisi de ore, & patre.*] dixi, me Iuliæ patrem cognouisse, illam autem de facie tantum, de fama nihil scire. *Cur tu,*] cum in antiquis libris scriptum videam, Cursus; adducor in hanc opinionem, vt credam veterem & germanam lectionem fuisse, Cur tu. *Filium velle.*] Iuliam ducere. *Putaui illa*] vereor, ne mendum lateat in his verbis; primum ex obscuritate sententiæ, deinde ex antiquorum librorum varietate. Bessarionis exemplar pro, Putaui illa, habet, Fababulla. Byzantio aduectum, quod mihi Arnoldus Arlenius commodauit, Pubabulla: aliud, Putare illa. σκοπὸς] notat Quincti patris auaritiam, qui nihil spectaret aliud, quam vt filio ne quid in sumptum præberet, ideoque ei concederet de vxore ducenda. *Huic nostro,*] Quincto patri. *Illa autem*] Iuliam intelligit. οὐ παρὰ τούτῳ.] nō apud Quinctū filiū est mansura. nam eius mores ferre non poterit, diuortiumque aliquando faciet. *Hunc,*] Quinctum filium. *Facile ad. empotes,*] propter Othonum familiaritatē. *Hunc Buthrotii*] hunc, qui profectus erat ad agrum Buthrotium diuidendum. epist. 1. lib. 16. *Demissum, & sine phaleris:*] tristem, & vestitu mœrorem indicante. Phaleræ proprie sunt, quæ frontibus equorum, ornatus gratia, imponuntur. μεταφορικῶς alijs de rebus vsurpantur. *Agripetas*] qui Plancum secuti, partem agri Buthrotij petierant, sedem in alieno quærentes. epist. 1. & 4. lib. 16. & Phil. 7. *Macte*] laudat Buthrotios, qui Planeum & agripetas eiecissent.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN LIBRVM DECIMVM SEXTVM EPISTOLARUM Ciceronis ad Atticum.

IN EPISTOLAM I.

NONIS *Iuliis?*] scripserat Atticus Ciceroni, Bruti ludos esse proscriptos sic, A nonis Iuliis ad III. Idus: vt scilicet populo significaretur, ad sextũ diem ludos esse duraturos. eam proscriptionem vt maxime turpem Cicero detestatur: nec id quidem iniuria: quia certe nimis absurdum videretur, apparere Iulij nomen in proscriptione ludorum, quos Brutus daret, is, qui ipsum Iulium non ferens vita priuasset. oportebat autem non nonis Iuliis proscribere, sed nonis Quinctilibus; primum, ne tyranni nomen vsurparetur: deinde, quæ ad Cæsaris honorem ciuitas non libera constituisset, ea ne confirmarentur. nã ex historia notum est, decreuisse senatum, vt Iulius mensis e Cæsaris nomine vocaretur, Quinctilis ante dictus. Sed de Bruti ludis ita proscriptis vnde afferam, si quis quærat; locus est infra, vnde didici: quo ex loco descripta verba recitabimus. sic igitur epist. 14. lib. 16. In Nesida III. idus. ibi Brutus. quam ille doluit de nonis Iuliis. mirifice est conturbatus: itaque se scripturum aiebat, vt venationem eam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. idus Quinct. non, III. idus Iul. vt extremum ludorum diem fuisse constet, IV. Idus, cum dies venationis, quæ ludos est Apollinares consecuta, III. Idus sit. *Mehercule istis.*] dices: mehercule nonis Iuliis futura erat com-

missio ludorum: quid igitur erratum? Enimuero, inquit Cicero, vis me totũ diem stomachari, cum etiam defendere cõsularis fœdissimum imprudentiæ lapsum. quid? potest esse Bruto quidquam turpius, quam Iuliis? cur nõ potius, Quinctilibus, vt odiosum verbum vitaretur? Etiam illud obseruo, Ciceronem initio huius epistolæ effugisse acerbam dictionem Iuliis, & maluisse, nonis Quinctilibus. *Redeo ad meum igitur* ἀλθωμῷν ad illud meum, Abeamus, discedamus ex Italia. *Nihil vidi.*]potest esse ἀποσιώπησις: vt sit, Nihil vidi turpius. *Aegripetas Buthroti concisos*]eos, qui Buthrotium agrum petierant, a Buthrotiis male multatos. ep. 19. lib. 15. & 4. huius lib. *Ita enim meditabar diem & noctem*]cum de mendo suspicaretur, neque tamen ex coniectura probabile quidquam posset eruere; adiui antiquos libros. inspexi. omnes in scriptura consentientes, vnum Bessarionis animaduerti pro Meditabar, habere Mediabam. tum vero quasi lucem aliquam secutus, qui antea in tenebris erassem; putaui, interpungendi ratione mutata, restituí locum ita posse: Quid autẽ Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem & noctem? Nam certe, vt de Plãco diem & noctem Cicero meditaretur, neutiquam mihi probatur. fuerit in quærendo & percunctando curiosus: diurna vero simul & nocturna meditatio quem hic habere locum potest? age, ad verbum, Cursim; refer illud, Diem & noctem: quanto aptius? nam in itinere maturantes, noctem diei coniungere, notissimum est, etiam Cæsar in 3. de bello ciuili, Vibullius, inquit, continuato & nocte & die itinere, atque mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contẽdit. Et in eodem, paullo post: Cæsar properans noctẽ diei coniunxerat, neq; iter intermiserat. Testatus sum opinionem meam: docti iudicabunt. *Meam profectionem*]ex Italia. epist. 29. lib. 15. *Dymæos, &c.*]Pompeius, vt Plutarchus scribit, captis piratis, magnam eorum partem constituerat in agro Dymæo: quod erat & fertile territoriũ, & a cultorib. infrequẽs. ij postremo pulsi ea sede, quã assignatam a Pompeio per aliquot annos tenuerant, rursus se ad piraticam veterem artem contulerũt. Dyme ciuitas est in Achaia. *Mare infestum habere,*]pro, infestare. l. 3. de Rep. Cum quereretur ex eo, quo scelere impulsus mare infestum haberet vno myoparone. Et Varro in lib. Rerum humanarũ ita scripsit, vt est apud Donatum in commenta-

mentariis in Eunuchum: Cupes, & Macellus singulari latrocinio multa loca habuerũt infesta. Sic, Solicitum habere, pro Solicitare, dixit Cicero non semel. *Videndum est, vt mansio laudetur.*] domi manere, quam proficisci, maluisset, cum aliis de causis, tum quod a Dymęis mare tutum non esset. ep. 2. Piratæ apparere dicũtur. ἐυόμοτπλοίᾳ *Bruti*] tutum putabat nauigare cum Bruto. itaq; & infra: Hęc nauigatio quia quasdam habet suspiciones periculi, constituebam vti ὁμοτπλοίᾳ. ep. 4. *Sed opinor minuta nauigia*] Brutum habere. *Sed iam sciã,*] quia Brutum conuenire volebat: qui & ipse erat in Neside, sed eum Cicero nondum viderat. postea cum eum conuenisset, de nauigiis hæc scripsit ad Atticum: Paratiorẽ offendi Brutũ, quã audiebã. nã & ipse Domitius bona plane habet dicrota: suntq; nauigia præterea luculẽta Sextij, Buciliani, ceterorũ. πανικὸν] inanem timorem, & sine caussa: forte quod Vẽtidius, qui erat Antonij amicissimus, coactis militibus aduẽtare diceretur. *De Sexto*] Pompeio. *Ad arma*] rem esse venturam. ep. 20. l. 15. *Sine bello ciuili & ideo seruiendũ.*] videtur addendum, Non. vt dicat, Non sine bello ciuili seruiemus. *Kalendis Ianuarij*] quo die magistratum erant inituri Pansa & Hirtius consules designati, eodemq; die relaturi de rep. ex veteri consuetudine: quod factũ esse, docent duæ Philippicæ 5. & 6. Ἄῤῥος πολύς.] se ipse accusat, qui dixerit in Pãla spem esse; cum ab iis, qui se crapulæ & inertiæ dediderunt, sperari nihil posset. *Ciceronis rationes explicentur.*] velim videas, quantum acceperit Cicero meus. cui si minus datum est, quam nos ei annuum in sumptum daturos esse promisimus: quod ei reliquum deberi ex rationibus cognosces, persoluatur. epist. 15. lib. 15. H S $\overline{\text{IↃXII}}$ *satis esse*,] Ciceroni filio. cui H S $\overline{\text{LXXII}}$ assignata fuerant in annuum sumptum. *Xenonem*] hic, Attico mandante, pecuniam Athenis Ciceroni numerabat, sed perexigue, multisque pensionibus concisam. epist. 3. *Id est minutatim*] vt opinor, & certe hoc abundat. fuit enim glossema ad græcam dictionem γλίσχρως, receptum in epistolam ignorantia describentium. *Quo plus permutasti, &c.*] scis conuenisse, vt Ciceroni tantum daremus, quantũ reciperetur ex insularũ fructu. eo si quid plus Athenis permutasti Ciceronis caussa, volo id ei concedatur supra annuam pensionem, pro sumptu, quẽ primo anno fecit, dũ Athenas proficisceretur.

Insularum]in Argileto, & Auentino.epist.31.lib.12. & 17.l. 15. *Hinc ex Kalend. Apr.*] quoniam assignauimus Ciceroni quantũ ex insulis reciperetur, deinceps detur ei ad H-S LXXX: quoniam tanti nunc insulæ locantur, quæ anteatantummodo LXXI locabantur. Ex Kalendis autem Apr. quia Ciceroni filio id erat annui temporis initium. vide epist.15. *Videndum enim est, &c.*] curandum nobis est, vt sit, quod filius in sumptum habeat, cum Romæ erit. cum enim Publiliæ vxoris meæ matrem ferre non possim, diuortium erit faciendũ: ita dote reddita, re familiari comminuti, vnde filio suppeditabimus? *Se Catonem.*]amantissimum reipublicæ.quod in Quincto filio desiderabatur. vide epist.19.lib.14. & 4.huius lib. *Vt tibi sponderem:*]eum fore Catonem,id est hominem in omni vita perfectissimum. *Me motum*]me fidem habuisse verbis Quincti filij. *Sed ego*]ἀποσιώπησις, veteribus vsitata, ad indicandum animum oratione repressa. *Attributionem*] quam in eum diem ait esse collatam. Et attributionem posuit pro solutione pecuniæ, quam debebat Quinctus filius.epist. 41.lib.13.& 21.lib.15. *Vrgeri*]a creditoribus.

IN EPISTOLAM II.

Longe alia fama] scribis, agrum Buthrotium dici a Planco diuisum agripetis: at nos hic contra audieramus, agripetas a Buthrotiis concisos,& eiectos.ep.1. *Vt esset cum Hortensio,*]Hortensius, Cluuij heres, quæ illi bonorum Cluuianorum pars ex hereditate obuenerat, eam Ciceroni vendidit coheredi, pactus vt pecunia sibi tribus pensionibus numeraretur. ex iis pensionibus Cicero duas soluerat, & maiorem etiam tertiæ partem ante diem solutioni præfinitam, id est ante Kal. Sextilis: vt impudenter faceret Hortensius, qui quod sibi ex tertia pensione deberetur, ante diem postularet, cum præsertim eius ipsius pensionis maiorem iam partem exegisset. Hac de re ep.5.cum inquit: Diligentia opus est, coheredibus pro Cluuiano Kalendis Sextilibus persolutũ vt sit. Quo ex loco, non Hortensium modo, sed & ceteros coheredes Ciceroni vendidisse, quæ illis Cluuius testamẽto legauerat, perspicuum est. *Et quia equitibus*]vt infra patet, Publilium & Publilij propinquos significare videtur; qui erant ex ordine equestri. Publiliam enim cum dimisisset, vrgebatur a Publilio fratre

fratre de dote reddenda. cui Eros, qui Ciceronis domesticas rationes dispensabat, promiserat se esse idibus perscripturum. In antiquo Bessarionis libro, pro Equitibus, scriptum est, Equid. *Quod perscribi oportet,*] Perscribere, est creditori, non præsenti pecunia numerata, sed perscriptum satisfacere. Sic enim Donatus explanat illud in Phormione: Perscripsi omnibus, quibus debui. Nec Ciceronis exempla non idem ostendunt. *De iure nostro decesserimus,*] planum fit ex hoc loco, intra certã diem reddendam fuisse dotem ab iis, qui diuortiũ fecerant. Cicero autem de suo iure decedens, etiam ante eam diem, exceptis c c H-S, omnem dotẽ numerauerat. de quibus c c vt sibi fieret perscriptio, Publilius vrgebat. epistola 5. *Qui de residuis* c c c H-S.] qui, cum apud me residua essent ex dote H-S c c c c, neque dum solutionis dies adesset, ex iis ipsis tamen c c c c H-S præsentia soluimus c c, reliquorum facimus perscriptionem. *Præsentia*] nulla interposita mora: in Verrem lib. 3. Præsens pecunia soluatur. *Iactura facta iuris.*] cum tanto ante diem soluerimus, de nostro iure sponte decedentes. Sic infra, epistola 5. Publilius non debet vrgere: quoniam iure non vtimur. *Quo aderis Romæ*] nam & Atticus ex Italia discedere cogitabat. itaque epistola 27. lib. 15. Præclare, inquit, quod te consolata est spes breui tempore congrediendi. & epistola 3. *Nihil a me exspectes.*] nihil ad me referas, sed agas ipse quod ageres in rebus tuis. epistola 3. libr. 13. Illud non accipio in bonam partem, quod ad me refers. quid? ipse negotium meum gererem, nisi cõsilio tuo? *Reliqua*] collatis creditorum & debitorum nominibus, cum eam pecuniam, quam ipsi debemus, & quam alij nobis, redigimus in summam, id, quod superat a nobis, Reliqua dicuntur, epistola 15. lib. 15. *Fama mea*] magnum enim subirem discrimen existimationis meæ, nisi ad tempus, quibus debeo, solueretur. *Nos vindicabis.*] nostris creditoribus satisfacies. *In Neside,*] hunc in Neside congressum significans Philippica 10. Brutum, inquit, his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia ciuium cogitantem. Nuois autem parua insula. Lucanus & Papirius laborare eam graui cælo versibus ostendunt. *Delectari*] gaudere, quod ludis Apollinaribus Tereum, Attij tragœdiam, popu-

lo recitatam, magno plausu clamoreque acceptam ex tuis litteris cognouerat. epist. 4. & in 1. Philippica, ad extremum. *Quam Antonio,*] cum maiorē habere Antonio debeat plausum enim populus non ideo dedit, quod Attij admiraretur ingenium, sed quod Antonium oderit, Bruto Brutique similibus inimicum. itaque plausum illum Antonio magis, quam Attio, Brutus debet. vel, Antonio, C. Antonio, Marci fratri, prætori, qui curauit eos ludos absentis Bruti nomine. Appianus lib. 3. *Manus suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere.*] Simile illud Varronis: Patres familiæ manus mouere in theatro ac circo maluerunt, quam in legetibus ac vinetis. *Istorum*] Antonium maxime significat, qui patriæ liberatores oderat, ad tyrannidem spectans. *Incendi*] irritari, quod videant populū Bruto absenti plausum dare. *Repræsentandam*] citius aliquanto, quam fecissent, ostendendam. *Doleant*] dolebant quod populus Romanus Bruti absentis desiderium illo plausu declararet. *Consilium meum*] discedendi ex Italia. *Trahebam,*] procrastinabam. vide epist. 25. lib. 15. *Brundisium cogito.*] vt tibi potius conscendam, quam Puteolis. epist. 21. l. 15. Iuua me consilio, Brundisio ne, an Puteolis. & epist. 20. eiusdem lib. *Legionum*] quas ab Antonio accersitas, profectas e Macedonia, Brundisium aduentare fama erat. Brundisium tamen, & iter illud postea vitauit, vt ipse narrat in 1. Philippic. *Piratarum,*] Dymæos intelligit, qui agro pulsi mare infestum habebant. ep. 1. *Exspectabatur:*] a Bruto, vt vna discederent. epist. 4. v. *Kal.*] cum Cassius iam venisset, nimirū vel eo die, quo hæc scripta sunt, vel posttridie visurus eum Cicero fuit. quod si, cum eum vidisset, abire in Pompeianum cogitabat, non recte scriptum est v. Kal. non enim tot dierum interuallum esse potest, cum dicat se discessurum a Cassij congressu. Potius igitur (vbi si tamen muto repugnantibus antiquis libris: tantū indicare placet meam sententiam) legendum videretur, v. idus: vt sequentem diem significet. nam hæc scripsisse apparet vi. idus. *Aculanum.*] forte, Herculanium: quod a Pompeiis non longe Plinius in Campaniæ litore constituit. *Nosti reliqua.*] scis enim, inde me Brundisium cogitare. *Scripsi equidem,*] commendans illis rem Buthrotiam. *Ne necesse habuerū reddere.*] ne putato, reddi meas litteras, necessarium esse.

Eas

Eas enim Cicero ad Atticum mittebat, vt ipse Planco & Oppio redderet. *Oppio quidem &tique:*] subaudi, Ne putaris necessarium reddere. *Quam mihi in Italiam te auctore &eniendum est.*] id est ante mensem Ianuarium. Nam Atticus auctor erat Ciceroni, vt omnino Romę adesset Kalendis Ianuarijs; quod eo die futurum erat vt a nouis Pansa & Hirtio cos. de rep. referretur. epist. 6. Meæ profectionis approbator fuisti, dummodo Kalendis Ianuarijs Romæ essem. & epist. 5. *Aliquem nactus.*] quemcunque habueris, cui des. *Domo*] domesticis tabellarijs. *Ἡρακλείδιον*] quod tu a me tantopere postulasti. epist. 4. 13. & 27. lib. 15. *Notentur eclogarii,*] notentur aut minio, aut quapiam simili re nomina eorum, quiin his libris de Gloria loquuntur. *Quos Saluius*] quos libros de Gloria Saluius anagnostes tuus, bonos nactus auditores, in conuiuio tantum velim legat.

IN EPISTOLAM III.

Quod manus dedisti,] quod Antonij sententiam (opinor, de re Buthrotia: nam publicam nulla ex parte Pomponius attingebat) etsi non probandam, probasti tamen, manusq; dedisti, vt etiam vltro gratias egeris. *A re familiari.*] ratio, cur Atticus etiam gratias egisset Antonio. nam, etsi magnam rei familiaris iacturam faciam, si Buthrotium negotium eripitur: (his fere verbis, aut certe in hanc sententiam Atticus scripserat) tamen huiusmodi iacturam eo tolerabilius æquũ est ferre, quod a rep. citius, quam a re familiari, deseremur. *Magis delectari,* O TITE, SI QVID EGO:] totum hoc, O Tite, si quid ego, ideo scripsi litteris grandiusculis, vt intelligatur initium libri de senectute: quo quidem libro se delectari Atticus scripserat, quia suam senectutem, quam publicæ ruinæ grauiorẽ in dies efficerent, eius lectione leuaret. Et ait, Magis, propterea quod medicinę vim magis ægrotantes sentimus, quã valẽtes. Etiã ep. 10. O Tite, tibi prodesse lętor. lætor, inquit, quod ea, quæ scripsimus in lib. de senectute, tibi ad ferendã senectutẽ profint. Quod aũt, Si quid ego, reposui in nostro libro, vbi antea in omnibus, & impressis, & scriptis, legitur, Si quid agis, aut, Ages: fecimus id coniecturam minime dubiam secuti. est enim initium libri de Senectute, ad Atticum scripti: o Tite, si quid ego adiuto, curamve leuasso.

Alacritatem.] quandoquidem te delectant ea, quæ scribimus. *Gaudeo non fefelliſſe, &c.*] munuſculum enim ad te perferendum Eroti dedi, duos libros de Gloria. *Idem σύνταγμα*] eoſdem libros de Gloria, quos Eroti dederam, poſtea retractatos, & refectos denuo mihi, ſed ἀρχέτυπον ipſum, cum antea deſcriptum exemplar miſiſſem. *Macrocolum*] regiam chartam a Catullo dictam. vide epiſt. 25. lib. 13. *Lege arcano*] ne quis audiat præter conuiuas tuos. quod ſupra monuit his verbis: Saluius in conuiuio dumtaxat legat. Antea, Lege in Arcano. ſuſtuli particulam, In, Cariſium ſecutus, qui hunc locum recitat, & ait Arcano dictum eſſe pro Arcane. præterea conſentire videntur antiqui libri. nam in ſcripto Beſſarionis, Legi arcano. ſic & Cæſar locutus lib. 1. de bello ciuili: Domitius arcano cum paucis familiaribus ſuis colloquitur. *Vt audiuimus.*] audiebat autem præclara. epiſt. 16. lib. 15. *Coram*] cum Athenis ero. *Neque indiligenter, neque illiberaliter.*] hic Athenis pecuniam Ciceroni filio ſumminiſtrabat, ſed neque diligenter, & ſatis illiberaliter. itaque epiſt. 1. Xenonem, inquit, perexigue & γλίσχρως præbere. *De Herode*] & hic Athenis viuebat. epiſt. 15. lib. 15. *Gaudeo tibi, &c.*] vt cognoſceres, illum tibi litteras a me redditurum, ipſius arbitratu ſcriptas; ſciresque nolle me, vt iis litteris moueris. *Suo more verque:*] tu ſapienter, ille ſtulte. *Eas litteras*] quibus ad me ſcribes dialogum tuum cum Quincto filio. *Commendationis tuæ.*] ſcripſerat enim Atticus, ſe eſſe litteras ad eum commendatitias Curio daturum. *Relinquemus pacem,*] Q. Fuſius Calenus, vt ait Dio lib. 46. Ciceroni, acerbe in Antonium inuecto, non minus acerba oratione reſpondens, ait eum, cum otium non ferret, diſceſſiſſe, poſtea, tumultu & bello inter ciues orto, reuertiſſe. quaſi amator eſſet contentionum, pacis inimicus. *Vt ad bellum reuertamur:*] apparebat enim ad paucos menſes fore bellū, cum & Antonius Octauiuſque grauiter inter ſe diſſidentes iam in armis eſſent, & Sex. Pompeius aduentare cum exercitu diceretur; præterea magnum Antonij cum Decimo Bruto certamen impendere de Celtica prouincia. epiſt. 4. *Aderis:*] venies in eas regiones. epiſt. 2. *Reliquorum meorū:*] diximus, reliquorum nomine eam pecuniam intelligi, quæ, ſubductis rationibus, & collatis creditorum debitorumque nomini-

nominibus, superata nobis. epist.15.lib.15. *Dolabellæ nomen*] a quo pecuniam exigere difficillimum sciebat. epist. 18.lib.14.& 13.lib.15. *Attributio est mihi nominum ignota*,]quæ nobis exigenda tradidit Dolabella. epist.13 lib. 15. *Vt non concurrerent nomina*,] vt ad tempus non respondérent ij, qui debent. epist.2. *Non amas Eram?*] in oratione pro Deiotaro Hieram & Blesamium eius legatos nominat, vt fortasse & hic, Hieram, legendum sit. Et est dictum εἰρωνικῶς. cur, inquit, Eram æque, atque Deiotarum, odio dignum non putas? qui, cum ei præscriptum esset a Deiotaro, ne quid sine Sextij nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Miserat autem eum Deiotarus, vt Armeniam, sibi a Cæsare ereptam, emeret ab Antonio: quod factum est, Fuluia, quæ Antonij vxor erat, intercedente, id est, cum Deiotari legatis de pretio paciscente. vnde illud ep.12.lib.14. Deiotarus noster dignus ille quidē omni regno, sed non per Fuluiam. Armeniam autem cum Deiotaro Antonius accepta grandi pecunia venderet, dixit se restituere ex Cæsaris libellis. quod ei Cicerō 2. oratione in criminibus obijcit his verbis: Quid ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia, quæ a diuersis emebantur non insciente te: sed vnum egregium de rege Deiotaro, populo R. amicissimo, decretum in Capitolio fixum. quo proposito, nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Cæsar? & quæ sequuntur. *Neque ad illum, neque ad quemquam nostrum*] & de hoc in eadem Philippica paullo post, Syngrapha H-S centies per legatos, viros bonos, sed timidos, & imperitos, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in Gynęceo. *Dicas*] Atticæ referes, Piliæ dices: quia non, vt Attica, salutem miserat Pilia.

IN EPISTOLAM IV.

Ita vt heri, &c.] vt in litteris, quas ad te scripsi, heri legisti, vel fortasse hodie, (Quinctus enim, cui eas litteras dedi, altero se die Romæ futurum aiebat) in Nesida veni III x. idus, vt fit, Ita vt heri, principium epistolæ. *De nonis Iuliis?*] quod in ludorum suorum proscriptione, nonis Iulijs, legeretur. vi-

de nostram interpretationem ad illud, Ita ne, nonis Iulijs? ep. 1. huius lib. *A Sex.*] Pompeio, Libonis genero, vt ex Dione cognoscitur. *Siue quo alio nomine*] quasi consules appellandi non essent Antonius & Dolabella, qui non agerent quod consules deceret. *Si quid videretur*] vt corrigeremus, si quid videretur. *Pauca παρὰ λέξιν*] nonnulla minus proprie dicta. *Non contumaciter.*] sine superbia. *Quod erat, cos. solum,*] Sextus epistolã suam ita inscripserat; Sext. Pompeius Cn. F. cos. S. D. nos addidimus, Prætoribus, tribunis pl. senatui. *De Cæsare:*] Romæ occiso. *In Vlteriore*] Hispania. *Nihil esse, &c.*] se non discessurum ab armis, nisi si paterna domus restitueretur. eam autem ab hasta Cæsaris emptam possidebat Antonius. Philippica 2. *Vt omnes exercitus dimittantur,*] se non esse exercitum dimissurum, nisi omnes omnium exercitus dimitterentur. vide illud, Ab armis nullus discederet. epist. 22. lib. 15. *Nihil reperiebam:*] quod certum videretur. *Concisos agripetas:*] idem epist. 29. lib. 15. & 1. huius lib. *Acceptis nummis,*] a Buthrotijs. *Relictis illis,*] agripetis: quos secum duxerat, vt agrum eis Buthrotium assignaret. *Quid eius sit,*] quid de ea re sit. *Aliquid litterarum.*] ad me miseris. *Dubitabam,*] incertus eram, vtrũ irem Brundisium, an Puteolis conscenderem. epist. 2. lib. 15. *Sublatum videtur.*] non est cur Brundisium ire debeam. quo tamen se scripserat iturum, epist. 2. *Hæc autem nauigatio*] si Puteolis conscendo. *Suspiciones periculi,*] propter piratas. epist. 1. & 2. *Ὁμοπλοίᾳ*] societate nauigandi. *Et ipse Domitius*] Cn. Domitius, qui cum Bruto nauigaturus erat, vnus de percussoribus Cæsaris, Ahenobarbi filius ex Porcia Catonis sorore. epist. 46. lib. 13. & Philippica 2. *Sextii, Bucculiani*] & hi Cæsarem percussêrant. auctor Appianus lib. 2. *Vltra Fretum.*] qua vsurus non sum, quod Syriam, non, vt Brutus & Domitius Græciam, petet. erat autem vltra Fretum Siculum. *Exploratiora videbuntur,*] a piratis tuta nauigatio. tarde igitur potius cum Bruto nauigabo, quam vt omnino non nauigem. &, si, cum processerimus, exploratiora videbuntur, omissa ὁμοπλοίᾳ vel testis vtemur, celerrimo genere nauiculæ. Testæ nomen, vt opinor, a Testæ similitudine deriuatum. Iuuenalis satyra 15.

Et breuibus pictæ remis incumbere testæ.

Non

Non nouũ] sententiã negantem particulã respuit. *De Tereo Attii.*] quod Tereum, Attij tragœdiã, populus magno plausu accepisset. epist 2. *Brutum*] aliam Attij tragœdiam, de L. Bruto, qui Tarquinium regẽ eiecit, M. Bruti ludis actam. de hac tragœdia Cicero. *Nescio quid afflauerat*,] nescio quid rumoris affluxerat. *Commissione Græcorum*] cum Græci ludi committerentur, infrequentem populum affuisse. *Commissione*] ipso initio. *De Græcis ludis existimem.*] minime dignos, qui spectentur. epist. 1. lib 7. *Quinctius*] filius. *In quo minime satisfaciebat*,] intelligit amicitiam Quincti cum Antonio, & consensionem cum Cæsarianis. epist. 14. 17. & 19. lib. 14. *Iniecissem*] in sermone. *Arripere*] cupide amplecti. *Morari*,] nauigationem proferre. *Si qui forte casus.*] si forte quid accideret eiusmodi, vt eum discedere non oporteret. *Dubito*,] cogitare cœpi, nam antea statuerat nauigare cum Bruto; sed, eo morante, nouum consilium capit. *Exspectem de legionibus.*] dum audiam, traijciant ne legiones e Græcia, an, vt quidã arbitrantur, nullæ veniãt. Verebatur autem maxime, ne, si ipse Hydrunte, aut Brundisio traijceret in Græciã, incideret in legiones Macedonicas, quas in Italiã aduentare rumor increbuerat. epist. 21. lib. 15. & 4. h. l. *Neutrum*] si neutrũ erit tutum, neq; Hydruntem ire, neq; Venusiæ manere. *Eodem*] in hæc loca. *Circumspice*,] locus concisus, & obscurior, quam vt certã interpretationẽ afferre possimus. *O dies, &c.*] descripti dies erant, quibus Lepidum, qui erat pontifex max. cum augurum collegio dare operã auspicijs oportebat. lætatur igitur, eam sibi fore causſam, cur mature ad vrbem redeat. erat enim augur. *Magna φορὴ*] valde me ad profectionẽ impellunt litteræ tuæ. in eas enim regiones promittis te venturũ. epist. 27. lib. 15. & 1. h. l. *Te illic*] adueniens inueniam. *Meorum*,] scriptorum. *Et αὐτ', μετ' ἀμύμονα*] scripserat Atticus ad Ciceronem, Cornelium Nepotem teneri magno desiderio scriptorum ipsius: simulq; Nepotem commendans, dixerat eum esse *μετ' ἀμύμονα*, cum Ciceronem ipsum intelligeret, & ab eo secundum Cornelium faceret. Cicero hanc laudem a se modeste amouens, ait Atticum ipsum esse *ἀμύμονα*, Cornelium vero *ἄμβροτον*, id est, diuinum plane, & immortalem. Respicit autem ad versum illum Homericum ex Odyss. v.

quo Aiacem laudans, ait eum formosissimum omnium fuisse, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

IN EPISTOLAM V.

Vibonem ad Sicam:] contra veteres libros, Ad Sicam restitui, cum legeretur, Et Sicam. significat enim, apud Sicam se esse, amicum suum; qui Vibone habitabat. & paullo post: XI. Kal. igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meæ scilicet. Et quo tempore Clodia rogatione pulsus in exsilium abijt, Vibone item apud eundem Sicam diuersatus est: vt apparet epist. 4. lib. 3. *Prodromi*] Aquilones venti exortum caniculæ octo diebus antecedunt. ideo Prodromi dicti a præcurrendo. Plinius. *Pedibus*] sine naui. *Equis*] quod aquæ multo minus esset, quam soleret. *Thalnam*] cognomen esse Iuuentiorum, in Fastis obseruauimus. *Obduxi*] consumpsi. Δολιχὸν πλόον] vide epist. 11. *Corbita*] oneraria naui. *Ad Leucopetram Tarentinorum,*] promontorium agri Rheginiappellat in Phil. 1. nec tamen, Rheginorum, pro Tarentinorum, reponendum censuerim, primum quia dissentire ab antiquis libris, præsertim mutatione tanta, non audeo: deinde, quia necesse non fuit indicare Atticæ regionē, in qua Leucopetra fuit, quippe cui notissimum iter illud in Græciam esset ob Epiroticas possessiones. malim equidem, si sit coniecturæ locus, verbum illud Tarentinorum, vt ab imperito additum, tollere potius, quam mutare. *Statim ne Freto, an Syracusis.*] statim ipsum Fretum transijciens in Græciam recta nauigem, an prius deflectā Syracusas, inde in Græciam. Ἡ δεῦρ' ὁδός] vide epist. 11. lib. 15. *Id satis, superque*] sæpe id iā scripsimus, tecum me non esse, quia periculum fugiam. *In calum ferri*] quod omnibus periculi causa discedere. *Ad Kal. Ian.*] a quo die sine periculo Romæ esse licebit, Pansa & Hirtio cos. *Expedi, exsolue.*] velim omnino satisfacias quibus debeo. *Bella reliqui.*] reliqui vnde sumeres ad meorum nominum solutionem. *Coheredibus pro Cluuiano*] vt coheredibus meis, qui mihi vendiderunt quod ipsis de Cluuiana re obuenerat, Kalendis Sextilibus id, quod debeo, persolutum sit. epist. 2. de Hortensio coherede, & epist. 45. lib. 13. de Hordeonio. *Cum Publilio*] huic Cicero pecuniam debebat ex dote Publiliæ, quam dimiserat.

miserat. *Quoniam iure non vtimur:*] quoniam de c c o c H S ante diem c c numerauí; qui si voluissem vti iure meo, diem solutionis exspectassem. vt inique facturus sit Publilius, si de ducentis vrgeat. vide epist. 11. lib. 5. *Ante diem,*] subaudi, Terentię numera quod debemus. *In Epirum:*] venturus es. epist. 3. *Quod satisdato debeo,*] satisdato debet, qui creditori cauit fideiussoribus datis.

IN EPISTOLAM VI.

Cum a Leucopetra profectus,] narrat idem in 1. Philippica his verbis: Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent; ab eo loco conscendi, vt transmitterem: nec ita multum prouectus, reiectus Austro sum in eum ipsum locum, vnde conscenderam. cumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerij, comitis, & familiaris mei; postridieque apud eundem, ventum exspectans, manerem: municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex ijs quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quæ ita mihi placuit, vt ea lecta de reuersione primum cœperim cogitare. nec multo post edictum Bruti affertur, & Cassij: quod quidē mihi, fortasse quod eos etiam plus reip. quam familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis videbatur. addebant præterea, rem conuenturam, Kal. Sext. senatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Gallijs prouincijs, ad auctoritatem senatus esse rediturum. *Vt adesset*] in senatu. *Sententiam commutasse:*] qui cum antea meam profectionem probaueris, idem nunc reprehendas. *In flammam ipsam venirem.*] vide illud epist. 3. Relinquemus, etiam pacem, vt ad bellum reuertamur. Ανεμέσητα] quod ego ex Italia discederem, dum periculi minus esset, eo consilio, vt Kal. Ian. adessem, cum omnia contentionibus arderent; omnino non prudenter faciebam: sed id tibi esse inuidiosum, aut vllam afferre infamiam non potest: primum, quod ego meam sententiam secutus, discedebam: deinde, etiam si te auctore, non debet is, qui consilium dat, quidquam præstare præter fidem. *Bene igitur, &c.*] rectum igitur putas o Cicero patriam relinquere, dum εὐθαναsίαν sequeris? Et cum dixit Atticus εὐθαναsίαν, respexit ad id, quod Cicero scri-

ferat epist. 20. lib. 15. Ex hac nassa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. *Oportuisse te istuc facere.*] quo χολίῳ defendas profectionem tuam, & ostendas oportuisse te discedere. *Quibus inuitis, & dissuadentibus*] nam tu quidem suasisti, vt discederem. *Si perseueraſſem,*] si perrexissem in Græciam: sed vides me reuerti. *Si a Phædro nostro,*] si hoc fieret a Phædro nostro, facilis illi excusatio esset. sic enim responderet: Ego de honesto nihil cogito, dolorem fugio. summum bonum in voluptate pono. nunc quid tu respondebis o Cicero, qui non, vt Phædrus, Epicuream sectã, sed illam Socratis tam, quæ virtutem & officium colit, es secutus? De Phædro, epist. 1. lib. 13. fam. & alibi. *A primo*] ante quam discederem. *Fuisses Cato.*] numquam discessissem: tuum consilium, vt Catonis, essem secutus. *Non audet, &c.*] nimirum scribis Attice, ideo Brutum nihil dicere super discessione mea, quia me non audeat, hominem id ætatis, monere. qui si auderet, me scilicet patriam relinquentem reprehenderet. aliud enim te non arbitror significare. *Vel potius reuersione*] necessitas indicatur. nam reditus tantum voluntatis est. Reuersione igitur, quia, cum processissem, ab Austro retro versus est. fam. lib. 12. epist. 25. In Græciam, inquit, desperata libertate, rapiebar: cum me Etesiæ, quasi boni ciues, relinquentem patriam prosequi noluerunt; Austerque aduersus maximo flatu me Rhegium retulit. & Philip. 1. *Effudit illa omnia, quæ tacuerat:*] dixit me facere præclare, qui Romam reuerterẽ, abiecto discessionis consilio. *Pisonem*] in 1. Philippica: Ex Bruto primum cognoui, quæ Kal. Sext. in senatu fuisset L. Pisonis oratio. qui quamquam parũ erat, a quibus debuerat, adiutus: tamẽ & Bruti testimonio (quo quid potest esse grauius?) & omniũ prædicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriã consecutus. Et fam. epist. 2. lib. 12. Nec Pisoni, qui in Antonium primus inuectus est nullo assentiente; nec mihi, qui idem tricesimo post die feci; nec P. Seruilio, qui me est consecutus, tuto in senatum venire licet. *Relictionis resp.*] antiqui libri, religionis; ego tamen, Relictionis, probaui, ex correctione Beroaldi: non solum, quod parua mutatione sententia restituitur sane quam apta, & cum verbo antecedenti optime consentiens: verum etiam, quod accusatione 3. in Verrem, vbi in vulgatis libris legitur, Illam reiectio-

reiectionem, proditionem q; consulis sui, Maffæi scriptus habet, Relictionē proditionemq;. *Querebantur:*] ante quam discederet. non enim loquitur de ijs, qui cum Bruto erant: sed eos intelligit, quibus discedens affirmauerat, se celeriter esse rediturum. *Non probabam:*] non persuadebam. *Me existimari ad Olympia.*] non ideo me homines discedere crediderant, quod in Græciam ad spectaculum ludorum Olympiorum properarem. hanc igitur vituperationem reuertens effugi. *Sed hoc*] tam turbulento reip. tempore si ad Olympia profectus essem, ἀναπολόγητον fuisset, id est, nulla prorsus ratione meum factum defendere potuissem. *Gratias miras*] elegans figura sine verbo. venustius enim subintelligitur, Ago, quam legitur. itaque sustuli, approbante Bessarionis libro. *Qui me*] qui me in Græciam nauigantem aduersus flatu maximo Rhegium retulerit. *Speciosas*] quia reuerteret, quod intelligeret non esse desperandum de rep. vt exposuit epistolæ initio. *Prouide,*] prouide, o Cicero, si cui quid debes, vt sit vnde tantundē solui possit, quātum debetur. ἀνοχρησία] difficultas versuræ faciendæ. quod cum ita sit, vnde solues? ep. 4. *Præsens me ipse defenderem.*] hæc vna prouidendi ratio mihi in mentē veniebat. quod si Romæ essem, ipse me contra meos creditores tueri possem, tu mei defendendi, aut excusandi nullum onus sustineres. itaque video, mea etiam causa, non reip. modo, mihi esse reuertendū. *A Bruto:*] datum. *Horum*] Bruti & Cassij, prætorum. fam. ep. 3. lib. 11. *Censebat,*] censebat Brutus, vt istuc venirem ad remp. capessendam. *Pisoni*] cui in senatu in Antonium inuehenti nemo assensus est armorum metu. fam. ep. 2. lib. 12. & Philip. 1. *Redit*] quasi non perstiterit in sententia. aut non redijt Antonij metu. *Sed abesse, &c.*] ideo redeo, quia seram, ni mors impendet, o decet longe abesse a sepulcro, id est a patria, in qua solemus sepulcrum nobis constituere. redeo igitur, vt, quidquid acciderit, in patria moriar. *De Bruto?*] a Bruto. *Piliam*] vxorem tuam tentari morbo, quem παράλυσιν appellant.

IN EPISTOLAM VII.

Cassilini, & Calatia] idem Velleius lib. 2. *Quingenos denarios*] Appianus & Dio Drachmas vocant. sed, quia drachma paullo leuior est denario, cū octo apud Athenienses

drachmæ in vncia, denarij Romæ septem ferirentur: ideo nõ solum Græci scriptores Drachmam pro denario, sed Latini quoque denarium pro Drachma interdum vsurparunt. *Vide nomen, & vide ætatẽ.*] turpe nobis est sequi eum, qui & Cæsar appelletur, & adolescens, ac pæne puer sit. *Vel Capuæ.*] vide, quam pueriliter: qui putet vel Capuæ clam mecum posse loqui. non enim postulat, vt obscuro in opido, aut in aliqua latebra congrediamur, sed in vrbe Capua. *Alaudarum*] Cæsar legionem Alaudarum ab aue nominauit, quę Gallico vocabulo dicitur Alauda. Plinius, Suetonius. *Ad vrbem pergere:*] Antonium ab vrbe Octauianus auertit, quo ille infestus cum legione Alaudarum Brundisio veniebat. Philippica 3. & fam. epist. 25. lib. 12. *Legionem sub signis ducere.*] in omnibus libris, & impressis, & scriptis, Legionem suis signis ducere. nos ex obseruatione latinarum locutionum, quarũ genera in vsum nostrum notare consueuimus, & hic, & alibi mendum deprehendimus. legiones enim sub signis ducere, & sub signis habere, vsitata figura veteres dicebant. Lucretius lib. 5.

At non multa virum sub signis millia ducta
Vna dies dabat exitio.

Plancus, fam. epist. 8. lib. 10. Legiones habeo quinque sub signis. & Asinius, eodem libro: Legiones sub signis armatas tres. & Liuius lib. 3. Sub signis vrbem intrauere. & lib. 8. Sub signis alij x v. ordines locabantur. ∞ ∞ ∞.] tribus millibus. nam mille hac nota c I ɔ veteres significabant: inde factum ∞, librarijs antiquæ notæ figuram immutantibus, cum propter celeritatem describendi vno calami ductu perficerent. *Tres legiones Macedonicas,*] quarum duas, Martiã, & Quartam, ad ipsum transijsse, & Appianus tradit lib. 3. & noster in Philippicis. *Conuicũ grande fecerunt,*] Antonium centenas drachmas pollicentẽ irriserunt. Appianus lib 3. *Si fidem fecerit,*] non enim satis Octauiano credebant boni viri, quod Cæsaris & heres, & filius ex testamento esset. *Aliquid tale*] vt præsens auctoritate & virtute sua remp. iuuare posset, cui nunc in vno Octauio contra Antonium & spes & præsidium est. *Fugiam Romam,*] antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis, Fugam Romam. procul dubio corruptus locus.

IN EPI-

IN EPISTOLAM IIX.

Cui ego,]rescripsi. *Consilio tuo.*] scribit,se velle rem agere persenatum consilio meo. *Valeat*]copiis. quod si esset, tursus de Græcia cogitarem: ideoque a mari non libet discedere. *Consilium pueri:*]non probat Varro,quod exercitum contra M. Antonium Octauius parauit. *Brutum*]Decimum: quem Antonius, Celtica prouincia non decedentem, armis expellere parabat. *Centuriat*] centurias conficit veteranorum. *Dinumerat:*]pecuniam vnicuique numerat,quinos scilicet denarios. epist.7.

IN EPISTOLAM IX.

VI. *Veni ad me in Sinuessanum.*] ita correxi e libro Calcantis. vulgata lectio perspicue deprauata. nam,si epistolæ adscripta dies est VI. idus in Sinuessano, quo modo se ad IV. venisse dicat in Sinuessanum? præterea non recte, Arpinum veni. nondum enim eo peruenerat: quod ostendunt quæ proxima subsequuntur. Ad me autem, in villam meam, quo modo locutus alibi. vide ep.10.lib.4. *Arcano.*]Quincti fratris prædio. *Maneam ne Arpini,*]quo iter habebat. *Litteras VI. idus mane in Sinuessano.*] Bessarionis liber sic: Litteras idus mane in suaseno: duabus dictionibus interiecto spatio seiunctis. dixi iam,in dierum nota mendum esse.

IN EPISTOLAM X.

Nostrum opus]puto librum de Gloria. epist.5. *Ex quo ante*] Atticus excerpta quædam ex illo libro scripserat in paginis ante librum positis. *Extimescebam.*] Atticus enim,quæ minus probabat in Ciceronis libris, ea notare miniata cera solitus erat. epist.14.lib.15. *Ita est, vt scribis.*] ita accusandus mihi est Antonius,vt Sicam amicum nostrum cum cõtumelia ne nominem: erat autem Sicæ mentio quodam loco facienda, quod eo vsus erat Antonius. *AEgre me tenui.*] vix a me ipse impetraui, vt Sicam non notarem: cum orationem in Antonium scriberem. Sica autem Ciceronis amicus, & hospes. epist.5. *Perstringam*] Antonium. μεταφορικῶς, Perstringere, valet leuiter offendere. Pro Plancio: Granius L. Crassi voluntatem asperioribus verbis sæpe perstrinxit im-

pune. *Septimiæ*] vxoris, opinor, Sicæ. παῖδες παίδων] omnis posteritas: vnde apud Virgilium,

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Manasse prouerbium videtur ab Homeri versu:

καὶ παῖδες παίδων οἴκε μετόπισθε γένωνται.

Sine Vallo Luciliano] forte, vt aperte intelligãt: quia nõ scripta sunt obscure: quo se quasi vallo sæpe muniuit Lucilius, poeta maledicus. *Eum*] M. Antoniũ: cui & in 2. Philippica per contumeliam obiicit, suscepisse eũ liberos ex Q. Fadij, libertini hominis, filia. quem hic Caium legimus, ibi Quinctum: vt alterutrum sit mutandum. *Illis triumuiris.*] hoc sine epistola Attici non licet nobis diuinare. *Nisi facete.*] subaudi, scripsisti de triumuiris. *Leges Sexto,*] meam in Antonium orationem leges Sex. Peducæo, qui mihi vnus millẽ hominũ loco est: vt ep. 5. l. 2. Quid Cato ille noster, qui mihi vnus est pro centum millibus? Magni autem ponderis fuisse Sex. Peducæũ apud Ciceronẽ, patet ep. 1. l. 10. & 13. l. 15. *Caleni*] cauebis, ne, dũ leges meã orationẽ, Q Fusius Calenus, aut Cn. Matius interueniat. vterque enim Antonio amicitia coniunctus. Caleni etiam orationem pro Antonio bene longam, & contumeliosam aduersus Ciceronem recitat Dio lib. 46. Matium vero, quem Caluenam vocat, vt etiam epist. 4. lib. 14. amicum Antonio fuisse, inimicum Bruto & Cassio, hoc est libertatis & reip. patronis, docet ipsius epistola in fam. ep. 28. l. 11. *Epistola longissima quæque optima*] idẽ de Demosthenis orationibus solitum dicere, tradit Plutarchus. *Quo Rubriana,*] ita nunc corrigã, quæ a te sunt in meo libro animaduersa, vt antea correxi quæ de Rubrio scripseram, non vt quæ de Scipione. Attico. n. iam antea monenti vt de Rubrio scripta emendaret, Cicero paruerat: de Scipione, non item. *Et de laudibus Dolabellæ*] & te suadẽte partẽ tollam earũ laudũ, quibus Dolabellã ornauerã. *Eum cõtra ciues*] mihi, pręter obscuritatẽ sententiæ, etiã antiqui libri, Caualcantis & Bessarionis, suspicionẽ afferunt de mendo. in vtroq; enim scriptũ animaduerto, Eũ per contra ciues. placet qd' alijs, Eũ ter cõtra ciues. hoc sensu: Videor Dolabellã in Phil. 2. laudare: sed bella εἰρωνεία est. nam re vera vitupero: siquidem eum ter in acie statuo contra ciues, cum dico interfuisse omnibus bellis ciuilibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Philippica 2. *Indignius*

esse]

esse] de Antonio loquitur; quem vult indignum vita videri, sic inquam indignũ, quam quod maxime. *πεϖλογραφίαν Varronis*] Varro clarorum virorum nomina in vnum librum contulerat, eumque inscripserat, *πεϖλογραφίαν*: quod Athenienses (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alij) in peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueuerant. & Porphyrius ab Aristotele scriptum commẽtarium tradit, Pepli nomine inscriptum; quo commẽtario & nauiũ, quæ ad Troiam profectæ essent, numerum, & ducum genealogias persequebatur. *ἡρακλείδιον*] aliud Varronis opus. *ἡρακλείδιον* autẽ appellat, vel quia de rep. (Heraclides enim Ponticus de rep. scripserat, vt est ep. 19. l. 13. & ad Q. fr. ep. 8. l. 3.) vel quod egregie scriptũ, vt quasi Heraclidis opus videri posset. *O Tite*] librum de Senectute: cuius initium est, O Tite, si quid ego, &c. vide ep. 3. *ταξιάρχης*] princeps gladiatorum. nominat eosdem secunda in Antoniũ, his verbis: Cum duos secũ Anagninos haberet, Mustelam, & Laconem: quorũ alter gladiatorum est princeps, alter poculorũ. Et Philipp. 12. Nolite ne Tirones quidẽ, Numisios, & Mustelas, Saxasve cõtemnere. Et 13. eundem nominat. Respondet Attico, nomina Anagninorum, quos secum Antonius haberet, scire cupienti. legeratillud fortasse in 2. Philip. Cum duos Anagninos secum haberet: & rogauerat, quinam essent. in quo nisi me coniectura fallit, abundare crediderim in ea oratione Mustelæ & Laconis nomina: cum Atticus ea quæsierit. *Laco*] Lento, non Laco, nominatur in Philipp. 11. 12. bis, & 13. bis. *Absolui duobus.*] quatenus de officio Panætius scripsit, (scripsit autẽ tribus libris) ego duobus absolui. in tertio deinde libro quæstionem illã explicauit, qui discerni posset officium; cum id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod vtile videretur: quod Panætius cum promisisset se esse dicturum, nõ persoluerat. ante, Absoluit, legebatur: itaq; est in antiquis quoq; libris: nos tamen, Absolui, sententia postulãte. *Qualis caussa Reguli.*] M. Atilio Regulo vtile fuit Romę manere, honestũ ad Carthaginienses redire, sicuti discedẽs iureiurãdo promiserat. hoc exẽplũ plenissime in 3. de Offic. *Posidonius*] Panætij discipulus, Rhodius philosophus, e Stoica disciplina. *Dilucide.*] scripsit. *De isis.*] fortasse rectius hoc modo: Ita me in L. Brutũ defecisses, qui te antea pro eo sentire videbaris?

Iterum remp. seruarem:] seruauerat enim antea, cum Catilinæ coniurationem in suo consulatu oppressit. αἰδεῖται] significat, neq; se suscipere quod Octauius vellet, periculi metu; neq; abnuere, propter pudorem: quemadmodum ij, quos e Græcorum exercitu Hector in certamen prouocauerat. lib. 6. epist. 1. *Kalendis Ian.*] quo die nouis consulibus magistratum ineuntibus de rep. refertur. *Erit*] Octauius. Nam vt senatus Kal. Ian. tuto haberi, sententiæque de summa repub. libere dici possent, de præsidio prius erat videndum: qua de re tribunos pl. verba fecisse, patet in extrema 3. Philippica. *Stipulationes*] eos, qui stipulatione se daturos esse pecuniâ spondent. vult enim, opinor, e suis prædiis aliquod ab Attico vēdi. *Catinam, &c.*] Catinensium suffragiis, item Tauromeniorū, & Syracusanorum, assequi nescio quid in Sicilia Valerius interpres cupiebat. ep. 10. lib. 1. *Gratiosorum*] in suffragiis. *Nostrique familiares*] a quæstura sua Sicilienſi. *Publice*] ad Catinenses, Tauromenienses, Syracusanos. *Aut mihi nōmina mitteret.*] quasi dicat: Si vti nollet eis litteris, mitteret mihi nomina gratiosorum. *Balbus ad me*] scripserat. *Neque Torquati:*] vt in nostro libro, item est in duobus scriptis, Caualcantis, & Bessarionis. Placeret: Me de Torquati negotiolo sciturum puto. vel, vt alij emendarunt, Deque Torquati negotiolo sciturum puto. *Quam valde eum amaret,*] Quinctum, filium suum.

IN EPISTOLAM XI.

Muginaris,] nihil explicans differs. *Cepi consilium domesticum.*] hoc consilium cepi, vt Romam venirem. *Intercluderer,*] aduentu Antonij ad vrbem. *Potest:*] ad rationem coniecturæ suæ. vt ego, inquit, opinor, Antonius ad vrbem iam aduentat. *Tecum potius,*] subintellige, Romæ sim. *Negotia salsa*] facete scripsisti de ἡρακλείῳ Varronis, meque ea pars litterarum tuarum ita delectauit, vt nihil vnquam magis. epist. 8.

IN EPISTOLAM XII.

δολιχὸν πλόον] respexit ad Homeri versum, quē infra paullo post recitabimus. Dicit autem, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας, quia rursus nauigare in Græciam cogitabat, si armis valeret Antonius: ideoque ep. 8. Vereor, ne valeat Antonius: nec a mari discedere libet. Ἀπροσδόκητον] absurdum, alienum a re.

Con-

Consilium petieram,] quid mihi esset agendum, manendum ne Arpini, an propius accedendum, an veniendum Romam. ep. 7. & 9. παρὰ νέμοιντα] Nestoris verba sunt Odysseæ lib. 3. Telemacho narrantis reditum Græcorum a Troia. Scripserat autem Atticus, qua via Cicero proficisci Romã tuto posset. valde enim Antonium timebat, vt significat ipse epist. 8. & eam, rationem itineris, ab Attico descriptam, Homericis verbis Cicero designat. poetæ versus hi sunt:

ὄφρὲ δὲ δὴ μετὰ νῶϊ κίε ξανθὸς Μενέλαος·
ἐν Λέσβῳ δ' ἔκιχε δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας,
ἢ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλόεσσης,
νήσου ἔπι Ψυρίης αὐτὴν ἐπ' ἀριστερὰ ἔχοντες,
ἢ ὑπένερθε Χίοιο παρὰ νέμοιντα Μίμαντα.

Quod autem Cicero & Mimanta, & Psyriam in hunc locum transtulit, non ea ipsa intelligit loca, (non enim Atticus ad eã nauigationem hortabatur, sed vt Antonium vitaret ad vrbẽ venientem) sed quasi per iocum vsurpauit Homeri verba, nõ dissimili sententia. *Appiam*] viam. *Dimitterem*] litteras: qua de caussa, non scribit, sed reiicit Atticum ad Tironis sermonem. *Pares*] si pares copiis sunt Antonius & Octauius, Romæ tibi censeo manendum. ipsi enim inter se aliquandiu pugnabunt: intereaque periculi experteserimus. sin superior alteruter est; discedendum. vtercumque enim valeat, latius periculum manabit, & primo ad nos, (se ipsum, & alios intelligit, qui remp. fortiter defenderant) deinde ad omnes communiter, ideoque etiam ad te, quamuis reip. administratione semper abstineris. *Sin,*] hic particula Sin, valet Sin aliter; vt illud apud iocosum laudatorem obsceni dei:

Donec proteruanil mei manu carpes;
Licebis, ipsa sis pudicior Vesta.
Sin; hac mei te ventris arma laxabunt.

IN EPISTOLAM XIII.

In Telluris,] templo, quo in loco decretum est, vt, quæ Cęsar statuisset, decreuisset, egisset, rata manerent. *Postridie*] dixit se Romæ fore postridie quam Puteolis discessisset. *Vt pedetentim:*] vt in consilio capiendo ne properem. Et hoc monebat Atticus, quia Cicero iam illud iterum rogauerat, quid sibi esset agendum, manendum Arpini, an propius acceden-

dum, an eundum Romam. ep. 1. & 9. *Aliter cogitabam.*] nolebam diutius animi pendere, suspensus in deliberando: sed parebo tibi, qui me mones, vt pedetentim. *Nec me Philippus,*] monuerat Ciceronem Atticus, vt Philippum & Marcellum imitaretur, nihil propere agentes. habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam, Octauiani matrem; C. Marcellus Atiæ filiam, Octauiani sororem. oratione 3. in Antonium. *Alia enim, &c.*] licet illis quiescere: aut, si non licet, licere tamen videtur. non enim ab illis eadem exspectantur, quæ a nobis, qui tantas res pro rep. gessimus. *Et si non est,*] quasi dicat: reuera omnium ciuium eadem ratio est, (temp. enim tueri æque omnes debent) sed diuersa tamen videtur esse, cum aliud a me postuletur pro anteacta vita, aliud a Philippo & Marcello. ita quiescere illis licet, mihi non licet. *Sed in isto iuuene,*] dolet, quod sibi, remp. defendere cupienti, non satis præsidij sit contra Antonium in Octauiano admodum adolescente. *Ne id melius sit,*] quam esse, vbi nunc sum, in Arpinati. *An hoc,*] an potius suades, in Tusculanum prius veniam, quam Antonius in vrbem. *Quod Græci καθῆκον,*] pertinet hoc ad inscriptionem librorũ de Officiis ep. 6. *Male narras*] quod mortuus sit Nepotis filius. Idem valet illud epist. 1. lib. 15. O factum male de Alexione. Bene narras, & male narras, eleganter dicimus; illud, cum iucundam rem audimus; hoc, cũ molestã. exempla maxime apud comicos. *Non ingratum.*] eius enim caussam Cicero defenderat: vt in epistola ad Mariũ, Dirupi pæne me in iudicio Galli Caninij. *Nihil est, quod hortere.*] vt mittat, quæ ab illo petieram, τὰ κεφάλαια, ex Posidonij libro excerpta. ep. 6. *Quinctus tui patris nepos*] hoc dicit: Quinctus sororis tuæ filius scribit ad Marcum filium meũ. Et vtitur, vt interdum solet, est cuitione. *Ex nonis iis, quibus nos magna gessimus,*] ex nonis Decembribus: quo die Lentulum, Cethegum, aliosq; ex coniuratione Catilinaria, lictori tradidit necãdos. Ex nonis igitur Decembribus, vbi ædilitatẽ plebis inierit. nam de tribunatu plebis, non est, vt intelligere possimus. cuius primus dies nõ erat nonæ Dec. sed 1 v. id. Dec. vt Liuius & Dionysius affirmãt. quod si tribunatus pl. non est; quid præter ædilitatem esse possit, nõ dispicio. nam ceteri magistratus Kal. Ian. inibantur. quod ex Plutarcho & aliis constat. Veri autem simile est, cum ædiles plebis,

plebis ideo creati sint, vt tribunorum plebis tamquam ministri essent, quod a Dionysio traditum est, eos ijsdem fere diebus inijsse magistratum, quibus tribunos: vt ijs, qua de causa initio sunt instituti, præsto esse possent. nec vero de alio magistratu crediderim intellexisse Ciceronem actione prima in Verrem, cum dicit; P. Sulpicius, iudex tristis & integer, nonis Dec. magistratum ineat necesse est. nam tribunatus plebis esse non potest, de quo proxime iam mentionem fecerat. quem locum Pedianus interpres, numquam, vt opinor, ita explanauit, vt in posterioribus libris, qui & in ædibus nostris, & apud alios impressi sunt, habetur. nam post illa Ciceronis verba, Nonis Dec. impressum est, Hoc die tribunus pl. futurus. cum in antiquis ita sit, Hoc dicit pl. futurus. erat autem reponendum, vt ego quidem existimo, Ædilis pl. futurus. sed hoc vnum erratum libenter condonemus ei, qui tam multa præter ea cum primis egregie in Pediano correxit. *AEdem Opis explicaturum,*] rationem exactu-rum ab Antonio eius pecuniæ, quam ex æde Opis abstulit, a Cæsare depositam. & est, Explicaturum, palam facturum, quid in Opis æde pecuniæ fuerit, eamque repetiturum. vide in Philip. 2. *Sexti iudicium*] quid iudicet Sex. Peducæus de oratione mea in Antonium. epist. 10. Tu vero, inquit, leges Sexto, eiusque iudicium mihi perscribes.

IN EPISTOLAM XIV.

Alexim videor agnoscere.] Alexidis manum in tuis epistolis agnosco. erat autem Attici amanuensis. epist. 2. lib. 7. & 20. lib. 5. *Si me non improbissime, &c.*] qui cum mihi pecuniam deberet, & de solutione assueranter quotidie promitteret; tu varijs excusationibus ludificans, ad extremum, ne nummo quidem persoluto, in Syriam profectus est. ep. 13. lib. 15. *Remissior essem,*] in exigenda pecunia. *Emptus,*] ab Antonio. vide illud, Cum se magno ære alieno Faberij manu liberarit, epist. 18. lib. 14. *Euerterit.*] qui aduersante senatu legem pertulerit de eripienda Cassio Syria prouincia. Appianus lib. 3. *Cum dies venerit:*] exigendæ pecuniæ. *Velim eiusmodi sit,*] eam agendi ratione inueniamus, vt, cum agetur, non esse Romæ nolim. nam abesse mallem, vt summa cum illius ignominia ius nostrum persequeremur.

non enim, adesse, nostræ grauitatis tum esset. *Αυσωπίαν,*] difficultatem in adspiciendo, hoc est erubescendi caussam. pudet enim magis, cum sponsorem, quam cum ipsum debitorem appellamus. verum, inquit, non appellabimus ipsi: procuratorem, nostro nomine qui appellet, introducemus. *Possumus enim, &c.*] possumus ita rem agere. introducemus procuratorem, qui sponsores appellet. illi iudicio non disceptabunt, sed nos ad Dolabellæ bona reijcient. ita & ipsi liberabuntur: & nos tum demum, honeste ius nostrum prosequentes, Dolabellæ re eam partem capiemus, quę facta æstimatione, debitæ pecuniæ respondeat. *Litem contestabuntur:*] rem in iudicium adducent. *Illi*] Dolabellæ. *Quod satisfdato debeat,*] quod si ipse non soluet, soluere sponsores cogentur. *Nostræ grauitatis,*] arbitror esse nostræ grauitatis, ius nostrum ita persequi, vt ne cum summa Dolabellæ ignominia. certe enim summa esset ignominia, si, non appellatis sponsoribus, absentis bona auctioni subiecta statim venderemus. primo igitur per procuratorem sponsores appellemus: deinde ius nostrum persequamur: quod tum quidem cum illis aliquanto minore fiet ignominia. *Et non dubito,*] & Caualcantis, & Bessarionis duo perantiqua exemplaria negatiuam tollunt, quam tamen retinet sententia. itaque vel, Et non dubito, vt est in vulgatis libris; vel, Haud dubito, legendum crediderim; vt, quam minime possumus, a vetere scriptura discedamus. est enim in duobus illis, Et dubito. *Iste puer*] Octauianus. *Quæ concio?*] in ea concione Octauianus res gestas patris Iulij in memoriam populo redegit: Antonium accusauit: milites, qui se ducem secuti essent, laudibus ornauit; seque vna cum ijs ita animatum esse dixit, vt obsequi ad omnia, & inseruire patriæ vellet. hæc autem in templo Castoris, & Pollucis, cum ei Ti. Canutius tribunus pl. Antonio infensus, concionem aduocasset. Dio lib. 45. & Appianus lib. 3. *Ita sibi parentis honores consequi liceat:*] vt patriæ defensionem susceperit. *Et simul dextram intenderet ad statuam.*] per parentem iurauit, manu statuæ illius imposita. *Μὴ δὲ σωθείλω,*] ne sim saluus, si quis vmquam tam egregie concionatus est. *Cæsæ nostri tribunatum:*] vix enim puto fore, vt Octauianus Cæsari, parentis sui percussorem, gerere tribunatum patiatur. Hoc & M. Antonius in epistola

epistola, quam recitat Cicero Philip. 13. Octauiano, & Hirtio Pansæque consulibus exprobrat: In Syriam, inquit, Cassium misistis: Cascam tribunatum gerere passi estis. *Veteranorum*] qui Octauianum sequebantur. epist. 9. *Ante Kal. Ian.*] quo die senatu a nouis consulibus coacto, suam veteranorumque causam magnopere cupiebat Octauianus commendari. id quod postea factum, declarat Philippica 5. *Nihil opus est.*] nam ante Kal. Ian. quo die magistratum noui consules erant inituri, S.C. fieri pro Octauiano nullum poterat, consule Antonio eius inimico. *Ante idus Dec.*] videbimus, num Cascam, vnum ex tyrannoctonis, tribunatum pl. gerere patiatur. quod cum passus esset; exprobrauit, vt iam ostendimus, Antonius in epistola. *In Casca.*] in Cascæ tribunatu voluntatem Octauiani ante idus Dec. perspiciemus. *A Sex.*] Peducæo: cuius exspectabat iudicium de oratione sua in Antonium. epist. 10. & 14. *Cum enim tanta reliqua sint,*] cum supra id, quod debemus, tantum habeamus in nominibus. sed reliquorum nomine quid significetur, planius epist. 17. lib. 15 ad illud: Cum ex reliquis abundare debeam. & epist. 2. Cum reliqua satis apta sint ad soluendum. *Ne Terentiæ quidem*] cui satisfieri quam primum volebam. cum enim multis deberet, in primis tamen Terentiæ numeratũ cupiebat. & epist. 15. lib. 15. Terentiæ vero, inquit, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. *H-S XXII.*] quæ Montanus, qui Ciceroni filio comes Athenas erat profectus, Planco debebat. epist. 50. lib. 12. *Vti de suo,*] vt H-S illa XXII. soluerentur de suo, detracta videlicet de ea summa, quam illi in annuum sumptum præstituimus. *Liberalissime*] de meo, inquit, me esse soluturum promiseram, non de pensione Ciceronis, vt ipse petierat. *Non modo*] non modo non hoc Eros fecit, quod ei mandaueram. *Aurelius*] qui Montani absentis nomine Romæ soluit. *Cocceii responsum,*] Cocceius, vnus ex procuratoribus Dolabellæ in Sytiã profecti, Attico pecuniam Ciceronis nomine petenti ita responderat, vt sperandum non videretur. *In ipsam flammam,*] publicarum contentionum. *Priuatim,*] ære alieno oppressum. *Publice.*] reip. caussa. *Perturbato animo,*] perturbatus animo cum essem, ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, rescribere, vt consueueram, non potui. *Vt*

me expediam:] ære videlicet alieno. *Quiminus*] cur ego istic æque tuto esse non possim, atque est Marcellus? Hic autem, vt supra diximus, Octauiani sororem habebat in matrimonio. *Non id agitur:*] non de hoc laboro, sed de ære alieno, vt vides.

IN EPISTOLAM XV.

Occupatione ista] de re Buthrotia. L. PLANCO PRAET. DES.] vel tollenda prænominis nota, vel legendũ, Cn. Planco. qui fuit Lucij frater, & hoc anno prætor erat designatus: insequenti enim præturam gessisse, planum fit ex epistola Lucij Planci ad Ciceronem, in epistolis fam. epist. 17. lib. 10. nam L. ipse cum D. Bruto a Cæsare consul fuerat designatus post Hirtium & Pansam, anno videlicet, qui est proximum subsecutus. *Proscriptum*] a Cæsare, quod Buthrotij pecuniam imperatam non soluerent. *Libellum*] quo libello petebat a Cæsare, vt agrum Buthrotium liberaret? Buthrotios enim, quod reliquum pecuniæ deberent, intra certam diem soluturos. *Pecuniam reliquam*] nam imperatæ pecuniæ partem iam antea soluerant: reliquæ solutionem cum differrent, Cæsar eorum agrum proscripserat. *Decretum*] quo Cæsar Buthrotium agrum liberabat. *Ei negotio*] agro Buthrotio diuidendo. *Præsentium*] qui diuisionem agri Buthrotij præsentes petebant. *Cum mare transissent,*] Buthrotum enim proficiscentibus mare transeundum erat. vide epist. 19. lib. 15. de agripetis. *Causas consules cognoscere*] post interitum Cæsaris factum est S. C. in æde Telluris, vt, quæ Cæsar statuisset, decreuisset, egisset, rata essent: earumque rerum cognitio consulibus data. epist. 15. *Probauerunt causas*] mallem, Causam: vt subaudiatur, Buthrotiam. *Ad te litteras*] vt ijs, qui tecum mare transissent, agrum Buthrotium ne diuideres. *Et lex,*] quia præter S. C. etiam lege negotium consulibus est datum, vt de actis Cæsaris cognoscerent. epist. 15. *Consulum decretum,*] quod enim Cæsar in causa Buthrotia nobis postulantibus decreuerat, id postea consules Dolabella & Antonius decreto probauerunt. *Res solum familiaris*] nummos enim Cæsari numerauerat de suo pro agri Buthrotij liberatione.

tione. quod nisi cõsequeretur, eos nummos a Buthrotijs exigere non potuisset. *Vt supplex ad te venirem:*] iocatur in Capitonem, haud magnę auctoritatis hominem: cum dicat, numquam se futurum putasse, vt illius opera valde egeret. Et est C. Ateius Capito, de quo epist. 33. lib. 13. & fam. epist. 29. lib. 13. *Agrarii.*] qui mare transibant, vt sibi ager diuideretur. *Plancum dederunt.*] haud aliter scriptum est in antiquis libris: me tamen in hanc opinionem ratio ipsa perducit, vt legendum credam, Litteras ad Plancum dederunt. video enim ita scriptum supra: Consules probauerũt causas sine vlla dubitatione, seque ad te litteras daturos esse dixerunt. *Quorum interest,*] ad quos ex Cæsaris actis vel vtilitas, vel honor peruenit. *Otii caussa*] magna enim orietur omnium rerum perturbatio, si ea, quæ Cæsar egit, in dubium vocarentur. *Officii tui,*] ex ipsa sententia perspicuum fit, Officij sui, legendum. veteres tamen libri, Tui.

FINIS.

PAVLLI MANVTII SCHOLIA IN ATTICI VITAM.

IN antiquissimo libro eruditissimi viri, acerrimoq; iudicio prædiți, Oberti Gifanij, ante hanc Attici vitam leguntur hæc verba; Ex libro Cornelij Nepotis de Latinis historicis. *Pomponius Atticus*] prænomen omisit: est enim hic T. Pomponius Atticus. In Gifanij libro legitur prænomen, T. *Ab origine vltima*] hoc dicit, quia Romani multi ex diuersis Italiæ locis originẽ ducebant: Pomponiæ vero gentis in ipsa vrbe Roma origo prima fuit. *Stirpis Romanæ generatus*,] notandũ genus loquendi, Stirpis Romanæ generatus; quod ego non sane libenter imitabor. Si dixisset, E stirpe Romana generatus, erat vsitatius. fortasse, Generatus, glossema fuit. *Perpetuo*] senator enim numquam fuit, nec honores appetiuit. caussam Nepos infra exponit, his verbis: Honores non petijt, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. *Equestrem obtinuit dignitatem.*] non igitur in senatore tantum, sed etiam in equite dignitas, verum in senatore maior: itaq; senatorius ordo Maior appellabatur, Minor equestris. *Patre vsus est diligente*,] in qua re diligente? vtrum in re domestica, an in filio litteris & bonis artibus instruendo? malim omnino ad filium referri, propter verbum, Vsus est; &, quia sequitur, Indulgente: quod neque pater filium negligeret, nec tamen in eum esset acerbior. *Vt tum erant tempora, diti*,] cum Nepos hæc scriberet, maiores erant ciuium Romanorum diuitiæ, quam viuente Attici patre: propterea dicit, Vt tum erant tempora.

tempora. maiores autem fuisse diuitias, & inde luxum emersisse, idem Nepos apud Plinium lib. 9. cap. 39. ostendit his verbis: Me iuuene, violacea purpura vigebat, cuius libra denarijs centũ venibat, nec multo post rubra Tarentina. Huic succesſit dibapha Tyria, quæ in libras denarijs mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinther, ædilis curulis, primus in prætexta vsus improbatur: qua purpura quis non iam, inquit, triclinaria facit? Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pæne commodiores purpuræ tinguntur. Attici patris diuitiæ quæ fuerint, infra cognoscitur, cum ait Nepos: Tanta vsus est moderatione, vt neque in H-S vicies, quod a patre acceperat, patrum se splendide gesserit, neque in H-S centies affluentius vixerit, quam instituerat. *Omnibus doctrinis,*] quibus? rhetorica, historia, poetica, fortasse & mathematicis: quamquã hoc apud Græcos vsitatius. Grammaticam vero cur necessariam fuisse credamus, cum Latinã lingua tum omnes verentur, & eo quisque meliore, quo melius loquerentur ij, a quibus esset educatus? itaque de C. Curione proditum est, ex domestica tantum consuetudine bonum oratorem fuisse. & de Gracchis fratribus ita scripsit Cicero in libro de claris oratoribus: Legimus epistolas Corneliæ, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. *Imperti*] accommodato vsus est verbo ad puerilem ætatem, quæ particeps quidem fieri omnium doctrinarum potest, plane vero eas consequi nequaquam potest. *Oris, & vocis:*] quæ duo maxime gratiam oratori conciliãt. Gifanij liber Oris, atque vocis. *Celeriter acciperet*] cum, Celeriter, magis congrueret, Arriperet: & ita Cicero locutus in oratione pro Comœdo: Quo quisque est solertior, & ingeniosior, eo docet iracundius, aclaborioſius. quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur. & de Senectute: Græcas litteras sic auide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. *Pueritia*] liber Gifanij, In pueritia. recte. *Generosi*] genere illustres, claris parentibus & familijs nati. nam Atticus, qui & patrem, & maiores equites tantum habuerat, non gestis magistratibus claros, generosus non erat. Sic infra: His rebus effecit, vt M. Vipsanius Agrippa potissimũ eius diligeret affinitatem, præoptra-

retque equitis Romani filiam generosarum nuptijs. *Di Torquatus*,] Manliæ gentis, qui consul fuit cum L. Cotta biennio ante Ciceronem consulem. nominatur infra. *C. Marii filius*,] qui, Prænestea Lucretio Offella obsessus, desperata salute ipse sibi manus intulit. Gifanii liber, C. Marius filius. & sane antiquus loquendi modus. *Sic sibi deunxit*,] abest verbum Sibi a Gifanij libro. *P. Sulpicii*,] clari oratoris, quem Cicero loquentem induxit in libris de Oratore. *Interfectus*] cum de abrogando Syllæ, Mithridaticum bellum gerenti, imperio legem ferret. *Illius periculi*.] quod Sulpicij omnibus & amicis, & propinquis imminebat a victore Sylla. *Seruio*] prænomen familiare Sulpiciorum. Hic veteres libri habent, M. Seruio: quod mendosum videtur, cum duo prænomina simul esse non possint: nisi si hoc quasi priuilegium fuit eorum Sulpiciorum, quibus prænomen esset Seruius. nam veteres nummi reperiuntur, sic inscripti. L. SERVIVS. RVFVS. Cognomen autem Sulpiciæ gentis, Rufus, esse oratio nona in Antonium declarat. *Cinnano tumultu*] post obitum C. Marij septimũ consulis. *Obsequendi*] seruiendi. nam & Cicero, Obsequi valetudini, & Seruire valetudini, dixit. *Hostem iudicatum*] a victore Sylla, vrbem obtinente. *Magnam partem fortunarum*] quippe qui, præter Ardeatinum, & Nomentanum, rusticum prædium in Italia nullum habuerit. mobilia vero transijci facile possunt. *Præter gratiam*,] qua valebat adolescentulus. *Versuram facere*] mutuam pecuniam sumere, quæ cum fenore postea redderetur. Vsuram facere, antea mendose. *Neque eius condicionem aquam haberent*,] pecuniam enim non nisi iniquo fenore poterant inuenire. *Ipse se interposuit*,] ipse pecuniam dedit Athenensibus. Infra: Ille se interposuit, pecuniamque sine fenore, sineque vlla stipulatione credidit. *Qui modus*] male in quibusdam libris, Modius, legitur. nam, cum Nepos Romanam mensuram ad Græcam redigere vellet, Qui modus mensuræ, inquit, id est qui sex modij Medimnus Athenis vocatur. quod si, Modius, legatur, videbitur hoc dicere, modium Athenis Medimnum appellari: quod falsum esse constat: nam Medimnus Atticus sex modios capit. quod Suidas (vt alios omittam) plane docet. Gifanij liber,

liber, Septem modij tritici, habet distincte. *Communis infimis*] humanitate *Par principibus*] grauitate, quæ summa laus est, diuersam personam susçipere pro ratione temporum atque hominum. *Amitti ciuitatem Romanam alia adscita.*] quod verum est, vt intelligitur ex oratione pro Balbo. Alia adscita, pro, cum adsciscitur, cum assumitur alia. Vsitatius videbatur, In aliam adscito. adsciscimur enim nos in ciuitatem, non ciuitas adsciscitur: & Cicero pro Archia, Perficiam, inquit, vt hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit ciuis, a numero ciuium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse. Et pro Balbo: Modo adsciscatur ab ea ciuitate, cuius esse se ciuitatis velit. *Phidia*] Athenienſi. Memini, cum homo doctus legendum putaret, Piliæ: quæ fuit vxor Atticı: cum nulla sit mutationis causſa. nam & id, quod sequitur, Hunc enim in omni procuratione reipublicæ actorem, auctoremque habebant; ad Phidiam potius, quam ad Atticum, referri debet; & vxorem Atticus duxit aliquanto post quam Romam remigrauit. *Habebant.*] habebat, legendum putat Gifanius. vt ad Atticum referatur. *Munus fortunæ*,] quod potest omnibus contingere: itaque optandum potius, quam laudandum. quod vero sua prudentia Atticus effecerit, vt nobilissimæ omnium ciuitati cariſſimus ante alios vnus esset: id summa laude dignum. *Domum:*] cum in patria multi non habitauerint. *In eam ciuitatem*] Athenas. *Antiquitate,*] ideo Αὐτόχθονες, id est indigenæ, Athenienses dicti. Conditas autem Athenas ante vrbem Romam annis fere octingentis, proditum est. *Humanitate, doctrina,*] epistola prima libri sexti ad Torquatum: In ea vrbe es, vbi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ. Et in oratione pro Flacco: Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur. Et lib. 1. de Orat. Vt omittam illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas. *Vnus ante alios fuerit cariſſimus.*] Gifanij liber, Vnus ei fuerit cariſſimus. *Ex Asia*] Mithridate victo. *Sulla*] sic scribebant veteres, non Sylla, vitantes Græcas litteras in Romanis nominibus.

Decedens] proconsul. *Græce loquebatur*,] vnde fortasse adeptus est Attici cognomen. *Tanta autem erat suauitas sermonis*] Gifanij liber, Tanta autem suauitas erat sermonis. *Vt supra nihil posset.*] modus loquendi: & idem valet, Vltra. Cicero epist. 1. lib. 15. ad Att. Oratio scripta elegantissime sententijs, verbis, vt nihil possit vltra. Gifanij liber, Vt supra nihil posset addi. *Numquam a se dimitteret*,] addi malim, Eum, quam, subaudiri. Gifanij liber, Nusquam. *Noli, &c.*] quis probabit hunc modum loquendi, Noli velle? cum in Noli, includatur Velle. *Aduersum eos*] aduersum factionē Marianam, in qua fuerat P. Sulpicius, Attici affinis, vt supra demonstratum est. *Omnibus eius periculis*] Gifanij liber, In omnibus eius p. *Expatria fugienti*] P. Clodij rogatione pulso. *H-S CC & quinquaginta millia donauit.*] scutatorum septem millia, & quingentos. *Tranquillatis*] Sullæ rerum potito. Cicero in Topicis: Vt aut perturbentur animi, aut tranquillentur. *L. Torquato*] Attici familiarissimo, vt supra. *Quem diem*] Quem discedentem, postulare sententia videtur. *Q. Cæcilium*,] epist. 1. lib. 1. ad Att. *Familiarem L. Luculli*,] qui Mithridatem, Tigranemque vicit. Valerius Max. lib. 7. cap. 9. hunc Cæcilium, ait, cum semper ostendisset, velle se heredem relinquere L. Lucullum, Atticū reliquisse, præter opinionem omnium: sed eius cadauer populum Romanum reste circumdatū, per viam traxisse. *Testamento adoptauit*] propterea prænomen & nomen ab eo sumpsit Atticus. Vide inscriptionem epist. 20. lib. 3. ad Att. supra pag. 131. *Ex dodrante.*] dodrans nouem vnciæ sunt, id est nouem assis partes: &, vt As pro tota hereditate capitur, vnde dicimus, Heres ex asse; sic Dodrans pro nouem hereditatis partibus. *Centies H-S.*] centies centena millia nummum, id est, scutatorū trecenta millia. *Soror Attici*] Pomponia, de cuius moribus vide in epist. 1. lib. 5. ad Att. Cum ea postea Quinctus diuortium fecit. vt in epist. 13. lib. 14. *Id quod erat difficillimum, efficiebat, vt, inter quos tanta laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, esset que talium sororum copula.*] Simile illud infra: Hoc quale sit, facilius existimabitis, qui iudicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere vsum, beneuolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta

intercedebat, quantam &c. *Ciuilibus fluctibus*] maritimæ tempestati administrationem reip. confert. *More maiorum*,] sine fuco, & fallacijs. epist. 1. lib. 1. ad Att. Prensat vnus P. Galba, sine fuco, & fallacijs, more maiorum. *Effusis ambitus largitionibus*,] Gifanij liber, Effusi. *Neque geri*] Neq; rep. Gifanij liber. *Ad hastam publicam numquam accessit*,] bona ciuium Romanorum publicata, quæ ad hastam in auctione venibant, numquam emit. *Neque præs, neque manceps*] Præs est, qui, a magistratu interrogatus, præstaturum se promittit; Manceps, qui a populo aliquid emit, aut conducit. Varro, Festus. *Neminem suo nomine, neq; &c.*] Gifanij liber, Neminem neque suo nomine, neque &c. *Iudicium nullum habuit.*] opinor dici, iudicem inter litigantes Atticum numquam fuisse. *Præfecturas delatas*] præfecturas fabrum, quæ deferebantur honoris gratia. *Ne cum Q. quidē Cicerone*] fororis suæ viro. *In Asiam*,] quam post præturam Quinctus per triennium administrauit. *Eius obseruantia*] cum aliquem obseruaret. *Vsus est ætatis vacatione*,] per ætatem licuit ei esse otioso. *Neq; quoquam se mouit*] liber Gifanij, Neque se quoquam mouit. *Ad Pompeium*] in Græciam. *Coniunctum*] amicitia sibi coniunctum. *Non offendit*] Pompeianos tamen offendit, si verum est, quod scripsit Cicero epist. 6. lib. 11. Numquam de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. Et ibidem: De Fannio consoler te? pernicioſa loquebantur de mansione tua. Et proxime: Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. *Ornamentum*,] ornamentum & diuitias vocat. *Quorum partim*] pro, Partim alij, vt Phil. 8. Cum partim e nobis ita timidi sint, vt omnem populi R. beneficiorum memoriam abiecerint, partim ita a rep. aversi, vt se hosti fauere præseferant. *Summa cum eius offensione*] Cæsar enim, qui domi remansissent, amicorum numero se habiturum esse dixit; Pompeius, hostium. De bello ciuil. lib. 1. *Filiū Q. Ciceronem*] liber Gifanij, Filium, & Q. Ciceronem. vt intelligatur de vtroq; Quincto. *Brutos*] Marcum, & Decimum, qui cum C. Cassio, M. Bruti sororis viro, principes coniurationis in Cæsarē fuere. *Ad eum*] ad Atticum, propter amicitiam, quæ illi cum M. Bruto summa erat. Gifanij liber, Ad eos. *Ille adolescens*] cū Cæ-

sarem Brutus occidit, quadragenarius erat; præturam enim gerebat: & tamen adolescens vocatur. Hanc loquendi consuetudinem & apud alios notauimus, vt in Commentarijs, quos in Ep. fam. composuimus, ostendimus. *Quam hoc sene:*] Infra: Humanitatis nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullæ fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto. *Illius ordinis*] Gisanij liber, Eius ord. *C. Flauio,*] qui fuit postea præfectus opificum in exercitu Bruti. Plutarchus. Nominatur & a Cicerone in epistola ad Brutum. *Cum quoquam*] priuatim. *Coiturum*] in commune concilium. *Antonius,*] consul. *Prouinciarum,*] prouinciarum desperatis rebus: sic enim coniungo: vt sit sensus: Diffisi prouincijs, quæ illis datæ fuerant, in exsilium abierunt. Prouincias illis datas nominant Plutarchus & Appianus, Bruto Cretam, Cassio Libyam. *Dicis caussa*] sic omnino magis placet, quam, Necis caussa. non enim Antonius & Dolabella consules prouincias ob necem Cæsaris eis dederunt, sed vt eis caussam darent ab vrbe discedendi, ne quid ab irata plebe paterentur. nam, Dicis caussa, valet, ad speciem: vt vir doctissimus Lælius Taurellus primus obseruauit. Cicero in Verrem libro quarto, Vt posset dicere, se emisse. Archagatho imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum, dicis caussa daret. id est, non vt re vera emeretur argentum, sed vt emptum videretur. Plinius libro vigesimo octauo c. 2. Si pontifici id accidat dicis caussa epulanti. Arnobius initio libri quarti contra Gentes: An ita, vt assolet, dicis caussa &c. Est omnino obscurus hic loquendi modus, verum ita prisci illi Romani loquebantur. nam Varro libro quinto de lin. Lat. Et illa antiqua, inquit, Dicis caussa. Antiquum igitur erat, Dicis caussa, Varronis ætate. Idem infra: Dicis caussa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta semper. Suspicor etiam eiusdem esse generis illud pro Murena: Sed an ne tu, dicis qui caussa vindicaueris? Quod a Iureconsultis obscuritatis caussa vsurpatum, Cicero significat. *H-S. C. M.*] scutatorum tria millia. *CCC.*] trecenta millia nummum, scutatorum nouem millia. *Apud Mutinam:*] obsidente D. Brutum Antonio. nota res. *Dr-*

uum]

uinus] a diuinatione, non a diuinitate: vt infra cognoſcitur. *Agetur*] Gifanij liber, Agitur. *Hoſtis Antonius iudicatus*] maxime Ciceronis opera: cuius exſtant in illum orationes. *Italia ceſſerat:*] prœlio victus ad Mutinam a Panſa & Hirtio conſulibus, & ab Octauiano, cauſſam reip. defendentibus. *Qui aduerſarijs eius ſe dabant,*] ſic Cicero locutus in epiſtola ad M. Cœlium libro ſecundo: Da te homini: complectetur, mihi crede. *Commoditatem,*] Gifanij liber, Commendationem. Verum in ſpacio, quod verſus dirimit, legitur, Vel Commoditatem. *Sequebantur,*] pro, inſectabantur, ſtudio nocendi. Gifanij liber, Inſequebantur. *Fuluiam*] quæ fuerat vxor primum P. Clodij, Ciceronis inimici, deinde C. Curionis, qui perijt in Africa Cæſariano ciuili bello. *P. Volumnio*] præfecto fabrum Antonij, ad quem ſunt epiſtolæ Ciceronis libro ſeptimo fam. *Præſtiterit vadimonium*] quanto melius, ſi per veteres libros liceat, Stiterit vadimonium. Cum hæc ſcripſiſſem, incidi in librum G.fanij, in quo, Stiterit vadimonium, perſpicue legitur. *In diem,*] vt ſolueret poſt aliquod tempus. *Verſuram facere*] mutuam pecuniam a feneratoribus ſumere. *Ille ſe interpoſuit,*] ſic & ſupra locutus. *Sine vlla ſtipulatione*] ſine vlla promiſſione per ſtipulationem facta, qua ſibi de recuperanda pecunia caueretur. *Senſus eius*] liber Gifanij, Senſim is. *Ille autem ſui iudicij,*] pro, ſuum iudicium, non alienum, ſequens; a ſe ipſo, non ab aliorum opinione, pendens. *Conuerſa fortuna eſt.*] Gifanij liber, Conuerſa ſubito fort. *Imperatorum*] Octauiani, Antonij, Lepidi, qui, ſocietate aduerſus libertatem inita, exercitus ad vrbem duxerunt, plurimoſque ciues, bene de rep. ſentientes, & maxime ſuum quiſque proſcripſit inimicum. Eoſdem infra Imperatores appellat. *Gellium Canum*] liber Gifanij, Gellium Canum. *Suis amicis*] Gifanij liber, Eius amicis. *Se eum, & Gellium Canium*] Gifanij liber, Se eum, & illius Canum. *Præſidio fuit.*] Gifanij liber, Præſidium fuit. ſed in ſpatio, quod verſus dirimit, ſcriptum eſt, Vel, præſidio. *Conjunctim*] Gifanij liber, Conjuncti. *Vt ſe emerſerat,*] pro, Vt emerſerat. Cicero de Haruſp. reſp. Iſta ſerpens, quæ hic deliteſcit, tum ſe emergit, & fertur

illuc. Simile est, Erumpo. nam &, Erumpit malũ, &, Erumpit se malum, dicitur. Cœlius epist. 14. lib. 8. ad Ciceronem: Sicilli amores, & inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit. Et Virgilius lib. 1. Georg.

densa inter nubila sese
Diuersi erumpunt radij.

Emerserat] liber Gifanij, Emersierit. *In Epirum*] in qua possessiones Atticus habebat. *Qui etiam*] hoc ad proxima superiora referri non potest: sed ab eo, multis verbis interpositis, pendet, Nihil aliud egit, &c. *A. Torquatum*] ad quem sunt Ciceronis epistolæ lib. 6. fam. *Instituerit tueri,*] Cicero lib. 3. de Orat. Crassum institit coercere. Liber Gifanij, Instituerit. *Samothraciam*] quo confugerant post Philippense prœlium. *Difficile enim est*] abest verbũ Enim a vetere Gifanij libro. *Temporariam*] exigui temporis. Vsus est vterq; Plinius hoc verbo. *Non florentibus se vendidauit*] non ostendit se fauere florentibus, & eorum fortunam sequi. *Seruiliam*] & Plutarchus eam Bruto superstitem fuisse auctor est. *Quo ad ille gratus erat,*] quamdiu gratiam referebat is, qui acceperat. nam, si gratus ille nõ erat, qui acceperat; nec ipse, quæ tribuerat, recordabatur. ita, cum grati animi significatione delectaretur; si quis tamen ingratus esset, non offendebatur. *Sui cuiq; mores fingunt fortunam*] infra: Lectores docebimus, suos cuique mores plerumq; conciliare fortunam. Hinc Iuuenalis:

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed nos
Te facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

Gifanij liber: Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus. *Prius ille fortunam*] Gifanij liber, Ille prius fortuna. *Ne qua in re plecteretur.*] ne quid committeret, quod nocere sibi posset: ne qua culpa sibi malum strueret. Gifanij liber, Ne qua in re iure plecteretur. *M. Vipsanius Agrippa,*] cuius hodieq; monumentum insigne templum Pantheon, Ioui Vltori dicatũ, Romæ exstat. *Equitis R. filiam*] quam Atticus vnicam habuit. *Generosarum*] quibus clari parentes, aut maiores fuissent. *Non enim est*] Gifanij liber, non est enim. *Triumvir reip.*] & nummi antiqui, & lapides Capitolini, & ipsa historia docet, omnino legendum,

R. P. C.

R. P. C. id est, Reip. constituendæ. *Vsus sit ea*] ea gratia. *Sub ipsa proscriptione*] in ipsa proscriptione, dum proscriptio fuit. *Studio ductus philosophiæ*,] eius philosophiæ, cuius auctor fuit Epicurus; in qua hæresi Atticus quoque fuit. Cicero epist. 1. lib. 7. ad Att. Dederam equidem L. Saufeio litteras; sed, vt philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. Et epist. 6. lib. 4. Ipsius vicem minime dolemus, non vt Saufeius, & vestri. Quibus verbis, & Saufeium, & Atticum Epicureos fuisse, demonstrat. Epicurei enim sua tantum curabant, alienam vicem non dolebant. *L. Iulium Calidum*] Gifanij liber, L. Iulium Calidium. *Elegantissimum poetam*,] cuius hodie poema nullum, ac ne mentio quidem, quod ego sciam, apud quemquam reperitur. *Post proscriptionem*] Gifanij liber; Quem post proscriptionem. *Equitum*,] inter quos fuit Iulius Calidus. proscripti autem sunt equites a triumviris, quia fauerant interfectoribus Cæsaris. Supra: Excogitatum est a quibusdam, vt priuatũ æra-rium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. *In præsenti*] tum, cum amicum suum ab imminenti periculo liberauit. *Neq; vero minus*] abest verbum Minus a vetere libro Gifanij, vt sit præcisum loquẽdi genus. *Nemo illo minus fuit emax*,] quæ magna laus est in patre familias. Itaq; Cato, Patrem familias, inquit, vendacem, non emacem, esse oportet. Et Cicero in Paradoxis: Non esse emacem, vectigal est. *Minus ædificator*:] infra: Nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam habuit. *Omnibusque optimis rebus vsus est*.] quia dixerat, Nemo illo minus fuit emax: veritus, ne quis eum sordidum fortasse quendam, aut in victu restrictiorem, quam deceret, fuisse crederet, quasi correctionis loco intulit, omnibus tamen eũ optimis rebus vsum esse. *In colle Quirinali*] vnde illud ep. 44. lib. 12. ad Att. De Cæsare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis litteris. eum συνναον Quirini malo, quam Salutis. *Cæcilianam*,] aut hoc abundat, vt glossema sequentium verborum: aut vulgatum eius domus nomen ponere Nepos voluit. liber Gifanij, Tamphiliana. *Familia*] serui significantur, vt alibi. *Forma*,] specie. *Qui non vultumque horum pulchre facere posset*,] qui non & anagnostæ, & librarij, si opus esset, officio fungi posset. *Artifices*

ceteri, quos cultus domesticus desiderat,] qui sunt hi? anagnostæ iam nominati sunt, & librarij, & litterati serui; superfunt glutinatores librorum, medici, coqui, sutores, tonsores, balneatores, condi, cellarij, promi, procuratores peni, atriensses, mediastini, alij præterea. *Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum,*] hoc illud confirmat, Nemo illo minus fuit emax. ostendit enim Atticum seruis vsum esse non peregrinis pretio emptis, sed vernis. *Domi factum,*] domi eruditum. hoc ad Attici diligentiam pertinet; illud, Domi natum, ad continentiam. *Elegans, non magnificus,*] elegantiæ studiosus, quæ modum non præteriret. *Omni diligentia*] Gifanij liber, Omnique diligentia. *Terna millia aris, peraque in singulos menses*] verisimile vix videtur. nam tria millia assium, scutati dumtaxat triginta sunt. ita cogemur credere, expendisse Atticum singulos scutatos singulis diebus, nihil amplius: quod vel si in opsonium tantum expendatur, parum omnino videri possit. nisi si quis hoc dicat, multo, quam nunc, viliorem annonam eo tempore fuisse: quod tamen ex Varrone, Plinio, & alijs falsum esse constat. Quare, si tollatur, Æris; multo similior summa fiet: subaudietur enim Nummum: & ita erunt scutati nonaginta. *Aliud ἀκρόαμα*] cum sequatur, Anagnosten, apparet hic, ἀκρόαμα, sumptum esse non pro re, quæ recitatur, sed pro eo, qui recitat: vt in oratione pro Sextio: Non solum spectator, sed actor, & acroama. *Sine aliqua lectione*] sine anagnoste. *Cenatum est:*] nam prandium non dicitur conuiuium: & parce veteres prandebant, cenabant largius. *Tanta pecuniæ accessio*] ex auunculi hereditate. *In H-S vicies*] in scutatis sexaginta millibus. *In H-S centies*] in scutatis trecentis millibus. *Pari fastigio*] eadem semper vsus moderatione. *In vtraque fortuna*] & in H-S vicies, & in H-S centies. *Nullos habuerit hortos*] liber Gifanij, Nullos habuit hortos. *Ardeatinum*] liber Gifanij, Arrentinum. ex quo Gifanius legendum putat, Arretinum. *Vrbanū*] erant enim & rustica, & vrbana prædia, sed vrbana viliora. *Eum vsum*] G fanij liber, Vsum eum. *Non magnitudine, sed ratione*] sumptus enim nihilo maiores fecit in H-S centies hereditate relictis, quam facere solitus erat in H-S vicies: contra quam

tra quam in pleriſque euenit; quorum auctis copijs, libido ſimul augetur. *Eius comitas non ſine ſeueritate erat, neq; grauitas ſine facilitate:*] quod præſtare ſummæ prudentiæ eſt: natura enim in alterutram fere partem inclinamus. Eadem laude Cicero ornat Sex. Aufidium in epiſtola ad Corniſicium: Eſt, inquit, ita temperatis moderatiſq; moribus, vt ſumma ſeueritas cum humanitate iungatur. Et ad Q. fr. ep. 1. lib. 1. Hæc illius ſeueritas acerba videretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur. *Religioſe*] non temere, ſed cum quadam religione, conſiderata primum facultate rei, quam rogabatur. *In nitendo quod ſemel admiſiſſet,*] videtur hoc paullo durius: nam Niti aliquam rem, vſitatum non puto. Quod ſemel admiſiſſet, valet, quod ſemel, facturum ſe, pollicitus eſſet. Gifanij liber, Annuiſſet, pro, Admiſiſſet. *Ciceronum, Marij,*] Marci, & Quincti, fratrum. *Catonis, Marij,*] miror, cum prænomen addiderit Hortenſio, & Torquato, cur omiſerit Catonis, & Marij. præterea Marius, quem ſupra legimus Attici familiarem fuiſſe, perijt Attico admodum adoleſcente. quare placeret potius, M. Catonis, quam, Catonis, Marij. Cum hæc ſcripſiſſem, reperi ſcriptum in Gifanij libro, Catonis Marci. *Sexdecim volumina*] pro, ſexdecim libros: nam ſinguli libri ſingulis voluminibus continebantur. Plinius quoque ſuos de Naturali hiſtoria libros appellat Volumina. *Ab conſulatu*] quædam etiam ante conſulatum, nonnullæ & in prætura ſcriptæ, vt oſtendimus in Commentarijs. *AEmulationibus Reip.*] liber Gifanij, Mutationibus Reip. *Se numquam cum matre in gratiam redijſſe,*] conſequens poſuit pro antecedente. nemo enim in gratiam redit, niſi qui prius iratus erat. *AEtate æqualem*] abeſt, Ætate, a Gifanij libro. *Neq; id fecit natura ſolum, ſed etiam doctrina.*] ex vtraque enim abſoluta virtus exoritur. Cicero pro Archia: Idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. In epiſtola quoque ad Catonem: Si quiſquam fuit vmquam remotus & natura, & magis etiam, vt mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude & ſermonibus vulgi; ego profecto

is sum. *Magistratus ornauit.*] ornamenta magistratuum exposuit. * *Neque res illustris est populo R.*] hic videtur esse liber ille, de quo in Bruto sic: Omnium rerum memoriam breuiter & perdiligenter complexus est. Et in Oratore: Cõseruatis, notatisque temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit. Gifanij liber, populi R. *Iuniam familiam*] ex qua fuit M. Brutus. *Marcelli Claudij*] cognomen nomini præposuit, vt proxime infra, Scipionis Cornelij: quod alij quoque interdum fecere. *De Marcellorum:*] non dixit de Claudiorum, ex qua gente Marcelli fuere, sed, De Marcellorum, vt proprie Marcellos indicaret: cum eiusdem Claudiæ gentis, præter Marcellos, alij quoque fuerint, vt Pulchri, & Nerones, vtrique patricij; Marcelli vero plebeij. Si quis autem hoc, De Marcellorum, vnde regatur, quærat, fortasse non inueniet: quid significetur, tamen constat. *Scipionis Cornelij*] fortasse qui socer fuit Pompeij Magni. *Fabij Maximi,*] opinor qui consul cum C. Cæsare fuit, & vltimo consulatus die mortuus est. epist. 30. lib. 7. fam. *De Fabiorum,*] abest, De, a libro Gifanij. *AEmiliorum.*] Æmilij ad Scipionem nihil pertinent: Corneliorũ malim. *Credimus, ne eius expers esset suauitatis.*] excusatio quædam, quasi parũ viro graui conuenire videretur, versibus operam dare. propterea verbo quoq; vsus est, operam, studiumque minuente, cum dixit, Attigit poeticen, non Complexus est, Coluit, & similia. *Liber Græce confectus de consulatu Ciceronis.*] epist. 1. lib. 2. Puer tuus mihi litteras abs te, & Commentarium consulatus mei, Græce scriptum, reddidit. Et infra ibidem: Illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atq; incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta contempserant. *In affinitatem peruenit Imperatoris,*] quia neptem Attici, ex Agrippa natam, vix anniculam, Cæsar Ti. Claudio Neroni, Drusillæ filio, priuigno suo, despondit. *Diui Iulij filij,*] filij adoptiui, cum ex eius sororis filia natus esset. Gifanij liber, Diui filij. *Dignitate pari, fortuna humiliores.*] vtrũ hos Attico, an Cæsari comparat? si Attico; quo modo dignitate pari? non enim eques Romanus tot consularibus viris dignitate cõparandus. quo modo etiam fortuna humiliores? principes enim ciuitatis

humili

humili fortuna nō sunt, si comparentur Attico. Aptius igitur imperatori comparantur; a quo fortuna quidem vincuntur, dignitate tamen, quæ a fortuna non pendet, sed oritur ex rebus & honoribus bene & e rep. gestis, pares sunt. Hoc apparet ex ijs, quæ sequuntur. *Cæsarem*] qui nondum Augustus, viuo adhuc Antonio, vocabatur Gifanij liber, Cæsarum eum est cons. *Quod ciuis*] Gifanij liber, Quod nemo adhuc ciuis. *Collocauit*,] Gifanij liber, Collocarat. *Claudio Neroni*] qui post Augustū imperauit. *Necessitudinem*] summam amicitiam, quæ iam erat inter eos. *Suas infinitas occupationes*] Gifanij liber, Infinitas suas occ. *Nullus dies temere interceßit.*] pro, nullus fere dies. Cicero epist. 1. l. 1. ad Q. Fr. Qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris non temere, nisi libertis suis, deferebant. *AEdes*] Gifanij liber, Ædis. *Ex vltimis terris*] ex Ægypto. *Nactus est morbum*,] pro incidit. Suetonius in Tito: Nactus est febrim. Terentius in And. More hominum euenit, vt, quod sim nactus mali, prius resciscere tu, quā ego, quod tibi euenit boni. *Putarunt esse τενασμὸν*,] legendum arbitror, τφνεσμὸν, vel τφνεσμόν: cum ἀπὸ τε τείνεσθαι deducatur. Est autem morbus e phlegmate viscoso & salso, in extremis intestinis congregato; quo generatur corporis purgandi cupiditas, nec tamen egeritur quicquam nitendo. Gifanij liber, latinis litteris, habet, Tenesmon. *Sine vllis doloribus*] hoc signo licuit intelligere, τφνεσμὸν non esse. nam is morbus dolore numquam vacat, vt docet Cornelius Celsus. *Fistula putris eruperit.*] quæ nasci non solet ἐκ τε τφνεσμε. itaque falsa duplici signo medicorum illorum coniectura. Gifanij liber, Fistulæ puris eruperit. *Accersiri*] liber Gifanij, Accersi. *Cornelium Balbum*,] Gaditanum, Attici familiarē, vt Ciceronis epistolæ declarant. Pro eo extat oratio. *Peducaum.*] & hic Attici perneccessarius. ep. 1. l. 10. *Nixus*,] liber Gifanij, Innixus. *Nihil opus est*] liber Gifanij, Nihil necesse est. *Dehortando conemini.*] liber Gifanij, Dehortando impedire conemini. *Tum quoque*] licet graui morbo. *Temporibus supereße*] vitæ spatio. *Depreßit.*] plus est, quā Contempsit. *Iuxta viam Appiam*,] sepeliri enim intra vrbem & lex XII. tabularum & decreta pontificum vitabant. nonnullis tamen, vt Fabricio, virtutis caussa tribu-

tum, prodidit Cicero lib. 2. de leg. Id & C. Poblicio datum a Senatu sequens indicat inscriptio, sub Capitolio, ad Forum Traiani.

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. ÆD. PL. HONORIS. VIRTVTISQVE. CAVSSA. SENATVS CONSVLTO. POPVLIQVE. IVSSV. LOCVS. MONVMENTO. QVO. IPSE. POSTERIQVE. EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBO-
RVM.

ABsolutio 583
A. antiquo. V. R. Vti rogas 35
Abderitarum stupor & insania 180
Abrogare & Antiquare verborũ differentia 31 & 134
Academia, Ciceronis villa, porticu & nemore celebrata, Athenienſium gymnaſiũ 11, 16
Academici Ciceronis libri 487, 499, 587
Accumbebant veteres in lecto poſt balneum, cibi capiendi gratia 532
Ἀκνδία, torpedo 462
Achæi poſt pugnam Pharſalicam primum in Achaia remanſerant: deinde in Aſiam iuerant, vt a Cæſare veniã impetrarent 376
Acidinus, Manliorum cognomen 149
Acrimonia, ſiue Acrunomaſaxa 519
Aculanus, vel Herculanius 598
Acutiliana controuerſia 15
Adoptatus a quo prænomẽ, nomen, &c. accipiat 114 233
Ædes Concordiæ 75
Ædes Salutis, in Quirinali colle dedicata 141
Ædiles ſollemnes ludos curabant 523
Ædiles pl. ideo creati ſunt, vt tribunorum pl. tamquam miniſtri eſſent 615
Ædilitas tribunatũ annointerecto ſequebatur 105. a conſulatu quinquennium diſtabat 154. petebatur anno XXXVI. 509
Ædilitas erat in Arpinati municipio: alius magiſtratus præterea non creabatur 581
Ædui, fratres populi R. 61
Æduorum & Sequanorum bellum 61
Ægrotatio, corporis; Ægritudo animi 311, 481
Ægypta, liberti nomen, a regione 297
Æmilia, Scauriſoror, Pompeij vxor 177
L. Æmilius Paullus 114. duas baſilicas, veterem reſtituit, nouam exſtruxit 187
M. Lepidi frater, in conſulatu collega C. Marcelli 541
Æquinoctio tempeſtas non ſolet eſſe ad nauigandum idonea 349
Ærarium 46. primum 275.

ex annua vectigalium pecunia 276. ex auro vicesimario, ibid.
Ærati, & Ærarij tribuni, qui 39
Æs Corinthium, probatissimum 78
Æstimatio, pro re æstimata 439
Æstuare dicitur, qui dubitatione angitur & inopia consilij 272
L. Afranius, Auli filius 46, 58. Pompeij potissimum opera ad consulatū peruenerat 68. Pompeij legatus cum duobus legatis Hispaniam administrabat 338
Africani statua 232
Africanus Æmilianus censor fuit cum L. Mummio 233
Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus repertus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniæ vxoris, cuius fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, iure sibi cæsum videri 336
Ager post pomeria vocabatur Effatus, vbi captabantur auguria 521
Agrarij 619
Agripetæ 592
Agrippa Pantheon condidit 211
Agri Campani diuisio. 89
Agri publici, de hostibus capti, tria genera 99
Ahalæ & Bruti, vindicum libertatis, nomina, ab Attico Athenis posita in Parthenone templo 518
Alaudarum legio vnde dicta 608
C. Albanius 508
Albianum negotium 559
Alchandonius Arabs 543
Alciphro 545
Alexander, poeta 111
Alexandrinæ litteræ, Epiroticæ litteræ, &c. 364
Alexio, Ciceronis medicus 565
Alexionis epistolæ 499
Alienari cum datiuo 311
Alieni 529
Aliphera, opidum maritimū 237
A. Allienus 579
Allobroges qui 9
Alpheus fluuius 405
Amalthea, in Epiro, Attici villa, Ciceronis gymnasium, studijs & libris dicata 28, 49, 77, 95
Amanus mons 213
Amor plausu, odium sibilo significatur 46
Amphiaraus 383
Ampius 293
Anatocismus anniuersarius 226, 238
Anci Carseolani testamentum, a Pompeio Magno signatum

signatum 498
Andromenes 497, 498
Ανεπιτράσαμην 33
Animi æqui & integri laus 190
Animi sedes est in cerebro, quo pertinēt fere omnes venæ 279
Animus curis æque exercetur, vt labore corpus 279
Annalis Libonis 508, 523
C. Annius Milonē adoptauit, qui antea fuerat ex Papia familia 149
T. Annius Milo, a quibus accusatus 129. a C. Annio adoptatus 149. eius fortitudo 152. Massiliæ exsulabat 201
Annius, non est prænomen, sed nomen, id est familia 227
Annonæ caritas tumultum excitat 142
Annus XLIV. ad petendum consulatum legitimus 7
Annus Metonis 402
Ante diem IV. V. VI. &c. Kal. locutionis explicatio 91
Antilibanus, mons 102
Antiquare & abrogare verborum differentia 31 & 134
C. Antistius Vetus 543
Antium, locus, quo nobiles Romani animi gratia se conferebant 70
Antius Restio 181
C. Antonius 9. Ciceronis in ædilitate, prætura, consulatu collega 2. a Cicerone in senatu defensus 25. dedit Apollinares ludos 536. a Marco fratre in Macedoniā missus 25, 578. septemvir 584
L. Antonius, tribunus pl. 561, 562. Marci frater 572. septemvir agris diuidundis, agri Buthrotij diuisionem vrgebat 580
M. Antonius, Teucris dictus 25. a Cæsare in Gallia hibernis præfectus 247. tribunus pl. 265. eū Cæsar in Hispaniam contra Pompeij legatos proficiscens, Italię præesse voluit 336. curru leones iunxit, 346. edixit, ne cui ex ijs, qui cum Pompeio contra Cæsarē in bello fuissent, liceret esse in Italia, excepto Cicerone, & Lælio 366. Roma profectus, vt in Hispaniam ad Cæsarē iret, mutato deinde consilio, reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, & noctu vrbem introiuit 426. Antoniam, C. Antonij filiā, repudiat 548. ei cum Fuluia, ante nuptias cōsuetudo fuit 549. arbitratu suo in Cæsaris commentarijs delebat, & reponebat 551. eius immoderata licentia vnde 553. eius

553. eius mater L. Cæsarem, fratrem suum, proscriptũ seruauit 557. magnam pecuniæ partem, a Cæsare relictæ, interuertit, ad seq; transtulit 558. Dolabellã, collegam suũ, magno ære oppressum, pecunia a Cæsare relicta, & ad se transiata, ad suas partes traduxit, ibid. Cytheris dictus 587. cũ Armeniam Deiotaro, accepta grandi pecunia, venderet, dixit, se restituere ex Cæsaris libellis 601
Aonũ regio cantoribus celebrata, ideoq; in ea cornua præclarissima 220
Apamea 192, 193
Apenas 165
Apollinares ludi 107. C. Cassij, prætoris vrbani, nomine, a C. Antonio, eius collega, dati 536
Apparate 532
Appellare, verbum creditorum 211
Ap. Claudius Pulcher, consul 26. P. Clodij frater 129. proconsul, prouinciam Ciceroni traditurus erat 207 eum, a Dolabella accusatum, omnibus officijs Bruti maxime caussa, Cicero subleuauit 242
Ap. Pulcher & Domitius Ahenobarbus cos. Memmio & Domitio Caluino consulatũ pactione pollíciti sunt 177
Appij maioris dictum in senatu 100
Appuleia quisnam dictus 171
Ἀπροσδιόνυσον 612
Apud te, id est domi tuæ 120, 172
Aquæ Baianæ 44, 550, 580
C. Aquillius Gallus, iuris scientia clarus 3. Ciceronis in prætura collega 3, 171
Arabarches cur Pompeius dictus 105
Arati versus a Cicerone conuersi 582
Arcano, pro Arcane 185, 306, 600
Arcanum, Quincti fratris prædium 609
Arcanus pagus 194
Archias, poeta 50
Archimedis quæstiones 403
Architecti quatuor; Cyrus 82. Chrysippus Vettius 85. Cluatius 425. Chrysippus, Cyri architecti libertus 505
Ardeæ & Nomenti Atticus habuit prædia 155
Ἄρρητος πάγος 34
Arethusa fons 405
Areus & Eutychides, liberti, Attici res agebant Corcyræ & Sybotis 202
Argentarijs datur aliquid, cum

eum pecunia permutatur 411
Argutum valet tenue & subtile 244
Ariobarzanes rex 211. Ciceronis tutelæ commissus, ibidem. soluit vsuræ nomine singulis mẽsibus talenta Attica XXXIII. 225
Ariobarzanes tres in Cappadocia regnauerunt, postea redacta est in formam prouinciæ 216
Ariopagitæ qui 41, 174. eorum Consilium a Solone Athenis constitutum 34
Ἀριστοκράτεια 33
Aristophanes 413
Aristoxenus, musicus 508
Aristus, philosophus 204
Armenia minor a Cæsare mortuo adempta; mox, Cæsare mortuo, per Antonium, quasi e Cæsaris commentarijs, restituta 548
Armis cum res geritur, Fortuna dominatur 202
Arpinates summos apud Ciceronem deponunt 581
Arripere 603
Arrius 90
Artauasdes, Armeniæ rex 218
Artem, quam non nouerit, nemo exerceat 203
Articulate, valet distincte 245
Articulus in oratione quis sit ibid.
As, fenus: centesimarum vsurarum omnium grauissima 24
Asia, in Græcia esse dicebatur, & Græco sermone Asiatici omnes vtebãtur 38. eam Quinctus per triennium administrauit 37
Asiatici, quia Græco sermone vterentur, Græci dicebantur 38, 207
Asinius Pollio 592
Assis aut Libræ nomine significatur hereditas vniuersa 255, 528
Atedius 438
Atedius Cæsar 404
C. Ateius Capito 619
Athenæ a Minerua conditæ & nominatæ 16
Athenarũ arx Cecropia 250
Athenienses in peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueuerant 611
Atia Augusti mater 292
Atia, Cæsaris sororis filia, Octauiani mater, a L. Marcio Philippo in matrimonium ducta 418, 531
Atilius, ferreus scriptor a Licinio vocatus 562. eius verba ibid.
M. Atilius Regulus 611
Sex. Atilius Serranus 145
Atius Balbus, maternus auus Augusti, in XXviris fuit 96

Atreus, Attij tragœdia 549
Attalus, Asiæ rex 193
Attica, Attici & Piliæ filia, M. Agrippæ vxor 255. ægrotans 423
Attici mater 20
Pomponio Attico omnis pecuniæ reditus in Epiroticis & vrbanis possessionibus constabat 18. ciuitatis beneficio, ab Atheniensibus delato, vti noluit 40. equestri loco natus 51, 230. eius commentarius de consulatu Ciceronis 70. eius oratio horridior 71. eius mater vixit annos xc. 84. Nomenti & Ardeę prædia habuit 155. epicureus 157. amicus Messallæ 206. equestri loco natus 230. Thesprotia possessiones habuit 255. antiquitatis indagator & cognitor 436. eius liber ibid. eius domus, in colle Quirinali 463. Seruiliæ pecuniam numerauerat, quam illa Bruto daret, in Asiam proficiscenti 583. quæ minus probabat in Ciceronis libris, ea notare miniata cera solitus erat 609
Attici librarij, Pharnaces, Antæus, Saluius 523.
Attici seruus amanuensis, Alexis 217. Alexius 418. Antiochus, litteratus 511. Athamas 418. Eutychis 174. Nicanor 197. Tallumetus 206
Attij tragœdia Atreus 549. Tereus 597, 603.
Attius Nauius, Tarquinio Prisco Romæ regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit 334
Attributa pecunia 580
Attributio 596
Auctio 402
Auctionis magister quis dicatur 10
Auctoritas senatus quid sit 196
Auctor quis proprie dicatur 130
Augures erant xv. amplificato lege Syllæ dictatoris Collegio; cum antea ix. omnino essent 310
Augures creati collegis cenã dabant: vnde, Auguralis cena 421
Auguria, ab Hectore contempta 84
Augurium optimum, certare pro patria ibid.
Augusti flamen 115
Aurelianus Imperator eã cõdidit mœnia, quibus nunc Roma sæpta est 512
L. Aurelius Cotta 490
Aurelius Montani absentis nomine, Romæ soluit 617
Aurum vicesimarium, in ærario sanctiore, ad vltimos

mos Reip. casus, seruari solitum 101
Auspicari de cælo, solis magistratibus concessũ 150. ijsdem de cælo comitijs auspicari leges prohibẽt 151, 181
Auspicia ad Patres quando redire non poterant 183
Autroniana domus 31, 32
P. Autronius, vnus ex coniuratis 119
M. Axianus 591
Axianus Gallius 348
Axius, senator 126, 175

BAianæ aquæ 44, 550, 580
Baianus sinus 550
Balbi quatuor 292
Balbus a Pompeio ciuitate donatus 83. eius apud Cæsarem auctoritas summa 495. Cæsaris amicissimus 562
Barbam alere, apud Romanos moris non erat 34
Barba Cassius 531
Baro mulier, philosophiæ studiosa: & Barones qui 205.
Basilicæ Porciæ & Curiæ incendium 551
Bassus Lucilius, malus scriptor 406
Bellaria mellita quæ 70
Bellator, vtilissimus Reip. 295
Bello ciuili nihil miseri 293
Bellorũ dubius euentus 554
Bellum Æduorum & Sequanorum 61
Bellum ciuile, ex qua primum radice emanatum videatur 52
Bellum Mithridaticum 9
Bellum Parthicum 501
Bellum seruile, Pompeij aduentu sublatum 33
Bene narras, & Male narras, eleganter dictum 614
Bene olere 70
Bernardus Iustinianus 590
Beroaldi error 5
Bibulus armis foro expellitur 93. consul, domo abditus, per edicta obnunciabat 110. domi inclusus, consulatum peragit 112. proconsul in Syriam iturus 198. triumphi cupiditate adductus, voluit cum obscuris, paucis, infirmis hostibus confligere 213. equitibus grauis inimicus 230
Bibuli & Ciceronis exceptiones 231
Blesamius & Hiera, Deiotari legati 601
Bona dea 74, 84
Bonæ deæ ædem virum intrare, religiosum fuisse 27
Bonę deæ sacra a viris adspici, nefas apud Romanos erat 26. pro populi salute eidem supplicabatur, ibidem

Bouilla pugna, quæ nam dicatur 206
Brachio molli 75
Brinniana auctio 523
Brinnius 483
Brundisium deducta colonia 141
Brutus Tarquiniũ eiecit 518
M. Iunius Brutus 535. Cæsarem occidit 114. Appij gener 210, 240. ab auunculo Cæpione adoptatus 233. eius epitoma 409. Cæsaris interfector 421. dimissa Claudia, Appij filia, Porciam duxit, Catonis Vticensis filiam 477, 517. Seruiliæ filius, Catonis vterinæ sororis 517. a Bruto, qui Tarquinium eiecit, paternum genus ducebat; maternum ab Ahala, qui Q. Melium, regnum appetentem, occidit 519. orationis vim, & sententiarum grauitatem cõtemnebat, Atticos oratores imitabatur, humili quodam in genere versantes 562. eius edictum 561. Stoicus 562.
D. Brutus 572. eum, Celtica prouincia nõ decedentẽ, armis expellere parabat Antonius 609
M. & D. Bruti 553
Brutus, quo tẽpore a Cicerone conscriptus 111.
Bucilianus & Sextius ex percussoribus Cæsaris fuerunt 583, 602
Budæi error 430
Buthrotij 546, 549, 554
Buthrotum opidũ 121, 164
CÆcilia, Attici filia 240
Cæcilius 9
Cæcilius, fenerator 24
Cæcilius Atticum testamento adoptauit 110
L. Cæcilij prętoris domum multitudo annonę caritate cõcitata oppugnat 142
Q. Cęcilius Bassus 543, 580
Q. Cæcili⁹ Metell⁹ Celer 53
Cærellia 467, 494
Cæsaris flamen 115
Cæsar & Bibulus 83, 86
Cæsar & Figulus cõsules designati 13
Cæsaris, Pompeij, & Crassi inter se inuicem gratificatio 90
Cæsaris & Pompeij diuersa officia 89
C. Iulius Cæsar, proscriptus, seruatus a Iulia 6. eius vxor, a P. Clodio in sacris Bonæ deæ stuprata 27. Pont. Max. factus in locũ Metelli Pij, ibid. equestrẽ ordinẽ quo modo sibi cõiunxerit 52. Lucceiũ collegam malebat in consulatu; vt qui nõ dubitaret, Bibulum, optime de rep. sentientem, suis actionibus aduersaturum 54. in consulatu acta Pompeij sanxerat,

ſanxerat, legibuſq; firma uerat 97. ante quam legem agrariã ferret, ſcriptam in ſenatu recitauit; ſi quis quid improbaret, correcturum pollicitus: præter Catonem, contra nemo dixit 101. ſeruante de cælo Bibulo, leges tulit 102. Bibulum armis foro pepulerat, M. Catonem, optimum ciuem, in carcerẽ duci iuſſerat 110. matrimonium ambiens, repudiatur 111. Galliatũ proconſul 113. Seruiliæ, Bruti matris, amator 115. eius & Pompeij cũ Spartanis cõparatio 117. eius inimici qui 156 in Britanniã cum legionibus traijcit 178. eius munificentia in ædificando 236. Ra uennæ quotannis ad conuentus agendos venire ſolitus erat 252. ei conſulatum, lege lata a x. tribunis pl. populus conceſſerat, ibidem. per decennium Galliam obtinuit, contra legem Sempro-niam 264. eo conſule, Pompeius ſe cum eo affinitate coniunxit, Iulia uxore ducta 271. eius clementia 272. lege agraria promulgata, obnuncian-tem collegam armis foro expulit 285. eius vitupe-ratio 289. eius vigilantia 299. Piſiſtrato ſimilis 299. ſceleratus 311. eũ M. Lepidus prætor dictatorẽ dixit 320. Curioni Siciliã prouinciam aſſignauerat, quam proprætor admi-niſtraret 328. Q. Fuſium Calenum, victo in Phar-ſalia Pompeio, Achaiæ præfecerat 377. eius for-tuna quot in locis pa-rum ſecunda fuerit 378. prætor deſignatus, quo tempore de coniuratione Catilinæ ſententiam di-xit 431. ter cum ciuibus depugnauit 455. eius Anticatones 456, 530. eius ſtatua, in Quirini templo 463, 504. eius ſimulacrum, inter deo-rum ſigna geſtatum in ferculo 504. eius ambi-tio, ibidem. eius de po-merio proferendo ſen-tentia 512. Aſturam cum veniſſet, apud Ciceronem cenauit 518. eius ferculum 523. negligi ſuas leges nolebat 532. eum Brutus idibus Mart. occidit 558. eius percuſſores 583, 602

L. Cæſar Antonij auuncu-lus 557
Caieta 16
Caio prænomine numquã Domitia gens vſa 188

Caleni oratio, pro Antonio, aduersus Ciceronem 610
Calere qui dicantur 279
Calere, id est acriter versari in agendis rebus 572
Callipides, tragœdiarū scriptor 48
Caloris causſa, motus sanguinis 279
Calpurnia, Pisonis filia, Cæsaris vxor 104
C. Calpurnius Piso 29. Galliæ Narbonensis præfectus 9
L. Calpurnius Piso, Gabinij in consulatu collega 271
Caluus 42. Vide, C. Licinius Macer
Camillus non minus, quam Põponius, Ciceronis res & negotia curabat 380. ei Cicero maxime post Atticum confidebat 514
Campani agri diuisio 89
Campus Martius extra pomerium fuit, quo populus ad comitia conuenire solitus est 152, 512
Campus Vaticanꝰ post Cãpum Martium fuit, interfluente Tiberi 512
Canai filia 519
Candidati nummos tribubus promittebant, si sibi quem petebant, magistratum suffragijs demandassent 48. eos ad commendationem, Martium in Campum clari viri deducebant 74. eorum consilia 180
Caninius Rebilus, Cæsaris legatus 257
Canis Clodianus quis 243
Canius, Attici & Othonis amicus 508
T. Canutius, tribunus pl. Antonio infensus, Octauiano concionem aduocauit 616
C. Capito, Ateiæ gentis, Cæsaris maxime studiosus 511
Capito, Fonteiæ gentis, M. Antonij amicissimus, ibidem
Cappadociæ rex, sub tutela Ciceronis 195. in prouinciam redacta 216
Capta res, quæ dicatur 17
C. Carbo 32
Cn. Carbonem & M. Brutū Pompeius, Syllæ socius, occiderat 318
C. Carinas, Albiæ gentis, consul cum P. Ventidio 511
Carmentalis flamen 115
Carneades 255. Academicus, & Diogenes Stoicus, & Critolaus Peripateticus ab Athenien sibus legati Romã profecti 436
Carolus Sigonius, Romanæ historiæ peritissimus 62
D. Carsulenus 569
Carteia, opidum in extrema Bætica

Bætica 454, 461, 585
Casca, Cæsaris percussor 616. eius tribunatus ibid.
Caselius, iurisconsultus peritissimus 589
Cassij tres fratres 218
C. Q. L. Cassij, fratres 536
Cassius, tribunus pl. 302
L. Cassius, tribunus pl. C. Cassij frater, eius, qui Cæsarem occiderat 536
Q. Cassius 278. in Syriam profugit 218. Cæsarem occidit, ibidem. sibi mortem sua manu conscisiuit ibid. tribunus pl. ad Cæsarem cũ Antonio & Curione confugit 258
Q. Cassius & M. Antonius, tribuni pl. 365
Q. Cassius Longinus 217. tribunus pl. designatus 249
Cassius Scæua, Centurio 545
Cassius, Crasso a Parthis cæso, reliquias exercitus Antiochiã reduxit 210, 218
Castricius 443
L. Sergius Catilina 4, 43. proprætor, Africæ administrator 3. causam de pecunijs repetundis dixit 4. Ciceronis in consulatus petitione competitor 5. bis tantũ consulatum petijt, ibidem. a Cicerone non defensus 13. ter absolutus 44. eius coniuratio propter æs alienum facta, odio maxime creditorum 78. ipse, & Cornelius Lentulus, patricij, principes coniurationis 73. ipse, & Manlius Acidinus, duarum coniurationum duces 149
M. Porcius Cato 10. eius culpa 53. eius nimia seueritas Reip. nocet 75. ipse & Cæsar cum natura, tũ vitæ instituto dissidebant 77. ab omni ambitione alienus 86. heluo librorum 179. eius iniquũ iudicium 226. supplicationẽ Ciceroni concedi negauit 253. eius soror Porcia 303
Cato, Ciceronis liber 406
Cato maior 563
Cato momus 216
Catuli mors 115, 116
Catuli porticus 145
Cauillandi plura genera 30
Cauillatio, quid sit 29
in Causſa Milonis quæstor Cn. Domitius Ahenobarbus 10. quini ex singulis ordinib⁹ reiecti sunt 39
Cecropia, arx Athenarum 250
Celer, & Nepos, fratres patrueles 153
Celticam regionem a populo M. Antonius accepit 138

penes Censores cura vectigalium locandorum erat 51
Censores post censum vrbem lustrabant 187. cum imperio non sunt 298
Censores App. Claudius Pulcher, L. Calpurnius Piso Cæsonianus 250
Censoris officium 51
Censorini fundus 545
Centesimæ vsuræ 24, 221, 226
Centumvirorum numerus erat c v, licet centumviri nominarentur 40. e singulis tribubus terni creabantur ibid.
Centuriæ, ex omnibus tribubus 1
Centurio 214
Ceramium 149
Ceramici duo Athenis 21
Cernere hereditatem, & hereditate, quid sit 228, 353, 525, 558
Certi 2
Certus vocabuli interpretatio 6
Chæron 237
Chaonia, & Thesprotia, Epiri loca 241
Cherippus, libertus 199
Chilius, poeta 21, 26, 50
Chrysippus Vettius, architectus 85
Chrysippus architectus, Cyri architecti libertus 505
Cibaria præfectis de publico dabantur 243
Cibyra 192
Cibyratæ, venandi studio dediti 235
Cibyraticum forum 192
M. Tullius Cicero equestri loco natus 2. eius in consulatus petitione competitores, ibid. orationem habuit in toga candida 4. Mineruam coluit 16. in exsilium a P. Clodio pulsus 26. eius in patriam reditus 41. ipse & Atticus equestri loco nati erãt 51. eum, vt imprudentem, atque etiã vt pernicioſum patriæ ciuem insimulantes 52. nonis Decembris supplicium sumpsit de cõiuratis 64. ipsius, & Catuli, & Catonis, in defendenda libertate, societas & consensio 68. eius orationes de lege agraria contra Rullum 71, 72. pro Roscio Othone 72. pro C. Rabirio, perduellionis reo, ibid. in Catilinam, ibid. Siculorum patronus 74 equitum Romanorum opera in defendenda rep. consul vsus est 76. vindex & seruator creditorum 78. augur fuit post reditum ab exsilio 86. eius Gymnasium 91. eius reditus in mutatione rerum 122. eius domus Libertati consecrata 128, 132. eius

132. eius bona Clodij lege publicata 141. quot mensibus exsulauerit, ibidem. eius oratio ad Quirites, post reditum 142. eius restituendi caussa in credibilis multitudo Romam ad comitia confluxerat; vnde grauior annonæ caritas paullo post exorta, ibidem. eiusin ædificanda domo sumptus 145. oratio pro Milone, quando scripta 148. exsilij quæ caussa 154, 251. Tulliam Furio Crassipedi collocat 157. ei tres diœceses Asiaticæ attributę 191. quatuor legatos habuit in Cilicienſi administratione 195. tres quæstores habuit 205. eius abstinentia 220. profectus est in Ciliciā pridie Kal. Sext. 230. ab equestri ordine in senatorium adscendit, ibidē. primus Cilicibus permisit, vt ad ius dicendum, suis etiam legibus, iudicibus; vterentur; cum antea Romanis legibus ius dicerent Romani homines, aut qui prouinciæ præerant, aut ab ipso dati 238. trāsijt ad Pompeium nō ante Idus Quinct. 350. eius natalis dies 372. augur 421. eius ex interitu Tulliolæ dolor 422, 423. fanum erigere Tulliolæ volebat 425, 428, 460, 581. Tulliolam, erecto Templo, consecrare non poterat, nisi Collegium Pontificum adhiberetur. id porro non solebat adhiberi, nisi ad eos consecrandos, quos publice populus in deorum numerum referri vellet 428. eius de Consolatione liber 443. Lentuli pueri tutor 446. eius Academicæ quæstiones 482. eius libri de finibus, ad Brutum 485. eius de laudibus Catonis liber 502. diuortium cum Publilia 515. Porciam laudauit, Catonis sororem, laudatione scripta 516. cum Publilia diuortium facit 527. eius villa, in Pompeiano 531. de gloria libri duo 590. oratio pro Gallo Caninio 614. nonis Decembribus Lentulum, Cethegum, aliosq; ex coniuratione Catilinaria lictori necandos tradidit, ibid.

M. Cicero filius 462, 476. eius Athenis immoderati sumptus 527

Q. Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Cæsarem; Cæsar illas ad Oppium & Bal-

bum misit; illi Attico dederunt; Atticus ad M. Ciceronem curauit perferendas 385
Q. Cicero, Pomponiæ, Attici sororis, & Q. Ciceronis filius 502. eius vanitas 518
Ciliciam Seleucus vrbibus auxit 189. Ciceronis prouincia 191. non omnis Romanis, sed pars quædam regibus subiecta fuit ibid. eam Vespasianus in prouinciæ formam redegit, ibid. ab Appio sumptibus & iacturis exhausta 224
L. Cincius 20, 50, 69, 154, 237
Circeij montes 513
Circensi pompa Cæsaris signũ inter deorum signa, prope victoriæ signũ, gestatum est, decreto senatus 522, 523
Cisalpinę Galliæ terminus 8
Cispadana Gallia, Cisalpinæ pars, suffragij ius cum tota Italia lege Pompeia obtinuerat, sicut Transpadana ius Latij eadem lege 8
Cispius 510
Cistophorus, Asiaticus nummus 88, 103, 351
Ciuile bellum ex qua primũ radice emanatum videatur 52
Ciuili bello nihil miserius 293
Ciuitas, & Vrbs differunt 558
Ciuitatem Romanã habere 548
M. Claudius Marcellus, Cõsul, collega Ser. Sulpicij 198
Claudij patricij cognomen habuere Pulchrorum, & Neronum 246
Claudij plebeij cognomen habuere Marcellorũ, ibidem
Clementia populo gratior, quam Seueritas 558
Cleopatra, Ægypti regina 542. eius filium natum appellare suo nomine Cæsar passus est 542
a Cæsare amata ibid.
Clodianæ fabulæ 55
Clodiana rogatio 118, 124
Clodianus canis quis 243
C. Clodius, Publij nepos 129
P. Clodius, cur Ciceronem in exsilium egerit 26. tribuni opera iudicio ereptus 39. quare Pulchellus puer a Cicerone dictus 44. stuprum a piratis passus 45. a xxv. iudicibus damnatus, a xxx. absolutus, ibid. a iudicibus absolutus, licet Cicero iuratus in eum testimonium dixisset, ibidem. patriciæ gentis

gentis 57. ad plebē transire adoptionis iure cupiebat: vt deinde, tribunus factus, Ciceroni diē ad populū diceret, ꝙ ciues Romanos, contra leges, occidisset, ibid. cū tribus sororibus rem habuit 74. purpureis fascijs vtebatur 81. ad Tigranem, Armeniæ regem, legatus 84, 91. sacerdos Bonæ deæ, muliebri vestitu ad sacra Bonæ deæ penetrauit 84. contra auspicia adoptatus 93. Armeniæ legationem spreuit 95. adoptionis iure, cum patricius esset, ad plebem transijt 95, 96, 285. tribunus pl. 114, 285. rogationem tulit de exsilio Ciceronis 118, 285. quatuor leges tulit in tribunatu, Reip. perniciosas 126. duas leges tulit 127. Ciceronis domū libertati, consecrauerat 132. iudiciū effugit 150. Milonem de via accusauit 172, ad Bouillas cæsus 206. III. Kal. Feb. est interfectus 237. adoptione factus est plebeius, statimque tribunus pl. rogationem tulit in Ciceronem, quia ciues Romanos, contra leges, occidisset 285

P. Clodius, Antonij priuignus, P. Clodij filius 551

Sex. Clodius 551. P. Clodij sororis opera absolutus 45

Cluatius architectus 425

Cluuius Puteolanus 517, 523, 526.

Cocceius, vnus ex procuratoribus Dolabellæ, in Syriam profecti 617

Codicillus, & Litteræ, non idem sunt 414

Cœlius 471

L. Cœlius Antipater, historicus 409

M. Cœlius Puteolanus 260

M. Cœlius Rufus, ædilis curulis designatus cum M. Octauio 234

Cœlius, argentarius 406

Cohortes, manipuli 214

Cohortes, ex Vegetio, ibid.

Cohors prima, ex peditibus MCV. ibid.

Cohortes nouem, ex DLV. ibid.

Cohortes x. in legione ibid.

Cohortes multis ante Polybium ætatibus fuere 214

Cohors, de Peditibus dicitur; Turma, de Equitibus 239

Cohors prætoria est, quæ tum in castris, tū in agmine, atq; acie semper adest prætori 255

Cohortes erant duæ prætoriæ: vna, euocatorum militum; altera, nobilium

adolescentũ, qui sua sponte cum proconsulibus exibant; dumtaxat ob hanc caussã, vt vsurarũ peritiores domũ redirent, ibid.
Collybi ratio 407
Collybum, pecuniæ permutatio 411
Colonia, Brundisium 141
Columnæ e Chio marmore, reliquis firmiores 429.
Columna prope xx. pedum, lapidis Numidici in honorem mortui Cæsaris in foro posita, & inscripta, Parenti patriæ, a Dolabella euersa &c. 535
Columnam prope xx. pedũ lapidis Numidici, de plebe homines perditi in foro statuerunt, inscriptam Cæsari, parenti patriæ 555
Comata Gallia, cur Cæsari a Senatu tradita 138
Comedisse, pro, auide præripuisse 236
Comensem Marcellus, in Cęsaris contumeliã, cædi iussit 204
Comitia fieri non poterant eo die, quo de cælo seruabatur 151. nundinis haberi non licebat 153. obnunciare 152
Comitia centuriata 141. tributa 187
Comitiales dies 152
Comitijs pecunia diuidebatur 112
Comitiorum dies 12
Comitium in foro fuit 153
Commodo, pro Commode; vt Arcano, pro Arcane, apud Veteres indifferens vsus 185, 306
Cõpacto, id est consulto 344
Compitalicius dies 84
Concionari priuato non licebat, nisi magistratus curulis, aut tribunus pl. concionem daret 142
Concordiæ ædes 75
Coniugiũ non semper sponsalia sequitur 155
Coniuratio Catilinæ, quare facta 78
Coniurati supplicio affecti 34
Conrectum, pro Correctũ, veterum more 119
Considij & Cæsaris altercatio 116
Considius, fenerator 24
Consilium consistere quando dicatur 291
Consilia candidatorum diuersa 180
Consilium dicitur exitum habere, cum succedit, quod volumus 269
Consilium iudicum ex triplici ordine constabat, senatoribus, equitibus, tribunis ærarijs, &c. 40, 52.
Consuetudo aliquando leges vincit 24
Consulares L. Licinius Lu-

cullus, Q. Hortensius, C. Calpurnius Piso 36
Consularis exercitus 109
Consulatus cēturiatis comitijs dabatur 1. petebatur anno xlij. 7, 509
Consulem designari in prætura, inusitatum 27
Consules Kal. Ianu. magistratum inibant 130, 211
Consulum nomina in fastis publicis scribebantur 166
Consulibus præter S. C. etiam lege negotium datum est, vt de actis Cæsaris cognoscerent 618
Constituere verbi significatio 20
Constitutum, est verbum iuris 396
Continentia voluptati contraria 216
Controuersia Acutiliana 15. Muluiana 99, 100
Conturbare verbi significatio 161
Copiæ 147
Coponius 295
Corbita, oneraria nauis 604
Corinthium æs, probatissimum 78
Cornelia Pompeio marito superuixit 26
Cornelia tribus Ciceronis videtur fuisse: cum in ea censeri soliti sint Arpinates 76
Cornelius 24
Cn. Cornelius Lētulus Marcellinus 144
L. Cornelius Balbus Gaditanus 260, 292. negotiorum Cæsaris procurator 531
L. Cornelius Lentulus Crus, consul designatus 249
L. Cornelius Sylla Faustus, Syllæ dictatoris filius, Faustæ, Milonis vxoris, frater, Pompeij gener, quem vnum cum Afranio & L. Cæsare filio C. Cæsar, deuicto Pompeio, voluit interfici 167
P. Cornelius Dolabella, Ciceronis gener 557. Vide, Dolabella
Cornificius, a Cæsare Syriæ præpositus 422
Cornix, Oppiorum cognomen 145
Corumbus, architectus 537. Balbi seruus ibid.
Corycæi, occulto auscultantes 350
C. Cosconius 109
Cosmus Gherius, Episcopus Fanensis 204
C. Cotta 9
L. Cotta, consul cū L. Torquato 437
Cottæ liber 523
Crantoris verba 443
M. Crassus, Caluus 41. Sylla dictatore, ingentes diuitias congesserat, ibidem. omnium Romanorum

ditissimus 97,116. Clodij sorore plurimũ vtebatur 113. a Parthis occisus 116, 210. male audijt, quod Syllanis tẽporibus multorum ciuium proscriptorũ bona solus fere propter auaritiam emisset: vnde opes illæ immanes, & inuidiosa pecunia breui cõgesta 401
Craterus, medicus 421
Cretatæ fasciæ quæ sint 81
Cretio 523,525
Crispus 407,500,502
Critolaus, Peripatetic° 436
Culeo 295
L. Culleolus 243
Cumana, Ciceronis villa, ad Lucrinum 557
Curia pro Senatu aliquando a Cicerone sumitur 68
Curiæ & Porciæ basilicæ, curiæ iunctæ incendium 551
Curiæ triginta tres veteres tribus repręsentabãt, quas singulas in denas curias Romulus diuisit 189
C. Curio, adolescens 91. trib. pl. S. C. fieri de prouincijs non patiebatur 238. in Vmbria pro Cæsare militabat 273. eius litteræ 278. eius, & Cæsaris cũ Pompeio & Sylla comparatio 318. bellum gerens 328. Ciceronem admodum diligebat 342. a Cæsare missus, vt Siciliã Pompeianis etiperet 348
M' Curius 175
Q. Curius aleator notissimus 7
Cursare, huc illuc ire 340
Curtilius Verbero 545
Curtius Nicias, grammaticus, Dolabellæ familiaris 533
Curuli sella censor, consul, prætor, ædilis vtebantur 167
Curulem magistratum qui gesserant, ij si a censore nondum in senatu lecti essent, iure tamen magistratus in senatum introibant, & dicendæ sententiæ ius habebant 66
Curulium magistratuum petendorum anni certi 509
inter Curules magistratus biennium necessario intererat ibid.
Cypro Cicero præfuit 193
Cyprios ex ipsula euocari non licet ibid.
Cyprus, lege P. Clodij, tribuni pl. Pisone & Gabinio cos. Ptolemæo regi ablata, prouincia prætoria facta est 194. Catonis, & Bruti erat clientela 226
Cyrhestica, Syriæ pars 218
Cyrus, architectus 82. eius de radijs oculorum opinio ibid.
Cytheris, mima 342

Cytherius, M. Antonius, a Cytheride mima: quam vsque adeo amauit, vt, in Galliam cum legionibus profic scens, hiberno tẽpore secũ adduxerit 587
Cyzicum 128
DAmium sacrum 27
Dare veniam 222
De Canuleio, pro A. Canuleio 330
Debitio 551
Decedere 259
Degustare, verbi significatio 167
Deiotarus, Galatię rex 210. pro Pompeio contra Cæsarem in Pharsalia pugnauit 535. ei Antonius ereptam a Cæsare Armeniam, accepta grandi pecunia, restituit 560. eius legati, Blesamius, Hiera 601
Delegare 526. est, quod ipsi facere debemus, alteri mandare; non, simpliciter mandare 402
Demetrius apud Pompeiũ gratiosissimus libertus 170
Demetrij Magnetis liber περὶ ὁμονοίας 171
Denarius, pro Drachma 608
Denarij septem Romæ feriebantur in vncia ibid.
Deos non respicere mortalia, sensit Epicurus 167
Derogare verbi significatio 135
Designator 148
Denexa, decliuis 312
Dialis flamen 115
διβάφῳ prætexta, qui auguratu præditi essent, vtebantur 94
Dicacitas quæ dicatur 29
Dicæarchus, Aristotelis auditor 80, 97, 510. eius liber de populis Pelleneis 80. eius libri de anima 507. eius libri περὶ τῆς εἰς τροφωνίε καταβάσεως, ibidem. eius liber περιπολιτικὸς 508
Diceret, pro dicere debebat 522
Dicrota 205
Dies auctionis 484
Dies comitiales 152
Dies fasti, a quo publicati 227, 234
Dies festi 403
Dies natalis Ciceronis 372
Digamma, est F Latinum, factum ex duobus r Græcis 310
Dignitas in patricijs, quare maior, quam in plebeijs 89
Diligere leuius quam Amare 558
Diochares, Cæsaris libertus 14, 523
Diodorus 111
Diœceses septem complectebatur prouincia Ciceronis 192
Diogenes Stoicus 436

Dionysius, & Menophilus, glutinatores 164
Dionysius, Ciceronum puerorum magister 197, 202, 229
Διονύσιος ἐν κορίνθῳ 308
Diphilus 108
Διπλῆ 284
Dissoluere nomen 401
Diuisores 47
Diuortium Mutiæ 26
P. Cornelij Dolabella 454, 476. Ciceronis gener, pro Cæsare contra Reip. partes 274. eius actiones in tribunatu turpissimæ 374. maritus Tulliæ 381. in eo simulatio desiderij, non desiderium, fuit 555. consul cum Antonio 557. ipse, & Hirtius, Ciceronis dicendi discipuli, cœnandi magistri 562. Baianas aquas petijt, valetudinis causa 580
Doloris & luctus natura 121
Domitia gens nunquã Caio prænomine vsa est 188
Cn. Domitius, vnus de percussoribus Cæsaris 602
Cn. Domitius Ahenobarbus, Porciæ, Catonis sororis, vir 10. consul, ibidẽ. in causa Milonis quæsitor, ibidem. Pompeij partes sequitur, ibidem. in Pharsalica pugna a M. Antonio interfectus, ibid. proconsul 298
L. Domitius Ahenobarbus 128. consul cũ Ap. Claudio 116. consularis candidatus, competitor Pompeij Magni 162
Domitius Caluinus, plebeius 179. ipse a Cæsare, Ahenobarbus a Pompeio fuit 293
Domus Attici, in colle Quirinali 463, 629
Autroniana 31, 32
Dom°, pro Domesticis 339
Dormire in alteram aurem 498
Drachma, pro Denario 608. paulo leuior Denario 607
Drachmæ octo apud Athenienses in vncia feriebantur ibidem
M. Drusus, Liuiæ gentis, patriciæ, pater Liuiæ, Augustæ 179. prætor, cum is, quem manumiserat, eadẽ liber non iuraret, quæ seruus iurauerat, negauit, se manumisisse 256
Ducere rationes 226
Duumviri, municipiorum præfecti 563
Δυσωπία 616
Δυσχρηστία 607
Dyme, ciuitas in Achaia 594

Eclogarij 599
Edictum Asiaticum Q. Mucij 197. prouinciale

P. Licinij, ibidem. Bruti 562
Effari templa, cur dicantur 520
Effata, augurum preces, ibidem
Effari verbum, in templorum dedicationibus, & in fœderib⁹ vſurpatū 521
Q. Egnatius 551
Egnatius, argentarius 351, 354, 356
Eiuſmodi eſt 425
Eleuſin, Athenis propinqua 236
Eleutherocilix 215
Emere ab haſta 401
Emeritum annuum tempus, pro, confectum 238
Ennij verſus 107, 573
Εντολὴ 405
Ephorus, Iſocratis diſcipulus 71
Epicharmus, comicus 65
Epicopus 556
Epicrates, princeps Athenienſium ibid.
Epicuri & Stoicorum placita de viſu 82. eius ædes Athenis, villa fuit 436. ad ſeipſum omnia referebat, aliena cauſſa nihil agendum eſſe dicebat 562
Epicurei nihil dolere ſoliti ſunt 157. eorum dogma, ibid. Barones dicti 205. molles 251. ſummum in dolore malum, ſummum in voluptate bonum collocabant 256
Epirus montibus a Macedonia diſcluditur 121
Επισυμασίαι, ſignificationes 46, 537
Epiſtola grauior 28
Επιχειρήματα 34
Εποχὴ, aſſenſus retentio 587
Eppiorum familia 293
Equidem dictio, quibus perſonis coniungatur 119
Equites R. opem Metello non ferunt 76. eos Cicero conſul cum Senatu coniunxerat 75. publicani 76. ſedebant in XIV. ordinibus, lege Roſcia datis 569
Equiſuticum, opidum 224
Era, miſſus a Deiotaro, vt Armeniam, ſibi a Cæſare ereptam, emeret ab Antonio 601
Ἔρανον, mandatum 405
Erophilus, Equarius medicus 465, 540
Eros, libertus Q. Metelli Celeris 322. Ciceronis res domeſticas adminiſtrabat 414. Ciceronis rationū adminiſtrator 426, 581
Error Budæi 439
Eſſe in poteſtate, &, in poteſtatem 152
Etiam 31
Etiam pro tamen 211
Εὐγενέστερος 494

Eumolpidæ, sacrorum præsides 21
Eumolpus, Musæi filius, ibidem
Eupolis 413
Euripus 540
Eurotas, fluuius Laconiæ 574
ἐξ ἀφαιρέσεως 224
Exardere 111
Exigere nomina 401
Ex iure manu consertum vocare, quid sit 573
Exoriri verbi significatio 280
Exsilium Ciceronis, vltra quadringenta millia 118, 119
ἐξωτερικοὶ libri 178

FAberius 457, 579. Cæsaris scriba, ad arbitrium Antonij mutabat, aut addebat in Cæsaris libellis 558
Fabius Gallus, Cæsaris legatus 257
Fabulæ Clodianæ 55
Facillime, pro libenter 451, 501
Factus 559
T. Fadius 136
Falacer flamen 115
de Fama non curandum: at vnicuique curandum, ne in omni vita sua a recta conscientia transuersum vnguem discedat 491
Fana nominata 520
Fannius, Siciliæ cum imperio præfectus 298. initio belli ciuilis, a Pompeio in Siciliam cũ imperio præmissus 364
Fannius historicus, Lælij gener 409
Fanum vnde dictum 521. id dicebatur, quod a Pontificum collegio consecratum erat; & in quo Deus aliquis publice coli consueuerat 428
Fanum Tulliolæ erigere volebat Cicero 425, 428, 459
Fasces ex bacillis & virgis constrictis constabãt 363
Fasciæ cretatæ 81
Fasti dies, a quo publicati 227, 234
Fauonius 143. a quo eloquẽtiam didicit 77. Catonis imitator dict⁹ 592. qui, de rep. quidquid sentiret, libere loqueretur 181
Fausta, Syllæ dictatoris filia, Milonis vxor 172, 201
Faustus Sylla erat in Pompeianis præsidijs 314
Faustus, & Fausta, gemelli 287
Feminæ vnde nomen accipiebant 561
Feneratorum nomina 24
Fenicularius campus 417
Fenus semunciarium 24
Feriæ Latinæ 13, 111
Feridij & Cœlij conuentio 235

Ferire frontem 3
Ferre tribum quis dicatur 76
Festi dies 403
Fibrenus, amnis 420
Fides, quid significet 308, 352
Figere leges 548
Figulus, quare Thermus dictus 12
Filij a prænomine patris ostendebantur 227
Filij primi patris prænomine appellabantur 374
L. Flaccus 62
Flamines, stante Rep. xiij. fuere 115
Flaminię vię munitor quis 7
Flaminius Flamma 566
Cn. Flauius, Cn. filius, scriba, cum populus, qui dies aut nefasti, aut fasti essent, ignoraret, eorumq; notionem a Iurisconsultis peteret; ipse Fastos circa forum in albo proposuit, vt, quando lege agi posset, sciretur. quo beneficio, populi gratiam, indeq; curulem ædilitatem, libertino patre natus, obtinuit 227, 234
L. Flauius, tribunus pl. Metellum consulem in carcere inclusit, quia legem agrariam perferri non sineret 59, 76
Floccifacteon 49
Floralis, flamen 115
Fluxa 143
Fonteius 176
Formiani in Æmilia tribu suffragium ferebant 98
Formianus fundus ibid.
Fortuna Prænestę culta 399
Forum Isauricum 192. Laodicense, ibidem. Synnadense ibid.
Forum, pro populo; Curia, pro Senatu, a Cicerone sæpe vsurpata 68
Fouere 579
Fraudem pro pœna & damno veteres vsurpabant 222
Frontem ferire 3
Frugi homines egere non solent 39
Frugi, proprie de libertis vsurpatur 261
Frui, absolute positum, est, prędentibus commodis & voluptatibus vti 400
Frusinas, fundus Ciceronis 357
C. Fuficius Fango 545
Fusidiana prædia, ad Ciceronem hereditate peruenta 376
Fuluiaster 462
Fuluia, vxor P. Clodij 342. eam, antea P. Clodij coniugem quem Milo interfecit, M. Antonius vxorem duxit, Antonia repudiata, C. Antonij filia 548. Antonij vxor, cum Deiotari legatis de Armenia ipsi reddęda pacta est 601

Fundus Formianus 98. Frusinas 357. Lanuinus 310. Laterium 163, 324. Sextilij 541
Furinalis, flamen 115
Furnius 369. tribunus pl. Ciceronis amicus 228. de rectoribus transmarinis legem tulit ibid.
Q. Fusius Calenus 32, 369, 494, 600. Cæsaris amicus 105. Cæsarianus 303. Achaiæ præfectus 377. Ciceronis inimicus 569. ipse, & Cn. Marius Antonio amicitia coniuncti 610

GAbinius supplicio affectus 34. Cæsaris amicissimus 115. eius gladiatores qui, ibid. eius absolutionis causa quæ 182. nocens de ambitu absolutus 184, 185
Gabius, a Gabijs, & inde Gabinius 184
Ser. Galba, orator eximius 409
Galliæ Cisalpinæ terminus 8
Gallia Cispadana, Cisalpinæ pars, suffragij ius cum tota Italia lege Pompeia obtinuerat, sicut Transpadana ius Latij eadem lege 8
Gallia Comata, cur Cæsari a Senatu tradita 138
Gallia Togata, quæ 8
Gallicus tumultus 534
Gallius Axianus 348
Gallus 529
quæ Gentes in Pompeij castris 362
Genuarij, nummi Genuæ percussi 236
Germalus, Romę mons 149
Germana, id est vera 420
Germani 61
Gesta, quæ sint 281
Gladiatores A. Gabinij 115
Gladiatores binos singulis patribus familias Pompeius distribuerat 284
Gladiatores in funere dabantur 155
Gladio plumbeo iugulari 39
Glutinatores, Dionysius, & Menophilus 164
Græci iudices, leues 231. & ob quæstum publica conducentes ibid.
Græci ludi 603
Gymnasium Ciceronis 91

HAbere, pro habitare 47
Hammonius, Ptolemæi, Cleopatrę patris, legatus 542. Ciceroni quid dā spoponderit pro Cleopatra 581
Hasta ponebatur, vbi auctio fiebat 401
Hastati 214
Hegesias, Cyrenaicus, philosophus 411
Hegesias Magnesius, orator ibi.
ἡλίου ἀνάθημα 11

Helucij

Heluetij omnib⁹ virtute præstant 61
Heraclides Ponticus, siue Pompicus 490. de Rep. scripsit 611
Ἡρακλείδιον, Varronis opus ibidem
Hereditas cum diuidi commode non potest, propter coheredũ non æquas partes; ad licitationem confugitur; quæ certior est, quam æstimatio 378
Hereditas vniuersa nomine Assis, aut Libræ, significatur 255, 528
Herennius tribunus pl. 58
Heres ex triente 528. ex vncia ibid.
Hermathena 11
Hermeraclæ 22
Ἡρώδης Atheniensis 80
Herodes 559, 600
Hiera, & Blesamius, Deiotari legati 601
Hipparchus Nicæus errata collegit Eratosthenis 87
Hippocrates 462
C. Hirrus 212. a Cicerone in auguratus petitione superatus 16. gentis Lucceiæ 293
Hirtius, maxime deditus eloquentiæ 562. ipse, & Dolabella, Ciceronis dicendi discipuli, cenandi magistri ibid.
Hirudo ærarij 46
Hispaniarũ administratio, tribus legatis mandata 142
Histriones omnes serui 176
Homerus vtitur sæpe Hysterologia 38
Homines frugi egere non solent 39
Homo 533
Honestus 141
Horæ, accusatori, & reo datæ 529
T. Hordeonius, Cluuij cum Cicerone heres 526
Hortalus, Hortensiorũ cognomen 175
Q. Hortensius 13, 406. eũ, & Lucullũ Ciceronis, noui hominis, dignitas angebat 68. eo Atticus intime vtebatur 150. bis, quod animum Ciceronis offenderet, commisisse videtur 160. Baulis in Cumano villam habuit 196. Messallæ patronus 206. orator 409. primus occidit pauonem cibi gratia 421. Cluuij heres 596
Horti, circa Romã plurimi 420. Balbi 264. Clodiæ 459. Cluuiani 526. Cusinij 458. Drusiani 440. Othonis 459. Scapulani 453, 459. Silij 434, 448. Transtiberini 420, 512. Trebonij 458
Hospitia publice magistratibus in prouincias proficiscentibus dabantur 203
Hypsęus, Põpeij quęstor 122

Hysterologia Homerus sæpe vtitur 38
IDæus pastor 57
Idibus Mart. Cæsarē Brutus occidit 558. Quinct. vsuræ soluebantur 176
Id temporis, pro, eo tempore; Id ætatis, pro, ea ætate 511
Impendium est vsura 225
Imperatores & in litteris, & in lictorum fascibus vtebantur laurea, deuictos hostes indicante 268
Imperatori transitus per alienam prouinciam dabatur, morari diutius in ea cum imperio non licebat 123
Imperium quo modo populus dabat 185. intra vrbē habere non licebat 184. militare non licebat sine curiata lege in prouincijs habere 189.
In amoribus esse, pro, carissimum esse 229
Inaudisti verbi explicatio 234
Incessere, iactu vel verbis petere 410
Indignatio distat ab Inuidia 212
Indulgentia parentum nimia filios perdit 79
Infectum, i. inquinatum, cōtaminatum 30
Informare verbi significatio 8
Ingemuisse 2
Inguium, Vgubium, Vmbriæ opidum 273
Inhibere 492
In nominibus habere 291
Inodorari verbi significatio 117
Insanire 506
Instare, pro, adesse 56
Insula in vrbe quid sit 582
Insula in vrbe, & prædia, non idem sunt 586
Insulsitas 505
Integritas 51
Interkalatio ordinem dierū mutat 229. dies interponebat: diebus verò interpositis, longior fiebat administratio prouinciarū 202
Intercedere verbi explicatio 225
Interrex quando, & cur crearetur 183. eius auctoritas, ibid. eo creato, pertinebat ad eū consulum designatiō 309
Interregnum dicitur, cum comitia vsque eo protrahuntur vt insequens annus sine cōsulibus sit 266
Inuidia distat ab indignatione 212. exsistit inter pares 485
Io, apud Æschylum 545
Ipsi vocabuli significatio 132
Iracundia, pro Ira 327
Ire rem 562
Isauricum forum 192

Isocrates, a Catone maiore derisus, quod eius discipuli senescerent dicendo, vt apud Ditem caussas agerent 71
Issus, nota Ciliciæ vrbs 249
Iudex nõ grauis esse potest, qui, ob quæstum, publica conducat, vel emat 231
Iudices ex tribus ordinibus legebantur 299. in caussa Clodij quinquaginta & vnus, totidem, quot in Milonis caussa, in qua senatores iudicarunt XIIX. equites XVII. tribuni ærarij XVI. 42
Iudicia lege Plotia tribus ordinib⁹ communicata 187
Iudicia in foro fiebant, senatus in curia habebatur 433
Iudiciorum dimissio 8
Iudicum cognomina, Calvus, Plautus, Spongia 42
Iudicum consilium ex triplici ordine 52
ex Iudicum numero reiecti, voluntate rei, vel accusatoris 13
Iulia, Antonij triumviri mater 6
Iulia, Cæsaris filia, Pompeij vxor 104
Iulius mensis e Cæsaris nomine S. C. vocatus 593
Iunia Tertia, filia Seruiliæ 561. C. Crassi, vel Cassij, vxor ibid.
M. Iunius Brutus, Cæsaris interfector, adoptatus ab auunculo Seruilio Cæpione 114
D. Iunius Silanus 7
Iuno βοῶπις 92
Iurandi mos apud Græcos 40
Ius Latij 8, 204
Ius Latij habere 548
Iuuentatis ludi 56
M. Iuuentius Laterensis 106
Iuuentus dea, quæ & Iuuentas, & Iuuentuti præesse creditur 56. eius sacra a iuuenibus instituta, ibid.
Iuuentutis dea 56
Κατάκρισις 83
Κεπφικὰ 507
Κέπφος, auis ibid.
LAbienus Galliæ togatæ præfectus 8. Cæsaris legatus, summæ auctoritatis vir in exercitu 268
Lacedæmoniorũ litteræ ad imperatores suos, in loro scriptæ, vnde σκυτάλαι 341
Lacerta, vel Lacertus, piscis 87
Lacuna in auro 411
Lælius, Africani Scipionis summus amicus 409
Lænas, vnus ex augurũ Collegio 421
Lænas, Naso, Laterensis, Ciceronis in auguratu collegæ 424

Lænates, ex gente Popillia 421
Lamia, ædilis 523
Laniſtæ, gladiatorũ domini & magiſtri 39
Lanuinum 525
Lanuinus fundus 310
Lanuuij porticus, Perſice dictus 574
Laodicea 192, 208
Laodicenſe forum 192
Large, eſt liberaliter, prolixe 293
Laterenſis, Naſo, Lænas, Ciceronis in auguratu collegæ 424
Laterium Q. Ciceronis fundus, in ipſius patria Arpino 163, 324
Latini viri, & mulieres 13
Latij ius 204
Latij ius habere 548
Latinæ feriæ 13, 111
Legationes audiebantur Februario mẽſe, ex lege Gabinia 37, 60
Legationes liberæ 577
Legationis liberæ ius 8
Legatio votiua, & libera 565
Legatio ad Tigranem a Clodio ſpernitur 91
Legem ferri non licebat, cũ de cælo ſeruaretur 102
Leges a conſuetudine aliquãdo vincuntur 24
Leges cũ abrogantur, ſimul abrogãtur ſanctiones 134
in Legibus omnibus aliquid ſancitur, quo difficilior ſit earum abrogatio, ibid.
Legibus qui eijciuntur, ordinem ſenatorium cũ ciuitate ſimul amittunt 133
Leges, ne comitijs magiſtratuum de cælo ſeruaretur 151
Leges cum populo ante horam primam agere vetabant 185
Leges Liuiæ a ſenatu ſublatæ 98
Leges Plotiæ, de vi, de reditu L. Cinnæ 59
Legio, ex Polybio, conſtabat peditibus ∞ ∞ - ∞ ∞ CC. 214
Legiones ſub ſignis ducere, & ſub ſignis habere vſitata veterum figura 608
Legio, ex Vegetio conſtabat peditibus ∞ ∞ ∞ ∞ - ∞ ∞ C. 214
Legio XII. Sullam lapidibus egit 386
Leius 217
Λήκυθοι 33
Lenius negotiator 220
L. Lentulus ab eodem Ptolemæo rege, qui Pompeium interfecerat, comprehenſus, & in cuſtodia necatus eſt 364
L. Lentulus Niger, flamen Martialis 414
P. Lentulus 280. falſo Ciceronis gener dictus 14. cõſul deſignatus cũ Metello Nepote 133. rexit per triennium

enniũ Ciliciam 219. ipſe triennium, Ap. Claudius bienniũ Cypro inſulę ante Ciceronem præfuerant 221. conſul cum ad aperiendum ærarium veniſſet, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendã, audito Cæſaris aduentu, protinus, aperto ſanctiore ærario, ex vrbe profugit 277. eius cum Metella diuortium 391. eius mors 43
Lentulus Spinther 9. eum, & Domitium Ahenobarbum Cæſar, Corfinio potitus, dimiſit incolumes 295
Leones M. Antonij 345
Leonidæ epiſtola 556
M. Lepidus L. Paulli frater Tertullam, Bruti ſororẽ, habebat in matrimonio 226. Iuniæ vir 542
Lepreon 237
Q. Lepta, præfectus fabrum 210
Lepta, tabellarius 516, 528
Leucopetra, Tarentinorum 604, 605
Leuctrica pugna 237
Leuiter, parum 30
Lex Ælia 93
Lex Ælia, & Fuſia, a Clodio euerſa, quæ auſpicia tuebatur 47, 48
Lex agraria 52, 83
Lex T. Ampij, & T. Labieni tribunorũ pl. vt Põpeius ludis Circenſibus corona aurea, & omni cultu triũphantium vteretur; ſcenicis autem prætexta, coronaq; aurea. quod ille non plus, quam ſemel, vſurpare ſuſtinuit 59
Lex annoniana 126
Lex Aurelia 51
Lex Cæcilia, & Didia 93
Lex Campana 106
Lex Cincia, de donis, & muneribus 69
Leges Clodiæ 126
Lex Cœlia 93
Lex Curiata, de adoptione ſua, lata a Octauio 549
Lex de ſepulcris 451
Lex perlata a Dolabella, tribuno pl. 370
Lex Flauij 63
Lex frumentaria a quo lata 109
Lex Furnij, tribuni pl. de rectorib⁹ tranſmarinis 228
Lex Gabinia 221. vſurã centeſima maiorẽ vetat, ibid. & debitores in ius vocari 239
Lex Ser. Galbæ prætoris, de imperio Pontinij, clam lata 184.
Lex Iulia 203, 219. de prouincijs 209
Lex Iunia Licinia 93. & quæ ea vetentur ibid.
Lex Licinia 93. alterũ de cõſulibus plebeiæ gentis eſſe iubebat 165, 169

Lex Q. Metelli Nepotis, vt vectigalia omnia tolleren tur 101
Lex Papia, de maiestate 184
Lex Petillia 217
Lex Plotia, de iudicijs 187. de vi 116, 189. agraria, tribunicia 59
Lex Pompeia 8. de ambitu 266, 319, 327, 529, 535. de iure magistratuũ 285. de vi 319, 327
Lex Pupia 457
Lex Roscia, XIV. ordines in theatro equitibus dabat 109
Lex Sextia vetus tribunicia vtrosq; simul consules patricios fieri vetabat 177
Lex L. Syllæ, de pomerio proferendo 512
Lex Thoria 100
Lex Trebonia 258
Lex Vatinia 204. iussu Cæsaris lata 204
Lex differt a Priuilegio 127
Lex vetabat ire cum telo in senatum 115
Lex promulgatur, cum propalam constituitur, vt intercedat qui velit, antequam feratur 134
cum Lex ad populum fertur, adsint necesse est, qui dicant, licere per Iouem legem ferri 189
Lex erat, vt absentes consulatum petere non possent 249
Libelli neq; complicantur, vt epistolæ; neq; scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutẽ dicimus, omittitur 351
Libera & votiua legatio 565
Liberæ legationis ius 8
Liberæ legationes 577
Liberalia 229
Liber, pro volumine 510, 590
Libertatis atrium, a Clodio ædificatum 144
Libertini 76
Liberti patronis, & patroni æque libertis heredes erant, cum aut intestati, aut sine filijs obijssent 236
Libo, Sexti, Pompeij filij, socer 269
Libonis annalis 508, 523
Libræ aut Assis nomine significatur hereditas vniuersa 255, 528
Librorum paginæ olim circa lignum, quem Vmbilicũ vocabant, inuoluebãtur, expertes glutini 154
Lyceum Peripateticorum, Porticus Stoicorum, Academia Platonicorũ fuit 436
C. Licinius Macer, repetundarum reus 15. inusitato mortis genere perijt, ibidem
L. Licinius Crassus, orator, Q. Mucij Scævolæ in cõsulatu collega 465

M. Licinius Lucullus 145
Lictoribus duodecim extra ordinem Paullus Æmilius, ad bellum Ibericum proficiscens, vsus est 328 Lictores sex, proconsulibus dati 362
Ligus, Æliorum cognomen 437
Lippitudo, est humor, a capite fluens, non sine lacryma 347
Litteræ aculeatæ 563
Litteræ proscriptis 508
Liuiæ Augustæ pater, M. Drusus 179
Liuincius, Regulorum cognomen 129
Locuples testis, quis dicatur 285
Lollia, familia Romana 80
Lollius & Varro Porciam laudauerant 528
Lucceius 14
Lucilius, poeta maledicus 610
Lucius 17. prænomen deriuatum a Luce 242
Lucretilis, mons in Sabinis 268
Lucrinum 167
Lucullus 10
L. Lucullus, Græcæ linguæ peritissimus 50
Ludi Apollinares 107, 597, 603. C. Cassij, prætoris vrbani, nomine, a C. Antonio, eius collega, dati 536. Ludi dum sunt, neq; iudicia in vrbe exercentur, neque negotij publici quidquam geritur 165
Ludi Græci 603. Iuuentutis 56. Plebeij 184. Votiui 8
Ludorum nomina, Votiui, Romani, victoriæ, Plebeij 270
Ludos facere soliti erãt Prætores 575
Ludos sollemnes curabant ædiles 523
Luere 412
Lunæ nouæ tempus, maxime nauigantibus vitandũ 330
Lupercalia, vnde dicta 404
Lupercalia sacra, ad expiandos manes, Romæ Februario celebrabantur, ibidem
Luperci, qui 405
Lupus, prætor 301
P. Lupus, ex gente Rutilia, tribunus pl. Marcellino, & Philippo cos. 295
Lurco, gentis Aufidiæ cognomen 47
Lustrum, quid 238
Lustrum conditum 60
Q. Lutatius Catulus, optimus vir a Sylla dictatore vocatus 42. eius Porticus 144
Lycaonia 192, 193
Lycij a Sylla libertate donati sunt 245
Lycurgei 31
Lycurgus Spartanis leges dedit ibid.

M'pro Manius 175.288
Macedonia, Romanorum prouincia 78,79.
C. Macer 15
Macrocola 499
Macrocol⁹, régia charta 600
Macte 413
Mæcia tribus 178
Magala 437
Magister auctionis quis dicatur 10
Magistratum gerentes non erat ius accusari 149
Magistratus in Campo Martio petebantur 176, 417
Magistratus omnes de cælo seruandi potestatem habebant 181
Magistratus omnes, quibus pareret exercitus, Prætor, antiquo more, appellabãtur 220
Magistratibus, in prouinciã proficiscentibus, publice hospitia dabantur 203
Magistratus anno certo petebantur 509
P. Magius Chilo 477. M. Marcellũ interfecit 479
Magna obscura nõ sunt 126
Magnitudo animi 51
Mamurra eo dictus, quod primus Romæ parietes crusta marmoris operuerit totius domus suæ in Cœlio monte, columnis omnibus e marmore solidis, Charystio, aut Lunensi, cum esset præfectus fabrum Cæsaris in Gallia 264. Cæsaris præfectus fabrum in Gallia, & eius opulentia, & luxuria 532.
Mancipes qui 402
Manipulus hastatorum 214. principum, ibidem. triariorum ibid.
Manius, hac M' nota signatus, prænomen veteribus vsitatum 175
Manius, tam prænomen, quã nomen deriuatum a Mane, Manilius nomen, a Manio 242. prænomen Acilij Balbi 409
C. Manlius Acidinus 149
M. & duo C. Marcelli, Cæsaris dignitatem oppugnauerant 301
C. Marcellus 54. Atiæ filiã, Octauiani sororẽ, in matrimonũ habuit 579, 614
L. Marcius Philippus 418
Q. Marcius Rex, vnã e Clodij sororibus in matrimonio habuit 45
C. Marius, septies cõsul 466
M. Marius 568
Mortem spirare 576
Martialis, flamen 115
Martianus 468
Massilienses Cæsari portas clauserunt 345. a Phocensibus ortum ducebãt 554
Matius, quem & Caluenã, & Madarum, ficto nomine Cicero appellat 534. caluus 536. de Bruti gratia la-

tia laborabat 538
Cn. Marius, & Q. Fusius Calenus, Antonio amicitia coniuncti 610
Meander fl. 192, 193
Megaræ 21
Melite, insula 120
C. Memmius 56, 96. eius spes de consulatu 186. de ambitu cõdemnatus, exulabat Athenis 205, 206, 236.
Menophilus, & Dionysius, glutinatores 164.
Mensura eadem redde, qua acceperis 482
Mercedulæ 480
Mercurij & Mineruæ statua, in gymnasio posita 11
Mercurij statuæ, ex marmore Pentelico 21
Mercurius litteris & ingenijs præest 16
Meretrices insignes, eædemque mimę, Arbuscula, Cytheris, Origo 176
M. Messalla 27. censorius 168. consul cum Domitio Caluino 177. patricius 179. qui & ipse Athenis fuerat studiorum causa, Ciceroni de filio mirabilia narrabat 583
Messius, vel Messinius 143
Messius 178
Metellina oratio Ciceronis 31
Q. Metellus Nepos, & Celer, fratres patrueles 86
Q. Metelli Celeris mors 86, 162
Q. Metelli Nepotis mors 162
Metelli Pij mors ibid.
Q. Metelli Numidici tabulæ 40
Metellus, non Cœliæ, sed Cæciliæ gentis cognomẽ 94
L. Metellus trib. pl. Cæsarem, ne pecuniã ex ærario promeret, impedire conatus est 338, 366
Metellus Balbinus 493
Metelli consuetudo 55
Metelli cupiditas triumphãdi 58
Q. Metellus quare Creticus dictus 61
Metellus obstitit, ne plebeius fieret P. Clodius 73
Q. Metellus Celer, augur, moritur 86. consul cum L. Afranio 417
Q. Metellus consul comitia ædilicia ideo fieri volebat, vt Clodius, ædilis creatus, in iudicium de vi maxime propter fabros, de Ciceronis area pulsos, vocari non posset 149
Metellus Creticus, Silano & Murena cos. triumphauit 162
Q. Metellus Nepos 86. oderat Pompeium, propter diuortium sororis Muciæ 96

Q. Metellus Scipio quis sit 233
Meto 400
Metonis Athenienſis Mathematici annus conſtabat ex annis XIX. 402
Micillus 531
Militū genera quatuor 214
Mille hac nota CIↃ veteres ſignificabant 608
Milo Crotoniata 244
Minerua, Athenarum conditrix 16. eius ſtatua, cur proprium & ſingulare ornamentum Academiæ Ciceronis, ibidem. eius ſtatuam in exſiliuſi proficiſcens Cicero, in templo Iouis Capitolini poſuit, cum hac inſcriptione, Cuſtos Vrbis 258
Q. Minucius Thermus 207, 280. Aſiæ adminiſtrator 7
Mittere, pro ſignificare 475, 479
Modeſte, quid 77
Molli brachio 75
Molo 77
Mons Taurus 223
Montanus H-S XXII. Planco debebat 617. eius negotium 557
Montes, aquarum diuortio diuiſi 213
Monumentum 425
More maiorum 2
Morphagenes, latronū dux 208
Mos maiorum 2
Mucia, Pompeij vxor 419. Tertia dicta 26
Q. Mucius Scæuola, iuriſconſultus 178
Q. Mucius a Damaſippo eſt interfectus 315. a Mario iuniore occiſus 320
Q. Mucij duo eodem tempore vixerant, vterque iuris prudentia clarus 231
Mulieres familiæ nomine appellabantur 449
Mulli barbati, vnde dicti 75
Muli, & tabernacula, publicis magiſtratibus dabantur de publico 583
Multiiuges litteræ 542
Muluiana controuerſia 99, 100
Muluius pons 512
Mummij legati X. 472
L. Mummius Achaicus 472. Corinthum euertit anno vrbis DCXIX. 511
T. Munatius Plancus Burſa lege Pompeia de ambitu accuſatus a Cicerone, victo Pompeio, cū alijs non paucis, lege Pompeia damnatis, a Cæſare reſtituitur 228
Munda 462
T. Murcus 398
Muri Vrbis Romæ 512
Muſicus 187
Muſtaceis lauri folia ſubijciebantur 213
Muſtaceorum confectio, ibi.

Mustela 407,500,502. Antonij sodalis 545
Myrmillones, & Secutores, ijdem 274
NAnneij, Sylla dictatore proscripti 41
Nar 175
Narycæ, opidum 119
Nasidius Pompeianus, ex ordine equestri 382
Naso, Laterensis, Lænas, Ciceronis in auguratu collegæ 424
Natalis dies Ciceronis 327
Nero, cognomen Claudiæ gentis patriciæ 246
Νησὶς, parua insula 597
Nicea, Bithyniæ vrbs 535
Nicias 469, 585. grammaticus 441
Nigidius 80
L. Ninnius Quadratus 136
Nisi, pro Sed 364,388
Noctuabundus 397
Nomen dicitur, quod in codicẽ refertur 189. id, quod nobis debetur 401
Nomenti & Ardeæ prædia Atticus habuit 155
Nominis significatio duplex 401
Non particula, ad maiorem negationem iterata 343
Nõ belle valere, id est, ægrotare 557
Non ex iure manu consertũ &c. Ennij versus 573
Non liquere, & Non lucere 5
Notarum antiquarum significationes 18
Noui 133
Nullus, pro Non 393, 537
Numerius, familiæ nomen, & prænomen 113
Numerorum antiquæ notæ 19
Numerus nullus, apud veteres, vltra centum millia ibid.
Nummi genus Asiatici Cistophorus 103, 351
Nummus, siue Sesterti°, quadrantes æreos, quos hodie vocant, duodecim valet 393
Nunc, pro Sed 83
Nunciatur domum 152
Nundinis haberi comitia nõ licebat 153
OBducere verbi significatio 7
Obnunciare, & Nunciare in campum 152
Obrogare verbi significatio 135
Obseruare, quid sit 10, 480
Obsessi liberi non sunt 554
Obsignatores, in testamento 498
Occupare 470
Ser. Ocella 346
Octauia maior, & Octauia minor 561
Octauianus, & Pedius, interfectis Hirtio & Pansa, consules facti sunt 511

Octauius, Antonio inimicus, quia ex Cæsaris hereditate grandem pecuniã auerterat, suadẽtibus maxime vitrico Philippo, & Marcello, sororis viro, ad Ciceronem se contulit, seque ei, & suã causſam commendauit, id spectans, vt, propter eius gratiam & auctoritatẽ, a senatu contra Antoniũ iuuaretur 547
Octauiani concio, in tẽplo Castoris & Pollucis 616
Cn. Octauius fugitiuos in itinere deleuit 78. prouinciæ Macedonię non minore iustitia, quam fortitudine præfuit ibid.
ογχησμίτης, venti nomen, ab Onchesmo, Epiri portu 254
Odium sibilo, amor plausu significatur 46
Odorari verbi significatio 117
οἰκονομία, est ordo in re domestica 224, 228
Olympia 589
ομοπλοία 602
Opes, quantumcumq; possumus, significat 354
Opibus facultates includuntur, facultatibus opes nõ item ibid.
Opimij cognomen Veientorantius 180
Opipare 532
Cn. Oppius Cornicinus 145
Oppi⁹, Cæsaris amicissimus 194
Ordine, pro Sapienter 239
Orgetorix rex 61
Ornare prouinciam, quid sit 137
Orodes, Parthorum rex, Pacori pater 218, 230
Oropus, vrbs, ab Atheniensibus direpta 436
Osaces 213
Osim, pro Ausim 405
Otho, Scapulæ heres 453
Ouia, C. Lollij vxor 432
Pacorus, a Ventidio cum toto exercitu cæsus 210
Pactio inter Appium Claudium Pulchrum, & L. Domitium Ahenobarbum consules, & Memmiũ, & Caluinum candidatos 188
Palæstra Palatina 85
Palatualis, flamen 115
Palicanus 6, 59
παλιγγενεσία, regeneratio 221
Paludamentũ, vestis erat imperatoria, quã imperatores induti ad bellum exibant 173
Pamphylia 192, 193
Panætius 611
πανικὰ, terrores 537
Pansæ negotium 493
Parietini 211
Parilia 167, 552. celebrabantur a coronatis cum tibijs & cymbalis 552, 560
Paris 57
Paroch⁹ quid significet 470

Parthi-

Parthicum bellum 501
Pastoricia fistula 46
Patron 256. Epicureus 205
Patroni libertis, & Liberti patronis heredes erant 236
L. Paullus, L. Paulli filius, qui consul perijt Cannẽsi prœlio, Africani minoris pater naturalis 173. in secundo cõsulatu paludatus exijt ad bellum Macedonicum; nec multo post victor, capto etiã rege Perse, triumphauit ibid.
Pauperes, nouarum rerũ cupidi 64
Peccati dolore numquam liberamur 377
Pecunia attributa 470, 580
Pedarij, vnde dicti 65
Pedis mensura 74
Sex. Peducæus 617. Attici amicissimus 15, 466
Pegmata 164
Pelopidæ qui 550, 576
πεντέλοιπον 564
πεπινωμένως, eleganter 581
Per fortunas 338
Pericles 413
Perpurgo, pro, Explica, Confice 419
Perscribere, est, creditori, nõ præsenti pecunia numerata, sed per scriptum satisfacere 597
Persillus Virbialis, flamẽ 115
Perstringere, valet leuiter offendere 609
Petere consulatum 1
Petrus Alcyonius, homo improbus 590. eius opusculum de exsilio ibid.
Phædrus 606
φαλακρὸς, Græce caluus 536
Phaleræ, quid sint 592
Phamea 642. Lauini fundi dominus 310
Pharnaces 384
Pheriones, cognomen familiæ Puteolanæ 552
φιλένδοξος 489
Philippus Atiam, Iulia, Cæsaris sorore, natam, habebat in matrimonio, post Octauij prioris viri, obitũ 328. Amyntæ filius 417. Octauiani vitricus 549, 578
Philo 490
Philogenes, Attici libertus 263
Philologi 505
φιλοτιμία, auaritia 250
Philotimus, Terentiæ libertus 199, 510
Philoxenus, poeta 158
Phocenses, Atticæ regioni finitimi 554
Phocylides, poeta 168
Phrygia, regio minoris Asiæ 192, 193
in Pictura varietas delectat 33
Pieria Seleuciæ cognomen 383
Pilia, Attici vxor 155, 607
Pindentisæ 212
Pirene, fons 405

Piscinæ L. Luculli, Q. Hortensij, L. Philippi 60, 64, 68
Piscinarij qui 64, 68
Pisidia 193
C. Piso Frugi 14. Tulliolæ vir 132
Pisoni, in Senatu in Antoniũ inuehenti, nemo assensus est, armorum metu 607
Piso, argentarius 407
Pituaniorum familia 174
Plætorianum incendiũ 217
Plætorius, cõdemnatus 217. Fonteij accusator 484
Plancius in Macedonia quæstor 125. prætore L. Appuleio 132
L. Plancus 591
Plato Pythagoricis numeris philosophiam obscurauit 272
Plausu amor, sibilo odium significatur 46
Plausus mortuus, quis dicatur 108
Plautus 42
Plebeijs hominibus, inter quæsturam, & Ædilitatẽ, interpositus Tribunatus pl. patebat 73
Plebs vrbana infima, & perdita; plebs rustica, bonorum virorum ex omni ordine 264
Pollex 524. seruus Ciceronis a pedibus 359
Pomerium, a Cæsare prolatum 512
Pomerium, quid sit 521
Pomonalis, flamen 115
Pompeiani prodromi 25
Pompeij, Cæsaris, & Crassi potentia 92
Cn. Pompeius Cn. F. Magnus, ad bellum Mithridaticum profectus 9. eius vxor Mucia, Tertia dicta 26. deuicto Mithridate, Muciam vxorem, propter adulterium, repudiat, ibid. quinque vxores habuit, ibid. duas repudiauit, ibidem. eius concio prima 32. ei veste triumphali ludis Circẽsibus vti concessum fuit 59. eũ populus R. diligebat 62. eius ficta nomina, Epicrates, Sampsiceramus, Arabarches, Hierosolymarius, Megabocchus 81, 90, 92, 97, 106. in rep. princeps 81. cretatas fascias gestabat, cum aliorum eo colore non essent, ibid. in vestitu, neglecta vulgari cõsuetudine, inane quiddam amauit ad perspicuitatem, ibid. eius, & Crassi dissensio 83. diuersis nominibus a Cicerone insignitur 90. ne non satis firmæ essent Cæsaris leges, suo nomine timebat 97. Cæsarem sero cœpit timere 108. eius præstantia in bello 112. Crasso reconcilia-

conciliatur, ibid. ei vtraque Hispania data est, rogatione Trebonia 142. remp. perdidit 158. eius vxor Æmilia 177. Gabinij amicissimus 182. dissimulator 228. consul sine collega ex S. C. creatus fuerat, quo liberius posset perturbatam ciuilibus discordijs remp. constituere 252. eius malum consilium 277, 278. eius magna ingratitudo 281. eius tarditas, & ignauia 286. victus Italia cedit 288. eius perfidia 294. Hispaniarum proconsul 298. in Campania ægrotans 299, 304. eius temeritas in bello suscipiendo 304. Syllani regni cupidus 308. flagitiosus 311. illud sæpe vsurpabat, Sylla regnum armis peperit, ego non potero, ibidem. eius & Syllæ comparatio 318. omnibus minabatur, qui ipsius in præsidijs non fuissent 319. eius in prælio fortuna 358. nauigatio in Græciam 361. eum Ptolemæus, Ægypti rex, interfecit 364. ei & Cæsari non libertas, sed dominatio proposita erat 370. a Cæsare magno prælio victus 462. captis piratis, magnam eorum partem constituit in agro Dymæo 594

Pompeij filius Appij filiam habebat in matrimonio 240

Q. Pompeius Rufus 182

Sex. Pompeius, Magni filius 564. Libonis gener 602.

Pontes, quibus cistæ suffragiorum superimponebantur 35

Pontificũ collegium, ex quibus ordinibus 144

Pontina tribus 178

C. Pontinius, prætor, Ciceronę consulę 184. in Cilicia legatus, ibid. vir prætorius, & triũphalis 240

Pomptinus, & Pomptinius, siue Pontinius a Pomœtia 184

Pontinum prædium ad Põtinas paludes 262

Pontius Titinianus 348. cũ Cæsare contra Pompeiũ arma tulit 323

Populares qui dicti 107, 412

Populus non rogat, sed rogatus iubet 35

Porcia, Catonis soror 303. L. Domitij Ahenobarbi vxor 516. M. Bruti coniux 488, 575

Porciæ Basilicæ, & Curiæ incendium 551

Portorium circumuectionis quid 102

Portumnalis, flamen 115
Posidonius, Panætij discipulus, Rhodius Philosoph⁹, e Stoica disciplina 611
Postumia, Sulpicij iurisconsulti vxor 419. vel vxor vel amica Pontinij 220
Potuit verbi explicatio 93
Præconium, id est, vendendi munus 481
Prædiator, qui 422
Prædiorum nomine & domi, & agri comprehendũtur 586
Præstare aliquem dicimus, cum efficimus, ne quid is committat secus, quã volumus 241
Prætexta, magistratuum toga, & puerorum ad annũ XVII. 235
Prætor, quis dicatur 220
Prætores nõ iudicant, sed ius dicunt, hoc est iudicij formulam dant. Iudicant autem dati a prætore iudices 315. tribunos dignitate anteibant 431. ludos facere soliti erant 575
Prætura a consulatu biennio distabat 166. petebatur, & legibus dabatur anno XXXIX. 509. curulis magistratus fuit ibid.
Pragmatici 110
Prensare 1
Primipilus 215
Principes ibid.
Priuato concionari, nisi magistratu permittente, non licebat 115, 143
Priuilegium differt a Lege 127
προβολὴ 493
Prociliorum familia 174
Procilius, grammaticus 80
Proconsul Romam ingredi cum imperio non poterat 186
Proficisci, non est peruenire, sed discedere, vt peruenias 286
Prognostica Ciceronis, Arati versus, a Cicerone latinitate donati 78
Prolixior, id est facilior, liberalior 241
Promouere 172
Promulgare, verbi significatio 30, 134, 491
Propius abesse, est, minus distare 9
Prora, & puppis, prouerbium 182
Pro re nata, Ere nata 265
Proscribere 146

PROVERBIA.

ἅλις δρυὸς 109
ἄνω ποταμῶν, retro flumina 569
καλλιππίδης 482
κωρυκαίοι 350
μή πω μέγαν 164
οἵατ' ἀνδέσποινα 205

Θῆκος φίλος, οἶκος ἄριστος 582
παῖδες παίδων 610
πρώρα πρύμνα 182
σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει 67
Prouinciam ornare, quid sit 137
Prouinciarum administratio quatuor annorum 9
Proximo, pro Proxime 185
Ptolemæus 101
Publicani omnes equites erant 51, 230
Publicanis cum prouincialibus negotium 230
Publicani vectigalia quincto quoq; anno redimebant 238
Publilia, altera Ciceronis post Terētiam vxor 419, 449. eam post Terentiæ diuortium, virginem duxit: cum qua & ipsa postea diuortium fecit, quia lætari Tulliolæ morte videbatur, ibidem, & 596
Pudet magis; cum sponsorem, quam cum ipsum debitorem appellamus 616
Puaire odium, ac dolorem 547
Pupillorum bona, qui in legitima tutela sunt, vlucapi non possunt 17
Purum putum 92
Putare verbi significatio 170
Putealia sigillata 22
Puteoli, & Lucrinum, loca, maris adspectu, iucundissima 167
Puteoli, in via, quæ ex Apulia Romam fert 185
Puteoli fuit Cicero, cū quinque Cæsarianis 564
Putum, quid sit 92

Qvæstio, de pollutis sacris, a Senatu decreta 27
Quæstoribus a Senatu prouinciæ assignari solitæ 247
Quæsturam ædilitas consequebatur 73
Quæsturæ petendæ annus certus non erat 509
Quattuor viri municipijs præerant 346
Quercus Dodonæa 85
Qui, pro Vtinam 161
Quincti fratris ædilitas 14. eius vxor, Attici soror 17. proconsulatum Asiæ parum feliciter administrat 78. frenis egebat, vt ingenio valens plus etiam, quam satis esset: calcaribus Marcus, vt tardior: ergo hic Ephoro, ille Theopompo similis, vtrique Isocratis discipulo 229. triennium Asiæ præfuit 247. eius in Marcum Ciceronem fratrem acta 361. eius cum Pomponia, Attici sorore diuortium 556

Quinctus filius Parilia coronatus celebrauerat, vt amorem suũ erga Cæsarẽ etiam mortuum ostenderet 552. Antonij familiaris 562
Quinquatruũ primus XIV. Kal. Apr. 313
in colle Quirinali, & Quirini templũ erat, & Salutis ædes, Salutis augurium dicta 463
Quirinalis, flamen 115
Quod 323,329
Quom, pro Cum, veteres scribebant c 374
Quo modo, frequens locutio apud Ciceronem 386
Quotus 465

RAnæ ῥητορεύσουν 582. earum clamor futurã pluuiam indicat 78
Rauduſculum, quid 163,554
Raudum, pro ære, apud veteres 163,554
Reatina cauſſa 175
Rectores prouinciarum, ſine ſucceſſore decedentes, legatos, qui præeſſent, relinquebant 218
Regia, publicum erat ædificium, in quo ſacra fiebant ex antiquo Numæ inſtituto 326
Regna Puteolana, & Cumana prædia 556
Regnum iudiciale 3
Relictio 606
Religioſus triſti omine infamis 304
Reliqua facere 581,586
Renouare fenus per ſingulos annos, quid ſit 226
Reorum in petitione magiſtratuum ratio non habebatur 6
Repetundarũ accuſatus eſt Catilina ab Afris oratoribus 4
Repræſentare 439,440, 448
Repræſentatio 506
Rerum prolatio 269
Reſiſtere 114
Reſtat id hercle 485
Retiarij 273
Retinere 492
Reus, is pro quo ſpondetur 424
ῥηξόθεμις 546
Rhinthon, poeta comicus Tarentinus 68
Riſiſſe 2
Romæ veteres muri a Seruio rege conditi 512
Romanis barbam alere, moris non erat 34
Romani veteres crura faſcijs induebant Ca 681
Romani in funere mortuos laudabant 516
Roſcius Otho trib. pl. quadriennio ante Cic. conſulem legẽ tulerat, vt equites in theatro ſeparatim a plebe in quatuordecim proximis ordinibus ſederent 72

Rosea, campus 175
Rufio Vestorianus 552
Rusticani 397

SAcra Bonæ deæ, Clodij scelere contaminata 32
Sacra via 148, 150
Sagacitas neq; vitium significat, neq; laudem 240
Saliorum sacerdotum cenæ 202
P. & Cn. Sallustij argentarij, alter Romæ, alter Brundisij 373
Sallustius 14, 530
Salutis ædes, in Quirinali colle dedicata 141, 463
Saluius 599
Sanctiones si manerent, leges abrogari non possent 134
Satisdationem secundũ mancipium venditor quærit, vt sibi de mancipijs caueatur 194
Saturnaliorũ dies, XIV. Kal. Ian. 212
Saturnalia, Ciceronis ætate, triduũ celebrabantur 215
Saturni ærarium 521
Saufeij liber 559
Saufeius 14, 92. Epicureus 251
Scæuola tutor pro Glabrione pupillo fenus, & impendium recusauit aduersus creditores pupilli 225
Scaptij duo 243
Scaptius Cyprius, Bruto faemiliaris 579
Scauri, patricij 186
M. Scaurus, C. Catonis patronus 179
Scaurus accusatus erat a P. Valerio Triario repetundarum ex Sardinia: iudicium M. Cato prætor exercuit 178
Scilicet 397
Scindere verbi significatio 126
P. Scipio Metellus, Pompeij Magni socer, Syriæ proconsul 10, 233, 298
P. Scipio Nasica, a Q. Metello Pio adoptatus 77. is, qui T. Gracchum Pontifex max. interfecit, Serapio fuit 233. Serapio, eius filius, qui Corculum vocatus est, genuit Scipionem Nasicam oratorem, qui consul fuit cum Bestia, anno vrbis DCXLII. hic autem Naficam, Crassi oratoris generum; ex quo Nasica, a Metello Pio adoptatus, ibid. Serapionis cognomen accepit a mancipio, ob similitudinem formæ ibid.
L. Scipio, a Sylla proscriptus 320
C. Scribonius Curio, tribunus pl. 236
L. Scribonius Libo rogationem tulit in Ser. Sulpicij, quod prætor Lusitanos

contra interpositam fidem occidisset 409
Scrofa, Tremelliorum cognomen 199
Scutum abijcere 591
Secutores, genus gladiatorum 273
Secutores, & Myrmillones, ijdem 274
Sedere dicuntur, qui turpi otio languent 315
Sedere quandoque valet, nihil agere 553
Selicia, siue Seruilia 579
σημαία, Signum 214
Semissis, vsura est, cum pro centenis nummis seni penduntur in anno 402
C. Sempronius Rufus 195. Rufio per irrisionem vocatus 240
Senatoribus ab vrbe diutius abesse non licebat, nisi iure liberæ legationis impetrato 8
Senatores, qui curules magistratus gessissent, curru in curiam honoris gratiam vehebantur 65
Senatores plerique XVI. Kalend. Februar. Roma discedebant: quod senatus reliquis Ianuarij diebus per legem Pupiam haberi non poterat, ac ne Februario quidem toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus 457
Senatorium ordinem qui cũ ciuitate amittant 133
Senatus auctoritas quid sit 145, 196
in Senatum ire cum telo lex vetabat 115
Senatus cum vocabatur, senatores, qui erant in vrbe, adesse iubebãtur in senatu; qui non erant, iuberi non poterant 172
Senatus vt Kalendis haberetur, videtur in consuetudine positum fuisse 411
Senatus ex M. Lepidi sententia decreuerat, vt in patriam Sex. Pompeius redire posset, dimisso prius exercitu 587
Senatusconsulti auctoritates quæ dicantur 66
Senatusconsultum de populis liberis 77
S. C. improbata a Cæsare 365
S. C. sancitum erat, vt acta Cæsaris rata manerẽt 557
libri de Senectute initium 611
Septem aquæ 176
Septem fora 192
Septem viri, diuidundis agris præpositi 584
Septimia, vxor Sicæ 610
Serapion Antiochensis Geographus, & Hipparchus, variarum rerum scriptores 87. eius liber de geographia 84

Serperastra, instrumenta sunt, quæ geniculis puerorũ dum ambulare discũt, alligantur, ne vari fiant, aut compernes 259
quo die seruabatur de cælo, eo die comitia fieri nõ poterant 151
Seruare de cælo 102
Seruile bellum, Pompeij aduentu sublatum 33
Seruilia, M. Bruti mater, M. Catonis vterina soror 223, 573. eam Cæsar amauit 115, 563
Seruilia, Claudij vxor 430
Seruilius, Asiæ præfectus 191
Seruilius Ahala, Q. Melij occisor 116. Q. Melium regnum appetentem occidit 519
P. Seruilius Isauricus 66, 193, 232
P. Seruilius Isaurici filius 178
Sestertius & Nummus nihil differunt 393
Sextilij fundus 541
P. Sextius 365, 528. tribunus pl. designatus 129. rogationem scripserat de Ciceronerestituendo, quã deinde in magistratu ferret 132. Siciliam sorte habuit 298
Sextius, Cæsaris percussor 602
Sibi, pro Illi 145
Sibilo odium, plausu amor significatur 46
Sibyllæ versus 522
Sica 447. Ciceronis amicus 604
Sicinius 199
Siculi Ciceronis erant in clientela 548. eis Antonius ciuitatem dedit, ibidem. eos Cæsar Latinitate donauit ibid.
Sicyon, ciuitas Achaiæ 28
Sicyonij pecuniam Attico debebant 28, 66, 77
Si etiam, pro etiamsi 463
Silius 530
Sin, pro sin aliter 613
Sinus Baianus 550
Sittybæ, membranulæ, quarum integumento libri a pueris temporisque iniuria diutius integri conseruantur 157
Socrate nemo sapientior 285
Socratici veteres εἰς ἑκάτερον disputabant 83
Sol assus 413
σοφιστύν 94
Sophistarum in disputando consuetudo 95
σπείρα 214
Spinther, seruus amanuensis 499
Spongia 42
Sponsalibus iam factis, coniugium non semper est consecutum 155
Spurius, nepos Spurij Mummij 474

Statius, libertus Q. Ciceronis 194, 404, 584
Statores, qui homines sistunt 349
Stipulationes 612
Stoicorū de visu sententia 82
Strictim 71
Struma, tumidū Vatinij gutur 94
Stupere dicitur is, qui torpore quodā captus languet immobilis, aut inopia cōsilij, aut aliqua re, tarditatem inijciente 268
Sub signis 608
Ser Sulpicius 258, 495. iurisconsultus, legatus ad Antonium 573
Ser. Sulpicij filius 322
Sub, pro paullo ante 60
Supplicationem triumphus fere consequitur 253
Sustineri, id est defendi, foueri 129
Sustinere currum, id est inhibere equos 493
Suum, prænomen 335
Sylla victor donauerat amicis suis eorum agros, qui, Mariū secuti, cōtra ipsum arma tulerāt 63. proscriptorum liberis aditum ad magistratus lege obstruxerat 72. dictator, duos gemellos ex Metella suscepit; Faustum, quem postea victor Cæsar sustulit; & Faustam, quæ Miloni nupsit 287. ipse & Messalla erāt ex ijs, quos Cæsar in Italiam miserat, vt legiones in Siciliā traducerent 386
Synnadense forum 192
Synnadem in Phrygia maiore Geographi ponūt 192, 193
Syria, prouincia, Pisoni a Senatu desponsa 43
συρίγγιον, pro sibilo & fistula pastoricia 46
συρίζειν, pro Sibilare, & Fistula sonum edere ibid.

TAbellarius Lepta 516, 528
τάγμα, ordo 214
Talentum Atticum, scutati DCCXX. 225
Tamen, pro certe 415
Tanti, pro tām paruo 446, 465
Tantum quod 580
Tarteslos, altera ex Gadibus 260
Taurus, mons 210, 223
ταξιάρχης 611
in Telluris templo decretum est, vt, quæ Cæsar statuisset, decreuisset, egisset, rata manerent 613, 618
Tectoria quæ sint 22
Tene, oppidum maritimum 237
Terentia, Ciceronis vxor, a Cicerone dimissa 355. eius testamentum 387. suspiciosa 389. cur videatur diuortiū denunciare 390. post Ciceronem Crispo Sallustio

Salluſtio nupſit, deinde Valerio Meſſallæ 432
Terentij locus 54
Tereus, Attij tragœdia, ludis Apollinaribus populo recitata 597, 603
Tertulla, M. Brutiſoror, Caſſij vxor 561, 575
Teruncia, eſt quarta pars Libræ: ergo & quarta pars bonorum 255
Teſtæ nomen 602
Teſtamento facto, veteres ex lege obſignatores adhibebant 498
Teſtamentũ Terentiæ 387
Teſtis locuples quis dicatur 285
Τέθριππα 220
M. Tertius Damon 148
Teucris 23, 32, 37
Thallumetus 418. litteratus, Attici ſeruus 206
Thalna 505. Iuuentiorum cognomen 604
Themiſtocles 311. pulſus inuidia ciuium, ad Artaxerxem, Perſarum regẽ, exſul confugit 335
Theopompus 295. Mitylenæus 86
Theophanis liberti apud Põpeium auctoritas ſumma 205
Theophraſtus, Ciceronis deliciæ 94. eius libri de rep. ibidem
Theopompus, Iſocratis diſcipulus 71. in hiſtorijs ſuis hominũ mores aſpere accuſabat 88
Theſprotia, & Chaonia, Epiri loca 241
Sp. Thorius agrum publicũ vectigali leuauerat 99
Thraſybulus Athenienſis armatus acceſſit ad patriæ mœnia, vt eam a triginta tyrannis liberaret 287
Thurium, opidum 120
Thyamis fluuius, Theſprotidẽ, Ceſtrinamq; diſcriminat 255
Tigellius Sardus, tibicen, & cantor, Cæſaris familiaris, Phameæ nepos 528
Tignium, opidum in Piceno 273
Q. Titinius 219
Q. Titinij filius 305
Τὸ ἐπὶ τῇ Φακῇ μύρον 62
Toga picta 59. pura 265. virilis 217
Torquati nomine liber inſcriptus 508
A. Torquatus 476
L. Torquatus 256, 477. Epicuri ſectator 420
Torquati negotium 492
Tranſlaticium quid ſignificet 134
Tranſpadani, a Cn. Pompeio ciuitate donati 204
Trebatius Epicureus 562
C. Trebonius, tribunus pl. legem ferebat de prorogando in alterũ quinquennium Cæſaris imperio,

M. Catonem, legi obſiſtentem, in carcerem duxit 258. tulit, iterum Pompeio & Craſſo cos. vt Cæſari prouincia in alterum quinquennium prorogaretur 285
Tremelliorum cognomen quod 199
Tres Tabernæ 28
Triarij 215
Tribunatus pl. patricio homini non dabatur 57
inter Tribunatum & Prætură anni quatuor intererant 408
Tribunatus pl. primus dies erat IV. id. Dec. 137, 614
Tribuni ærarij plebeij generis erant, cum in iudicijs plebem referrent 40. terni e ſingulis tribubus delecti erant, vt eſſent omnino CV. ibidem
Tribuni pl. ante alios magiſtratus & deſignabantur, & magiſtratum inibant 370
Tribunis licebat, quem vellet, in concionem abreptum interrogare qualibet de re 562
Tribunorum pl. deſignatio 2
ante Tribunum pl. deſignatum priuatus ſenator ſententiam non dixiſſet 431
Tribunorũ pl. poteſtas quæ 32
Tribum ferre 76
in Tribu Æmilia Formiani ſuffragium ferebant 98
Tribus Cornelia Ciceronis fuit 76
Tribus Mæcia 178
Tribus Pontina ibid.
Tribus Velina ibid.
Tribus omnes XXXV. erant 40
Tribus ruſticæ, ingenuorũ erant; vrbanæ, libertinorum 258
Tribus veteres ſuum quæq; augurem habuit 189
Tributa comitia quæ dicantur 187
Tribuum nomina 179
Tricatur, qui falſa loquitur 560
Tritia, opidum maritimum 237
Troia dictus locus is, in quẽ primũ egreſſus eſt Æneas, vicinus agro Laurenti, Ardeati, Antiati, Lanuino 317
Tubi 22
L. Tubulus 407
Tuditanus 509. Mummij legatus, Hortenſij proauus 472
Tulliola, Furio Craſſipedi nupta 14. eam Cicero, poſt mortem L. Piſonis, cognomento Frugi, Furio Craſſipedi collocauit, Marcellino & Philippo cos. 157. poſt pugnam Pharſa-

Pharsalicam a Dolabella dimissa 354. maritus Dolabellæ 381. eierigere fanum Cicero volebat 424, 428
M. Tullius Laurea 495. Ciceronis scriba 197
L. Tullius Montanus 416, 468
Tumores rerum 539
Tunica palmata, & Toga picta indutos Imperatores triumphasse 59
Turma dicitur de Equitibus; cohors de peditibus 239
Tusculanæ quæstiones 508
Tusculanarum liber primus, Saufeianus appellatus 571
Tusculanum 582. Romæ propinquum 491
Tutelæ legitimæ 17
Typi 22
Tyranni, quos in vrbe occidere non audent, eos primum astuto consilio relegant; deinde, ab oculis populi remotos, interfici mandant 540
Tyrannio, grammaticꝰ 154. eruditus 400. Amisenus 412
Tyrannio, geographus 87
Tyrotarichi vocabuli significatio 163, 556

VAcillare 559
Valerius 81. interpres 26
M. Valerius Messalla 56
Varietas in pictura delectat 33
M. Varro, Pompeij præfectus bello maritimo contra piratas 113. Pompeij in Hispania legatus 205. clarorum virorum nomina in vnum librum congesserat, eumq; inscripserat πεπλογραφίαν 611. eius opus Ηρακλείδιον, ibid. ipse & Lollius Porciam laudauerant 528
Vates optimus is est, qui bene conijcit 272
Vaticani montes 513
Vatinius tribunus pl. Cæsaris consulis minister in seditionibus 88, 96
Vectenus 402, 579
Vectigalia per quinquennium locabantur 63, 238
Vectigalium locandorũ cura penes Censores erat 51
Vectigal, quid 101
Veietorantius, Opimij cognomen 180
Velina, tribus 178
Velites 214
Vennonius 400
P. Ventidius 511
Venus Coa 112
Versuram facere 194, 585
Verum, pro æquum 412
Verumtamen 159
Vestales sacrificio intersunt 30

Vestalis virgo, a Catilina stuprata 43
Vestoriana hæresis 552
Vestorius 517. Puteolanus 185
Via Appia 266. Flaminia 7. Sacra 148, 150
Vicesima tributum 101
Victimæ, ab exercituum ductoribus cædebantur, priusquã ad bellum exirent 28
Victoria, dea 522
Viginti viri a Cæsare, perlata lege agraria, creati ad æstimationem agri Campani 88
Vindex, dupliciter ponitur 78
Vindullus 236
Virgilius, vnus ex coheredibus Scapulanis 500. Othonis hæres 510
Virginius 406
Vis 525
Visceratio 13
T. Visellius 136
Visus 82
Viuere 496. quandoque valet iucunde viuere 399
Vlysses apud Homerum legatus ab Agamemnone ad Achillem 550
Vnciariam vsuram XII. Tabulæ vetabant 24
Volcanalis, flamen 115
L. Volcatius Tullus, consularis 258. consul fuit cum M'Æmilio Lepido 290
Volturnalis, flamen 115
Volumnius Eutrapelus, Antonij familiarissimus 574
Vorare litteras 170
Votiua & libera legatio 565
Votiui ludi 8
V. R. vti rogas 35
Vrbani, pro, Exvbe 9
Vrbis auctio 491
Vrbs & Ciuitas differunt 558
Vrbs Roma ex tribus ordinibus, senatu, equitibus, & plebe constabat 52
Vsucapere 17
Vsura grauissima quæ 24. vnciaria, XII. Tabulis prohibita ibid.
Vsuræ centesimæ, omnium grauissimæ, vnde dictæ ibid.
Vsuræ quaternæ 222
Vsuræ sublatæ 24. Idibus Quinctilibus soluebantur 176
Vt 387. pro, Etiam 356. pro, Etiam si 211. pro, Quam 144
Vtilitas, ab Vtor; non ab eo, quod vtile est, & quod expedit 261
Vulturtius, vnus ex Catilinæ socijs, & legati Allobrogum comprehensi 117
Vxoris, subauditur: vsitata figura 236

Xeno

XEno 516. Attico mandante, pecuniam Athenis Ciceroni filio numerabat; sed perexigue, multisq; pensionibus concisam 595

Xenocratis iuramentum 40

Xystus 21

Υπόμνημα 588

LECTORI.

QVia aliquid spatij supereſt, de quibusdam locis monere lubet. Pag. 17, versu 2. scribit se de duplici vico dixisse in epistola 10, lib. 2. ad Fam. verum ibi neque in ipsa epistola, neque in explanatione, vici vlla fit mentio. Occurrit quidem id nomen in 1 epist. ad Terentiam lib. 14. sed de eo nihil differit. Est autem res per se facilis. Vici vrbani sunt partes vrbis constantes ex multiplicatis domibus, vijsque, itineribus & regionibus distinctæ. inde vicus patricius, vicus sceleratus, vicus sobrius, & similes. Vici rustici sunt qui alio nomine Pagi dicuntur, cum plures villæ seu rusticanæ domus simul iunctæ sunt, remotæ tamen ab vrbe & absque mœnibus. Festus triplicem vicum facere videtur. Eadem pag. ℣. 20. pro *commorationis vrbanæ* in epistolis ad Fam. pag. 999. nostræ editionis, Manutius legit *moderationis vrbanæ*. P. 18. quæ habet de notis numerorum antiquis, vide etiam in Comm. in ep. ad Fam. pag. 290. P. 24. confer locum de vsuris cum eo qui est in Comm. in ep. Fam. pag. 491. alterum ex altero emendaueris, rectiusque intellexeris. P. 29, ℣. *pot.*] constructio perfectior esset, si sic legeretur: *quid de h. ipso Pisone in lib. de clar. Orat. Cicero referat.* P. 32, ℣. *neminem*] scribit *Fusius*, & in toto hoc Commentario: in ep. tamen ad Fam. est *Fufius*, vt etiam in argenteis nummis, Aldo filio referente. Locus cuius paullo post meminit ex Commentarijs in epist. ad Q. fr. est pag. 37. nostræ editionis. Verum nihil ibi ex Dione aut Pediano affert. P. 47, ℣. 5. testatur libros veteres esse in quibus legatur *cuius cuiusmodi res esset*, in epist. 7, lib. 4. Fam. de hac lectione nihil in Com. pag. 434. poteris igitur eam notare. P. 65, ℣. *Plaut.*] *exemplar* est

in Horatio, non *exemplum*. P. 76, ℣. *dinis*] monet videndum quæ dixerit de libertinis in Comm. epist. ad Fam. ep. 10, lib. 5. sed nihil reperies in eo Comm. qui postremus nuper prodijt, nisi forte alium copiosiorem scripserit. P. 112, ℣. 6. numerus 34 abundare videtur. Forte designaturus erat epistolam 19. vbi de Bibuli edictis, sicut & in hac ipsa paullo infra, Archilochia Bibuli edicta populo iucunda esse ait. P. 122, ℣. *tre*, & sequentibus, IV pro III impressi libri habent. P. 129, ℣. *acced.*] Liuineius, vti hic scribit, Regulorum est cognomen: at, vt in Comm. in ep. ad Fam. pag. 1381. Regulus est cognomen gentis Liuineiæ. P. 153, ℣. *fam.*] Celerem & Nepotem Metellos, fratres germanos fuisse non existimat: in explanatione epistolarum ad Fam. germanos fuisse omnino asseuerat, & rationes contrarias dissoluit. Locus est pag. 470. P. 187, ℣. *rat*] *Silanus* scribendum pro *Siluanus*. Siluanus enim Deus est, Silanus Plautiorum cognomen. P. 199, ℣. *nium*] vbiq; legit & scribit *Anneius* in Comm. in epist. ad Fam. sicq; etiam Aldus filius in sua Orthographia. P. 243, ℣. *mil.*] quæ hic vt nona citatur, in postrema editione est sexta. Sic sæpius a Manutio alteram pro altera sumtam deprehendes, quia eadem epistola in diuersis editionibus diuersum locum obtinet. P. 258, ℣. *sat.*] quam lectionem hoc loco improbat, in ep. ad Fam. probat, pag. 491. P. 272, ℣. *Therm.*] ex lapide vetere potius *Iguuij*, quam *Inguij*, restituendum fuisset. legitur enim in eo IGVVINORVM. P. 296, ℣. *Metusc.*] forte *M. Tuscilio*, pro *Metuscilio*. P. 323, ℣. *me*] locus ex epist. ad Fam. sic habet in postrema editione: *Si Silla mea apud te commendatio ualuit, &c.* P. 337, ℣. *videtur*] confirmat hanc lectionem ipse in Comm. in ep. ad Fam. pag. 943. vbi legit *filium Vnicum*. Sunt autem omnia hæc vsq; ad epistolam IIX. ex dicto commentario desumta, præter illud pag. 339. *Ne aut odisse*, &c. & hic ait se locum ex antiquis libris Bessarionis & Ferri emendasse; ibi vero pag. 944, ℣. 4, aliquid deesse putat. P. 342, & in Fam. p. 1056, aliter Virgilij versum citat, quam in hocipso Comm. pag. 588. Et sane in Virgilij exemplaribus est, *tua cura Lycoris*. P. 374, ℣. 2. est tamen in antiquis libris *postea quam*, vt ipse testatur in Comm. in ep. ad Fam.

p. 305.

p. 305. P. 384, ℣. *enim*] pro *per prouinciam imperij tui pecunias ei cred.* sic posti remo edidit ep. 7. lib. 1. Fam. *per prouinciam, atq; imperij tui prouincias ei cred.* P. 387. ℣. 4.] *Qua mihi* legit pag. 360, supra. P. eadem, ℣. *si*] dele alterum *est.* P. 470, Horatij vulgata exemplaria habent, *præbuit, & parochi, quæ debent, ligna salemq;.* P. 477, ℣. *Vlt.*] scribit Chilonem: in Comm. in ep. ad Fam. pag. 454. Cilonem probat sine h. P. 480, ℣. *Phil.*] in quibusdam exemplaribus reperio *custoditus* pro *cultus*, vt etiam pag 10, ℣. *post.* P. 528, ℣. *nem*] quidam malunt *Cnctorem* pro *cantorem.* vide explicationem Manutij ad locum ep. 24. lib. 7. Fam. pag. 778. P. 530, ℣. *igit.*] Cipius nominatur a Festo. P. 563, ℣. *auct.*] pro *nummo* reponunt quidam *minimo.* Quosdam quoq; numeros falsos in exemplari deprehendimus. Repone igitur pag. 24, ℣. *ep.*] 13 pro 12. P. 261, ℣. *nem*] 5 pro 1. P. 374, ℣. *rebat,*] 42 pro 12. Erant etiam quædam de Græcis monenda: sed quia in ijs non sunt sitæ res Græciæ, prætermittimus.

FINIS.

A

SIMEONIS BOSII PRÆTORIS LEMOVICENSIS ANIMADVERSIONES IN Epistolas M. T. Ciceronis ad T. Pomponium Atticum:

AD AMPLISSIMVM VIRVM PHILIPPVM HVRALTVM CHIVERNIVM, Galliæ Procancellarium.



FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXX.

SIMEO BOSIVS PRÆTOR LEMOVICENSIS PHILIPPO HVRALTO CHIuernio, Galliæ Procancellario, S.

NON leuis fuit olim controuersia, clarissime Huralte Chiuerni, vsune potius & assidua rerum tractatione, an præceptis veterum scriptorum, qui ætatem omnem in litteris egissent, recta Reipublicæ administrandæ ratio disceretur. Qua in disceptatione cum alij aliorum sententiam multis argumentis oppugnarent, & hi quidem rudium & ineruditorum Reipublicæ moderatorum tyrocinijs plærumque statum ciuitatum subuerti; illi vero non rebus dispiciendis, & contemplandis, sed agendis, & tractandis, ciuilem contineri societatem tradèrent, nimiaq; dissidentium pertinacia grauiter vtrimq; peccaretur, tandem extiterunt cum apud Græcos, tum apud Latinos, viri non pauci, multiplici doctrina, variog; rerum vsu præstantes, qui suo exemplo, posse hoc dissidium bellissimè componi vtriusq; studij participatione docuerunt. Ac, vt alios omittam, in primis M. Tullius Cicero, cùm ex vberrimis Græcorum fonti-

bus non modo ornate dicendi copiam, sed etiam ciuilem scientiam affatim hausisset, ita se ad Rempublicam administrandam contulit, itaq; in ea versatus est, vt alium in consilijs dandis prudentiorem, aut in ijs quæ semel decreta fuissent exequendis diligentiorem, patriæue & bonorum omnium amantiorem, & contra nefarijs & sceleratis ciuibus infensiorem ea tempora tulerint neminem. Cui rei testimonio sunt cum alia multa præclari eius ingenij monumenta, tum vero maximè sexdecim epistolarum libri ad T. Pomponium Atticum scripti, in quibus de retinendis ordinum studijs, de vicijs principum, de pace concordiaq; inter dissentientes ciues iungenda, de fulciendo stabiliendoq; statu Reipublicæ iam iam ad exitium ruentis ita prudenter disserit, vt dubium non sit, quin ciuitas Romana funestam eam cladem, quæ ei tunc accidit, fuerit euasura, si apud perditissimos hominis, rerumq; nouarum auidissimos, sapientissimi illius viri auctoritas aliquid ponderis habuisset. Licet præterea eodem libro, tanquam in speculo, miseram eorum temporum faciem contemplari, quibus non modo Italia, sed vniuersus pæne terrarum orbis primum Cæsaris & Pompeij, tum Antonij & Octauij dissidijs grauiter concussus, & labefactatus est.

ctatus est. Quapropter cum ex illo publici infortunij spectaculo ante annos quindecim sperarem dolori meo, quem tum de Galliæ intestino bello flagrantis calamitate susceperam, posse solatij aliquid adferri, simulq; non alienum ducerem ab institutis iuris Ciuilis studijs in eius scripti lectione sedulo versari, in quo passim multa veteris iuris Romani extarent impressa vestigia, lubentissime eum librum in manus sumpsi, meq; totum ad eum legendum applicaui. Verum non longe postea fuit, cum me ab eo studio duæ potissimum res abduxerunt, de quibus initio minime cogitaram. Tot enim mendis obsessas singulas paginas, tam densisq; tenebris obductas plærasq; sententias deprehendi, vt præter inanem operam, reliqui nihil esset, quod ex ea lectione reportarem. Itaq; ab incepto eo vsq; destiti, donec veteres eos codices nactus sum, quorum ope obices illi submoueri possent, qui legentis cursum prius identidem retardabant. Et sane ex accurata priscorum illorum exemplarium cum excusis contentione id commodi consequutus sum, vt, detectis maculis, quibus totus ille liber fœdissime inquinabatur, permulta facillime intellexerim, quæ mihi antea numeris Platonis obscuriora videbantur. Ac ne mihi tantum viam illam stra-

uisse & complanasse ad optimi auctoris intelligentiam existimarer, quampaucissimis potui, perstrinxi quicquid inter legendum occurrebat, quod ab alijs prætermissum animaduersione dignum iudicarem. Id vero cum in lucem proferre decreuissem, tibi potissimum multis de caussis dicandum putaui. Nemo enim hac ætate viuit (Christianissimum & optimum Regem nostrum, ceterosq; illustrissimos Principes excipio) cui plura, maioraq; beneficia Galli accepta referre debeant, quam tibi. Tu enim constitutis prudentissimo tuo consilio Gallicis rebus, exulantem hinc æqui bonique rationem post multos annos quasi postliminio reduxisti, præcisaq; facinorosis hominibus omni spe veniæ, labantem antea effusa licentia Reipublicæ nostræ statum ita supplicio-rum terrore confirmasti, vt boni omnes illo tranquillitatis otio, quod multoties antea frustra exoptarant, se diu potituros tuo præsidio confidant. Quæ omnia tentasse quidem suo tempore Ciceronem, sed vi nefariorum hominum repressum perficere non potuisse ex eo libro cognosces; eoq; infortunatior censenda Italia, quam Gallia, quod quibus consilijs hæc prope ab interitu per te reuocata est, ijsdem a Cicerone profectis illa funestissimam pristini status mutationem vitare nequi-

uerit.

uerit. Sed de tuis in Galliam meritis plura si scribam, vereor ne culpa ingenij laudes tuas detere-re videar. Hoc igitur tantum addam, me ea quoq; de causſa hunc tibi librum nuncupaſſe, vt diſcant tuo exemplo politici homines Ciceronem in iuuanda ſalubribus conſilijs Republica gnauiter imitari. Vale. Ratiaſti Le-mouicum, V. IDVS OCTOB.

SIMEONIS BOSII PRÆTORIS LEMOVICENSIS ANIMADVERSIONES IN EPISTOLAS M. TVLLII CICERONIS AD T. Pomponium Atticum.

IN LIBRVM PRIMVM.

VSVS sum in his epistolis emendandis tribus exemplaribus manu scriptis; quorum duo antiquissima erant & optima, Tornæsianum, ex cuius fide plærag; integritati suæ restituit Lambinus, quæ erant antea valde depravata, & Decurtatum, quod ipse ante annos quindecim a gregario quodam milite cum alijs aliquot libris calamo exaratis comparaui, ex bibliothecæ cuiusdam sacræ direptione, tanquam e periculosissimo naufragio, seruatum. id autem plurimis in locis emendatius scriptum reperi quam Tornæsianum. quamquam erant in eo multa lacera, deerantque alicubi integræ paginæ, totique vltimi duo libri. qua de causa codicem eum Scidas, aut Decurtatum appellare soleo. Tertium mihi præbuit ornatissimus, doctissimusque vir Erricus Memmius, secretioris consilij Regij consiliarius, qui eum a clarissimo viro I. Huralto Bœtalerio vtendum acceperat, vt eius mihi copiam faceret: quo libro vsum etiam Lambinum vi-

binum video. sedis, vt non tam vetus erat quam superiores illi duo, ita scripturæ integritate multum illis cedebat. Adiutus sum præterea codice quodam excuso Lugduni, qui olim fuerat Petri Cruſellij, medici apud noſtrates celeberrimi, ad cuius libri oras doctus ille vir varias lectiones appinxerat, a ſe, vt ipſe dicebat, diligentiſſime, & ſumma fide e vetuſtiſſimo, & caſtigatiſſimo libro Nonioduni deſcriptas. Horum igitur librorum fretus auxilio, infinitas propemodum maculas ex his epiſtolis abſterſi, &, quantum in me fuit, lumen obſcuris multis locis attuli. Sed de toto hoc ſtudio, opera, induſtriaque noſtra iudicium penes lectorem eſto.

IN EPISTOLAM I.

DE ordine epiſtolarum, quæ his libris continentur, hoc ſemel dictum volo; quicunque eas primus digeſſit, vt hodie leguntur, eum non ſeruaſſe temporum rationem, quo ſcriptæ fuerunt. Verum quia non alio ordine extant in libris antiquis, quam in vulgatis, hunc errorem potius ferendum duxi, quam ex opinione quicquam mutandum. *Sine fuco*] ita interpunximus hæc verba, vt monuit Malaſpina: vt, *ſine fuco & fallacijs*, referatur ad denegationem ſuffragatorum, non ad prenſationem Galbæ. *Ita quidam*] crebet ille rumor de multorum erga nos propenſa voluntate nobis nonnihil, vt ſpero, prodeſſe ad obtinenda populi ſuffragia. *In campo*] Hunc quoque locum recte mihi videor diſtinxiſſe Malaſpina. ſignificat enim Cicero ſe initium prenſandi facturum, quo primum tempore, & quo loco animaduerteret populum vna conueniſſe: quod commodiſſime tunc poſſet ſingulos quoſque prenſare. id autem fore ſperabat ante diem decimum ſextum Kalend. Sext. in campo Martio, quo loco tunc cogi populus debebat, ad creandos Tribunos plebis. *A. D. XVI.*] Notis ſcripſimus *A. D.* non, vt erat in vulgatis, *A D.* quæ præpoſitio huic loco conuenire non poteſt. nam ad decimum ſextum Kalen-

das esset circiter decimum sextum Kalend. (id enim AD declarat in huiusmodi loquutione) quo dicto certus dies non præstitueretur: quem tamen hic præfinisse Ciceronem liquidò ostendunt hæc verba *comitijs Tribunicijs*. nam in incertum diem indici comitia non solebant. hinc statuo hic scribendum esse, vt dixi, *A. D. XVI.* Concise autem dicebant *ante diem*, pro, ante diem finitum, proindeque ipso die. Inde Paullus Iurisconsultus lib. 3. ad legem Papiam, & Iuliam, cum docere vellet his verbis *ante diem decimum Kalendas*, &, *post diem decimum Kalendas*, diem ipsum decimum Kalendas significari, sic scripsit, *ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum: neq; vtro enim sermone undecim dies significantur*. In eandem quoque sententiam Vlpianus libro 19. ad edictum, *qui*, inquit, *ante Kalendas proximas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur*. Hæc enim verba, *ante Kalendas*, sic accipienda putat Vlpianus, quasi dictum esset *ante diem Kalendas*] *Qui denegat*] in Tornæsiano, & Cruselliano est, *qui & negauit*. sed vulgata lectio, *qui denegat*, Scidarum auctoritate confirmatur: idcirco eam retinui. *Meridie non lucere*] Victorius legit *liquere*, & hæc verba refert ad veterum iudiciorum formulam, qua iudices pronunciabant sibi liquidò non constare damnandusne reus esset. quæ scriptura hic ferri non potest, vbi agitur de absoluendo, non de condemnando Catilina, vt pluribus ex Cicerone & Asconio demonstratum est à Manutio. Sed vt clarius pateat legendum esse *lucere*, vti nos ex fide Decurtati excudi iussimus, paucis explicandum est cur irrita fuerit ea Consulatus petitio, quam Catilina instituerat biennio ante, quam Cicero peteret, quæque sit causa cur Cicero dicat se competitorem certum eum habiturum. Ac primùm illud constat Catilinam ex Prætura prouinciam Africam obtinuisse, eique præfuisse vsque in id tempus, quo designatos Coss. P. Cornelium Sullam, & P. Autronium Pætum L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus ambitus damnarunt, & in eorum locum suffecti sunt. tunc enim primum ex Africa Romam rediit, & quidem tardius quam par fuit petitorem Consulatus, quo factum est vt intra legitimos dies profiteri nequiuerit, vt est apud Sallustium. legitimos dies hic cum Gruchio accipio, tri-

pio, trinundinum illud, quo petitores Consulatus ante comitia ordinatia nomen profitebantur, & populo in toga candida supplicabant. ordinaria vero comitia ea voco, quæ ad creandos Consules vt plurimum sub finem mensis Quinctilis, aut initio Sextilis habebantur. Itaque quo tempore Catilina decessit ex prouincia, cum iam designati essent Consules comitijs ordinarijs Sulla & Autronius, fieri non potuit, vt is profiteretur intra trinundinum illud comitiorum ordinariorum, quippe qui adhuc abesset, postea vero indictis sub anni finem secundis comitijs, ad sufficiendos alios Consules primis ambitus damnatis, eosque potissimum, vti mos erat, qui illos reos peregerant, cùm ille Romam reuertisset, professus est se petere Consulatum, cui petitioni vt obuiam iret Consul Tullus, qui iam intellexerat illum pecuniarum repetundarum postulari, consilium, inquit Asconius, publicum habuit, illiusne habenda esset ratio, si Consulatum peteret: factumque est S. C. in sententiam Tulli, quo ille petere prohibitus est. cuius prohibitionis præcipua quidem causa fuit repetundarum accusatio: alia tamen speciosior quæsita est, quod ille intra legitimos dies, qui antecesserant comitia ordinaria, professus non esset. ac quod prohibitus fuerit petere secundis comitijs, non vero primis illis ordinarijs, declarat his verbis Sallustius: *L. Tullo, M. Lepido COSS. P. Autronius & P. Sulla designati Consules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. paullo post Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat petere Consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit.* Hunc ergo Sallustij locum si cum Pediani verbis conferas, intelliges professionem illam, cuius Pedianus meminit, irritam fuisse, quod legitimo tempore confecta non esset. His igitur de caussis Consulibus Tullo & Lepido a petitione destitit Catilina. Sequutus est annus, quo inierunt Cotta & Torquatus, in locum Sullæ & Autronij subrogati: quibus Consulibus caussam quidem repetundarum dixit, sed maiore parte eius anni iam exacta, atque adeo designatis in sequentem annum Consulibus L. Iulio Cæsare & C. Marcio Figulo, vt intelligitur ex epistola secunda huius libri, cuius initium, in hac editione nostra, *L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo.* qua de caussa toto eo anno a petitione abstinuit, quod

nondum iudicium de ipso latum esset, cum habita sunt comitia Consulibus illis designandis. nam aduersus quos constitutum erat publicum iudicium, eorum ratio in petendis honoribus haberi non solebat. idcirco Romam priuatus ad petendum Consulatum venire Cæsar noluit, quod identidem M. Cato non sine iure iurando, vt ait Suetonius, denunciaret se nomen eius delaturum. Cum ergo cerneret Cicero reatu tantummodo Catilinam a petitione Consulatus arceri, eumque facile tum absolutum, aut damnatum iri, cum ipse petitionem suam institueret, scripsit Attico, cum de competitoribus suis ageret, se illum certo competitorem habiturum. si iudicatum esset meridie non lucere: hoc est, si de manifestissimis criminibus, quorum ille reus agebatur, iudices pronunciarent sibi nihil constare, ideoque illum absoluerent. *Curium obducere*] discrepat hoc loco codex Tornæsianus ab alijs libris manuscriptis, quos habui. Nam pro *Curium*, qua in lectione ceteri omnes consentiunt, edit *Torium*. nos *Curium* probauimus. notat enim Cicero Q. Curium, virum flagitijs atque facinoribus coopertum, quem Censores, probri caussa, Senatu mouerant, vt refert Sallustius. Itaque cum vellet ostendere Thermum & Silanum gratia & existimatione, quo tempore hæc scribebat, parum valere, eos cum despicatissimo illo viro comparauit, aitque ἀδύνατον non esse illum aduersus eos ducere ad petendum Consulatum. est ergo obducere, aliquem contra ducere, qui alteri aduersetur. sic obducere exercitum dixit Plautus Pseudolo: *post ad oppidum hoc vetus continuo meum exercitum protinus obducam.* De hoc Curio intelligendus est locus hic libri secundi: *iacet enim ille sic, vt πᾶσιν Curiana stare videatur. Quæ tum erit absoluta*] Tam in Tornæsiano, quam in Decurtato, & Crusellino exaratum est, *tum erit*; quomodo proculdubio legendum est. Ait Cicero fore anno proxime sequenti, quo ipse petiturus erat Consulatum, vt Thermus, qui, cum hæc scribebantur, inops erat ab amicis; plurimùm gratia valeret apud populum, quod tum facilè absoluta foret via Flaminia, quam ille reficiendam curabat. ea enim curatione sibi nullo negocio studia acquisiturus erat vulgi. ergo post vocem *facile*, statuenda est ea distinctionis nota, qua ambitus orationis terminari solent, hoc est,

τελείαν

πλάκα σιγμή. *Eum libens θέρμον*] Neminem putabat Cicero suo anno Thermo prælatum iri, in Consulatus petitione; verebaturque ne is sibi Consulatū præriperet. qua de causa cum pro certo crederet eum Consulem factum iri, optabat illum sibi socium adiungi, vt vterque Consul fieret eodem anno. Thermum, inquit, si Consul factus ero, libens mihi collegam adiungam: hoc est, non inique tulero, immo gaudebo Thermum Consulem mecum fieri. Hæc est enim horum verborum sententia, quam ex germana huius loci scriptura, hoc tempore, primus elicui, deletis maculis, quæ librariorum oscitantia hic insederant. ac, vt ratio emendationis nostræ constet, subiiciam veterum librorum scripturam, ex qua concinnata est hæc nostra. Scidæ, & Cruselli-nus habent, *eum libenter mun ciceri Consul acciderint*: Tornæsianus, *eum libenter mun citeri Consili acciderunt*. Nos pro *libenter mun* scripsimus, *libens θέρμον*: pro *acciderint*, siue *acciderunt*, *accuderim*. nam vox *ciceri* integra extat in Decurtato, & Cruselino, & in alijs leuiter deprauata est, vnius tantum litteræ mutatione. *Consul* vero in omnibus legitur, præter quam in Tornæsiano, vbi postremæ duæ litteræ eius vocis vitiose distilierunt in tria veluti spicula. totum igitur hunc locum ita legimus, *eum libens θέρμον ciceri Consul accuderim*. hic lepidissima est allusio ad nominum Ciceronis, & Thermi. nam vt Cicero a cicere, ita Thermus ἀπὸ τοῦ θέρμου, id est, a lupino videtur appellatus. itaque festiue scribit Cicero se Consulem factum libenter cusurum θέρμον, hoc est, lupinum cum cicere, indicans, se non inuito animo sibi adiuncturum collegam in Consulatu Thermum. nam verbum *accuderim* quam apte conueniat ciceri, & lupino, alijsque leguminibus, satis intelligi potest ex hoc prouerbio Terentiano, *hæc cudetur in me faba. Dolo malo*] P. Varius cum æris alieni plurimum contraxisset, vt creditores fraudaret, bona sua mancipio tradiderat Caninio fratri. id cum animaduertissent creditores, agere cœperunt aduersus Caninium, quod is dolo malo, ad se fraudandos, Varij bona mancipio accepisset. quæ actio a Iurisconsultis nostris appellatur Paulliana. sed nondum proprio nomine prodita fuerat tempore Ciceronis. idcirco eius loco agebatur de dolo; quod iudicium dare solebat Prę-

tor, vbi propria actio deficiebat ijs de rebus, quæ dolo malo factæ esse dicebantur, vt ait Vlpianus.

IN EPISTOLAM II.

L. Iulio Cæsare] Ab his verbis initium epistolæ secundæ huius libri ducendum putaui, sequutus sententiam Malaspinæ: cui si non suffragantur, certe non refragantur veteres nostri codices. nam in ijs hæc epistola agglutinata est superiori, nullo principij discrimine. sæpissime autem librarios peccasse in epistolarum sectione multis locis alias docebimus. Cæterum voluit Cicero primis his verbis Atticum rerum duarum facere certiorem, designationis Consulum Cæsaris & Figuli, & diei natalis filij, qui sub tempus comitiorum, quibus illi Consules renunciati sunt, in lucem editus est. cum ergo ait, *L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo Consulibus*, non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt; idque apertius ostendit ex ijs, quæ mox subijcit de instituta defensione Catilinæ. nam causam dixit Catilina, Cotta & Torquato Consulibus, designatis tamen in annum sequentem Cæsare & Figulo, vt iam monuimus.

IN EPISTOLAM III.

Auiam tuam] Hæc abscidi e superioribus, vt hinc epistolam inchoarem; quod factum oportuisse, iam alij monuerunt. Primis his verbis indicat Cicero auiam Attici ad supremum vsque vitæ diem in amore erga nepotem, & pietate erga deos perseueraſſe, mortuam autem esse sub tempus Latinarum. *Eius rei consolationem*] Epicurus affirmabat nihil mali ex morte cuiquam accidere, cum nullus post mortem, neque voluptatis, neque doloris sensus remaneret, extincto cum corpore animo: ideo frustra lugeri mortuorum conditionem, tanquam miseram, quum ij contra summo bono fruerentur, hoc est, ἀναλγησίᾳ. nam qui nusquam essent, eos dolorem non sentire. itaque anile esse putabat quemquam de morte alterius consolari, cum mors nihil esset, nihilque ad nos pertineret. ex ea Epicuri sententia, cuius sectatores erant Atticus, & Saufeius, ἐρωνικῶς hic Cicero mortem rem appellat, & Saufeium scribit missurum consolationem Attico de morte auiæ. In hanc Epicuri sententiam extat apud

extat apud Sextum Empiricum iambicus Epicharmi, quem Cicero ita expressit, alio tamen versus genere, libro primo Tusculanarum. *Emori nolo: sed me esse mortuum nil æstimo.* Epicharmi senarius ita vulgo legitur,

ἀποθανεῖν μὲν οὐ θέλω, τεθνάναι δ' οὐ μοὶ διαφέρει.

Immerito Ciceronem quidam reprehenderunt, quod primam huius versus partem male verterit, cum ipsi non animaduerterent fœdis mendis eum locum obsessum esse. nam pro ἀποθανεῖν μέν, scribendum est, ἀπὸ θανὲν μέν. dictum est enim ἀπὸ μέν, κατὰ τμῆσιν, pro ἀπῆ, id est, ἀπέσω, & Dorice θανὲν, pro θανεῖν. Hæc ego quondam Lambino; qui ea suo more edidit, hoc est, longe aliter quam dicta fuerant, suppresso auctoris nomine. *At in se expertus*] Ante vocem *expertus* restitui ex Decurtato particulam *at* negligentia librariorum omissam.

IN EPISTOLAM III.

Acutilianam] Delegatum fuerat Acutilio nomen aliquod Attici; quod Atticus præstituta die dissoluere non recusabat, modo Acutilius satis daret amplius ab ipso non peti: interim fideiussorem dare volebat Ciceronem. id scilicet Atticus agebat, vt sibi ab eo caueretur, qui nomen Acutilio delegarat. Hanc puto fuisse Acutilianam controuersiam. *Singulare est insigne*] Quia vocem *insigne* legimus in Scidis, Tornæsiano, & Crusellino, idcirco in nostra editione eam passi non sumus desiderari. Paullo post etiam, ex fide Decurtati, scripsimus, *eos me meos facere posse.*

IN EPISTOLAM V.

Non mihi graue duxissem] Aperte *duxissem* scriptum est in Decurtato, quo modo legendum censet Malaspina. *De Tadiana re mecum*] Hereditatem quandam, quæ puellæ obuenerat, cum esset in agnatorum tutela, Tadius biennium, aut diutius possederat, quoad satis esset ad inducendam eius hereditatis vsucapionem. eam hereditatem cum a Tadio puellæ agnati, qui tutelam eius gerebant, repeterent, Atticus eam vsucaptam putabat. Cicero vero mirabatur ignorasse Atticum in huiusmodi re vsucapionem procedere nequiuisse, cum de tutela, id est, de re pupilli pupillæve, nihil

vſucapi poſſet. nam cum res pupillorum nequeant ſine decreto alienari, fatendũ eſt non poſſe quoq; vſucapi. alienationis enim verbum, vt ait Paullus Iuriſconſultus, vſucapionem etiam continet. vix enim eſt vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi. ideo ſcribit idem Paullus etiam maiores viginti quinque annis non vtendo ſeruitutes non amittere, quas communes habeant cum pupillis: *ſi*, inquit, *communem fundum ego & pupillus haberemus, licet vterque non vteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo.* ſed & idem alio loco inter eas res, quæ longo tempore capi non poſſunt, enumerat res pupillorum.

IN EPISTOLAM VI.

M. Fontinus] Victorius legit, vt eſt in quibuſdam noſtris, *M. Fonteius*: ſed vetuſtiores, quos vidi, in his Decurtatus, & Tornæſianus, *M. Fontinus*: quod ſequuti ſumus. non diſplicet tamen lectio Victoriana; vt hic ſit *M. Fonteius*, pro quo Cicero habuit orationem.

IN EPISTOLAM VII.

Apud matrem] His verbis, quæ hactenus vitioſe adtexta fuerunt ſuperioribus, quaſi eiuſdem eſſent epiſtolæ, hanc epiſtolam inchoaui. nam in Scidis appoſita hic fuerat ea nota, qua diſcerni & diſtingui ſolent in eo libro epiſtolæ. ſed & quę Cicero mandat de ſignis emendis, argumento ſunt hanc epiſtolam diuerſam eſſe ab ea, quæ proxima antecedit. nam illic Cicero ſigna petit vt iam empta, hic ea ſibi curari vult. hæc igitur prior, illa poſterior. Sed receptum ordinem, quamquam perturbatum, noluimus inuertere, ne a veteribus libris recederemus.

IN EPISTOLAM IX.

Arcæ noſtræ] Ex qua præſentem pecuniam numerare poſſum. nam ex arca ſoluere dicebantur, qui pecuniam domo depromebant, vt ait Donatus, ad diſcrimen eius ſolutionis, quæ fiebat ex menſa argentariorum. inde ſerui arcarij apud Iuriſconſultos, qui dominorum arcæ præerant.

IN EPISTOLAM X.

Iturum eum] Victorianam lectionem non damno, quæ ita habet,

ita habet, *missuram eum*, sed quia *iturum eum* scriptum inueni in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino, eam scripturam potiorem duxi. *Includere*] eadem significatione hoc verbum vsurpat Vlpianus noster cum agit de tigno iuncto: *nec enim*, inquit, *parci oportet eis, qui sæpius alienam rem aedificio includit, iunxitve.* Sed quia incidimus in mentionem verbi, quod ad tigni iunctionem pertinet, non alienum, opinor, fuerit hic legem XII. Tabularum de tigno iuncto apponere, vt nos eam olim ex vestigijs veteris scripturæ restituimus: TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS VINEAE VE COMPAGE NE SOLVITO. nam quod est apud Festum *& concape*, deprauatum est ex illo *e compage*, siue, vt veteres scribant, *e compace*. *Accersi a me*] in editione Victoriana est *accersam*, *sed prohibebo*, minus commode quam quo modo legitur in Scidis, *accersi a me*, *sed prohiberi*; quam scripturam sequutus sum. *Parta erunt*] *parata*, non, *parta*, vtrobique hic scriptum est in meis veteribus. ego tamen nihil mutaui. *Sponsorem appellat*] Victorius in postrema sua editione harum epistolarum addidit hic negationem ante verbum *appellat*, fretus necne auctoritate veterum librorum, non satis scio. ab omnibus quidem, quos vidi, abest particula *non*, quam ille adiecit, ac profecto recte abest. significat enim Cicero Tulliam ex eo quod sponsorem appellaret, diem quoque dare debitori. nam cum sponsores appellabantur, dies quodammodo dabatur reis debendi, si præsentes erant ipsi, aut eorum procuratores. non enim sponsores litem contestabantur, cum aderant debitores, aut eorum procuratores. idem Cicero lib. 16. harum epistolarum, *possumus enim*, inquit, *vt sponsores appellentur, procuratorem introducere. neque enim illi litem contestabuntur: quod facto non sum nescius sponsores liberari.* & quamuis Ciceronis tempore sponsores quandoque, non excussis reis debendi, appellarentur, id tamen quia videbatur, vt idem Cicero scribit, habere quandam *δυσωπίαν*, a plerisque non fiebat. nam cũ locupletes erant debitores, non solebant sponsores cogi. Idem Cicero libro 12. harum epistolarum, *quod scribis a Iunio te appellatum, omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire velim quando dicar spopondisse:* & alio loco eodem libro, *quod pro Cornificio abhinc amplius annis 25*

me spopondisse dicit Flauius, & si reus locuples est, & Apuleius prædiator liberalis, tamen, velim, des operam, vt inuestiges ex consponsorum tabulis sitne ita. mihi enim ante AEdilitatem meam nihil erat cum Cornificio. sed & de sponsoribus non appellandis ante reos debendi cautum fuerat antiqua quadam lege, cuius meminit Iustinianus initio Nouellæ constitutionis quartæ: Νόμον παλαιὸν τεθειμένον μὲν ἤδη, τῇ χρήσει δὲ οὐκ ἴσμεν ὅπως οὐκ ἐνευδοκιμήσαντα, διὰ δὲ τῶν ἀεὶ ζητουμένων πραγμάτων ἀναγκαῖον αὐτῇ φαινόμενον, αὖθις ἀνακαλέσασθαί τε, καὶ εἰς πολιτείαν καταγαγεῖν, καλῶς ἔχειν ἐνομίσαμεν, οὐχ ἁπλῶς αὐτὸν ὄντως ὡς ἔκειτο θέντες (ἦν γάρ τις αὐτῷ μοῖρα παντελῶς ἀδιάκριτος) ἀλλὰ μετὰ τῆς προσηκούσης τε καὶ θεοφιλοῦς διελόντες προσθήκης. εἴ τις τοίνυν δανείσειε, καὶ ἐγγυητὴν, ἢ μανδάτωρα, ἢ ἀντιφωνητὴν προσλάβοι, οὗτος μὴ τὴν πρώτην εὐθὺς κατὰ τοῦ μανδάτωρος, ἢ τοῦ ἐγγυησαμένου, ἢ ἀντιφωνήσαντος χωρείτω, μηδὲ ἀμελήσας τοῦ δανεισαμένου τὰς παρενθήκας διενοχλείτω, ἀλλὰ χωρείτω πρῶτον ἐπὶ τὸν τὸ χρυσίον εἰληφότα, καὶ τὸ δάνεισμα πράξαντα.

IN EPISTOLAM XI.

Nostra legatio] Recte sentiunt qui hic legendum censent, *nostra allegatio*: quamquam est in veteribus libris, *legatio*, paullo post *offirmatior* emendaui, pro *affirmatior*, auctoribus Scidis.

IN EPISTOLAM XII.

Teucris illa] constat hoc nomine significari C. Antonium collegam Ciceronis in Consulatu. sed cur ita dicatur aperuit, quod sciam, adhuc nemo. *C. Antonius*, inquit Iulius Obsequens, *cum in agro Piceno Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit. ibi a Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit.* Florus epitoma libri 103. Liuianæ Historiæ, *C. Antonius Proconsul in Thracia parum prospere rem gessit.* ad eam cladem, quæ recens tunc erat, respexisse Ciceronem in hoc nomine contumeliose fingẽdo facile adducor vt credam: quasi C. Antonio a re male gesta inditum fuerit id cognomen, contraria ratione atque illis, qui a subactis prouinciis, aut deuictis hostibus cognomina reportaant. muliebri vero nomine Teucrin eum appellauit, vt eius

ignauiam

ignauiam & fractum ac effœminatum animum perstringeret, qui fœdissima fuga sibi salutem quæsisset. Iusit autem in ambiguo Dardanorum nomine: nam Dardani partim vocantur populi Mœsiæ Macedonibus, vt refert Plinius libro 4. infestissimi (Macedoniam autem prouinciam pro Consule regebat Antonius, cũ a Dardanis eam cladem accepit) partim etiam Troiani, a Dardano eorum rege, ijdemque Teucri a Teucro nominantur: quasi vero eadem gens esset Dardanorum Mœsorum, & Dardanorum Troianorum, alterum Troianorum nomen, nempe Teucrorum, Dardanis Mœsis attribuit. vnde & αἰνιγματωδῶς per contumeliam C. Antonium Teucridem, quasi Dardanidem, vocauit. ἀναβολὰ] Lego ex veteribus nostris ἀναβόλαὶ recto casu; non, vt Victorius edidit, ἀναβολάς. quæ loquitur, quæque agit C. Antonius de re mea, nihil aliud sunt, inquit, quam σκήψεις atq; ἀναβολαί. *Cum pro populo*] In Tornæsiano est, *pro populi*, quasi supplendum sit, *salute*: in alijs, *pro populo*, rectius & vsitatius. *Sep. Rullæ*] Mihi religio fuit fidem spernere trium vetustissimorum codicum, in quibus scriptum erat, *Seprullæ*: quam scripturam eo mendosam tantũ existimo, quod duabus vocibus conflata est importune in vnam coactis. illud enim, *Sep.* compendij nota est, qua Septima, ni fallor, significatur. quod prænomen fuit mulierum Romanarum ductum ab ordine nascendi, vt, Prima, Secunda, Tertia, Tertulla, Quartilla, Septimilla, & alia eius generis. Rulla vero cognomen fuit plebeiæ Seruiliorum familiæ. quidam hic legunt *seruulæ*, suæque lectionis auctorem laudant cũ ipsum Ciceronem alio loco, tum Plutarchum: sed neuter ait Clodium ab ancilla seruatum; deprehensum quidem vterque, & postea a matronis eiectum, atque ita seruatum. verum, vt vt sit, veri simile non est tot veterum codicum scriptores in scribendo *seruulæ* nomine omnes pariter erraſſe, eiusque loco *seprullæ* scripsisse.

IN EPISTOLAM XIII.

Pellectione releuarit?] Plane exaratum erat in Scidis, *pellectione*, vt legendum coniecit Malaspina. *Lycurgei*] Non a Lycurgo rege Lacedæmoniorum ducto nomine sẽ Lycurgeum fuisse scribit; sed a Lycurgo oratore Athenien-

quem ferunt in dicendo valde seuerum & acerbum extitisse. Dionysius Halicarnassensis, ὁ δὲ Λυκοῦργος ἐστι διὰ παντὸς αὐξητικὸς, καὶ διῃρμένος, καὶ σεμνὸς, καὶ ὅλος κατηγορικός. Inde refert Plutarchus dixisse quosdam Sophistas, illum ita aduersus improbos & sceleratos homines scripsisse, vt non atramento, sed lethali veneno calamum imbueret. ἔσχε δὲ καὶ τοῦ ἄστεος τὴν φυλακὴν, καὶ τῶν κακούργων τὴν σύλληψιν, οὓς ἐξήλασεν ἅπαντας, ὡς καὶ τῶν σοφιστῶν ἐνίους λέγειν Λυκοῦργον οὐμέλανι, ἀλλὰ θανάτῳ χρίοντα τὸν κάλαμον κατὰ τῶν πονηρῶν ὑπὸ συγγράφειν. *Nihil* ἐν τοῖς] Turnæsianus codex sic edit hæc verba, *nihil* ἐν τοῖς πολιτικοῖς *illustre*, *nihil honestum*, *nihil forte*, *nihil liberum*. ego receptam lectionem, quæ etiam in Decurtato extat, non mutaui.

IN EPISTOLAM XIIII.

Produxit Pompeium] Vulgatam lectionem, quæ Scidarum auctoritate confirmatur, retinui, spreta hac scriptura Tornæsiani, *producit*. *De istius rebus*] Scripsimus *istius*, ex Decurtato. *istius* autem δεικτικῶς dixit, cum se ipse demonstraret, vt Pompeius fecerat, cum de eo loqueretur. *Proxime Pompeium*] Scidæ, Tornæsianus, & Crusellinus *proxime Pompeium*, vt edidi. Diomedes tamen libro primo ait Ciceronem scripsisse *proxime Pompeio*. vtro modo legas parum refert. Η ΚΑΜΠΑΙ] In codicibus impressis, & nonnullis manuscriptis legitur, *si* περίοδοι, *si* καρποί. sed in Decurtato, Crusellino, & Tornæsiano est, *si* περίοδοι, ἢ καρποὶ, &c. Sed quid commune habent καρποὶ cum periodis, & enthymematibus? hanc sane vocem semper habui de mendo suspectam. itaque cum diu super ea re cogitassem, tandem mihi venit in mentem, Ciceronem scripsisse, καμπαί. quod vocabulum hic bellissime quadrat. est enim καμπὴ flexus ille orationis, quo verborum complexio in orbem quendam circumacta, ad clausulam perducitur. Demetrius Phalereus, αὕτη γὰρ ἡ περίοδος ἐκ τριῶν κώλων οὖσα καμπήν τε τινα καὶ συστροφὴν ἔχει κατὰ τὸ τέλος. *Trib. tum concessit*] Tres nostri Tornæsianus, Huraltinus, & Crusellinus non discrepant ab excusis. habēt enim, *tertium concessit*. Decurtatus retinuit sinceram, nisi fallor, lectionem, nisi quod librarius, qui eum descripsit, vitiose duas voces in vnam coegit. scripsit,

git. scripsit enim, *Tritum*. Ego *Tri*, notam esse putaui, qua Tribunus plebis significabatur. idcirco eam seiunxi a particula *tum*, quæ importune ei adhæserat. sane Tribunus plebis erat Q. Fufius Calenus, Pompeiumque in concionem produxerat, vt Cicero refert initio huius epistolæ. *Video hominem*] Recte Turnebus ex veteri scriptura emendauit, *Video hominem valde petiturire*, vt edendum curaui. video, inquit, Lucceium cupide velle abs te petere, vt secum in gratiam redeas; non audere tamen, metu repulsæ. verum nauabo operam, vt, posito metu, id abs te petat, & impetret. *Istæ res sint*] istas res vocat, res quæ istic fiebant, id est, eo loco vbi erat Atticus.

IN EPISTOLAM XVI.

ΕΣΠΕΤΕ νωῖν] Grammatici vulgo interpretantur ἕσπετε sequimini, id est ἕπεσθε. sed ex Liuij Andronici, poetę antiquissimi, verbis, quibus primum Odysseæ versum latine expressit, didici alio significatu veteres id verbū accepisse. nam vt Græci ἕπω & ἕπομαι, ἐννέπω & ἐννέπομαι, sic Latini sequo & sequor, insequo & insequor dicebant; aut, quod perinde est, inseco & insecor. vtebantur enim τῷ C, vice τοῦ Q. Liuij Andronici verba ex Homero in Latinum sermonem versa ita refert Gellius libro decimo octauo,

Virum mihi Camena insece versutum.

scripserat Homerus ἄνδρά μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Gellius interpretatur, *insece*, dic: recte id quidem, sed non satis aperte ad natiuam & genuinam vim eius verbi declarādam. insequo enim, & ἐννέπω, notionem hic habent ἐνεργητικὴν, significantque insequi facio, hoc est, sequentem duco, vt faciunt qui verba præeunt, quæ alij postea sequantur. Ennius apud eundem Gellium,

Insequе Musa, manu Romanorum induperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

cum ergo Homerus Musas rogat ἵνα ἕπωσι, id est, vt sequāntur (nam ἕπετε dictum est pro ἕπητε) petit vt sibi præeant verba, quæ ipse postea relaturus sit in suos versus. *Ex Nanneianis*] Crassum designat, qui caluus erat, id est, glabro capite, & caluus etiam, quod ne pilum quidem haberet ex bonis Nanneiorum, quæ valde concupierat. Nanneij pro-

scripti fuerant a Sylla, vt refert Q. Cicero in libro de petitione Consulatus. eorum bona Crassus appetierat, vt & aliorum multorum, quorum facultates sibi nummo addici curauerat: vnde immensas illas opes, quibus affluebat, congesserat, quemadmodum refert Plutarchus in eius vita. verumtamen ex bonis Nanneianis, vt hinc conijcitur, ne pilum quidem habebat. aut si habuerat, ea vt pilos, qui e capite effluxerant, amiserat. quocirca iocans Cicero in eius caluitiem, & illorum bonorũ amissionem, eum vocat caluum ex Nanneianis. Vidi qui caluum hic frustratorem interpretarentur, quod caluor sit frustror, auctore Nonnio. sed ea explicatio huic loco conuenire nequit. Fuit etiam Caluus cognomen gentis Liciniæ, cuius erant & Crassi. sed diuersæ fuerunt Crassorum & Caluorum familiæ. *Præsidium a nobis*] In Scidis & Tornæsiano est, vt edidimus, *Præsidium a nobis*. non tamen reijcio scripturam receptam, *præsidium Sobii*. *Sed tamen quid hoc?*] Libri formis impressi, *quid huic*: at veteres manuscripti, quibus fidei plus habendum est, quam excusis, *quid hoc?* cum interrogatione. falsum est, inquit, quod mihi probri loco obijcis, ad Baias me fuisse; quo frequentes conuenire solent molliculi & delicatuli homines. sed demus ita esse. quid hoc tandem flagitij est? simile est scilicet, quasi tu dicas me in operto Bonæ Deæ fuisse, vbi tu deprehensus es. *Marinas*] Iocus est in voce *Marinas*, quæ partim de salsis aquis maris potest intelligi, partim de Arpinatibus, quæ fuerant C. Marij. Cicero vt mollitiem sibi a Clodio probro datam in eundem retorqueret, arrepta iocandi ex aquis caldis occasione, illi primum sororis libidinem, tum stuprum quod ille in mari passus fuerat falsè obijcit. Narra, inquit, patrono tuo, hoc est, sorori tuæ, quid Arpinati homini sit cum aquis caldis. illa enim tibi scite respondebit, quis sit ea de re sensus Arpinatium. nam illa Arpinates aquas concupiuit, vt scilicet postquam rem habuisset cum homine Arpinati, cuius nuptias petebat, eius aquis, non quidem, vt sunt, frigidis, sed caldis lauaret, quemadmodum solent mulieres libidinosæ. sed Arpinas ille obsequi noluit eius libidini. itaque frustra illa concupiuit aquas Arpinates, illas, inquam, quæ fuerant C. Marij; hoc est, Marinas, quas tu probe nosti. nam illato tibi a Piratis stupro, tu, cum non

posses

posses aqua dulci lauare, instar prostibuli, marina corpus abluisti. proinde marinas optime nosse debes. Patronum Clodij vocat eius sororem Clodiam, cuius opera is absolutus fuerat, vt refert Cicero in Cœliana. illa porro concupierat aquas Arpinates, quod hominis Arpinatis, id est Ciceronis, quemadmodum refert Plutarchus, nuptias petijsset, vt scilicet re habita cum Cicerone, eius aqua, hoc est, Arpinati, sed ea calda lauaret: qui mos erat mulierum libidinosarum. Ouidius de amica sua indicare volente illum secum caput limasse, quam tamen non attigerat,

Dedęcus hoc sumpta dissimulauit aqua.

Scribit præterea Clodium nosse aquas marinas, quod non modo nosset aquas illas C. Marij a sorore expetitas, sed etiam maris fluenta, quibus aliquando se perfuderat, cum stuprum passus esset a Piratis, quod alijs aquis, quibus sese abluere, tunc careret. inde dicebatur Priapus iter ad fontem monstrare, quod, qui, quæve viros experiuntur, lotione opus haberent. Auctor obscœni carminis,

Falce minax & parte tui maiore Priape,
Ad fontem, quaso, dic mihi qua sit iter.
Vade per has vites, quarum si carpseris vuas,
Quas aliter sumas, hospes, habebis aquas.

xxv. *iudices*] Alij libri habent xx. nos ex Decurtato edidimus xxv. & sane numerus hic optime cum eo conuenit, quem antea hac ipsa epistola retulit, cum eadem de re ageret. *Doterionis histrionis*] Scriptum erat in Scidis *Deterionis*: vnde conieci legendum *Doterionis*. quod nomen a donis factum videtur, quasi dicas donatorculum. Eleganter autem hic Doterio, si vim nominis attendas, cũ Pisone Consule comparatur, qui domi diuisores habebat. *Bono auspicio*] εἰρωνικῶς, non enim bonum poterat esse eius auspicium, cuius in corpore, aut etiam nomine vitium esset. innuit autem Clodios siue Claudios a claudis pedibus nomen habuisse, eaque de caussa nescio quid mali ominis extitisse in eorum nomine. vitabant enim Romani summa religione inauspicata nomina, &, vt loquitur Horatius, male nominata verba, id est, ὀνόματα δυσόνυμα. hinc legimus apud Liuium libro 38. legionem quandam noluisse sequi Atrium Vmbrum, nominis abominandi ducem, quod in eius nomine si-

gnificatio esset atrarum vmbratum. sed potissimum in re diuina facienda abstinere solebant nominibus & verbis male nominatis. ideo vetat Cato rusticum, qui Suouitaurilia immolaturus sit, nominare Martem, agnum, & vitulum. Caterũ ideo claudus homo, id est Clodius, dicitur legem de ambitu, quam ferebat Lurco, promulgasse, quod eam suaserit. *Fabam imûm*] Huic loco tenebras offudit vnius litteræ aut importuna repetitio, aut peruersa collocatio. nam in veteribus libris partim legitur *fabam mimum*, partim, vt est in Decurtato, *faba mimum*. in priore lectione redundat M littera: quæ a principio vocis *mimum*, est abscanda. in altera, retrahenda est eadem littera a capite secundi vocabuli ad finem primi, eique adglutinanda, vt scribatur, *fabam imûm*. sunt enim ἀντιθετα, ἀποθέωσις, & imûm faba. nam primo immortalitatem significare voluit, altero mortalitatem, & interitum. Dicebat Curio Ciceronis nomen ob res ab eo præclare & fortiter in Consulatu gestas fore immortale; eaque de causa eius Consulatum vocare solebat ἀποθέωσιν. contra verebatur Cicero, ne, si Afranius Consul fieret, prorsus extingueretur sui Cõsulatus memoria: quod is turpitudine suorũ factorum, tanquam tenebris quibusdam densissimis, anteceſſorum Consulum præclara facinora obscuraturus esse videretur. est ergo imûm faba, imorum, hoc est, inferorum faba. nam fabis veteres parentare mortuis solebant, vt tradunt Festus in voce *faba*, Ouidius libro secundo fastorum, & Plinius libro decimo octauo, eique legumini mortuorum animas inesse credebant. Imûm porro pro imorum gignendi casu dictum est, vt inferûm pro inferorum, oppidûm pro oppidorum, Duumvirûm pro Duumvirorum, & alia huius modi sexcenta. Videtur autem Cicero potius imûm quam inferorum scripsisse, vt rem, quam vni Attico notam esse volebat, occultius tegeret. Itaque cum αἰνιγματωδῶς hæc scriberet, vsus est vocabulo in ea re minus trito. *Non flocci ἑατέον*] Scidarum scriptura proxime ad eam lectionem accedit, quam acute & ingeniose excogitauit eruditissimus vir, præceptor quondam meus, Adrianus Turnebus. habet enim optimus ille codex, *non flocci fateon*. quis non videat inscitia, aut certe oscitantia librarij τὸ E, in F, mutatum esse, legendumque pro *fateon*, ἑατέον? Consulatus porro non flocci

Cicero

Cicero hic vocat Consulatus nulla prorsus æstimatione dignos, qualis futurus erat Consulatus Afranij. *Ne Lucullis*] Lego *Lucullis*, vt est in Decurtato. Archias Mithridaticum bellum in gratiam Lucullorum, & potissimum L. Luculli scripserat. Cicero autem verebatur ne idem vellet etiam aliquid scribere in laudem Q. Cæcilij Metelli Numidici, & eius filij. nam Archias non modo fuerat familiaris Lucullis, sed etiam Metellis. idem Cicero in oratione quam habuit pro ipso Archia, *Statim*, inquit, *Luculli, cum prætextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. sed enim hoc non solum ingenij ac litterarum, verum etiam naturæ atque virtutis fuit, vt domus, quæ eius adolescentiæ prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, & eius Pio filio.* De poemate autem illo, quod scripserat in laudem Lucullorum in eadem oratione sic idem Cicero scribit: *Mithridaticum bellum magnum atque difficile, & in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est. qui libri non modo L. Lucullum fortissimum & clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Fabulam Cæcilianam*] Ad poema scribendum in honorem Q. Cæcilij Metelli Numidici & Pij eius filij, quorum Archias fuerat perquã familiaris. Lepide autẽ vocat *fabulam Cæciliana*ñ, poema quod Archias conditurus erat de Cęcilijs, quia vt plurimũ fabulas, tractant poetę. interim alludit ad fabulas, quas Cæcilius Comicus poeta ascripserat. *Vile te venditari*] Hæc verba in omnibus libris nostris deprauate legebantur: in alijs quidẽ magis, in alijs minus. Tornæsianus, & Huraltinus habebãt, *Vale te venditaui*: Decurtatus, *Vile te venditaui*; Crusellinus, *Vale te venditari*. scripsimus, *Vile te venditari*. ait enim Cicero idcirco se rarius scribere, qd nihil habeat quod scribat, & vile existimet laudationẽ pro epistola mittere. nam cũ frequẽtissime suo tempore litterarum argumenta sumi videret a laudibus eorum, ad quos scribebantur, & eius generis multæ ab alijs ad Atticũ mitterentur, genus id scribendi pro vili habebat. quæ enim vulgaria, ea vilia. proinde sit se nollẽ Atticum venditare, quod id vile existimet.

IN EPISTOLAM XVII.

In publicanere] leue est quod dicam, quia tamen nihil

prætermittendum duxi, in quo discrepantes viderim veteres libros a vulgatis, hoc ipsum, qualecumque est, non reticebo. Decurtatus, & Tornæsianus habent *in publicanere*, quam lectionem sequutus sum. *Quin erat dicturus*] Casti gaui *quin*, pro *qui*, auctore Decurtato, & Crusellino. nemini ignotum puto, *quin*, significare quinetiam.

IN EPISTOLAM XVIII.

Metellus non homo] Metellus, inquit, licet adsit, ab omni tamen humanitatis consortio refugere videtur. neque enim magis se in hominum familiaritatem applicat, quam aut littus, aut aer, aut solitudo mera: quæ loca hominum cœtu frequentari non solent. itaque illo familiariter non vtor. littorum solitudinem indicat epitheta, quæ eis a poetis tribuuntur. nam a Virgilio deserta dicuntur, & ab Ouidio inhospita. aeris autē, Pindaricū illud ex Olympijs, Μηκέθ' ἁλὸς σκόπει Ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἀμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας διὰ αἰθέρος. ibi enim interpres αἰθέρα explicat ἀέρα, ὅς, inquit, εἰ καὶ πέτονται ἐν αὐτῷ ζῶα, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ οἰκεῖν ἐνταῦθα, ἔρημος ἐστί. *Ipsa medicinam*] Veterum librorum lectio diuersa est a recepta. sic enim habēt Tornæsianus, Crusellinus, & Decurtatus, *ipsa medicinam efficit*: vnde conieci scribendum, *ipsa medicinam effugit*. tralatio est dicta ab ægrotantibus, qui quamuis bono & forti sint animo ad vim morbi subigendā, tamen nolunt adhibere medicinam, quod obducere pharmaca nequeant. *Sed spe Reip.*] Decurtatus *spe recorrigendæ*: vulgati, *animo corrigendæ*: quam scripturam in nullo meorum reperi. Itaq; suspicatus sum illud *recorrigendæ* compendiose scriptū fuisse pro *Reipub. corrigendæ*. sed & in Tornæsiano exaratum erat *spere corrigendæ*, non, vt falso tradidit Lambinus, *spero corrigendæ*. *Sine suspiratu*] Plane, *suspiratu*, legitur in Decurtato: in Tornæsiano, *suspiritu*. rectū est, *suspiratu*: qua voce vtitur Ouid. lib. 14. Metamorphoseωn,

Respicit hunc Gates, & suspiratibus altis
Nec dea sum dixit.

Vt vniuersus populus] Hinc patet Herenniū tentasse Clodium ad plebem traducere, non recepto more, comitijs scilicet Curiatis, quibus adoptiones fiebant in alienā familiam, sed Tri-

sed Tributis, quæ ipse vocare posset. nam ad comitia Curiata non vniuersus populus conueniebat, vt ad Centuriata & Tributa, sed vrbanus duntaxat. Centuriata autem habere Tribuni non poterant. inde fiebat vt Herennius Tribunus plebis non alijs quam Tributis de Clodio referre cogitaret. ea autem sæpenumero in campo Martio habebantur, cum intra pomerium Curiata fierent. *Imminuit auctoritatem*] Quia cum Metellus patricium magistratum gereret, hoc est, Consul esset, plebeium magistratum pati non debebat id sibi iuris arrogare, vt de adoptione Tributis comitijs ferre auderet, quod erat patriciorum dumtaxat magistratuum, comitijsque Curiatis, vt diximus, tantummodo fiebat, quæ a Tribunis plebis cogi nō poterant. *Quod habet dicis caussa*] Ex codice Tornæsiano iamdudum viri docti sic hunc locū restituerunt, *quod habet dicis caussa promulgatum illud idem de Clodio:* quomodo etiam in Scidis exaratum est. Cum autem de arrogando quopiā agebatur, rogatione ferri oportebat comitijs Curiatis, vt scisceret populus in curias tributus, iusne esset ei, qui se arrogandū dabat, in alterius ius & sacra trāsire. nam in huiusmodi adoptionibus potissimū sacrorū ratio habebatur. idcirco comitiorum Curiatorum arbitri erant Pontifices, vt refert Gellius; quē miror de sacris hereditarijs nullum verbū fecisse, cū de arrogationibus ageret, quæ comitijs Curiatis fiebant. intererat vero cuiusq; curiæ, ne sua sacra interirent, neve quis veteribus sacris solueretur. verūtamen, quia, quod ab vniuerso populo Romano iubebatur, id non minoris erat auctoritatis, immo etiam maioris, quam quod ab vrbano tantum, in curias tributo; ideo scitum illud de arrogando Clodio Metellus dicis caussa promulgatum habebat, cum nihil referre putaret Tributis comitijs an Curiatis ea arrogatio fieret; modo dici posset populum ad legem de adoptione ferendam conuenisse. nam dicis caussa tantum, & ad vsurpationem antiquitatis comitia Curiata habebantur, cum necesse non videretur vt de arrogatione populus sententiam ferret, nisi quatenus id fuerat a veteribus vsurpatū. quapropter M. tellus comitijs Tributis populū dicis caussa recte rogari posse existimabat. non diu tamen in ea sententia permansit. nam simulac postea intellexit Clodium Tribunatum plebis petere, ei acerrime restitit: atque vt eum ab

ea petitione submoueret, palam dicebat, eum more maiorũ comitijs Curiatis arrogatum non fuisse, vt refert Dio. *Perfrui velis*] scripsimus, *perfrui velis*, auctoribus libris antiquis.

IN EPISTOLAM XIX.

Permale pugnarunt] Liber Tornæsianus *puermale*: Scidæ *permale*, recte. *τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ*] Græco prouerbio alludit ad cognomen Lentulorum, quos a lentibus constat appellatos fuisse. acrirer autem hunc Lentulum, vt ineptum, notat. *Clodiani filius*] Perspicue scriptum erat in Scidis, *Clodiani filius*, nisi quod *filius* hâc nota F. exaratum erat. ita vero legendum esse alij ante nos docuerunt. *Atque ita amem*] Codex Tornæsianus, & Crusellinus, *atque ita tamen*: Decurtatus, *atque ita amem*, plane recte. si forte, inquit, accidat vt implicatus sim ijs nouis amicitijs libidinosę & delicatæ iuuenturis, & necesse habeam aliquos eo de grege amore complecti, ita amem, vt diligenter animo excubem, prouideamque quid futurum sit, neque temere cuiquã credam, quemadmodum iubet Epicharmus. *νῆφε καὶ μέμνεσ' ἀπιστεῖν*] Ad hunc versum respexit Cicero epistola 20. libri proxime sequentis, vbi ita scribit, *sed quia, vt video, pragmatici homines omnibus historicis præceptis, versibus denique cauere iubent, & vetant credere.* quo loco aduertendum est *νήφειν* verti, *cauere*: cui interpretationi conuenit illa Suidæ hunc versum explicantis, *νῆφε, γρηγόρει*, id est, vigila & attende. *Isse ad scribendum*] Lego, *isse*, non, *esse*. nam iuerat quidem Cicero ad Senatusconsultũ illud scribendum: verum sententiam non dixerat ea de re, qua Atticus iniuriam sibi factam querebatur: puta, quod aliquod populi, in ijsque Sicyonij, iussi essent liberi esse, qui antea tributum, aut vectigal populo Romano penderent: sed ea tantum de re, quæ primum relata fuerat. illa autem diuersa erat ab illo capite de populis liberis, quod propositũ fuerat a P. Seruilio, & postea comprobatum summa pedariorum voluntate. *A Sicyonijs*] Numquam quidem Atticus aut manceps, aut præs fuit, vt refert Cornelius Nepos in eius vita. vectigal tamen exercebat, coita, vt opinor, societate cum Publicanis. idcirco Cicero Publicanũ eum vocat epistola 15. libri sequentis: *sed tamen*, inquit, *tu aliquid Publicanus pendis*. in ea ergo socie-

go societate illi obtigerant ea vectigalia, quæ Sicyonij pendere solebant. ea autem exigere non poterat, quia illi Senatusconsulto facti fuerant liberi. nam populi liberi immunes erant a tributorũ & vectigalium pensitatione. qua de caussa eos Græci ἀτελεῖς appellant.

IN EPISTOLAM XX.

Præsidia] Tornæsianus, *Præsidium:* ceteri omnes, *præsidia*, vt edidi. Paullo post ijsdem libris auctoribus scripsi *meos bonos illos viros*. cum ait *meos*, significat homines sui amantissimos, suique ordinis.

IN LIBRVM II.

IN EPISTOLAM I.

Inuolgarunt] Vulgati libri, *inuocarunt*, mendose: Decurtatus, *inuolgarunt*, recte. notum est Allobroges coniurationem Catilinæ detexisse. est ergo inuolgarunt, in vulgus ediderunt. *Quod te arcessam*] Scidæ, & Crusellinus, vt codices Malęspinæ, *quod*, non, vt est in vulgatis, *quo*. *Hera ædilitatem*] Dilucide est in Decurtato, *Heræ ædilitatem sæpe dictitasset:* a qua lectione non valde discrepat deprauata hæc Tornæsiani, *heredilitatem sæpe heræditasset*. Hera vrbs est Siciliæ, quæ alio nomine Hybla dicebatur. Stephaphanus, ὕβλαι, τρεῖς πόλεις σικελίας: ἡ μείζων, ἧς οἱ πολῖται ὑβλαῖοι: ἡ μικρὰ, ἧς οἱ πολῖται ὑβλαῖοι γαλεῶται, μεγαρεῖς: ἡ δὲ ἐλάσσων, ἥρα καλεῖται. *Deduceremus*] Manifeste legitur in Crusellino *deduceremus*, vt in quibusdã Malęspinæ; quod nos sequuti sumus. *Nouus patronus*] Sunt veteres quidam libri, in quib. legas, *nouos patronos*, antique pro, *nouus patronus:* ac fortasse de industria sic scripsit Cicero, cum indicare vellet Clodium etiam in Latino sermone pronunciando sicilissitasse. Siculi enim, qui Dorice loquebantur, ore diducto litteram *o* proferebant. qua de caussa eos Theocritus scribit πλατυάσδειν. *Quod eos in hoc esse*] Quod eos in me esse, & mecum sentire moleste fert. *hoc*, enim δεικτικῶς dixit, cum se ipse demonstraret. *Num tantum*] Quasi floccum ostenderet, δεικτικῶς, *tantum*, scripsit. *Alia autem negligant*] Optimus coniector hic fuit Malaspina, vt ex Scidis perspexi: in quibus manifesto scriptum est, *alia*; non, *alij*. *Equites Curiæ*] Victorius legit, *Equiti Curiæ*, an ex veteribus libris

neſcio. in Decurtato exaratum eſt compendio, *Equit.* quod vt, *Equites*, potius explicem, quam, *Equiti*, adducor non modó ipſa auctoris ſententia, quę, vt ita legatur, poſtulat, ſed etiam quia vix *Equitem* ἐνικῶς apud Ciceronem reperias pro Equeſtri ordine. *Modeſte tamen dicit*] Hæc verba, *modeſte tamen dicit*, includi debent παρενθέσει: &, *dicit*, vt eſt in veteribus, non, *dixit*, legendum. quamuis, inquit, inhoneſta ac indecora videretur illa Fauonij accuſatio, ipſe tamen Fauonius aiebat ſe modeſte accuſaſſe Naſicam. *Catoni*] Qui valde infenſus erat Publicanis: epiſtola 17. libri ſuperioris, *Vnus eſt*, inquit, *qui curet conſtantia magis & integritate, quam, vt mihi videtur, conſilio, aut ingenio Cato; qui miſeros Publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium iam menſem vexat. Ad multos bonos viros*] Qui vectigalia conduxerunt. Publicanos intelligit, de quibus fere ſemper honorifice loquitur, quia erant ſui ordinis, id eſt, Equeſtris. *Deinde in diſceſſionibus*] Lego cum Manutio, *in diſceſſionibus*, ſed in voce *deinde*, nihil muto. ſtomachoſe enim hæc ſcripſit, cum ſignificaret parendum eſſe Senatuſconſulto iam perſcripto, in quo ipſe quidem aliorum ſententiam ſequutus fuerat, ſed imprudens. itaque falſo ſibi ait obijci ſolere, ſe in diſceſſionibus ſolum relinqui. nam in eo Senatuſconſulto non ſolus remanſerat, quaſi alia omnia ſentiret, ſed diſceſſerat in aliorum ſententiam, cùm non animaduerteret ad quos ea res, quæ tunc agebatur, pertineret. *Quas ad me de ceſſu tuo*] Edidi ſcripturam Decurtati, *de ceſſu tuo*; ad quam proxime accedit illa Tornæſiani, *de cenſu tuo*. ceſſus ergo hic eſt diſceſſus, vt cedere Italia eſt diſcedere ex Italia. Sed, vt verum fatear, Ciceronem ſcripſiſſe puto, *de deceſſu tuo*. nam librarij facile alterum *de* omiſerunt. *Prouincialia*] Non putabam cum prouincialibus tibi rei quicquam eſſe, cuius cognitio ad prouinciales magiſtratus pertineret. cum liberis ſolum populis, puta, cum Sicyonijs tibi negotium eſſe credebam, quibus ius non dicebant prouinciales magiſtratus, vt apparet ex oratione in Piſonem. *Tocullionibus*] Edi iuſſimus, *tocullionibus*, per duplex L, quo nomine iamdudum Turnebus docuit ſignificari fœneratores, quaſi dicas fœneratorculos: cuiuſmodi erant negociatores, & argentarij, qui fœnus in prouincijs exercebant.

IN EPISTOLAM II.

Mihi credes, leges] Didici ex Decurtato legendum esse, vt edidi, *mihi credes, leges:* quo modo absque particula *si*, veteres loquebantur, Vetus auctor apud hunc nostrum libro secundo de Oratore; *est focus, est familia: sapies, si algebis, friges.* Horatius, *sapias, vina liques.* Iam illud, *hæc doceo*, ea forma dictum est, qua alterum hoc pæne simile, frequens in his epistolis, *narro tibi. Epistola petiuit*] Herodes missa ad me epistola, tanquam telo eminus iacto, me lacessiuit, & prouocauit ad certamen. ait enim se velle sua scripta de meo Consulatu cum meis committere: quasi parum eleganter, aut etiam diligenter ipse scripserim, necesseque fuerit id argumentum ab illo tractari. *Comminus accessit*] Eadem tralatione dictum est, qua superiora. qui enim Ciceronem eminus petierat, comminus Atticum aggressus est. nam & Atticus commentarium scripserat Ciceronis Consulatus, quo cum Herodes sua scripta eadem de re componere studebat. Atticum autem Herodes conuenerat aut Athenis, aut alio quodam loco in Græcia, cum eoque egerat de suo libro. ea de caussa scribit Cicero illum comminus ad Atticum accessisse. *Coniurasse mallem*] Tam malus scriptor est Herodes, vt præclarum illud meum factum potius conspurcet & collutulet suis scriptis, quam illustret. itaque si illum mihi audiendum putassem recitantem quæ de rebus a me Consule gestis scripsisset, mallem fuisse de numero coniuratorũ, & eo nomine pœnas dedisse, quã ea scripta legere, aut audire, quæ me enecarent.

IN EPISTOLAM III.

K. Atilio] Sinceram lectionem retinuerunt Decurtatus, & Tornæsianus: in quorum vtroque exaratum est *K. Atilio:* id est, Cæsoni Atilio. fuit enim Cæso prænomen Atiliorum, quod hac nota K. scribi solebat. In fastis Capitolinis L. Atilius Tribunus militum filius dicitur K. Atilij. *Viridariorum*] Scripsi, *viridariorum*, fidem sequutus eorum omnium, quos habui. ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ] Nemo, opinor, inficiabitur hoc nomen a verbo ὑφίστανα deduci, cuius cum varij sint significatus, videndum est ad quem eorum Βάσεως hic referri debeat. ac, vt alios omittam qui fuse

a Budæo explicantur, quandoque ὑφισάναι valet fulmenta subijcere ad rem aliquam sustinendam: qua notione Pindarus scripsit in Olympijs,

χρυσέας ὑποστάσαντες εὐ-
τυχεῖ προθύρῳ θαλάμου
κίονας.

inde quia fundamentū est operis inchoatio, ὑφίσασθαι significat aliquid agendū suscipere, & aggredi, vt pluribus exemplis docet Budæus. itaque videtur Cicero ὑπόστασιν posuisse pro inceptione administrationis Reipublicæ. nam mense Ianuario ineūtes Consules fundamenta iaciebant suæ administrationis, qualesque erant orsus, tales fere erant euentus ceterarum rerum, quas toto suo anno gerebant. Hanc huius vocabuli notionem cum non animaduerterent eruditi quidam viri, κατάσασιν hic legendum putarunt, repugnantibus omnibus libris antiquis. *Sed me* κατάτασις] Legebatur in omnibus nostris κάτασις deminute. nam geminari oportuit mediam syllabam, & scribi κατάτασις, vt ipsa huius loci sententia manifestissime declarat. hortatur enim Calliope Ciceronem ijs versibus qui proximi sequuntur ad eum cursum studij Reipublicæ tenendum, quem primum ingressus erat. ideo κατάτασιν Cicero vocat contentionem, & incitationem eius cursus. nam κατατείνειν δρόμον est, vt norunt mediocriter docti, cursum contendere, & in incepto cursu gnauiter perseuerare. quod idem quandoque Græci significant solo verbo κατατείνειν, non addita voce, δρόμον. vnde Aristoteles libro nono ζώων ἱστορίας agens de leonum venatione τρέχειν κατατείναντα dixit, pro, acerrimo & incitatissimo cursu ferri. Aristotelis verba sunt: ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς, ἐάν ποτ' ἀναγκασθῇ εἰς φανερὸν διὰ τὸ πλῆθος φεύγειν, τρέχει κατατείνας. ea Plinius ita vertit, *idem vbi virgulta syluasque penetrauit, acerrimo cursu fertur.*

IN EPISTOLAM XXII.

Nummi potius reddantur] Hunc locum recte mihi explicasse videtur Goueanus sine vlla scripturæ mutatione. nam reddi alicui dicuntur nummi, cum ei pretium renumeratur, quo ille rem emerat. itaque *reddantur nummi* hic significat tantū ei pecuniæ reddatur, quantū is impenderat in emenda re. *Syspira conditione*] Mirum est quam valde

hoc loco

hoc loco varient exemplaria. alia enim habent, *Syrpæ*; alia, *Syrpiæ*; quædam, *Syspriæ*; nonnulla nescio quid peius. denique in nullo veram & germanam lectionẽ reperias, quam puto fuisse huiusmodi, *Syspiræ*. est enim Syspira locus, aut potius tractus Armeniæ celebris aurifodinis. Strabo ὑπιρά-τιδα vocat, suppressa voce χῶραν, quæ ex vulgato vsu loquendi facile intelligi poterat. sic Græci φθιώτιδα, & τραχωνίτιδα, & alia huius generis dicebant. obseruandum autem Ciceronem aspirationem in sibilum mutasse: qua in re eum sequutus est vetus Strabonis interpres, qui ὑσπιρά̃τιδα Syspiratidem vertit. sic ὗς sus, ὑπὲρ super, & alia sexcenta. Strabonis verba sunt, μέταλλα δ' ἐν τῇ ὑσπιρά̃τιδί ἐσι χρυσῦ κατὰ τὰ κάμβαλα, ἐφ' ἃ μέμινα ἔπεμψεν ἀλέξανδρος μετὰ στρατιω-τῶν. ἀνήχθη δὲ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Cum ergo Cicero intelexisset Clodium ad Tigranem Armeniæ regem mitti, optabat eam sibi legationem mandari, ea conditione, vt vna sibi daretur curatio effodiendi auri e Syspira, & Romam aduehendi: qua se sperabat se maximam gratiam inituru a populo Romano. *Futurus eius sit*] Codex Tornæsianus, *scius sit*; frustra repetita S littera ex præcedenti voce, & E, in C, mutato, insciti, aut negligentia librarij. est enim legendum, vt habent Scidæ, *eius sit*, hoc sensu; cum iste sacerdos Bonæ Deæ eiusmodi sit, cuiusmodi futurus est.

IN EPISTOLAM V.

Vide securitatem] In libris publicis est, *Videte ciuitatem meam:* quam lectionem, vt mendosam, plerique non immerito reijciunt, & eius loco aliam ex coniectura substituunt huiusmodi, *vide leuitatem meam:* quæ & ipsa a plurimis improbatur. sed omnem ea de re concertationem tollit liber Decurtatus, in quo perspicue scriptum est, *Vide securitatem meam.* quæ scriptura hic mirifice quadrat. quia enim Cicero scripserat se Auguratu tantum capi posse, idcirco considerandum Attico relinquit, quanta sit sui animi securitas, qui alia omnia, quibus homines capi queunt, præter Auguratum, negligat. *De Curtio*] Codex Tornæsianus, & Cruselinus, *de Tutio.* sed vulgatam Decurtatus retinet.

IN EPISTOLAM VI.

An hic, an Antij] Ex duabus syllabis ijsdem litteris constatis, seseque inuicem attingentibus, alteram plerumque li-

brarij omittebant: vt hoc loco, ante vocem *Antij*, eorum incuria atque imperitia excidit *an* particula dubitandi, quæ tamen extat in Decurtato, & quibusdam alijs veteribus, vt testatur Malaspina. Cum autem hæc Cicero scribebat, non erat Antij, sed in prædio quodam Antij finitimo, & agro Antiati attributo, vbi, vt opinor, villam habuit. *Duumvirum quam Romæ*] Totus hic locus ita legitur in Scidis, *vbi quidem ego mallem Duumvirum quam Romæ me fuisse*: quam lectionem vulgatæ prætulimus. nec est quod quisquã offendatur hoc loquendi genere, *mallem me fuisse Duumvirum*, pro, *mallem fuisse Duumvir*. non enim insolens fuit veteribus Latinis. Plautus Pœnulo, *Bono ingenio me esse ornatam quam auro multo mauolo*. Antonius in epistola ad Ciceronem, *Nam qui se medium esse vult, in patria manet*. Cum autem Cicero scribit se malle fuisse Duumvirum Antij quam Romæ, alludit ad numerum Consulum Romanorum, quos festiue Duumviros, quia bini quotannis creabantur, appellat, a similitudine eorum magistratuum, qui colonijs & municipijs præerant, & a numero Duumviri dicebantur. Malebat ergo fuisse Duumvir Antij, quæ colonia erat populi Romani, quam Duumvir, id est, Consul Romæ. *Viuum est saclum*] Hunc quoque locum restitui ex Decurtato, hoc modo, *qui quemquam ex XX. viris viuum, est saclum, velit*. in Tornæsiano pro *saclum*, mendose scriptum erat *sagium*. dictum est κατὰ συγκοπὴν *saclum*, vt libro octauo harum epistolarum, *vinclum adiungendorum Consulum*, pro *vinculum*, & libro xv. *piaclum*, pro *piaculum*. Porro *est saclum*, significat multi sunt anni.

IN EPISTOLAM VII.

Pisaurenſi, an epuloni] Edidimus scripturam Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini; *Druso, vt opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio*. *Quoad pot' est*] Tornæsianus & Crusellinus, *quoad potest*: Scide, *quoad pot' est*, elisa vltima littera vocis *pote*, & apposita apostropho: atque ita excudendum curaui. *Nunc ad sororem tuam*] Coniecturam Malæspinæ confirmat lectio Decurtati, *nunc ad sororem tuam*. Sic epistola decimanona huius libri vitiose vulgo scriptum est *hoc non repudio*, pro *hoc nunc repudio*.

IN EPI-

IN EPISTOLAM VIII.

Aliud agamus] Si nostram spem collocamus in iuuentute, non est vt simus amplius ea de re solliciti, cum ea prorsus desperata sit. quare aliud agendum, & animus ab ea auferendus. Aliud agere, est animum in ea re non occupare, quam tractandam quis suscepit, sed alio cogitationem intendere. *Cratera illum delicatum*] Indicat se in Pompeianum, vt decreuerat, non excursurum; sed de Formiano Antium reuersurum. itaque se obsequuturum Attici consilio suadentis ne eo tempore se mari cōmitteret. Pompeianum villa erat Ciceronis prope vrbem Pompeios, quo cum Cicero proficiscebatur, mari plærumque iter faciebat, sinumque illum interfusum Miseno, & Mineruæ promunctorio, vulgo κρατῆρα nominatum, enauigabat. eum Craterem ait nunc sibi esse prætermittendum, & Antium redeundum. Delicatum autem vocat alludens ad κρατῆρας, id est, pateras, quibus Dijs libabatur: quæ dicebantur delicatæ, quod essent dedicatæ Dijs. ita enim delicatum interpretatur Festus. idem Cicero paradoxo primo, *minusne gratas dijs immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas fuisse, quam delicatas aliorum pateras arbitramur?* De hoc Cratere sic Strabo libro 5. ἔστι δὲ ἀπὸ τῆς σινοέσσης ἐπὶ μὲν τὴν ἑξῆς παραλίαν κόλπος εὐμεγεθὴς μέχρι μισηνοῦ: κακεῖθεν ἄλλος κόλπος πολὺ μείζων τοῦ προτέρου: καλοῦσι δ' αὐτὸν κρατῆρα, ἀπὸ τοῦ μισηνοῦ μέχρι τοῦ ἀθηναίου δυοῖν ἀκρωτηρίων κολπούμενον. A IIII. *ad pridie*] Editiones habēt, *a* IIII. *Kalend. ad pridie*, vitiose. nam vox *Kalendas*, inuito Cicerone huc irrepsit: vt alij, ante nos, docuerunt. sed nec in Scidis legitur. itaq;, cū auctorē habuerim veterem optimæ notę librū, iure mihi videor illam expunxisse.

IN EPISTOLAM IX.

S. V. B. E.] pro *subito*, qua voce in libris excusis inchoatur hæc epistola, in nostris veteribus partim exaratum est, *sub*; partim, *sube*. scripsi separatim, S. V. B. E. nam quatuor hæ notæ male in vnum vocabulum coierant. significant autem, *si vales, bene est*. Sic alio loco in his epistolis pro *subposteaquā*, emendauimus, S. V. B. E. *posteaquā*, &c. *In inuidia*] Aberat a vulgatis prępositio *in*, quā ex Scidis restitui. *Orbis hic*

in Rep.] Eadem loquutione vtitur epistola 21. huius libri: *Equidem sperabam, vt sæpe etiam loqui tecum solebam, sic orbem Reip. esse conuersum, vt vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus.* orbis hic circulum significat; & est translatio ducta ab eo genere ludi, quem Græci vocant κρικηλασίαν, quo circus siue orbis quidam, cuius diametros sit a mammis ad pedes eius qui eũ adigit, ita impellitur, vt annuli ei circũpositi suauẽ quendam sonũ edant. Oribasius libro 6. Collectaneorum ad Iulianum imperatorem: ἐλάσσονα δὲ σχέτω ὁ κρῖκος τὸν διάμετρον τοῦ μήκους τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε τὸ ὕψος αὐτοῦ μέχρι τῶν μαστῶν ἐξικνεῖσθαι, ἐλαύνεσθαι δὲ μὴ κατὰ μῆκος, ἀλλὰ κατὰ πεπλανημένον. ἔστω δὲ ὁ ἐλατὴρ σιδηροῦς ξύλινον ἔχων τὴν λαβήν. τοὺς μέν τοι λεπτοὺς κρίκους τοὺς περικειμένους τῷ τροχῷ ὤθησάν τινες εἶναι περιττούς. τὸ δὲ οὐχ οὕτως ἔχει. ἀλλ' ὁ ψόφος ὁ γινόμενος ἐξ αὐτῶν διάχυσιν ἐργάζεται, καὶ ἡδονὴν τῇ ψυχῇ. *Neque a Theophrasto*] Hæc verba, *neque a Theophrasto*, ad βίον θεωρητικὸν retulit, vt illa, *neque vsu*, ad πρακτικόν. nam Theophrastus vitam, quæ in perscrutandis & perspiciendis rerum causis versatur, longe illi anteponebat, quæ rerum vsum, tanquam finem, sibi propositum habet. idem hic auctor epistola 16. huius libri, *Nunc prorsus hoc statui, vt quoniam tanta controuersia est Dicæarcho, familiari tuo, cum Theophrasto amico meo, vt ille tuus* τὸν πρακτικὸν βίον *longe omnibus anteponat, hic autem* τὸν θεωρητικὸν, *vtrique a memos gestus esse videatur.* *Cogit* ἄντα] Latebat hic vocula Græca, cuius ignoratione valde perturbatus [illegible] hic locus. eam nos in lucem protulimus beneficio Decurtati, in quo pro *cogitat tantum*, quæ scriptura est receptarũ editionum, legimus, *cogit tanta tum:* vt si ex vocabulo *tant*[illegible] rimã litteram demas vitiose repetitam ex antecedenti, & Gręce ἄντα scribas, particulamque *tum*, cum verbis sequentibus iungas, tum demum iure glorieris te genuinam Ciceronis scripturam tenere. nam ἄντα vox est Homerica, quæ contra, & ex aduerso significat, iungique solet cum verbo στῆναι aut ἐλθεῖν. sed neutrum Cicero expressit, vsus familiari sua & assueta reticentia. Homerus libro 16. Iliadis,

ὅς κε σεν ἄντα ἔλθῃ ἀμυνόμενος. & libro 20.

ἤ τοι μὲν

ἦτοι μὲν γὰρ ἔναντα ποσειδάωνος ἄνακτος,
ἔστατ' ἀπόλλων φοῖβος ἔχων ἰὰ πτερόεντα,
ἄντα δ' ἐνυαλίοιο θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη. Et
ἄντα δ' ἄρ ἠφαίστοιο μέγας ποταμὸς βαθυδίνης. Et
ὡς οἱ μὲν θεοὶ ἄντα θεῶν ἴσαν.

Horum igitur verborum sensus est, si Clodius me cogit ἀντα στῆναι, aut ἀντα ἀλθεῖν, hoc est, contra se stare, aut progredi, quod me lacessat, tum cogitamus dumtaxat nos defendere.

IN EPISTOLAM XII.

Publium plebeium] Mutilæ hic erant Scidæ. sed codices Tornæsianus, & Cruselinus aperte scriptum habebant, *plebeium*, non, vt vulgati, *Tribunum pleb.* atque ita prorsus legendum. mox ex fide eorundem librorum scripsi, *hoc vero regnum est, & ferri nullo modo potest. Ex Antiati*] Victoriana editio, *ex Antio*: accommodatius nostri ad normam Latine loquendi, *ex Antiati. Nunc fluctuat*] perturbata est, neque dum sedata & composita: ideo mox subijcit κατ' ὀπώρλω τρύξ. κατ' ὀπώρλω τρυξ] Vulgata lectio κατ' ὀπώρλω τραχὺς mihi semper suspecta fuit. suspicionem auxit scriptura hæc Cruselini, κατ' ὀπώρλω τρὺχ. itaque re diligenter expensa tandem conieci legendum, κατ' ὀπώρλω τρύξ. atque ea, ni fallor, vera & germana est Ciceronis scriptura, vt sensus ipse declarat. nam fluctuare dicuntur quæ nondum conquieuerunt, sed adhuc agitantur, cuiusmodi est fæx vini κατ' ὀπώρλω, id est, per autumnum, & tempore vindemiarum. nondum enim desedit, sed adhuc in vino fluctuat. Porro Cicero hæc verba ex auctore quodam, qui Ionice scripsit, decerpsisse videtur, vt qui ὀπώρλω, non ὀπώραν dixerit. *Decesserit*] Monet Sebastianus Corradus in quibusdam libris legi, *desederit:* quod verbum aptissime dicitur de fæce in imo subsidente. quia tamen vulgatam lectionem, *decesserit*, in omnibus meis reperi, nolui eam mutare. & tum fæx e vino decessit, cum desedit.

IN EPISTOLAM XIIII.

Ac adsitientes aures] Reduxi in pristinam sedem particulam *ac*, quæ diu hinc exularat. *At quam parem*] Scripsimus ex veteribus libris, *at quam parem*, quasi dicat, valde

parem. nam vt basilicæ ampla quædam & spacioſa erant ædificia, quibus ingens hominum cœtus capi poterat: qua de causa in ijs plærumque magistratus ius dicebant, & mercatores negociabantur: ita Tribus Æmilia hominum frequentia ceteras Tribus superare videbatur. itaq; ἀναλόγως habebãt Æmilia Tribus, & basilica. *Omitto vulgus*] κατὰ παρένθεσιν dictum est, *omitto vulgus.* innuit enim qualibet hora diei molestissimum esse vulgus Formianorũ, nedum post quartam solum. *Molesti ceteri*] Ceteri qui sunt Formijs, mihi molesti non sunt post horam quartam. nam ante eam horã me valde salutationibus interpellant. reliquum tempus diei C. Arrius & Sebosus me non sinunt tanquille & quiete ducere, ita odiose importuni sunt. *Vide enim*] Ratio est cur dicat se expectaturũ Atticum vsq; ad pridie dumtaxat Nonas Maij. male igitur in Cruſellino, & Tornæsiano, pro *vide*, legitur *vidi. Illud probem?*] Legendum cum interrogatione; quasi dicat, fieri non potest, cum singulis horis interpeller, vt id, quod suades, probem, & magnum aliquid aggrediar, & multæ cogitationis. nam hæc verba, *magnum aliquid aggrediamur, & multæ cogitationis, atq; ocij*, descripsit ex epistola Attici.

IN EPISTOLAM XV.

Seu ruet, seu eriget] Mendose locus hic legitur in omnibus libris, quos vidi, etiam manuscriptis. Tornæsianus habet, *Seruet get Rempublicam:* Cruſellinus, *seruet serget Remp.* Decurtatus, *seu ruet se vrget Remp.* quas lectiones ex hac deprauatas fuisse puto, *seu ruet, seu eriget Remp.* ita enim arbitror scripsisse Ciceronem: atque ita fere emendauit Sebastianus Corradus. *ruet* autem videtur opponi verbo, *eriget*, & significare euertet, vt apud Terentium Adelphis, *cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem:* & Virgilium libro primo Georgicorum,

Quid dicam iacto qui semine comminus arua
Subsequitur, cumuloq; ruit male pinguis arena.

In controuersia Muluiana] Muluius hic publicos agros possessoribus, qui vectigal non pendebant, adimere conabatur, vt eos in perpetuum, aut ad certum tempus alijs locaret, ea lege, vt tamdiu pro ijs vectigal penderent quamdiu eos possiderent. ex ijs agris Atticus & Terentia quædam

prædia

prædia possidebant. ideo tam suo quam Terentiæ nomine caussam omnium possessorum Atticus defendebat, negabatque eos agros possessoribus auferri posse, dum ipsi penderent vectigal. quo dicto fatebatur eos agros vectigales esse. Attici diligentiam & assiduitatem in retinendis agris Terentia valde probabat, professionem vectigalis pendendi non probabat: quippe quæ nollet eo nomine quicquam pendere. at ille prudenter cogitabat agros vectigales alia ratione retineri non posse, nisi si vectigal penderetur. hanc Attici exceptionem confirmat Paullus iurisconsultus libro 21. ad edictum, *Agri ciuitatium*, inquit, *alij vectigales vocantur, alij non. vectigales vocantur qui in perpetuum locantur, id est, hac lege, vt tamdiu pro his vectigal pendatur, quamdiu neq; ipsis qui conduxerint, neq; ijs qui in eorum locum successerunt, auferri eos liceat.* *Publicanus pendis*] Exaratum erat in nostris partim, *Publicanos*; partim, *Publicanus*. illam lectionem mendosam, hanc veram puto. Atticus si Publicanus non erat, certe socius erat Publicanorum, vt alio loco docuimus, eodemque iure & immunitate fruebatur, qua Publicani. attamen agrorum nomine, quos e publico possidebat, non recusabat pendere vectigal. at Terentia, cui nihil commercij erat cum Publicanis, prædium, quod e publico possidebat, liberum asserebat ab omni vectigali. itaque sibi plus iuris sumebat, quam ipsi Publicani, penes quos erat vectigalium exactio.

IN EPISTOLAM XVI.

φυσᾷ τὰρ] Versus sunt Sophoclis, vt indicat Dionysius Longinus περὶ ὕψους. *Se leges Cæsaris*] Scripsi vt erat in Scidis, & Decurtato, *se leges Cæsaris probare*.

IN EPISTOLAM XVII.

Turbat vi] Veteres libri, *turbatur*. emendaui, *turbat vi*. videtur enim Cicero significare Pompeium vi turbas ciere. A. D. VI. *circiter*] Initio libri primi monui vitiose quamplurimis in locis harum epistolarum scribi, AD, pro, A. D. id est, ante diem, quod manifestissime hinc ostenditur, vbi τὸ *circiter* redundaret, si AD præpositio esset. *Conferemus*] Editiones vulgatæ, *conferamus*: veteres nostri, *conferemus*, rectius; vt sit eiusdem modi, &

temporis, quo illud superius, *deflebimus. Iam vacuum est*] Lego, *vacuum est*, vt est in manuscriptis nostris. referri enim debet ad illud superius scriptum, *quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον. πῶσις Curiana*] Locus pessime acceptus. eum nos, vt spero, sanauimus ope Decurtati, in quo ita legebatur, *plocis Curiana*. putauimus enim librariũ Græcarum litterarum ignarum, vt totum hoc genus plerumque est imperitissimum, pro πῶσις, quo modo Ciceronem scripsisse existimo, deprauate exarasse, *plocis*. quam scripturam inepti quidam interpolatores cum mendosam viderent, errorem errore cumulantes ita correxerunt, aut potius corruperunt, *Phocis*. vocat Cicero Curianam πῶσιν dedecus & ignominiam flagitiosissimi viri Q. Curij, qui, vt refert Sallustius, ob probra & mala facinora motus fuerat Senatu. Latine dicas casum, siue prolapsionem; quod is e summo honore in summum contemptum decidisset. nam πίπτειν, siue ἐκπίπτειν apud Græcos, & cadere apud Latinos ea dicuntur, quæ, cum nullius sint existimationis, a quouis explodũtur. Demosthenes pro Ctesiphonte, ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ' ἐκκλησίαζον: ἐτριταγωνίστεις, ἐγὼ δ' ἐθεώρουν: ἐξέπιπτες, ἐγὼ δ' ἐσύριττον. Horatius de fabulis quæ exsilibantur a populo,

Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

Cum ergo Cicero indicare vellet summum Pompeij contemptum, ὑπερβολικῶς scripsit Curium non æque despectum iacere atque illum: quinimo Curianam πῶσιν præ Pompeiana stare videri. contraria enim sunt cadere & stare, ac vt cadere dicebantur, quæ in contemptum abibant; sic stare, quæ erant in magna existimatione. ideo stabant fabulæ, quæ læto spectatorum plausu excipiebantur. Terentius Hecyra, *In ijs primum Cæcilij didici nouas, partim sum earum exactus, partim vix steti*. Idem Phormione, *Quod si intelligeret, cum stetit olim noua, actoris opera magis stetisse quam sua*. De hoc Curio antea scripsimus ad eum locum epistolæ primæ libri primi, *vt mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere. Alabarches*] Iamdudum Iacobus Cuiacius, iurisconsultorum nostræ ætatis facile princeps, legendum esse docuit, *Alabarches*, non, vt erat in vulgatis, *Arabarches*, cum ita scriptum reperisset in codice Tornæsiano. ita nos etiam

nos etiam exaratum legimus in Decurtato, Cruſellino, & Huraltino. hoc autem nomine Cicero Pompeium notat, qui gloriabatur ſe mirum in modum auxiſſe vectigalia populi Romani. ἄλαβα, inquit Heſychius, μέλαν ᾧ γράφομεν, id eſt, atramentum quo ſcribimus; vnde & proſcriptura ipſa accipitur. hoc porro vocabulum, *ſcriptura*, partim γενικῶς, partim εἰδικῶς intelligitur. γενικῶς *ſcriptura* eſt quæuis notarum, litterarumve delineatio. εἰδικῶς eſt eius vectigalis perſcriptio, quod ex pecoris paſtione pendebatur. nam cum paſtores, qui pecudes in ſaltibus publicis paſcebant, numerum capitum ſui pecoris apud Publicanos profitebantur, eum numerum Publicani in ſuos commentarios referebant; a qua ſcriptione vectigal huiuſmodi paſtionis latine ſcriptura, & Græce ἄλαβα ab atramento dicebatur. itaq; Alabarches hic eſt veluti magiſter ſcripturæ; hoc eſt, auctor eius vectigalis imponendi, cuius ratio Publicanorũ ſcriptura conſtabat. huiuſmodi vectigalium præfecturæ fuerunt apud Alexandrinos, vnde fortaſſe hoc nomen tranſlatum eſt in Latium. Ioſephus originum Iudaicarum libro decimo octauo, ἔνθα ἀλεξάνδρε δέῖται τοῦ ἀλαβάρχε μυριάδας εἴκοσι δάνεια αὐτῷ: & libro vigeſimo, ἦλθε δὲ φαδω τιβέριος ἀλέξανδρου διάδοχος ἀλεξάνδρε παῖς τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν ἀλεξανδρεία. inde Iuuenalis, *inter quos auſus habere*,

Neſcio quis titulos AEgyptius, aut Alabarches,

Sane Pompeius qui hoc nomine hic ſignificatur, in multis Aſiæ regionibus vectigalia conſtituerat, idem Cicero ſupra, *Nunc vero Sampſicerame quid dices? Vectigal te nobis in Antilibano conſtituiſſe, agri Campani ademiſſe?* De ſcriptura, id eſt vectigali ex pecore, elegans eſt iocus in Plauti Truculento:

Nam aduerſum legem, a me ob meam ſcripturam pecudem accepit.

A. plaria, idem quod tu facis faciunt rem male gerentes,

Vbi non eſt ſcripturam vnde dent, incuſant Publicanos.

Scilicet vt ſoles] Duo hæc verba, *vt ſoles*, ex Scidis, Tornæſiano, & Cruſellino addidimus, cum abeſſent a vulgatis.

IN EPISTOLAM XVIII.

Hac tamen in oppreſſione] Codices vulgati, *at tamen*, vno verbo; noſtri melius, *hac tamen*. *Caute*] Tornæſianus, &

Decurtatus, *laute:* Cruſellinus, *caute*; quam ſcripturam expreſſimus: quam quam alteram, *laute*, non damnamus.

IN EPISTOLAM XIX.

Hoc nunc repudio] Sæpe librarij peccarunt in his duabus voculis, *non*, & *nunc*, inuicem commutandis. itaque depraua te hic vulgo legitur, *non repudio*, pro *nunc repudio*.

IN EPISTOLAM XX.

Pragmatici] Pragmaticos vocat homines multo rerum vſu peritos, & ſolertes, qualis fuit Epicharmus, quem ea de cauſſa alio loco appellat vafrum. reſpexit enim ad hunc eius verſum,

νῆφε καὶ μέμνασ' ἁπιζεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Et tamen ſcit?] Appingi debet poſt verbum *ſcit*, interrogationis nota. quia enim fieri poterat, vt Alexander, quamuis ineptus haberetur, alioqui tamen eruditus eſſet, ita vt vitia virtutibus aut ſuperarentur, aut certe æquarentur, ideo, tamquam ex perſona Attici, quærit quantum in eo ſit eruditionis, moxque ſubijcit eum nihil ſcire. Ceterum in quibuſdam libris pro *ſed tamen*, legitur *& tamen*.

IN EPISTOLAM XXI.

Quin cum comitia] Recte Malaſpina ex coniectura emendauit *quin*, pro *qui*, vt ex Cruſellino & Decurtato animaduerti, in quibus plane ita legitur.

IN EPISTOLAM XXII.

Manſiſſes] Prorſus geminare hic oportuit verbum *manſiſſes*, quod vidit etiam Lambinus: ſed male interiecit particulam, *&t.* nam *manſiſſes*, quod ſecundo loco poſitum eſt, hanc ſignificationem habet, curaſſem vt maneres Romæ, nec inde diſcederes, hæc ſi fore putaſſem.

IN EPISTOLAM XXIII.

Poſſe inueniri nullam] Legebatur in Decurtato & Tornæſiano, *quam ego poſſe inueniri nullam*, vt edendum curaui. ſumi autem debet e ſuperioribus, *te ſcire volo*, ἀπὸ κοινοῦ. *Poſt deinde*] Vocula. *poſt*, aberat a libris impreſſis, quam e noſtris manuſcriptis reſtitui. ſolet autem ſæpe coniungi cum illa altera, *deinde*. Terentius Andria, *Poſt deinde quod ſuſſi ei dare bibere*: & in XII. Tabulis, *Poſt deinde manus iniectio eſto*.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XXIIII.

Ad illam κέλευσιν] Scripsi ex Decurtato, & Tornæsiano κέλευσιν, quo loco Victorius edit celeritatem. *Quam auditu*] In vetustioribus nostris erat *auditu*, vt edidi. *Haud reclamatum est*] Deerat vitio librariorum in editionibus, *haud*, negandi particula, post verbum *postulauit*; quam nos ex Decurtato reposuimus, vbi ita exaratam legimus, AVT. *Et qui illuc factus*] Scidæ, vt Malæspinæ codices, &, *qui*, melius omnino quam vulgati, in quibus est, *& qui*. *Nihil me infortunatius*] Lambinus primam partē huius loci recte ex coniectura restituit, nisi quod verbum *est*, omisit ante nomen *Catulo*. eius vero emendationem confirmat castigatissima hæc lectio Decurtati. *quid quæris? nihil me infortunatius, nil fortunatius est Catulo, cum splendore & vita, tum hoc tempore*. fortunatissimum vocat Catulum, quod splendide, & cum honore semper vixerit, & quod in illa calamitosissima tempora non inciderit, vt qui iam mortuus esset. *Hoc tempore*] tam calamitoso, ad quod non durauit. nam si nunc viueret, miser esset. fortunatus igitur est, quod ante e vita excesserit. Lambinus postrema hæc huius loci verba ita deprauauit, *cum splendore & vitæ, tum mortis tempore*.

IN EPISTOLAM XXV.

Summæ sibi] Vt, *sibi*, non *tibi*, legatur, postulat sententia. Cicero enim ad Atticum scripserat de officio Varronis erga se, Varronem scilicet valde sibi satisfacere: quod cum Varroni postea Atticus litteris nunciasset, Varroque deinde significasset Attico eam Ciceronis commemorationem de suo erga illum officio valde sibi gratam esse, rescripsit Attico Ciceroni, valde placere Varroni quæ ipse de illius officio prædicaret. *sibi*, ergo est, *Varroni*. *Non quo faceret*] Innuit Varronem non idcirco sibi satisfacere, quod ea faceret, quæ sibi grata essent, sed quod ingenue & non dissimulanter ea faceret. nam, *quo*, significat, *qua*; & vero, *quo animo*. itaq; , *non quo faceret*, ad operā & officij præstationē refertur; & *faceret*, ad candidum & ingenuum Varronis animū. *Moratus*] Moratus auctor est, qui suis scriptis mores hominū effingit, non modo quales vulgo sint, sed quales esse debeāt, quiq; in eā rem præclaris sententijs vtitur, quibus præcepta

traduntur recte instituendæ vitæ; quo in genere præstantissimus habetur Euripides, quem nomine bene morati hic designat, adductis eius versibus ex fabula Andromacha de simulato hominum animo. mirabiliter, inquit, moratus est Euripides, cum scribit,

Ἐλικτὰ, κοὐκ εὐθηγίες, ἀλλὰ πάντα πέρι ξ
Φρονοῦντες.

His verbis Andromacha Spartanorũ animũ describit, quem ait esse minime candidum & ingenuum, sed callidum & versutum. tales vero plærosque Romæ tunc fuisse tacite queritur Cicero, innuitque eos potissimum hoc vitio laborasse, qui Reip. gubernacula tenebant. idcirco subijcit alium versum Euripidis,

τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών.

Ceterum paullo post pro *Hortensius*, reposuimus ex antiquis nostris, *Hortalus*; quod cognomen fuit familiæ Hortensiorum.

IN LIBRVM III.

IN EPISTOLAM II.

In fundum Sicæ] Fundus hic Sicæ erat prope Vibonem, quo Cicero ibat eo consilio, vt inde in Siciliam aut Meliten pergeret, ibique maneret, si sibi per legem Clodiam liceret. sin minus, decreuerat Brundisium se referre, & inde naui Græciam petere: cui nauigationi non audebat se committere propter inimicum suum Autronium, qui in Græcia exulabat. ideo scribit sibi tenendas non esse partes illas Attico. *Brundisium referre*] Id est Brundisium regredi, quia Vibonem profectus Brundisium pone reliquerat, quo ipsi remeandum erat, vt inde in Græciam, aut in Asiam se conferret. *In oris Luc.*] Hanc epistolam Cicero scripsit cum iter haberet Vibonem, in fundum Sicæ; quod iter per Lucaniam fecit, vt refert Plutarchus. eam autem dedit in oris Lucaniæ, cum Thuriorum fines iam ingressurus esset. est enim Vibo oppidum Thuriorum. Quod autem, *in oris Luc.* id est, Lucaniæ, scripsi, id feci partim coniectura, partim ex præscripto veterum librorum. nam in Decurtato exaratũ erat VI. ID. *Apri. neris Luc.* Imperite hic librarius vltimam litteram vocis *Apri.*

vocis *Apri*, & primam τοῦ *noris*, quæ ambæ vna iunctæ præpositionem *in* efficiebant, separauit, & singulas proximis vocabulis agglutinauit. scribendum enim fuit, VI. ID. *Apr. in oris Luc.* lectionem hanc nostram iuuat etiam scriptura Tornæsiani, Cruselliani, & Huraltini, quamquam deprauata, quæ sic habet, *Naris Luc.*

IN EPISTOLAM IIII.

Conrectum] Scripsimus, *conrectum*, vt erat in Decurtato, more antiquo, pro *correctum*. nam vitiosa est scriptura editionum, *confectum*. *Illo cum peruenire*] Recte Manutius interpretatur, *illo*, vltra quadringẽta millia passuũ. nam si Cicero partes illas, quo primum iter instituerat, tenuisset; hoc est, si in Siciliam, aut Meliten nauigasset; (eo enim tendebat iter illud Vibonem versus susceptum) certe non peruenisset vltra quadringenta millia passuũ. Sicilia enim, & Melite propius absunt ab Italia quadringentis millibus passuũ.

IN EPISTOLAM VII.

A. D. XIIII. KAL. *Mai.*] Liquido scriptum erat in nostris A. D. XIIII. KAL. *Mar.* & ita edidi. *Non sunt tam*] Legendum putaui, vt erat in Tornæsiano, Cruselliano, & Decurtato, *non sunt tam ad medicinam, sed ad finem doloris.* quamquam non displicet Victoriana lectio, *non sunt tam ad medicinam, quam ad finem doloris.* *Brundisij*] Hæc epistola in Decurtato finiebatur eadem voce, qua & sequens inchoabatur, hoc modo, *Dat. prid. Kalend. Mai, Brundisij.* CICERO ATTICO. *Brundisij proficiscens scripseram ad te.* de qua scriptura neminem dubitaturum putaui. itaque illam in meum exemplar transtuli.

IN EPISTOLAM VIII.

Audiri] Scripsi ex Tornæsiano, Decurtato, & Cruselliano, *audire*, παθητικῶς, & ex eodem Decurtato, *postularetur.*

IN EPISTOLAM X.

Viuus nunc amitterem] Monuimus antea culpa librariorum, *non*, pro *nunc*, sæpe vitiose scriptum esse in his epistolis; quod hic etiam accidit, vbi, *nunc amitterem*, reponi debet pro *non amitterem.*

IN EPISTOLAM XII.

Eodem Tribuno pleb.] Augurabatur Cicero Clodium biennium fore Tribunum pleb. cum sciret eum non adeptu-

rum esse a populo Romano alios honores in annum sequentem. scribit enim Appianus lege quadam sancitum fuisse, vt nisi Tribuni plebis, qui Tribunatu abirent, statim ad alios honores vocari possent, eorum in primis ratio haberetur proximis comitijs Tribunicijs. hæc sunt Appiani verba de C. Gracho libro primo de bello ciuili: καὶ εὐθὺς ἐπὶ τῷδε καὶ ἐς τὸ μέλλον ἤρετο δημαρχεῖν. καὶ γάρ τις ἤδη νόμος κεκύρωτο, εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. id est, statim postea creatus est Tribunus plebis in annum quoque sequentem. iam enim sancitum fuerat lege quadam, Vt si Tribunus plebis alios honores petere nō posset, eius in primis populus rationem haberet, comitijs Tribunicijs. hæc verba, εἰ ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, sic interpretatur magni nominis Iurisconsultus in commentario de legibus Romanis, *si Tribunus nondum promissa præstiterit.* putauit scilicet παραγγελίαν idem esse cum ἐπαγγελίᾳ. pudet me tam fœdi erroris *Dodona*] Decurtatus, *Dona:* quæ scriptura iuuat coniecturam Malaspinæ *Dodona* legentis, vt certe legi debet. Dodona vero quarto casu dictum est a nomine Dodon. Eustathius in Dionysium, ἰστέον δὲ ὅτι ἡ Δωδώνη οὐ μόνον ἡ χῶρα, ἀλλὰ καὶ πόλις ἐν Δωδώνῃ, ἀπὸ Δωδώνης τῆς Διὸς καὶ εὑρώπης, ἢ ἐκ ποταμοῦ Δώδωνος. ἐλέγετο δὲ καὶ Δώδων Δισυμβρως. *Tere rstic*] Desiderabatur hic vocula *re*, ante aduerbium *rstic*, quam nos ex Scidis & Crusellino in suum locum restituimus.

IN EPISTOLAM XIII.

Neque temporis] Suspicatur Malaspina scribendum, *neque*, pro, *meque:* at ego ita legendum affirmo ex fide Decurtati, & Crusellini. *Me causſa meæ*] in nostris antiquis erat, *me causſa meæ, voluntati meorum defuisse.* correxi, *me causſa meæ, voluntati meorum defuisse*, hoc sensu, non putabis me voluntati meorum defuisse, meæ voluntatis causſa; hoc est, amicorum voluntati antepositum esse meam.

IN EPISTOLAM XIIII.

Etſi scio] Alij aliter. ego ex Scidis reposui, *etſi scio*, vt corrigendum putat Malaspina: cuius in ea re sententiam non probo, quod, *potius quam*, pro, *potius &*, legendum existimat. dicebant enim Latini, *potius &*, pro, *potius atq;*, vt, *simul &*, pro, *simul atq;*, quemadmodum alio loco docuimus.

mus. *Vt scripseram, non veni*] editiones habent *iui*, quod non improbo. sed Scidæ, Tornæsianus, & Decurtatus, *veni*, & mox, *subito*, non, *subiti*.

IN EPISTOLAM XV.

Ecquo modo] Correxi, *ecquo*, vt erat in antiquis nostris. paullo post ex ijsdē libris iussi excudi, *cæteros quod purgas, debent mihi probati esse, tibi si sunt. Quid est firmius?*] Vulgati libri, *sic est firmius*. sed multo melius Scidæ, Tornæsianus, & Cruselinus, *quid est firmius?* quam lectionem etiam probat Lambinus. *In quo ipso*] Tres has voces, *in quo ipso*, restituimus ex Decurtato, Tornæsiano, & Cruselino. *Quoniamq; ego*] Victoriana editio, *quumq; ego proditus*. aliter nostri, & melius, *quòniamq; ego proditus*. mox ex plærisque meis edidi, *me, meos, meus tradidi inimicis*.

IN EPISTOLAM XVI.

Quod cum lecta sunt] Manuscripti nostri, *quod cum lecta sunt*: nisi quod in Tornæsiano, *latæ*, culpa librarij exaratum est. *Vt putabis*] Statim post hæc verba, *ita scribas*, hoc amplius habent Decurtatus, Tornæsianus, & Cruselinus, quam vulgati, *vt putabis*; quod omittendum non duxi.

IN EPISTOLAM XVII.

Leuineius] alij, Liuinus; nostri veteres, *Leuineius*, vt edidi. *Appij quæstio est*] Omnino legendum est, *quæstio*, vt est in priscis nostris. nam publicis iudicijs exercendis, quę Quæstiones dicebantur, præficiebantur quotannis Prætores, qui & Quæsitores inde vocabantur. cum autem hęc Cicero scribebat, Appius Claudius designatus erat Prętor, vt docet Dio, eiq; obtigerat, vt hinc conijcimus, Quæstio de pecunijs repetundis. itaq; verebatur Cicero, ne valde periculosum esset Q. fratri causam dicere de pecunijs repetundis, quarum auctor erat eum postulatum iri, Appio Claudio Prætore, qui erat Quincto, propter ipsum Ciceronem, inimicissimus. nam Appius, Publij fratris causa, qui magnas cum Cicerone simultates gerebat, non modo oderat ipsum Ciceronem, sed & Quinctum eius fratrem. Porro hic agi de accusatione Q. Ciceronis declarat locus ille epistolæ octauæ huius libri, vbi hic auctor de fratre ita scribit: *Nūc isti c quid agatur maopere timeo: quamquā tu altera epistola scribis Idib. Maias audiri, fore vt acrius postularetur, alteras iam esse mitiora.*

Caue vereri] Mei omnes, vno excepto, *caue vereri*, quod rectum existimo.

IN EPISTOLAM XVIII.

Actorem etiam daturum] Scidæ, & Crusellinus, *actorem*, vt ex Tornæsiano Lambinus emendauit.

IN EPISTOLAM XIX.

T. Pomponi] Addidi prænomen T. ex nostris manuscriptis, cum abesset a vulgatis.

IN EPISTOLAM XXII.

Desiderio meorum] Confer, si lubet, Victorianam lectionem cum ea quam ex antiquis manuscriptis expressimus, statim iudicabis longe fideliora esse ea exemplaria, quibus vsi sumus, quam illud quod is tam valde laudat, ad cuius fidem editionem suam conformauit. sic enim hunc locum Victorius edidit, *desiderio omnium rerum, quæ mihi me cariores semper fuerunt*. in nostris vero sic erat, *desiderio meorum omnium, tum eorum qui mihi me cariores semper fuerunt*.

IN EPISTOLAM XXIII.

Illud ipsum abrogatur] Quod ex coniectura emendauit Malaspina, id nos auctoribus libris manuscriptis: in quibus manifeste scriptum erat, *abrogatur*, &, *quo non*, pro, *abrogaretur*, &, *quo modo*, quæ lectio est excusorum. *Quod ve ei*] Placuit repræsentare lectionem Decurtati nostri, quod multo integrior & castigatior sit, quam impressa. sic igitur habet optimus ille codex, *quod ve ei qui promulgauit, abrogauit, derogauit, obrogauit, ob eam rem pœnæ, multæve sit*, E. H. L. N. R. postremæ hæ quinque notæ hanc significationem habent, *eius hac lege nihilum rogatur*. *Vt Ninnium*] Aliter est in publicis libris. sed in eorum verba non æque iurauimus, vt in veterum manuscriptorum, in quibus ita legitur, *Vt Ninnium*. *Sit ne quod*] Huius hulceris curatio debetur Decurtato nostro, in quo ita est: *Sitne quod obseruandum illud caput non putabant*. quæ verba παρενθέσει includi debent. libri vulgati deprauate edunt, *siue*, pro *sitne*. *Cauti fuerint*] Legendum, vt edidi, *fuerint*: vt sit eiusdem modi & temporis, quo illa duo superiora, *attulerit*, &, *dubitauerint*. nam sumendum ἀπὸ κοινοῦ, *inuestiges velim quare*. *Scripsit Visellius*] Abest a Decurtato nota T. & Visellius hic non Titus, sed Caius dicebatur, vt apparet ex Ciceronis Bruto. ea ve-

to. ea vero nota huc irrepsit ex importuna repetitione vltimæ litteræ vocis, *scripsit*.

IN LIBRVM IIII.

IN EPISTOLAM I.

Pro præterita] Expressi scripturam Decurtati, *pro præterita mea in te obseruantia*: cuius lectionis vestigia, licet perturbata, in hunc modum extant in Tornæsiano: *propter itæ meam in te obseruantiam. Cum Brundisij essem*] Hæc verba, *cum Brundisij essem*, a me lecta in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino, quamuis absint a vulgatis, nolui in editione nostra desiderari. *Cum continuo*] Prætuli lectionem Decurtati vulgatæ: hoc est, pro *contio*, excudendum curaui, *continuo*. nam ἀπὸ κοινοῦ repeti debet, *multitudo*. *Qui nos absentis*] Videtur indicare Hortensium, de cuius inconstantia, aut potius perfidia, occulte queritur epistola tertia huius libri.

IN EPISTOLAM II.

Vt id non modo negligentiæ] Victorius alteram negationem addidit hoc exemplo, *vt id non modo non negligentiæ meæ*: quo pacto legitur in plærisque libris excusis. sed liquido iurare possum ab omnibus meis antiquis abesse alterum *non*. & sane quandoque cum apud alios veteres auctores Latinos, tum apud hunc nostrum, *non modò*, scriptum reperias in bonis exemplaribus, pro *non modo non*; vt epistola quinta libri 14. *Qui orbis terræ custodijs non modo septi, sed etiam &c. esse debebant*. quo loco nos plura de hoc loquendi genere. *Neque plebis scitu*] Ex Decurtato, & Tornæsiano reposui, *neque plebis scitu is qui se dedicasse diceret*; & mox, *aut plebis scitu id facere iussus esset*. nam, *scitus*, hic masculino genere idem est quod, *scitum*. sic, *sponsus, conuentus, mandatus*, in his epistolis, pro *sponsum, conuentum, mandatum*. *Inani populo*] Perspicue legebatur in Decurtato, *inani populo*, atque ita proculdubio legendum. nam inanem populum vocat quos mox infimos dicit. In Tornæsiano vitiose scriptum erat, *iam populo*. *Quod ne si vellem*] Liber Tornæsianus, *quod nisi vellem*: Scidæ, *quod ne si vellem*, quam lectionem secuti sumus. *quod ne*, valet, *vt non*. sensus

vero est, *vt si vellem, non integrum esset mihi posse petere*, nam, *posse*, ex manuscriptis legimus. *Fanorum, lucorum*] ἀσωδέτως, *lucorum fanorum. lucorum* autem legi debet, vt est in Decurtato, & Crusellino, & vox *sacrorum*, ijsdem auctoribus, delenda. *Nostræ rationes*] Ex glossemate additum fuerat in vulgatis, *vtilitates meæ*: quod recte aberat a Decurtato. *Præsentes*] Nihil muto. sumendum enim ἀπὸ κοινοῦ, *senserunt*. nam supra scripserat, *quod sensisti tu absens*.

IN EPISTOLAM III.

Habere te] Deerat hic prouocabulum *te*, post verbum *habere*, quod ego ex Decurtato & Crusellino restitui; moxque ex eorundem præscripto edidi, *tum mea a me*. *Eam quæ Germalo*] Verissimam puto coniecturam Adriani Turnebi, *Germalo*, hic legendum censentis. vt ita sentiam adducor veteri scriptura, quamquam deprauata, quæ ita concepta est in Decurtato, *Geranilo*. Hæc ergo Milonis domus sita erat ea parte vrbis, quæ Germalum dicebatur. De Germalo vide Varronem de lingua Latina. *Sed illæse*] Restituimus ex fide Decurtati, *illæse*, pro, *illese*, &, *interiora in adium*, pro, *interiorem adium*. &, *Syllæse*, pro, *Syllase*. ὑπακτέον autem, *proripuit*, aut *abdidit*, aut tale quid verbum. *illæse*, est ἀβλαβῶς, nullo accepto detrimento. *Domi Clodius*] Hæ voces, *domi Clodius*, claudendæ sunt παρενθέσει. sensus enim est, in senatu postridie Idus Marcellinus se virum egregium præbuit aduersus Clodium, omnes etiam acres in eum fuerunt. tunc temporis Clodius domi se continebat. *Etiam hercule*] Hortensium notat, qui valde fuit familiaris Attico, vt refert Cornelius Nepos in vita Attici. *constantiam* autem scripsit εἰρωνικῶς, cum eius leuitatem argueret: quæritur enim alio loco se summa simulatione amoris insidiosissime tractatum fuisse ab illo. *Inuita tua veris simæ*] Excudendum curaui ex Decurtato, *inuita tua veris sima littera*. Atticus sibi persuadere non poterat tantam esse in Hortensio leuitatem & inconstantiã, quantam vulgo prædicabant. tamen multis exemplis tandem coactus est fateri id verum esse. qua de re scripserat aliquid Ciceroni. qui cum nosset confessionem illam ab eo inuito extorqueri, rescripsit veram esse eius ea de re litteras, etiam inuitissimas. *Ante diem* XI. KAL.] Post *Kal.* additur in vulgatis, *Ianuar.* quam

voce

vocem in Decurtato non reperi, & adulterinam esse docuit iamdudum Manutius. *Paucis pannosis*] Emendaui *paucis pannosis linea laterna*, vt disertim scriptum erat in Decurtato. linearum laternarum frequens hodie vsus est apud nos, vt & cornearum, quæ olim Punicæ dicebantur. *Si se vt it vrbe*] Variat hic veterum codicum scriptura. Victorius tradit in antiquo suo ita esse, *si sentitur se iam obtulerit*: sic Tornæsianus sic habet. *si se vt it vrbe iam obtulerit*: sic etiam Decurtatus, & Cruselinus. reposui *si se vt it vrbe iam obtulerit*. ait occisum iri Clodium a Milone, si Clodius ex vrbe rus iens, vt consuerat, illi se iam obtulerit. & sane hac in re Cicero certissimus fuit vates.

IN EPISTOLAM IIII.

Medius fidius ne tu] Qui putant mendum esse in his vocibus, *ne tu*, quod post aduerbium iurandi *medius fidius*, τὸ *ne* additum παρέλκειν videatur, *ne* illi parum diligenter veterum loquendi rationem obseruarunt. sic enim Plautus Aulularia,

AEdepol, ne tu aula multos inimicos habes.

idem Bacchidibus,

AEdepol, ne tu illorum mores perquam meditate tenes.

Terentius Hecyra,

AEdepol, ne nos aque sumus omnes inuisa viris.

nihil igitur mutandum. sed, quod a nemine, quod sciam, animaduersum est, puto vocem *locum*, vitiose Latinis litteris scribi, cum Græca sit, λόχου: quo nomine significatur globus sedecim militum, vt tradit Ælianus περὶ τάξεων: quas si innuit Cicero Atticum emisse octo paria gladiatorum, qui mirifice pugnarent. Ceterum non me fugit quandoque plures, quandoque pauciores attributos fuisse λόχους: nam Xenophon λόχον constituere videtur ex XXIIII. nonnullis: Thucydides, si eius interpreti Græco credimus, ex quaternis centurijs, & vno manipulo nos AElianum sequuti sumus.

IN EPISTOLAM V.

An me] Scripsi, *an me*, vt erat in nostris. nam *me*, deerat in codicibus peruagatis. *A Vettio me emisse*] liquido erat in Tornæsiano & Decurtato, vt edidi, *a Vettio me emisse*: *Sed quid ad hoc?*] Quamquam ea quæ modo narraui de villa

& domo satis superque indicant illorum malum in me animum, exigua tamen sunt, & prope contemnenda præ ea re quam mox referam. quia enim a Pompeio aliquando dissentiebam in dicenda in Senatu sententia, quo fiebat vt is mihi quodammodo infensus esset, quamuis illi non probarent quæ a Pompeio dicerentur, sed contra mecum sentirent, tamen lætabantur me ea de causa incurrere in odium Pompeij. quæ lætitia non aliunde proficiscebatur, quam ex malo & inuido illorum animo. Præpositio *ad*, hic comparationem significat, vt apud Terentium Eunucho, *Estne vt fertur forma? P. sane.* CH. *at nihil ad nostram hanc*: id est, præ nostra hac. *Finis, & quoniam*] Vocabulum hoc, *finis*, in omnibus nostris legebatur. quare referendum id putaui in nostrum exemplar, sequutusque sum coniecturam Malaspinæ in mutando τῷ *sed*, in *et*. *Et me asinum germanum*] Reposui auctore Decurtato, *& me asinum germanum fuisse. sed quoniam, &c.* indicat se ita obsequutum fuisse potentiorum voluntati, quo ab illis amaretur, (obsequium enim amicos parit) vt de sua dignitate & auctoritate plurimum imminuerit. denique ita se abiecisse, vt re vera asinus videretur, cum illi contra insignium quorundam equorum speciem præ se ferrent. simili ratione eundem hemicillum, id est semiasinum, siue mulum Atticus vocarat, vt intelligitur ex epistola 51. lib. 13. quod ad Cæsarem non tanquam ad parem & æqualem, sed vt ad superiorem, & dominum scripsisset. notum est prouerbium, *ab equis ad asinos*; quo hic allusum est. in hanc quoque sententiam ita scribit epistola sequenti, *Ergo erimus ὀπαδοὶ, qui ταγοὶ esse noluimus? sic faciendum est. tibi enim ipsi, cui vtinam semper paruissem, sic videor placere. Pinxerunt*] Id est, illustrarunt. sic enim idem explicat epistola octaua huius libri: *Nihil venustius quam illa tua pegmata, postquam mi sittybis libros illustrarunt. Constructione*] Constructionem vocat pegmatum compactionem, quorum meminit eo loco, quem modo citauimus. quidam librorum colligationem interpretantur: Manutius ordinem. non placet.

IN EPISTOLAM VI.

Immo hercule] Vulgati, mehercule: Decurtatus, *immo hercule*: quam lectionem veram esse neminem dubitaturum puto. *Nec*

puto. *Nequicquam*] Fruſtra, inquit, libeat in ocium ſecedere, vt non ingratus videar erga eos, quorum ſtudio & opera reuocatus ſum ab exilio. nam ij meo aliquo publico munere & officio ſibi volunt ſatisfieri. itaque vt ingrati animi vitium effugiam, vel eorum gratia, verſandum mihi eſt in Repub. *Immo etiam in bellum*] Legendum cum interrogatione, & repetendum ἀπὸ κοινοῦ, *ſi libeat*, & extrinſecus aſſumendum verbum, *ſequi*, aut, *comitari*, quod aſſectatoris eſt. quid, ſi libeat, inquit, Pompeium & Cæſarem ſequi etiam in bellum, & in caſtra? huic vero interrogationi ita reſpondet, quaſi turpe exiſtimet eum, hoc eſt, ſe, qui dux eſſe noluerit, alios in militia aſſectari. *Reliqui, aſt*] omnes noſtri melioris notæ, *reliquia eſt*: emendaui, *reliqui, aſt σπάρταν ἔλαχες*, &c. hoc ſenſu: reliqui, qui mihi conſilium dant, ſic aiunt, aſt tu Spartam nactus es, hanc orna: id eſt, Rempub. regendam ſuſcepiſti, eam conſilio & opera tua iuua, & nè officio deſis. *Non mehercule poſſum*] Non poſſum Reſp. quam debeo, operam nauare; ne forte, ſi libere loquar quæ oportet, eos offendam, qui ſuo beneficio me ſibi valde obſtrinxerunt; neve ad eorum nutum loqui, aut eorum acta probare cogar, qui ipſam rempub. perditum eunt, quamuis ij alioqui de me benemeriti ſint. *Vt iſta improbem*] Rectum eſt, *improbem*, vt eſt in noſtris calamo exaratis, quicquid alij garriant. nam hoc Cicero ſignificat, quamuis nullo modo adduci poſſim vt faciam quod partim tu, partim alij ſuadent, vt ſcilicet Cæſari & Pompeio obſequar, aut Spartam, quam nactus ſum, ornem: verumtamen cupio id cum ratione videri facere: ideo commentor in his locis quomodo ea improbem, quæ a te & alijs mihi ingeruntur. *Illæ Hortenſianæ*] Cicero, vt iam antea monuimus, valde querebatur de Hortenſio, & tamen, quantum poterat, diſſimulabat acceptam ab eo iniuriam. ita tamen ſe continere ſemper non potuit, quin aliquando ipſi aliqua, ſuper ea re, querimonia exciderit. quod iniquo animo cum Hortenſius accepiſſet, ideoque cuperet Atticus eum cum Cicerone reconciliare, auctor fuerat Ciceroni, vt illi ſcriptum aliquod dicaret. *Quod videor*] Videbatur Cicero ſtulte feciſſe, quod in quadam cauſſa tacite non tulerat intemperiem Hortenſij, ſed ei obiecerat iniuriam ſibi immerito illatam. lego igitur

ex Decurtato, vt censet Malaspina, *ne quod videor stulte illius amici intemperiem non tulisse.* ΒΑΘΥΤΗΣ] βαθύτητα vocat taciturnitatem, & occultum aliqua de re animi sensum, sumpta translatione a puteis, & alijs locis altis, in quibus demersa ita latent, vt nemini appareant. *Oculatior*] Castigaui, *oculatior*, auctore Decurtato, cum antea legeretur, *occultior*, repugnante sententia. oculatus hic est qui omnium oculis patet, quo significatu Plinius locum oculatissimum vocauit. *Nunc quam misi*] Addidi aduerbium *nunc*, ex Decurtato, & Tornæsiano.

IN EPISTOLAM VII.

Nihil τὐκαιρότερον] Ducendum ab his verbis, *nihil* εὐκαιρότερον, initium huius epistolæ, vt ex Decurtato didici. *Qui quidem*] Recte Malaspina legit, *qui quidem*, & post *quidem*, interpungit. est enim ἀποσιώπησις, qua Cicero alijs cogitandum relinquit, quid ipse sentiat de Metello, ne, si forte quod in animo habebat expromeret, hominem mortuum maledictis incessere videretur. *innuit vero improbum virum fuisse. Tibi nummi*] εἰρωνικῶς. indicat enim nullam spem esse eorum nummorum recuperandorum. ideo mox subijcit, *in hoc thecam nummariam ne retexeris. Quid enim vereris*] Sensus est, quid vereris, quemcunque Metellus heredem fecit, ne is scilicet hereditatem non cernat, quod eam damnosam existimet, nisi forte Publium heredem fecit? non enim verendum est, sed pro certo habendum, neminem eam hereditatem aditurum præter Clodium; qui ære alieno cum totus sit obrutus, nullam quantumuis damnosam repudiaturus est hereditatem. Verumtamen improbe non fecit Metellus, quod affinem suum heredem fecit, quem sciebat certo hereditatem suam aditurum. itaque huius rei causa ne thecam nummariam retexeris, id est, aperieris, vt in eam nummos in das tibi debitos a Metello ij enim tibi perierunt.

IN EPISTOLAM VIII.

Patina tyrotarichi] Videtur Atticus, ijs quæ de tyrotaricho, & de rauduſculo scripserat, notasse miram Ciceronis parsimoniam, qua grande æs alienum, quod rebus suis aduersis conflauerat, ita minuerat, vt id modicum iam esset. nam rauduſculum est modicum æs. tyrotarichus autem genus erat opsonij vilioris, rusticis familiare, quod caseo & lal-

samentis

ſamentis conſtabat: vnde & nomen acceperat. *Nam de rauduſculo*] Quod ais me æs illud alienum, quod contraxi, ita minuiſſe, vt id iam non æs, ſed rauduſculum ſit; ne me magnum, id eſt, bonis affluentem, & fortunatum dixeris, priuſquam videris qui futurus ſit exitus rerum mearum. nam fieri poteſt, vt, antequam moriar, iterum fortunæ meæ ad eoſdem miſeriarum ſcopulos allidantur. Vetus prouerbium fuit neminem dicendum eſſe beatum ante ſupremum vitæ diem. Euripides Andromacha,

χρὴ δ' ὅπωτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν,
πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς.
Quemquam beatum tu prius ne dixeris;
Vitæ ſupremum quam diem conſpexeris.

Εἴη μισητὸς φίλος οἶκος] Ita concepta erãt hæc verba in Decurtato, ΕΙΗ ΜΗCΗΤΟC ΦΙΛΟC ΟΚΟC: repoſui, εἴη μισητὸς φίλος οἶκος, hoc ſenſu, familiaris tua domus tibi odio fuerit præ Antiatibus illis ædibus. Prouerbium Græcum eſt, φίλος οἶκος ἄριστος, quo familiaris cuiuſque domus laudatur. verum ita amœnæ erant ædes illæ Antiates, vt nemo eſſet qui ſuis illas longe non anteferret *Pegmata*] Pluteos intelligit. in quibus libri collocabantur cum auctorum imaginibus, de quibus accipiendus eſt locus ille Iuuenalis,

Indocti primum: quamquam plena omnia gypſo
Chryſippi inuenias. nam perfectiſſimus horum eſt,
Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pittacon emit,
Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.

Plura de his imaginibus videnda apud Plinium libro trigeſimo quincto. *Tua* autẽ ſcribit, quia ea pegmata Atticus ei dederat, aut certe curarat. Sed & Atticus imagines habebat in ſua bibliotheca, vt perſpicitur ex epiſtola proxime ſequenti. *Poſtquã mi ſittybis*] Liquida hæc eſt ſcriptura Decurtati, *poſtquã mi ſittybis libros illuſtrarunt*: ſumendũ ex ſuperioribus ἀπὸ κοινοῦ Dionyſius, & Menophilus. Sittybæ ſunt ſcortea librorũ integumẽta. nam Heſychius interpretatur δερματικὰς στολάς. *Valde eſt*] Auctoribus Scidis emendaui, *valde eſt*, cũ in Tornæſiano, & alijs legeretur, *valde &c.* ſignificat autem, multũ eſt, abunde eſt. *Male ſi ſe geſſere*] Scidæ habebãt, *male ſi ſe ceſſere*: quę ſcriptura confirmat emendationẽ Malæſpinę corrigẽtis, *male ſi ſe geſſere*, vt & nos repoſuimus. Mox lego,

Apenas, non, vt Victorius edidit, *aperias*. *Tibi est commodum*] Addidi ex Decurtato & Tornæsiano pronomen *tibi*. paullo post Manutium sequuti sumus in hac lectione, *quam est ista περίσασις nostra*. *Quid? sinas?*] Hic quoque Manutianam lectionem edidi, *quid? sinas?* quæ extabat etiam in Cruſellino. *Eram exosus*] Lego, *exosus*, vt est in Scidis; eamque lectionem hæc confirmant, *homo peramans semper nostri fuit, nec mihi vnquam odio*. nam exosus est, qui odio aliquem habuit. ΤΗΝ ἔσω γραμμὴν] In Scidis erat τὴν σω γραμμήν: in alijs, τὴν τω γραμμήν. emendaui τὴν ἔσω γραμμήν: id est, interiorem lineam, quæ media inter extremas duceretur. significat media via vtendum esse, vt idem alibi loquitur: quod fit, cum quis nimis non inclinat in alterutram factionum partem.

IN EPISTOLAM IX.

Censum impendant] Census agendi tempus insumant. *Suauissime hercule*] Libri nostri, *suauissime hercule effusus*, & ita edidimus. *In Cumanum a se*] Perspicue erat in Decurtato, *a se*, vt legit Manutius: id est e villa sua, quam itidem habuit in agro Cumano. Victorius tamen mauult, *ac se*, quod est eiusmodi atque illud e secundo libro, *vbi quidem ego mallem Duumvirum quam Roma me fuisse*. *Secum haberet*] Castigatius in Scidis, *haueret*, quam in libris editis, *haberet*. aspirate autem scribebant, *haueo*, vt perspicitur non modo e veteribus libris, sed etiam e lapidibus.

IN EPISTOLAM X.

Puteolis] Initiũ epistolæ etiam in Decurtato. *Deferor vt voluptatum*] In Scidis, Tornæsiano, & Cruſellino constanter exaratum erat, *& voluptatum*, mendose, pro, *vt voluptatũ*. Declarat n. particula, *sic*, quæ mox sequitur, Ciceronẽ hic scripsisse, *vt*, quo modo edidimꝰ. nam altera alteri respõdet. *Pompeius in Cumanum*] Hinc colligimus prius scriptã fuisse hanc epistolam, quam proximã superiorem. nam illic Cicero Pompeium iam conuenerat, hic nondum viderat. sed alias docui perturbatum esse ordinem harum epistolarum.

IN EPISTOLAM XI.

Ante diem II. KAL.] Ingenioſe & recte Manutius, *ante diem* II. KAL. quam lectionem omnibus litteris perscriptam reperi in Decurtato. *Nec metuo tamen*] Quamuis nemi-

uis neminem mecum duxerim præter Dionysium, non metuo tamen ne tu mecum frequentissime non colloquaris, perinde ac si mecum fores. nam ita crebras ad me litteras mittes, vt mihi sermo non defuturus sit abs te. *Opere delector*] Hoc addidit, vt Atticum magis inuitet ad scribendum. ociosus, inquit, esse nolo. itaque libentissime operam impendam in epistolis tibi rescribendis. Malaspina conatus est hunc locum deprauare, cum eius sententiam non assequeretur.

IN EPISTOLAM XII.

Esse enim Idibus] Vocem *Idibus*, quæ deerat in Victorianis, e veteribus nostris restitui. *Et promonebo*] Scripsi, *& promonebo*, vt erat in Scidis, & Tornæsiano. *promonebo*, est præmonebo; vt prodicere diem, prædicere, apud Varronem de lingua Latina.

IN EPISTOLAM XIII.

Milonis nuptiæ] Duabus de causis scribit sibi veniendum esse Romam, vt interesit Milonis nuptijs, & vt comitijs. *Ego vt sit rata*] Deprauate Tornæsianus, Crusellinus, & Huraltinus, *ergo & si rata*. emendaui ex Decurtato, *ego vt sit rata*. Quamuis, inquit, rata sit opinio illa comitiorum, ita vt ea certo habeantur, tamen non moleste fero me afuisse ab ijs altercationibus, quas in Senatu factas audio. hæ vero fuerant, vt suspicor, de habenda, aut non habenda quorundam ratione. *Quantum pot' est*] Plane exaratum erat in Decurtato, quomodo edidi, *pot' est*: hoc est, ὅσον δυνατόν.

IN EPISTOLAM XV.

Et suam illam] Expressi scripturam Decurtati, *& suam illam*. Malaspina legit, *etiam suam illam*, sed ex coniectura. *Rhetor Clodius*] Addidi ex fide Decurtati pronomen *te*, post vocem *lepore*; & pro, *Prator Clodius*, reposui, *rhetor Clodius*. intelligit enim Sex. Clodium rhetorem, cuius idem in Philippicis meminit his verbis, *Audite, audite Patres conscripti, & cognoscite Resp. vulnera; duo millia iugerum campi Leotini Sex. Clodio rhetori assignasti, & quidem immunia, vt tanta mercede nihil sapere disceres*. Plura de hoc Clodio rhetore Suetonius in libello de claris rhetoribus. *Pituanios*] Corruptum nomen, nisi valde fallor, quod in Decurtato extritum fuit, & alterius manu scriptum, vt est in

vulgatis, *Pitnanios*. Quid ſi, *D. Turanium*? quem epiſtola 5. libri primi vocat χρυσομαθῆ? equidem ἐπίχω. *Sufenas*] Cognomen eſt Noniorum, vt apparet ex veteri nummo argenteo, in cuius altera parte legitur, SEX. NONIVS PR. L. P. F. in altera, S C. SVFENAS. τρισαρειοπαγίτας] εἰρωνικῶς corruptiſſimos iudices vno verbo τρισαρειοπαγίτας vocauit. nam ſæpenumero τὸ τρὶς in compoſitione vim habet augendi, vt τρισόλβιος, τρισάθλιος, τρισάσμενος. inde Horatius, qui ſæpe Græciſſat, cum Latine reddere vellet hæc duo vocabula, τρισκαρτερόφρων, & τρισχαλκοφρών, ſcripſit, *illi robur & æs triplex circa pectus erat*. *Debemus*] Malaſpina afuiſſe ſcribit a quibuſdam ſuis verbum hoc, *debemus*. nos contra in omnibus noſtris id exaratum reperimus: & ſane abeſſe non poteſt ſine magno ſententiæ incommodo. indicat enim Cicero abſtinendum eſſe a cædibus domeſticis, vt declararunt XXVIII. iudices, qui Procilium, huiuſmodi cædis reum, condemnarunt. verumtamen non oportere id ipſum, id eſt, cædes domi fieri ſolitas abunde, id eſt, valde refugere. inueniri enim qui eas ferant, quales fuere XII. illi iudices, qui Procilium abſoluerant. *Verita eſt enim puſilla*] Primum a mendis hunc locum vindicabimus, tum qui ſit eius ſenſus aperiemus. more autem & inſtituto noſtro proferemus ſcripturam veterum codicum, ex qua hanc noſtram conformauimus. Tornæſianus, Huraltinus, & Cruſellinus ſic habebant, *Veritas eſt enim puſilla ne animum Publio offenderet*. eadem erat lectio Decurtati, extra quam quod pro, *animum Publio*, edebat, *animi in Publio*: recte meo quidem iudicio, atque ita excudendum curaui. id præterea mutaui, quod pro, *Veritas*, repoſui, *Verita*, & pro *offenderet, offenderer*, vt totus hic locus ita conciperetur; *Verita eſt enim puſilla, qua nunc laborat, ne animi in Publio offenderer*. offendi animi ita dicitur, vt angi animi, diſcruciari animi. quæ vero fuerit ea puſilla, cuius hic mentio fit, mihi non conſtat: puto fuiſſe Procilij vxorem, ſororemque P. Clodij, quæ cupierat quidem Ciceronem patrocinari Procilio: ſed quia P. Clodius eiuſdem cauſſæ patrocinium ſuſceperat, quocum Cicero graues inimicitias exercebat, maluit illa Ciceronem tacere, quam ſi is animi offenderetur, quod ſocium haberet in Procilij defenſione P. Clodium. *Qua nunc laborat*]

borat] Cui male est ob Procilium damnatum. *Am. Curio*] Hoc est a Manio Curio. praue enim quidam scribunt a M. id est a Marco. *Rosia*] Nominandi casu legendum *Rosia*. *Is erat ante*] Decreuerat dominus Antiphontis, qui ludos edebat, illum merito vel immerito donare libertate. ideo scribit Cicero illum manumissum prius fuisse, quam productum; quod siue vicisset, siue non, certum esset eum manumissum iri. Victoriæ præmium in seruis histrionibus erat manumissio. *Palmam tulit*] Quamuis Antiphon impar fuerit ceteris omnibus, præter quam Astyæ, palmam tamen tulit, hoc est, manumissus est. *Nihil tam. Verum*] Interpunge debet post voculam *tam*. est enim ἀποσιώπησις perquam familiaris huic auctori in his epistolis. *Quam Astya. nam*] Omnes ad vnum manuscripti nostri, *quam Astyanam*; quæ scriptura mendo caret, modo apte distinguatur. Astya nomen est histrionis. particula vero *nam*, cum sit αἰτιολογικὴ superiorum, iungi debet cum sequentibus. *Orationibus indices*] Indices sunt tituli orationum, vt pro T. Annio Milone, pro M. Marcello. quia vero clarissimos viros defensurus erat, idcirco ait suis orationibus indices glorioſos parari.

IN EPISTOLAM XVI.

Ioculatorem] In tradendis artis præceptis non solet esse locus iocis. ea enim tractatio spinosior est quam vt sermonis vrbanitatem in differendo recipiat. ideo Cicero ab ea Scæuolam ioculatorem excluſit. *De Procilio*] Editiones quædam, in ijs Victoriana, *De prælio*, mendose. nos veteres nostros codices sequuti sumus, in quibus plane exaratum erat, *De Procilio*: de quo epistola superiori. *Non mihi hili*] Codices Tornæsianus, & Cruſellinus, *non mihi, & quod*: Decurtatus, *non mihi, & qui*. mendum ita correximus, *non mihi hili, & qui*. sensus est, Senatusconsultū de prouincijs Consularibus non est mihi hili, hoc est, id Senatusconsultum hili non facio, vt quiiam intellexerim enunciationem Memmij, cuius causſa factū est illud Senatusconsultū, valde Cæsari displicere: cuius cum valde interſit id Senatusconsultū irritum fieri, non dubito quin, quod eo cautum est, ad nihilum recasurū sit. tanta est enim eius auctoritas, vt id facile impetraturus sit a Senatu. Ex *mihi*, feci *mihili*. nam sæpenumero in his

etiam epistolis, *mi μονοσυλλάβως* scriptum reperias, pro *mihi*. *Opimius Veien.*] Exemplar Tornæsianum, *Veientorantius:* Scidæ, *Veiëtroantius*, recte, modo ita distinguatur, *Opimius* VEIEN. TRO. *Antius:* hoc est, *Opimia Veientina, Tromentina Antius.* nomina sunt Tribuum, in quarum prima censebatur Opimius, in altera Antius. sæpe enim Tribubus designari solebant ciues Romani. Cælius in epistola ad Ciceronem, *Scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina,* hic senatores sex senis Tribubus indicantur, L. Iulius Annalis Pomtina, C. Septimius Quirina, C. Lucceius Hirrus Pupinia, C. Scribonius Curio Popillia, L. Atteius Capito Aniensi, & M. Oppius Terentina. Ceterum de Veientina Tribu nihil attinet dicere. res enim notior est quam vt egeat probatione. De Tromentina sic Festus, *Tromentina Tribus a campo Tromento dicta.* huius mentio habetur in hac inscriptione Perusina.

C. BETVO. C. F. TRO.
CILONI. MINVCIANO.
VALENTI. ANTONIO.
CELERI. P. LIGVVIANO.
AEDILI. II. VIR. CVINO.
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR.
VMBRIAE. XV. POPVLORVM.
PATRONO. MVNICIPI.
BETVRES. PECTILLA. FILIA.
PATRI. PIISSIMO. L.D.D.D.

Antius] Huius Antij meminit paullo post, cum scribit, *Ibi loquetur prater Antium & Fauonium nemo. Res cedit*] Non probo lectionem Manutianam, *res ad Senatum*; quia nimis discrepat a veteri scriptura, *rescidit.* potiorem hanc duco, *res cedit. Haberi esse ere*] Libri formis impressis, *haberi censere*, prorsus inepte. hæc enim non cohærent,

censuerunt

censuerunt comitia haberi censere. in Decurtato erat, *habere cessere:* correxi, *haberi esse e re*, optimo sensu. patres ita censuerunt; esse e re, id est, vtile esse comitia haberi. fortasse etiam illud, *e re*, compendio scriptum fuerat a Cicerone, pro *e Republica*. sic libro primo ostendi exaratum esse in nostris antiquis, *spe recorrigendæ*, pro, *spe Reipublicæ corrigendæ*. *Haues*] Vt antea docui scriptum esse, *haberet*, pro, *haueret*: sic hoc loco deprauate legebatur, *habes*, pro, *haues*. *Vinulam*] Mei omnes, *nullam*, præter Decurtatum, in quo erat, *vt nullam:* vnde feci, *vinulam*. rem vinulam appellat, rem lepidam & elegantem, quæ ad se videndam & tractandam quemuis alliciat. rem, inquit, vinulam desideras, cum cupis hæc negotia plurium nundinarum fore: vt scilicet quamplurimi ea intelligant, & risu excipiant. nam ad nundinas solebant frequentes conuenire. Nonius vinulum interpretatur illecebrosum, explicans illud Plautinum, oratione vinula, venustula. *Nunc vt opimiorem*] Non discrepant a vulgatis manuscripti mei. omnes enim habent, *nunc vt opinionem habeas rerum.* ego paucis mutatis, veram, nisi fallor, lectionem reposui, hoc modo, *nunc vt opimiorem habeas reum.* περιφραστικῶς enim Vatinium indicat, qui ceteris reis locupletior erat, & opulentior, eoque nomine postea repetundarum postulatus est, quod Syriam prouinciam expilasset, vnde ingentes illas opes congesserat. sed & a Ptolemæo, vt eum reduceret, vim maximam pecuniarum extorserat: cuius reductionis caussa Maiestatis accusabatur. opimus hic significat locupletem, & onustum præda. idem Cicero libro 3. in Verrem, *Indignum isti videri cœpit extare de, tantoque opere se non opimum præda præsertim a pupillo discedere. Ille vt ferebat*] Quomodo, inquies, ferebat Pompeius me in ea caussa libere & constanter aduersus Gabinium agere? humaniter, inquam, & placide, quoad mihi satisfactum esset ab ipso Gabinio, qui me, per summã iniuriam, dum Consul esset, in exilium egerat. ita, inquam, faciebat Gabinio Pompeius, vt mihi tamen ab eo satisfieri vellet. ροργεῖα γυμνὰ] Fœdissimæ maculæ hunc locum occuparant. in Tornæsiano erat, ΠΟΡΡΙΑ ΠΥΜΝΑ: in Decurtato, ΠΟΡΓΙΑ ΠΥΜΝΑ: emendaui, ΡΟΡΓΕΙΑ ΓΥΜΝΑ. deprauatio inde fluxit, quod imperiti librarij

non internoscerent τὸ π a littera r, sed figurarum similitudine plærumque fallerentur. vtraque enim littera quãdoque eadem effingitur pæne forma, hocque tantum interest inter ambas, quod temoni τοῦ r, vt inde π fiat, adijcitur pusilla quædam linea deorsum ducta in hunc modum ꝛ. Accusatores Gabinij Cicero vocat γοργεῖα γυμνὰ, quod ij nihil præ se ferrent, nisi terrorẽ quendã inanem; quo genere formidabiles videntur laruæ. nam γοργεῖα sunt προσωπεῖα καὶ μορμολύκεια, vt ait Hesychi⁹, sumpta notatione ἀπὸ τῆς γοργοῦς, ὅτι γοργότητα καὶ φόβον ἐμποιεῖ. addit autẽ γυμνὰ, quod laruæ illæ nemini notæ non essent, vt quæ nudæ apparerent, detracta omni simulatione, tamquam veste. *Omnem non modo*] Ex Scidis & Tornæsiano edidi, *omnem non modo:* quam lectionem quis reijciat? *Indicia*] Male quidam excusi, *iudicia.* legendum enim, vt est in priscis manuscriptis, *indicia. E Sopolidis pictoribus*] Litteræ R, & S, adeo ambigua forma expressæ sunt in codice Tornæsiano, vt vix alteram ab altera internoscas, incertumque sit, *Sopolidis*, an, *ropolidis* hic exaratum sit. qua re olim inductus putaui legendum esse, *e rhopopolidis pictoribus*, auctorq; fui Lambino vt ita corrigeret. verum postea nactus codicem Decurtatum, vbi diserтim scriptum est, *Sopolidis*, errorem meum agnoui. itaque nunc edidi *e Sopolidis pictoribus*, vt plane est in Decurtato, atque etiam in Tornæsiano, nisi quod ab hoc abest præpositio *e.* pictores Sopolidis vocat quorum opera Sopolis vtebatur in pingendo, aitq; hunc Gabinium vnum de illis fuisse. Sopolis autem pictor fuit celeberrimus tempore Ciceronis, cuius meminit Plinius libro 35. his verbis, *Lædit Cyzicena perpetua Virgo M. Varronis iuuenta Romæ & penicillo pinxit, & cestro in ebore imagines mulierum maxime, & Neapolis Ianum* (ita lego, non, vt vulgo est, *Neapolitanum*) *in grandi tabula, suam quoque imaginem ad speculum: nec Sillius velocior in pictura manus fuit: artis vero tãtum, vt multum manu pretio antecederet celeberrimos eadem ætate imaginum pictores, Sopolin, & Dionysium, quorum tabulæ pinacothecas implent.* quamquam vulgata Plinij exemplaria, *Sopylon*, edunt, non, *Sopolin.* sed in manuscriptis duobus legi, *Sopolin.* *Ac Accensum*] Copula *ac*, deerat in vulgatis, quam ex Decurtato addidi. *Reus P. le-*

ge Ma-

ge Maiestatis] Expressi scripturam antiquorum nostrorum, *reus P. lege Maiestatis.* nota P. significari puto Papiam legem, cuius proxime mentionem fecerat. De Papia autem Maiestatis nihil alibi vmquam legi. Papiæ de peregrinis vrbe expellendis meminerunt Cicero libro tertio officiorum, & Dio libro 28. Alterius item Papiæ de socijs Latinis idem Cicero in Corneliana. ΟΥ σ' οἶδ' Ἄρης ἅμα παφίῃ] Hunc locum imperitia librariorum fœdissime corruptum, nos, ope veteris Decurtati, primi hoc tempore suo nitori restituimus. nam cum ita scriptum reperissem in optimo illo libro ΟΥ ϹΟΙΛΛΡΗϹ ΑΜΑ ΑΦΙΗΙ, ductus vestigijs veteris scripturæ reposui, οὐ σ' οἶδ' Ἄρης ἅμα παφίῃ? primum enim animaduerti τὸ C, esse Σ. ita enim id veteres fingebant, vt C Latini speciem præ se ferret, vt perspicuum fit ex veteribus libris. deinde, qua exaratum erat, ΟΙΛΛΑΡΗϹ, iudicaui librarium mendose alterum Λ, pro Δ, alterum pro Α, scripsisse. nam librarij Latini præsertim imperiti has tres litteras Α, Δ, Λ, eadem pæne forma depingentes, facile alteram subijciebant alterius loco. denique τὸ π prætermissum fuisse existimaui oscitantia librarij in his verbis, ΑΜΑ ΑΦΙΗΙ. Latine autem hæc sonant, nonne scio, o Mars, te esse consuesse cum Paphia? ita enim ea accipio, quasi explicate scriptum esset οὐκ οἶδα σὲ, ὦ Ἄρης, γεγονότα; aut, φιλοῦντα εἶναι ἅμα τῇ παφίῃ? quasi diceret, necesse nihil fuit meo exemplo mihi probare Martem coniunctum esse cum Paphia. id enim satis aliunde didiceram. Ἄρης hic Attice positum est vocandi casu pro Ἄρες, & μετωνυμικῶς Ἄρης pro cæde, & morte cruenta, vt apud Sophoclem in Aiace lorario, πεφόβημαι λιθόλευστον ἄρην ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπείς. aiebat enim accensus ille Gabinij se magno suo malo re ipsa comportam habere consuetudinem Martis cum Venere Paphia, quod lege Papia capite pœnas daret. interim alludebat ad nomen legis Papiæ, quasi id a Paphia venere originem duxisset: alludebat etiam ad fabulam Martis & Veneris, quos mutuis complexibus hęrentes Vulcanus arctissime colligauit, eorumque furta dijs omnibus palam fecit, vt est apud Homerum Odysseæ VIII. Porro τὸ ἅμα non modo χρονικὸν est, sed etiam τοπικὸν, vt notat Simplicius in Categorias Aristotelis, & Eustathius ad hunc locum Odysseæ 15.

Ἅμα δ' ἠοῖ φαινομένηφι
Δειπνήσας, ἄμ' ὕεσσιν ἀνακτορίην ἐπίωμεν.

Inde apud Aristophanem ἄμ' ἐμοί, pro, mecum. itaque ἅμα παφίῃ, hic est, vna cum Paphia. *Appius sine lege*] His verbis, *Appius sine lege suo sumptu in Siciliam cogitat*, ea adtexuimus, quæ hinc auulsa vitiose translata fuerant in sequentem epistolam: ea autem sunt, *Pacciana epistolæ respondi*, & quæ sequuntur vsque ad finem epistolæ. Contra quæ vulgo his subiungebantur, puta, *Ab Quincto fratre, & a Cæsare accepi* A. D. IX. KAL. *Nouemb. litteras, &c.* vsque ad finem epistolæ, ea in eorum locum substituimus, quæ illinc mota hic affiximus. *In monumentum illud*] Iussi vt excuderetur, *in monumentum illud*, vt erat in Decurtato. nam in alijs, vt in vulgatis, deerat præpositio *in*. Scribit se contempsisse, id est, liberaliter insumpsisse, & quasi profudisse centies sestertium in monumenti illius ædificationem. *Quid? celabo te*] Varia est huius loci lectio pro codicum diuersitate, ego eam edidi, quæ erat in Decurtato, *Quid? celabo te res Romanas?* ait monumentum illud ea saltem re profuturum Attico, vt non ignoret id nuper constructum fuisse Romæ. nam Attici interesse putabat, vt certior fieret de rebus omnibus Romanis. *Vt abis totiens*] Victorianam lectionem, *Vt abis totiens, & tam longe abes*, confirmant veteres nostri. Queritur Cicero Atticum Roma sæpissime discedere, & diutissime abesse. nam, *longe*, hic significat diu. Plautus Sticho, *quamdudum in portum huc venis? longissime. Vtinam valeat*] Tornæsianus ante vocem, *Vtinam*, hoc amplius habebat, *hoc quod dixi tantum:* quæ verba e glossemate quodam manarunt.

IN EPISTOLAM XVII.

Germina] Tornæsianus, *germa*; Decurtatus, *gerina*: scripsi, *germina*. quo nomine significari puto nouam subolem ciuium Romanorum, mirum quantum a veteri prosapia degenerantem. *Ne puta vide*] τὸ *ne* importune coierat cum voce, *germina:* id nos inde abscidimus, & hæc ita distinximus, *ne puta, vide*. vult enim hanc rem ita persuasam esse Attico, quasi eam videat, non ex alterius sermone veram existimet. plus enim oculis credendum est, quam cuiusquam assertioni. idcirco ait, ne puta; quia plærumque fallax est opinio;

opinio; sed vide, & oculis intuere, quorum fides est certissima. *In te est nostri*] Vulgati, *in te est noster*: melius manuscripti quos habuimus, *in te est nostri*.

IN EPISTOLAM XVIII.

Neque enim sunt ea] Post verbum, *sunt*, Decurtatus addit vocem, *ea*, quæ in excusis desideratur. quamquam ita Lambinus etiam legit. *Lepidum quo exedar*] Codices Tornæsianus, Crusellinus, & Huraltinus nihil hic differunt a vulgatis: Seidæ pro, *excidat*, habent *exedat*; vnde legendum existimaui, *exedar*; vt hæc sit horum verborum sententia: dictu lepidum & vrbanum est qua re crucier, & macerer. id vero Cicero ἐφωνικῶς scribit, cum ea de re securi esset animi: ideo paullo post subijcit, *perspice æquitatem animi mei*. exedi hic est rodi, & cruciari: Plautus Epidico; *Expectando exedor miser, atque exenteror*. *Cogi* ἀκηδείᾳ] Mira loci deprauatio. Tornæsianus habebat, *& eo magis nunc cociace dictatum fluere*, &c. Decuratus, *& eo magis nunc cogi akedicatum fluere*, &c. correxi, *& eo magis nunc cogi* ἀκηδείᾳ, *tum fluere iustitio, & omnium rerum licentia*. Dixerat Memmium diremta coitione refrixisse, id est, studia amicorum amisisse. nunc docere vult eundem, cum se contemni & despici videret, pœnitentia ductum diremtæ coitionis, iterum quauis ratione tentasse amicos cogere. eo magis, inquit, Memmius nunc cogi, id est, cogebatur, & coibat ἀκηδείᾳ, hoc est, διὰ τὸ ἀκήδειαν, ὅτι ἀκηδὴς καὶ ἀτιμέλητος ἦν: quia neglectui erat. nam ἀκήδεια hic παθητικῶς accipitur, vt apud Homerum ἀκηδὴς Odysseæ sexto,

Εἵματα μέν τοι κεῖται ἀκηδέα, σιγαλόεντα.

Quantum autem ex vestigijs veteris scripturæ consequi possum, scripserat Cicero ἀκηδείᾳ per ει diphthongũ, vt & Apollonius in Argonauticis,

Μηδὲ μ' ἀκηδείῃσιν ἀφορμήσαντε λιπόντες.

Porro cogi valet coire, apteque respondet metaphoræ verbi, *refrixerat*. nam qui refrixerunt, cogi solent, & veluti in globum contrahi, vt dissipatum calorem concitent, & compellant. *Tum fluere*] Cogebatur, id est, coibat Memmius, qui antea refrixerat, vt amissa studia amicorum repararet: fluebat, quia dissolute & licenter quiduis faciebat, cum iustitium esset. interim aduerte elegantem ἀντίθεσιν horum

verborum, *cogi*, & *fluere*. *Seliciana*] Edidi scripturam meorum, *Selicianæ*. Sic etiam libro 15. harum epistolarum ijdem libri habent, *Selicium*, pro *Seleucium*.

IN LIBRVM V.

IN EPISTOLAM I.

Curasti probe] quod bona Milonis addicta sunt Philotimo, vt mandaram. *Satisdationes secundum mancipium*] vt melius intelligatur quæ sint satisdationes secundum mancipium, id primum animaduertendum est, hic agi de emptione bonorum Milonis, quem Cicero Annium Saturninũ vocat: tum id notandũ, ea bona, Milone damnato, auctione, vt moris erat, vænijsse, addictaq; fuisse Philotimo Ciceronis liberto, ea lege, vt, si præsenti pecunia satisfacere non posset creditoribus Milonis, certe eis satisdato caueret. nam ex bonorum publicatione id tantum ad ærariũ redibat, quod superauerat soluto ære alieno. potior enim erat creditorũ caussa quã ærarij. Iabolenus de iure fisci, *non possunt illa bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superflua sunt. id enim bonorum cuiusq; intelligitur, quod æri alieno supersit.* itaq; idem in eius bonis obseruatum fuisse puto, qui exilij caussa solum verterat, quod in illius, qui latitaret; vt scilicet creditores hastæ quendam præficerent, vulgo magistrum auctionis appellatũ, qui absentis bona ei qui plurimo licitus esset manciparet, ea lege, vt is creditoribus aut omnino satisfaceret, aut aliqua ex parte, vt dicta lex fuerat, inquit Theophilus, cum ijs decideret; & si quid, soluto ære alieno, supereslet, id in ærarium referret. cum ergo Philotimus emeret bona Milonis, necesse erat vt aut præsentem pecuniam numeraret creditoribus, aut eis satisdato caueret, præsertim cum esset plærisq; suspecta noui hominis, hoc est liberti, fides. quamquam nihil ille fecerat nisi mandato Ciceronis; qui cũ cuperet, quod posset, e bonis Milonis, in eius gratiam, seruare, nollet tamen ea sibi addici, quod turpe putaret cũ alias, tum in amici caussa sectorem esse, Philotimi opera hæc agebat, coita cũ eo societate. Idcirco, quod emptio bonorum Milonis ad se potissimum pertineat, mandat Attico, vt satisdet creditoribus illius. Erant ergo satisdationes secundũ mancipium, satisdationes

quas in-

quas interponi oportebat pro bonorũ mancipatione, vt creditoribus caueretur, quibus præsenti pecunia non satisfiebat. nam, *secundum mancipium*, est, pro mancipio. sic veteres dicebant vindicias secundum libertatem, & secundum seruitutem, & alia multa eius generis. De Philotimi societate in bonis Milonis, præter epistolam octauam huius libri, videnda est ea, quam idem Cicero scripsit ad M. Cœlium. De bonorũ autem venditione, quæ a creditoribus fiebat, legendus Theophilus libro tertio institutionum, Titulo de successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones. *Prædiorum Memmianorum*] duobus exemplis docet genus hoc satisdationis nouum non esse, quod in caussa Memmij, & Attilij, qui tunc exulabant, eodem modo satisdatum fuisset. Et sane dubitari iure poterat an in mancipatione, siue addictione bonorum, quæ fiebat per magistrum auctionis, satisdationi locus esset. nam, vt ait Vlpianus libro tertio de officio Proconsulis, res distrahi oportebat præsenti pecunia.

IN EPISTOLAM II.

Et tam longe] Recte legunt qui ita legunt, *& tam longe, & Hortensius:* quibus adstipulatur Decurtatus noster. *Expense e sua*] Ita Decurtatus, *expense e sua villa*; addita tamen, *e* præpositione, alterius manu. eam lectionem sequutus sum. nam & in Tornæsiano exaratum erat, *expense sue villa. expense* autem quid significet non video, nisi forte multum, & impense. sed fortasse scripsit Cicero *ex Pansa sui villa*, quod & Pansa amicus fuerit Rufionis, & villam habuerit in agro Puteolano, vt & in Pompeiano, & Trebulano; de quibus duabus mentio fit epistola proxime sequenti. Vt vt sit, indicat Cicero Rufionem illum non valde liberalem erga se fuisse, sed statim, vt se vidit, discessisse. dicebant enim abituri, *numquid vis?* Terentius Hecyra: *sed numquid vis? nam est quod me transire ad forum tam oportet.* Idem Eunucho: *rogo numquid velit; recte, inquit, abeo.* vbi Donatus, *significo me abire. nam abituri ne id dure facerent, numquid vis? dicebant ijs, quibus cum constitissent. quid est ergo rogo numquid velit? dico quod abeuntes solent.* hactenus Donatus.

IN EPISTOLAM III.

Beneuentum cogitabam] Compendiose erat in Decurtato, *Beneuen.* quod interpretatus sum, *Beneuentum*; nam sic loqui solent Latini, *Beneuentum cogito*, non, *Beneuenti.* Idem Cicero lib. 16. harum epistolarum, *Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito. Esse satis faciemus*] In omnibus nostris legebatur, *esse satis faciemus satis:* quam scripturam mendo carere puto, modo apte distinguatur: quod fiet, si post verbum, *faciemus*, addatur τελεία στιγμή. nam postremum *satis*, indicat Ciceronem nihil addere voluisse superioribus, quod satis superque esse putaret quæ iam scripsisset. Illa autem priora, *esse satis faciemus*, hoc declarant, faciemus vt sit satis, ita vt nemo contentus non sit continentia & diligentia nostra.

IN EPISTOLAM IIII.

Ac me ille] Decurtatus & Crusellinus, *ac me ille illud quidem labat:* nec aliter Tornæsianus, nisi quod pro *quidem*, habebat *quod.* Ego ex *illud*, feci *illuc*, & pro *labat*, posui *labar*, & ita interpunxi, *ac me ille: illuc quidem labar, non quo: sed inopia cogimur eo contenti esse.* concisa est oratio, & aliquantulum obscura, quam sic explico; ac me ille, quem nosti, valde rogat, vt sibi nuptui dem Tulliam: & sane in illam conditionem descendam, non quia illā probem: sed quia, aliorum inopia, eo genero contentus esse cogor. *Vt nostro*] Genus de industria mutauit, &, *nostro*, pro *nostra*, scripsit, vt hæc minus intelligerentur. *nostrum*, cum ait, Tulliam designat. *Et, & tuis*] Vulgati libri, *& tuis.* de mendo constat, de germana lectione non item, quam ex Decurtato ita reposui, *&, & tuis. Esset quidem summe*] Plane sic est in Decurtato, *esset quidem summe facilis:* in Crusellino, Huraltino, & Tornæsiano corrupte, *esset quidem sum facilis.* ille, inquit, qui tibi visus est non alienus, esset summe facilis, nec grauate adduci posset ad accipiendam conditionem hanc nostram. sed tu aberis cum id agetur, & me etiam absente ea res fiet. itaque, quia neuter nostrum aderit, vereor vt id satis commode confici possit. *Et me absente res*] Omnes mei habebant, *& me absente res*, vt excudendum curaui. me absente, inquit, ea res agetur. *Habebis mei rationem*] Veteres nostri partim, *mi rationem*, partim,

partim, *mei rationem:* quod postremum procul dubio Ciceronis est. vult ita rem geri, tanquam ipse adsit. ideo petit vt sui ratio habeatur. nam in Comitijs absentium ratio non habebatur, quia absentes per procuratorem petere magistratus non poterant: in alijs rebus, in quibus fas erat procuratores interuenire, ratio habebatur. rogat ergo Atticum, vt hanc rem ita curet, vt ipse desiderari non videatur. *De illo quod Chærippus*] Videtur innuere quædam de se vulgata fuisse a Chærippo, quæ ipse reticeri cuperet. De illo, inquit, negotio, de quo palam questus est Chærippus aduersus me. ΠΡΟΣΝΕΥΣΙΝ *sustuliſti*] Atticus antea προσνευσιν, id est assensionem, sustulerat, cum scripserat δυο διάγνωσον esse, velletne is Tulliam vxorem ducere, qui non alienus videbatur. hic vero iterum assensionem submouerat, cum dubitarat quid in Chærippi negotio fieri oporteret. *Ne quid ad Senatum*] Ne ea de re quicquam Senatus intelligat. *Nam de ceteris*] ἀποσιώπησις. nam de ceteris rebus, quæ ab alijs de me dicuntur, parum curo. aut de ceteris hominibus, ad quorum aures hæc de Chærippo peruenire poterunt, præter quam de Senatoribus, securo animo sum. *Vt agam amplius*] vt ampliora & maiora petam, quam quæ modo postulaui, id effice antequam proficiscaris. maiora petit tempore, cum rem cito confici velit. *Mera captio*] Lego, *mera captio*, vt est in Decurtato. meram captionem, hoc est, puram putam fallaciam esse scribit, quod scripserat Atticus, sibi chartam deesse, siquidem eius inopia minus multa scribebat. erant enim sat ample facultates illi ad chartam emendam, si ea egebat. iocatur ergo suo more. nam alio sensu dixerat Atticus sibi deesse chartam, nempe quod totam chartam exhauerat, ita vt in ea nihil superesset vacui. *Ducentos*] Non mutaui receptam lectionem: quamquam in Decurtato hoc nomen erat in litura; vt fortasse Cicero scripserit, *ducenties*, quo pacto legit Lambinus.

IN EPISTOLAM VII.

Præfectos delaturum nouos] Cur, *nouos?* quia vacationes & iudiciariam caussam ijs petebat. Vacationes vocat excusationes a muneribus militaribus, & alijs, quæ præfecti obire consuerant: causam iudiciariam, munus iudicandi inter Græcos, neutrum tamen Cicero concessit. nam præfectis

omnibus vacationes denegauit, vt apparet ex epistola vndecima huius libri, & Græcis non Romanos, sed peregrinos, hoc est, Græcos iudices attribuit, vt scribit epistola prima libri sexti.

IN EPISTOLAM VIII.

Emptor alienus,] Et veteres libri, & res ipsa docet legendum esse, *alienus*. ait enim se idcirco Philotimum socium in bonis Milonis adhibuisse, quod de eius fide non dubitaret. nam certo sciebat eum Milonis necessarijs & alijs creditoribus satisfacturum, quemadmodum postea satisfecit. Solebant Romani in negociationibus & commercijs vti libertorum opera, vt apparet ex Plutarcho in Catone maiore, & alijs multis auctoribus. ea de causa Cicero sibi socium in bonis Milonis adiunxerat Philotimum libertum, cum ea ab hasta emeret. emerat autem, ne ea emptori alieno addicerentur, hoc est, non amico, & non familiari ipsius Milonis. quo facto futurum erat vt Milo *multis mancipijs*, quæ secum abduxerat, spoliaretur. nam ea emptor alienus sibi vindicasset tanquam sibi mancipata cum ceteris illius bonis: quod nequaquam facturus erat Philotimus, qui in ea se nihil agebat, nisi Ciceronis consilio. Ceterum in quibusdam libris, vt in Tornæsiano, pro *secum habet*, legitur, *secura habet*: sed alteram lectionem ei prætuli. edidi etiam *posset*, pro *possit*, sequutus auctoritatem Decurtati & Crusellini.

IN EPISTOLAM IX.

Congesserant] Emendationem Manutij comprobat scriptura hæc Decurtati, *congesserant*: cuius loco legitur in vulgatis, *concesserant*. *Leucatam*] Antiqui nostri *Leucatam* impressi *Leucaten*. *Maxime de* XX.] Vulgati libri *de* CXX. nos notam, c, expunximus, admoniti cum a vetustiore nostro, tum ab ipso Cicerone epistola 5. huius libri.

IN EPISTOLAM X.

A. D. VII.] Perspicue erat in Decurtato, vt legendum Manutius censet, A. D. VII. *Vt puto & volo*] Compendiose Decurtatus, *Vt puto & volo bellissime* pro *bellissime*. sic alio loco in his epistolis, *qui* VI. VII. *diebus florentiss.* pro, *florentissimus*. ΑΥΣΕΣΙΜΗΤΑ] Idem ille codex vetustissimus, & optimus, ΑΥΣΕΣΙΑΑΗΤΑ, vitiose. dissecto M. in duplex

in duplex A. scribi enim debuit, vt restitui, ΔΥΣΕΞΙΜΗΤΑ: quo nomine significantur res imis sensibus demersæ, & abditæ, quæ, vt palam fiant, vix inde educi & proferri possunt. nam δυσεξίμητον idem est quod δυσανίμητον. alterum enim ἀπὸ τῦ ἀνιμᾶν, alterum ἀπὸ τῦ ἐξιμᾶν originem ducit. apte autem vocabulum hoc respondet illi alteri, βαθύτης, quo taciturnitas indicatur, quam Cicero in se miram esse prædicat. sed de eo nos plura alio loco. *Vrbs dumtaxat*] Totum hunc locũ ita descripsi, & distinxi ex Scidis, *Vrbs dumtaxat? & Vrbis ornamentum, & hominum amores in te, & in nos quædam beneuolentia: sed multum & philosophia.* ANA κάτω] Græce scriptum erat in Scidis ἄνω κάτω: Latine in Tornæsiano & Decurtato, *sursum deorsum*. ego Ciceronem Græcis verbis vsum puto. ἄνω κάτω id esse dicitur, quod ita perturbata quadam mutabilitate variat, vt nulla sede stabiliatur, & hæreat; sed modo sursum feratur, modo imo loco desidat. Itaque cum Academici in nullius magistri verba iurarent, nihilque certi affirmarent, eleganter Cicero duabus his vocibus eorum sectam designauit. sensus ergo est: ἄνω κάτω, quid est, hoc est, si quid est Academicæ philosophiæ, id totum est in Aristo, qui frater fuit Antiochi, cuius idem Cicero meminit libro secundo Academicarum. *Iunicem*] Tornæsianus, *iunctim*; ceteri vulgatam lectionem retinebant.

IN EPISTOLAM XI.

Marcellus fœde] Ex vestigijs veteris scripturæ edidi, *fœde de Comensi*: alij sic, *fœde in Comensi*, eadem quidem sententia, sed verbis paulo remotioribus a vetere lectione. Indicat Marcellum fœde fecisse, quod in odium Cæsaris pœnas sumpserit de Comensi quodam, tanquam de peregrino, cum tamen is ciuitate Romana donatus esset. Historia nota est. *Nostro ac Cæsari*] Interieci particulam *ac*, inter *nostro*, & *Cæsari*, ductus Scidarum auctoritate. *nostrum* cum dicit, Pompeium intelligit. *Vna Cn. Volusius*] Pro *nam*, quod erat in excusis, reposui *Vna*, vt habebat Decurtatus, indicat enim Cn. Volusium vna venisse cum Pomtinio. *Aderat Quæstor*] Ita distinguo, *aderat Quæstor, tuus Vnus Tullius aberat*: vt vox, *tuus*, ad Tullium referatur, non ad Quæstorem. nam quod quidam Cn. Volusium

Quæstorem fuisse putant, valde falluntur. duos enim Cicero tantum habuit quæstores, Mescinium Rufum in Asianis diœcesibus, Cælium in Cilicia; vt partim ex his epistolis apparet, partim ex illis, quæ scriptæ sunt ad familiares. ΕΠΕΙΧΟΝ ἀεί] Legebatur in Tornæsiano ΕΠΙΚΟΝ ΑΕΙ: in Decurtato, & Crusellino ΕΠΙΧΟΝ ΑΕΙ, per χ: emendaui ἐπέχον ἀεί. nam Latini librarij sæpenumero alteram e duabus vocalibus, quæ diphthongum conflabant, omittere solebant. itaque in vetustiori nostro supra, pro ΓΟΡΓΕΙΑ, exaratum est ΓΟΡΓΙΑ, vt hic ἔπιχον pro ἐπέχον. ij dem etiam, vt antea docuimus, non raro has litteras Α & Α inuicem commutabant. hinc mendose scriptum est ΑΕΙ pro ἀεί. Ceterum indicat Cicero se de illis nauigijs, quæ littus Atticum legebant, identidem alicuius cursum repressisse, vt id sibi retineret. est enim ἐπέχειν sustinere cursum eius rei, quæ impetu feratur, vt de remora scribit Ælianus, quæ nauem currentem sistit: ἡ δὲ ἔχενηὶς, inquit, ἐπέχει τὰς ναῦς, καὶ ἐξ οὗ ποιεῖ καλοῦμεν ἀντλῶ. inde ἐποχὴ Academicorum. Victorius τὸ ΑΕΙ, quod in suo quoque exemplari fuisse testatur, male putauit repetitum fuisse ex sequenti voce, *de*. idem non leuiori culpa reposuit ἐπίκωπον, pro ΕΠΕΙΧΟΝ. nam præterquam quod ea lectio nimis abest a vetere scriptura, ἐπίκωπον hic ferri non potest, nisi fateamur Ciceronem inepte genus speciei subiecisse, bisque idem dixisse. nam δίκροτα sunt de genere τῶν ἐπικώπων. itaque qui ait se ἐπίκροτα habere, & aliquid ἐπίκωπον, similis est ei, qui tradit se Chium, aut Falernũ habere, & aliquid optimi vini. Quod autem δίκροτα de genere sint τῶν ἐπικώπων vel ex eo constat, quod δίκροτα vocantur rates δήρεις: τὰ ἐπίκωπα vero non modo δήρεις & τριήρεις, sed omne nauigiorum genus complectantur, quod remis impelli solet. Polybius, ἐπὶ πολὺ συνεῆκας ἐποιήσαντο Ῥωμαῖοι καὶ καρχηδόνιοι, μὴ ἔχειν μήτε κατάδαι καρχηδονίες πλοῖον ἐπίκωπον πλὴν δέκα τριήρων καὶ τῶν ἁλιβυτικῶν, καὶ περιχώρων, ὧν οὐδὲν ἦν δεκακάλμου μεῖζον. *Ne præfectis excusationis sis*] Vitiosi sunt hoc loco vulgati omnes codices, & plærique manuscripti, in quibus pro *ne*, legitur *in*. Decurtatus plane scriptum habet, *ne præfectis excusationis sis*, vt excudi iussi. sensus est, nisi tu præfectos excusari volueris a muneribus militaribus, & alijs, quæ obire debent,

debent, deferto quos voles. eos enim accipiam. Vide quæ supra tetigi de vacationibus præfectorum epistola septima huius libri. *Varones*] Scripsi varones partim veterum librorũ, partim Cornuti prisci grammatici ductus auctoritate. is enim ad eum Persij locum,

Varo reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus peraget:

sic scribit, vt in veteribus membranis reperi: *Varo, id est, fatue, & stulte. Vari lingua Gallorum. Vnde Varones dicuntur serui militum, qui vtique stultissimi sunt.* hic ego pro, *lingua Gallorum*, lego, *ligna calonum.* nam varos eodem pæne significatu, nempe pro amitibus, & furcillis, quibus retia attollebantur vsurpauit Lucanus hoc versu.

Diſpoſitis attollat retia Varis.

atq; sic hoc nomen explicat vetus eius Poetæ interpres, nondum in lucem editus, cuius mihi aliquando copiam fecit clarissimus & doctissimus vir Iosephus Cassianus Senatus Burdegalensis Præses, cuius interitu ego summum amicum, & studiosi litterarum eximium patronum amiserunt. Vetustissimi huius interpretis verba hæc sunt, *Vari sunt furcula quæ casses sustentant.* ab his varis dictus est vallus, quasi varillus, quem calones ferebant. vtque ἀπὸ τῶν κάλων id est a lignis calones, sic a varis appellati sunt varones. vtitur hac voce, eadem, qua hic Cicero, notione Lucillius apud Festum in hoc versu,

Varonum & rupicum ſquarroſa inconditaroſtra.

sunt ergo varones Ciceroni & Lucillio homines bardi & stupidi, cuius modi olim erant calones, hocque nomine Cicero notat Epicureos, qui plus palato sapiebant, quam animo. idem in epistola ad Papirium Pætum, *ille Varo te putabat quæsiturũ, vnum calum esset, an innumerabilia. Nam mihi*] Non id vult Cicero, Patronem sibi ter dixisse, sed Patronem dixisse, Atticum ter ad se scripsisse. NOMANANAPIAN] pro, νομανανδρίαν, vt est in Decurtato, hactenus deminute editum fuit νομανδρίαν, vitio librariorum, qui mediam syllabam, quam geminari oportuit, semel tantum scripserunt. Vocat Cicero νομανανδρίαν ignauiam in præfecturis, hoc est publicorum munerum, & maxime militarium detrectationem in regendis præfecturis, quam alio loco

apertius vacationes appellat. νόμοι dicuntur a Græcis oppidorum Præfecturæ. Plinius libro quinto de AEgypto loquens *diuiditur*, inquit, *in præfecturas oppidorum, quas nomos vocant.* ἀνανδρία autem est munerum, quæ viros fortes decent, ignaua detrectatio; quo vitio insignes erant qui vacationes in præfecturis postulabant. erat enim ignauorum, atque adeo effœminatorum optare huiusmodi ἀλειτουργησίαν, quam cum Cicero statuisset nemini concedere, putabant Atticus eum idcirco noluisse sibi rescribere, ne contra propositum facere, aut amici petitionem aspernari videretur. petebat enim Atticus vacationes ijs, quos præfectos deferebat. quocirca rogat illum Cicero, vt eam suspicionem a se amoliatur, neque pro excusatione non missarum litterarum accipiat illam νομανανδρίαν. non enim ea de causa se intermisisse officium scribendi. De vacationibus Præfectorum plura supra diximus.

IN EPISTOLAM XII.

AD *Ceo*] Recte Manutius, *ad Ceo*, vt est in Decretato, & Crusellino. Sed & ita legendum esse docet ipsa itineris ratio. nauigantibus enim in Asiam, & maxime Ephesum, quo ibat Cicero, vt inde in Ciliciam pergeret, a Zostere iter erat ad Ceo. Porro, Græcorum more, Ceo dixit quarto casu, vt illi τὴν Κέω Strabo de Artemidoro, ὀνομάζει δὲ Κέω τὴν ἐγγυτάτω τῇ Ἑλένῃ. *Nisi omina*] Densissimas tenebras, quibus offusus erat hic locus, dissipaui, prolato clarissimo lumine Decurtati nostri, vbi pro, *omnia ἀκρωτηρίων iura*, legebatur, *omina ἀκρωτηρίων ὄρια*: vt si postremam vocem ita Græce scribas, ὅρια, nihil hic amplius obscuritatis iam supersit. vt vero singula verba expendam, omina ὅρια hic dicuntur signa quibus secunda tempestas portendi solet. nam ὅριον Græci vocant quod secundo vento impellitur. ea porro omina captabantur ἐκ τῶν ἀκρωτηρίων, qua voce Græci significabant sigilla quædam, aut vexilla, quæ, ornatus caussa, summis partibus tectorum, aut nauium imponebãtur, &, pro ratione ventorum, qui illa perflabant, modo in hanc, modo in illam partẽ flectebantur; ita vt ex eorum situ facile cognitu esset, qui ventus flaret. vulgo ea vocamus des girouettes, quod in gyrum agantur. Hesychius ἀκρωτήρια interpretatur τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ἀνατιθέμενα ζῷα, id est, animalia

malia dijs dicata, quæ fanis imponuntur: cuius generis sunt gallinaceorum statuæ, & alia sigilla supra eos pharos erecta, quibus tintinnabula continentur. & sane ex eorum positu ventorum flatus internoscuntur, vt & illarum pinnarum inflexu, quæ summis tectis infiguntur, quæ etiam ἀκρωτήρια dicuntur a Vitruuio. fuisse quoq; in nauigijs ἀκρωτήρια indicat Xenophon libro secundo ἑλληνικῶν his verbis, ἀπάγων τά τε τῶν ἀιχμαλώτων νεῶν ἀκρωτήρια. quamquam viri quidam docti sic rostra appellari putant. ego ἀκρωτήρια, ἀκροστόλια, & ἀκροκόρυμβα eadem esse existimo. Ex huiusmodi ergo acroterijs Cicero secundam nauigationem augurabatur. *Vir grauissimus*] Vulgati codices, *Vir gratissimus*. Ego veterem scripturam expressi, edidique *grauissimus*. *De strue laterum*] Emendaui, *De strue laterum*, cum legissem in Tornæsiano & Crusellino, *de strues alterum*. Cogitabat Cicero de aquæductu lateritio faciendo, cuius generis quatuordecim fuisse Romæ tradit Procopius libro primo.

IN EPISTOLAM XIII.

Sexagesimo & quingentesimo] Inepte Manutius interpretatus pugnam Bouillam, diem discessus Ciceronis ab Attico, cum Cicero his verbis diem notet, quo Clodius cæsus est a Milone prope Bouillas. at, inquies, numerus dierum non conuenit: non quidem in vulgatis libris, verum aptissime quadrat in Decurtato, vbi pro *sexagesimo & quincto*, legitur *sexagesimo & quingentesimo*. interfectus est Clodius, vt refert Asconius XIII. KAL. Februar. Cn. Pompeio III. Consule sine collega. hæc scribebat Cicero anno proxime sequenti, Ser. Sulpicio, M. Marcello COSS. Ab eo vero die, quo cæsus est Clodius, vsque ad eum quo Cicero venit Ephesum, qui fuit XI. KAL. Sext. dies sunt quingenti & sexaginta: quam summam reperies si duo & viginti dies, qui eo biennio intercalati fuerunt, ceteris diebus annumeres, & ex Macrobio & Censorino statuas tum menses hoc dierum numero constitisse: Ianuarium, XXIX: Februarium, XXVIII: Martium, XXIX: Maium, XXVIII: Martium, XXXI: Aprilem, XXIX: Maium, XXXI: Iunium, XXIX: Quinctilem, XXXI: Sextilem, XXIX: Octobrem, XXXI: Nouembrem, XXIX: & Decembrem, XXIX. Annus enim antequam Cæsar

Fastos emendaret, erat tantum trecentorum & quinquaginta dierum. *Cum Decumanis*] Scidæ, *cum Decumanis*: lego, *cum cum Decumanis*. librarij enim alterum, *cum*, negligentia omiserunt. scribit se comitatum fuisse Publicanis, cum Ephesum venit; fuisse etiam stipatum lictoribus innuit his verbis, *cum imperio*. *Apollonienſem*] Scripsi ex Crusellino & Decurtato, *Apollonienſem*, ab vrbe Apollonia, quæcunque ea fuerit. nam eius nominis multas Stephanus enumerat. *Ecquid iudiciorum*] Malaspina in quibusdam suis fuisse refert, *nunquid*: quod ex interpretatione germanæ lectionis, *ecquid*, profectum existimo. ea vero extatin Decurtato, & Crusellino.

IN EPISTOLAM XIIII.

Mihi adferebantur] Nonnulli codices manuscripti, *adgerebantur*. ego vetustissimum meum sequutus sum, qui vulgatam lectionem retinebat.

IN EPISTOLAM XV.

Clauum anni monebis] Tornæsianus, & Crusellinus, *clauum animo verbis*, deprauate quidem, sed proxime ad veram lectionem, quam sic edit Decurtatus, *clauus anni monebis*. Vocat Cicero clauum anni, indicem & notam anni incipientis ex eo die, quo prouinciam ingressus fuerat: vt sibi eodem die anno vertente succederetur, atque ita clauus moueretur. nam clauis parietibus impactis olim apud Romanos anni notabantur, vt a multis animaduersum est. *Mœragene*] Emendaui, *Mœragene*, ex Decurtato, quo modo etiam legitur epistola prima libri sexti. In Tornæsiano, & Crusellino, E littera versa fuerat in F, ex qua commutatione orta est vulgata scriptura, *Mofragene*. Ceterum Atticus aliquid ab hoc Mœragene, serui cuiusdam fugitiui nomine, petebat, quem Mœragenes, vt conijcio, receperat. iocose autem ait, *signis collatis*, quod, cũ esset cum imperio, omnia armis acturus videretur, & vi Mœragenem adacturus ad satisfaciendum Attico. *Cillane non est*] Victorius edidit, *illane*, vt est in Tornæsiano, & Crusellino. reposui ex Decurtato, *cillane*, quo nomine puto significari mulionem, siue asinarium. nam ξίμον, vt ait Pollux, asinum Dores vocabant, quam vocem e Sicilia, cuius incolæ Dorice loquebantur, existimo fuisse in Latium translatã. Inde idem Cicero, cum

iuiorer

ἡμίονον significaret, hemicillum dixit epistola penultima libri 13. inest porro hic senarius integer cum alterius præcedentis clausula, & ita distingui debet,

Clitellæ bouí
Sunt impositæ; Cillane, non est nostrum onus.

Verba sunt cuiusdam se bouem esse fingentis, & cillanũ accusantis, quod is sibi clitellas imposuisset, quæ asino, non bouí, erant imponendæ. nam clitellis asinus, non bos, insterni solet. idcirco addit, *non est nostrum onus.* *Senatum totum*] In nostris exaratum erat, *Senatum totum excites*, vt edidi. *Plura scribam*] Cum interrogatione pronunciãdum. plurane scribam per eũ qui tibi tarde has litteras redditurus est? quasi dicat, minime. *tarde reddituro*, valet, per eum qui tibi tarde reddet. sic epistola 3. libri 7, *Vt nunc ni vno ciui res ad resistendum sit*, id est, per vnum ciuem, vnius ciuis opera; & epistola 12. libri 11. vt est in hac editione nostra, *tamen Nilo meo his verbis ad Cæsarẽ scripsi.* in epistola etiam Pompeí ad M. Marcellum & L. Lentulum, *Dellio mandaram, quod maiores copias sperabam nos habituros, vt si vobis videretur, alterutер vestrum ad me veniret:* id est, per Dellium mandaram. Ceterum pro, *reddituro*, in Tornesiano est, *redditu iri:* de qua scriptura amplius deliberandum censeo: nisi forte legendum, *plura scibam tarde tibi redditu iri.* sed, *scribam*, non *scibam*, in omnibus exaratum est, & commodior sensus ex illa, quam hac scriptura elicitur.

IN EPISTOLAM XVI.

Tædet omninumos vitæ] Malaspina emendat, *tædet omnino vitæ.* ego cum exaratum reperissem in Decurtato, *tædet omnimunos vitæ*, in alijs, *tædet omniũ nos vitæ*, correxi, *tædet omninumnos vitæ.* omninumos vocat ditissimos homines, qui toti vndiq; numati essent, aut qui omnis generis nummis affluerẽt. sic Varro de re rustica asinos multinumos dicit. Adeo vero grauia erãt imperata ἐπικεφάλαια, vt ne opulẽtissimi quidẽ homines ea possẽt persoluere, ideo mortẽ optarẽt.

IN EPISTOLAM XVII.

Hunc locum muni] Tam in Scidis, quam in Tornæsiano, & Cruselliniano est, *muni*: recte omnino.

IN EPISTOLAM XVIII.

Cunctis fere copijs] Victoriana lectio, *cunctis referto copijs*,

vt ſcriptũ etiam erat in Huraltino, ſed in Decurtato, & Tornæſiano legebatur, *cunctis fere copijs*, quod eſt, vt Græci loquuntur, παντρατιᾷ. *Expedito ad mutandũ*] Victorius edit, *ad mutandum locum*. potior tamen lectio eſt Decurtati, & Tornæſiani, *ad mutandum loco*. nam ad vocem *loco*, referuntur illa ſuperiora, *tuto, copioſo a frumento, Ciliciã prope conſpiciente*: vt ſit, conſedimus tuto loco, qui copioſus eſt a frumento, & Ciliciam prope conſpicit, quique expeditus eſt ad mutanda caſtra: hoc eſt, qui exitus faciles habet.

IN EPISTOLAM XIX.

Valete Patron] Hunc locum ante aliquot annos ingeniose ex coniectura correxerat eruditiſſimus vir Claudius Puteanus, ſupremæ curiæ Pariſienſis ſenator integerrimus, quam eius emendationem eouſque probaui, donec mihi contigit codicem Decurtatum nanciſci, vbi hæc ita exarata reperi, vt, quod ad ſententiam attinet, Puteani confirment caſtigationem, aliquantulum tamen varient ab eius lectione. ſic enim ibi leguntur, *etiam atque etiam valete Patron, & tui condiſcipuli*. Audierat Cicero Atticum valde delectari filia, qua nuper auctus erat, eamq; ſummo amore proſequi, qui amor a natura ipſa proficiſcebatur: ideo cũ in ea re illum animaduerteret decreto Epicureorum aduerſari, qui negabant φυσικὴν εἶναι τὴν στοργὴν τὴν πρὸς τὰ τέκνα, hoc eſt, inſitũ eſſe natura amorem illum, quo quiſq; filios complectitur, feſtiue Attici nomine valere iubet Patronem Epicuri diſcipulũ, & ceteros eiuſdem condiſcipulos, quaſi Atticus Epicuri ſectæ renunciaret. De hoc Epicuri decreto vide Arriani Epictetum. *Quod ſcribis libente te*] Plane ſcriptum erat in Decurtato, vt edidi, *libente te*: quæ lectio perſpicue vera eſt.

IN EPISTOLAM XX.

Pindeniſſa] Decurtatus, Tornæſianus, & Cruſellinus, *Pindeniſſa*, & infra, *Pindeniſſum*. leniuit Cicero aſperitatem vocabuli barbari, quod Stephanus Græce ita expreſſit, πιδνηδίασος, id eſt, Pidnediſſus. ſic enim apud eũ legendũ, non πιδνηλίασος. nam librariorum imperitia τὸ Δ in Λ deprauatum eſt. eodem errore apud Strabonẽ exaratũ eſt πιδνίλιασος pro πιδνίδιασος. Poſtulabat autẽ analogia vt a Pindeniſſo fieret aut Pindeniſſeus, aut Pindeniſſenſis, aut Pindeniſſita. ſed quis tam ſuperſtitioſus

stitiosus criticus, qui barbaras voces ad culti & politi sermonis normam exigat? *Septimo & quadragesimo*] Dissentiunt veteres libri a vulgatis in referendo numero horum dierum. nam Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus habent, vt legimus, *septimo & quadragesimo*: formis excusi, *septimo & quinquagesimo*. *Celebritatem*] Nostri omnes, *celebritatem*, quarto casu, vt codices Malaspinæ. *Oppidis ijs qua ieram*] Vulgati libri, *oppidis ijs qua erant*, nullo prorsus sensu. Decurtatus plane belle, *qua ieram*, id est, per quæ iter feceram. *qua*, aduerbiū est, vt norunt etiam pueri. *ieram* autem dictum est pro *iueram*. *Quod idem dem*] Concordant nostri cum ijs quibus vsus est Malaspina. habēt enim, *quod idem dein*. quorum verborū sensus est, quod idem, nempe vt superiores iniurias reuelleremus, deinde fecimus Apameæ. pertinebat autē maxime ad Proconsulis iurisdictionem ea animorum reconciliatio. idcirco mox subijcit, *nihil ea iurisdictione aquabilius, nihil lenius, nihil grauius. Cilicia ima*] Vox, *ima*, deest in omnibus vulgatis, cuius loco legitur in Tornæsiano, *in*: sed ea, plane omnibus litteris perscripta est in Decurtato. Vt vero ita legam adducor non modo auctoritate veteris illius libri, sed etiam loci situ. nam qua mons Amanus Syriam separat a Cilicia, totus is tractus magis expositus est ad Austrū, quam reliqua Cilicia. Australes vero partes, vt docent Cosmographi, depressiores sunt ceteris. *Ligurino* Μώμῳ] Quasi a Liguria fieret Ligurinus, facete hunc μῶμον Liguriuum vocauit. verū in eo nomine cudendo rationem habuit Græcæ originis, quod is Momus Λιγυρὸς esset, vt pluribus ostendimus in notis epistolæ primæ libri sexti. obscure autē perstringit Hortensiū. *Nec iam ego hanc*] Quidam veteres, *nec tam*. Decurtatum sequutus sum. iam, inquit, virtutem illam quę voluptati resistit, non voco continentiam. nam expertus sum ipsam voluptatem in continentia potissimum versari. nihil enim mihi æque voluptati est, atque continentia. *Vtriq; nostrum honestum*] In Tornæsiano, vt ante nos monuit Lābinus, & in Decurtato sic, vt edidi, legebatur, *Vtriq; nostrum honestum existimo*. paullo ante etiam in eisdem libris perspicue exaratum erat, *Deiotarus, cuius auxilijs magnis & suo sum*. Victorius mutilo vsus exemplari male expunxit vocem *Deiotarus*.

Erit mora] Verbum, *erit*, in omnibus noſtris extabat, præterquam in Huraltino. ideo id excudendum iuſſi. mox in Decurtato legebatur, *tranſitans*, vt recte emendauit Malaſpina. *Sed mirifice etiam*] Hic quoque conuenit Decurtato cum libris Malæſpinæ, in quibus legebatur, *ſed mirifice etiam abſtinentem*: & paullo poſt, *me obtinente erogabitur*. *Tum Phemio*] Veteres noſtri partim, *cum Phemio*; partim, *tum Phemio*. hoc rectius puto. & ita emendauit Lambinus. *Fortaſſe etiam Poſtumia*] Puto ſignificari Ser. Sulpicij vxorem, aut certe eius ſororem. Poſtumiæ Ser. Sulpicij meminit ſub finem huius epiſtolæ, & epiſtola 9. libri 10. *Quid dicam?* Appingenda eſt nota interrogationis poſt hæc verba, *quid dicam?* *Cum anatocijs anniuerſario*] Mirũ quantum diſtat vulgata lectio ab ea quam edunt codices manuſcripti. hi enim habent, *cum anatocis anniuerſario*. libri vero formis impreſſi partim, *cũ anatociſmi anniuerſario*: partim, *cum anatociſmo anniuerſario*: vtrumque commentitie. nos in veteri ſcriptura vnam tantum litteram deeſſe exiſtimamus, vt ſcilicet pro *anatocis*, reponatur *anatocijs*. anatocias enim vocat anatociſmos. nam ea forma ἀπὸ τῶ τόκε fit ἀνατοκία, qua παλιντοκία illa, cuius meminit Plutarchus in ἑλληνικοῖς de Megarenſibus agens his verbis: τοὺς τόκες ἀνεωράϊζοντο παρὰ τῶν δανειστῶν, οὓς δεδωκότες ἐτύγχανον, παλιντοκίαν τὸ γινόμενον προσαπορεύοντες, hoc eſt, ſolutas antea vſuras a fœneratoribus repoſcebant, quam rem vocabant παλιντοκίαν. Ceterum, quia hæ anatociæ, non ſingulis menſibus, ſed anno vertente fiebant, idcirco Cicero hic addit *anniuerſario*, quod eſt annuatim, anno vertente. eſt enim aduerbium vt *quotidiano*, *voluntario*, *commodo*. *Verſuram facere*] Vt melius intelligatur quid ſit verſuram facere, & cur verſura multo magis quam vſura legibus Romanis vetita fuerit, id primum ſciendum eſt, argentarios fœnus publice exercere conſueuiſſe, quod ita notum eſt, vt probatione non egeat, eorumque officium & miniſterium publicam habuiſſe cauſſam, vt ait Vlpianus de edendo. quapropter eorum muneris erat diligenter rationes conficere, cum ex eorum fide Romani omnem fere ſuam pecuniam vtendam darent. ij enim potius de menſa argentariorũ, quam

ex arca,

exarca, domoque pecunias numerabant, vt ait Donatus in Terentium. non solebant enim ociosos numos domi seruare, sed eos sub vsuris argentarijs credebãt, quos illi alijs postea fœnori collocabant. Qui ergo a creditoribus appellabantur, neque de suo ijs satisfacere poterant, versuram faciebant, hoc est, per argentarios illis soluebant. nam quod argentarius creditori debitoris numerabat, id expensum ferebat ipsi debitori. atque id proprie erat versuram facere. nam debitores fœneratam sibi pecuniam domum non referebant, sed indidem, vnde eam acceperant, eam creditoribus renumerabant. atque hoc est quod voluit Festus, vel potius Paullus cum ita scribit, *Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo ductum est, quod initio qui mutuabantur ab alijs, non vt domum ferrent, sed vt alijs soluerent, velut verterent debitorem.* vetita vero fuit versura, ne vsuræ vsuras parerent. nam qui centum debebat sortis nomine, & quinquaginta ex vsuris, vt vtramque summam dissolueret, centũ & quinquaginta mutuabatur a fœneratore. itaq; quinquaginta illa, quæ priori creditori vsurarum nomine debebantur, secundo creditori sortis locum obtinebant, eique pariebant vsuras. sic fiebat vt versuris facillime mutuantiũ facultates exhaurirentur. quod ne fieret lege Gabinia cautum fuerat; ad quam respexisse puto Cornelium Tacitum cum ita scribit libro 5. Annaliũ: *Sane vetus vrbi fœnebre malum, eoq; cohibebatur antiquis & minus corruptis moribus. nam primum* XII. *Tabulis sanctũ, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur, dein rogatione Tribunitia, ad semuncias redacta: postremo vetita versura, multisq; plebiscitis obuiã itum fraudibus, quæ toties repressa mira per artes rursum oriebantur. Dare solebant*] Matinius & Scaptius immensarum harum vsurarum petitionem prætexebant difficultate obtinendi a Senatu, vt sine fraude legis Gabiniæ sibi liceret pecunias sub vsuris dare ad faciendam versuram. nam absque Senatusconsulto id fieri non poterat. quasi ergo sibi magno constaret Senatusconsultũ illud, non solebant leuioribus vsuris, quam quaternis centesimis, pecunias fœnerari. *Ex syngraphaeus dici*] Quia lex Gabinia non modo cauerat ne cuiquam dare, accipereve pecunias in versuram sub vsuris liceret, sed

etiã ne ius diceretur ex syngraphis huiusmodi, primo Senatusconsulto concessũ dũtaxat fuerat Matinio & Scaptio, vt sine fraude legis Gabiniæ Salaminijs pecunias dare in versurã possent: de syngrapha vero nihil actũ fuerat. itaq; opus fuit altero Senatus cõsulto, vt ea syngrapha ea vi esset, qua ceteræ, id est, vt ex ea syngrapha æque ius diceretur, atq; ex ceteris, quibus legitimæ vsuræ petebãtur. at ex nulla alia quaternæ centesimæ postulari poterant. ergo nec ex ea. lege enim sanxerat Lucullus ne ampliores vsuræ centesimis ducerentur, deinde ne maiores sorte: Plutarchus in eius vita, πρῶτον μὲν γὰρ ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι· δεύτερον δὲ τοὺς μακροτέρους τῶ ἀρχαίου ἀπέκοψε. *Vt & ea syngrapha*] Hic aliquot verba deesse putat Lambinus. Victorius etiam hunc locum vt mutilum stellula notauit. Ego in vna tantum voce mendum esse credo. vitiose enim librarij *quam* scripserunt pro *qua vt*. nam pro *ex ea*, omnes mei habent *& ea:* qũb modo etiam excusum est in primis editionibus Victorij. sic igitur reposui, *Tum fit S. C. vt & ea syngrapha esset qua vt cetera*. qua vi, est, quo iure. Post vocem *cetera*, sustinendus est cursus orationis. nam illa *sed vt eodem*, non pertinent ad Senatus consultum, sed sunt Ciceronis ad institutum sermonem de Scaptio redeuntis, quem interruperat interiecta illa narratione de duobus Senatusconsultis. sensus ergo est: sed vt eodẽ regrediatur, vnde deflexit, oratio. *Vt in fano deponerent*] Deposita rite pecunia, hoc est, obsignata amplius vsuras non pariebat. Marcellus libro octauo Digestorum, *Tutor, qui post pubertatem pupilli negotiorum eius administrationem abstinuit, vsuras præstare non debet. Vlpianus notat, non sufficit obtulisse, nisi & deposuit obsignatam certo loco.* Itaque vt consisterent vsuræ, Salaminij debitam pecuniam deponere volebant. *Bono nomine*] Hoc dilemmate summam arguit impudentiam Scaptij, qui bono nomine quaternas centesimas sperabat. nam pudens fuisset, si bono nomine, contentus fuisset centesimis cum earum renouatione: aut ideo quaternas centesimas duceret, quod malum nomen foret. nam sortis amissæ damnum multiplicatæ vsuræ resarsissent. verum bono nomine quaternas petere impudentiæ erat non ferendæ. Bonum nomen vocat locupletes debitores, a quibus periculum non

lum non sit sortis amittendæ, quantascunque vsuras debeant. inde Alphius fœnerator, vt refert Columella, dicere solebat, optima nomina non appellando fieri mala. *Diecu-lam duxerit*] Scidæ, *duxerit*, vt Manutius emendauit. *Postumiæ F.*] Ignorata a librarijs scribendi ratio per notas, fœda macula hunc locum deturparat. Nos germanam lectionem ex Decurtato nostro in hunc modum restituimus: *probo idem quod tu, Postumiæ F. ille quoniam Pontidiæ nugatur.* nota F. significat filium. sensus est: probo idem quod tu, Postumiæ scilicet filiam vxorem ducere Tulliam: aut, Postumiæ filio Tullham nuptui dari, quoniam ille Pontidiæ filius nugatur. Postumiæ filium vocat filium Ser. Sulpicij, cuius vxor erat Postumia. Hoc de matrimonio antea etiam egerat cũ Attico epistola quarta huius libri, his verbis: *nam posset aliquid, si Cæteris nostrum adesset, agente Seruilio, Seruio fieri probabile. Quo die mysteria*] Mysteria vocat cum Mundus patere dicebatur. qua de re nos plura alio loco in his epistolis.

IN LIBRVM VI.

IN EPISTOLAM I.

Terminalia] Nostri plane, *Terminalia:* quo modo proculdubio legendum est. *Libertatem*] Hoc est, παῤῥησίαν, quam recte opponit ἐαθύνειν. *Consistere vsura debuit*] Quia obsignatam pecuniam Salaminij deponere volebant: quo facto consistere, hoc est, cessare debebant vsuræ, non modo illæ graues, quas Scaptius petebat, sed etiam eæ quæ erant in meo edicto, hoc est, singulæ centesimæ, non quaternæ. *Soluta re Scaptio*] Hic locus ita legitur in Decurtato? *Igitur meo decreto soluta re Scaptio, statim quam decretum sic tu iudicabis:* recte sane. ait enim se iudicem ferre totius huius controuersiæ ipsummet Atticum. ponamus, inquit, rem solutam esse Scaptio, decreto meo; ita vt & illi, & Bruto in ea re satisfactum sit; statim ac tu iudicabis sic a me decretum esse, vt Salaminios iusserim quaternas centesimas soluere, ne ad Catonem quidem prouocabo, sed iudicio tuo stabo. scio enim te nunquam iudicaturum, me debuisse decernere, vt quaternæ centesimæ soluerentur. οὐκ ἔλαθές σε] Perspicue legendum, vt emendauit Malaspina, οὐκ ἔλαθές σε: atq; ita est in Decurtato.

Significat Cicero se non potuisse illa, quæ de gestu histrionis in epistola quadam tetigerat, ita recte & occulte litteris mandare, quin ea facile Atticus intellexerit. notat autem eum locum epistolæ penultimæ libri sexti, *Quod me maxime hortaris, &, quod pluris est quam omnia, in quo laboras, vt etiam Ligurino μώμῳ satisfaciam, moriar si quicquam fieri potest elegantius.* Nam cũ Atticus de fama Ciceronis æque ac de sua laboraret, eaque de causa eum in quadam sua epistola hortaretur, vt quammoderatissime & integerrime prouinciam regeret, vt in ea administratione nihil culpare ne Momus quidem posset: ei epistolę Cicero postea rescribens, referensque illius verba de Momo, non simpliciter dixit se moneri ab Attico ad satisfaciendum Momo, sed ad satisfaciendum Momo Ligurino, addita de suo voce *Ligurino*, vt Hortensium perstringeret, quo neminem existimabat acriorem fuisse sui reprehensorem. eo vero attributo notabat argutam eius in orando gesticulationem, perinde ac si tota illius actio λιγυρὰ esset, id est, arguta, quo nomine histrionum cauillis & dicterijs obnoxia fuit, vt refert Gellius libro primo: & sane striduli, & nimis arguti gestus histrionem magis decent, quam oratorem: quod hic indicat Cicero. ideo eodem illo loco, quem paullo ante adduximus, subijciebat, *moriar si quicquam fieri potest elegantius.* quæ verba ambigui sunt sensus. partim enim hoc declarant, ego prouinciam tantopere mihi abs te commendatam ita præclare rego, vt in eo munere obeundo nemo elegantiorem operam præstare queat: partim sic accipi possunt, ita belle edo mimicos gestus Hortensij, vt nihil fieri possit elegantius. De malo & inuido animo Hortensij in Ciceronem legenda est supra epistola nona libri tertij, & tertia libri primi ad Quinctum fratrem. *Tu scelestè suspicaris*] Ait Atticum scelestè suspicari de interpretatione nominis *Ligurinus*, quasi ipse ea voce histrionem Hortensium appellarit, propter λιγυρὸς, id est, argutos eius gestus. nam cum λιγυρὰ sit fere tota histrionum actio, facete ipsi histriones Ligurini appellantur. Verũ non in eam partem ait se nomen id accepisse, sed ἀφιλῶς hæc scripsisse, cum tantum alluderet ad gestus vere oratorios Hortensij, qui, vt oportebat, erant argutuli. Videtur hæc purgatio esse ἀφωνικὴ. *In Pompeium te spem*]

Tornæsi-

Tornæsianus, & Decurtatus, vt codices Malæspinæ, *in Pompeium*, vt edidi. paullo post idem Decurtatus, *remouendum censeo illud dissimulantem*: recte. indicat enim hac voce *illud*, quid ex verbis epistolæ Attici tolli velit, nempe vocabulum *dissimulantem*, quod ille Pompeio attribuerat, cum ita scriberet, *in Pompeium vel dissimulantem spem omnem otij pono*. ea vero Pompeij dissimulatio Ciceroni non placebat. *Iam Scrofa*] Scripserat Atticus Ciceroni cupere Scrofam sibi prouinciam quandam, cuius nomen hic reticetur, regendam mandari, affirmabatque eum summa cum laude in ea se gesturũ. rescribit ergo Cicero se velle Scrofam prouinciam eam habere, vbi specimen edere possit probitatis & integritatis suæ. nam quod petebat, lautum quoddam negotium erat. πολίτευμα] Intelligit, ni fallor, repudiationem prouinciæ Catoni ex prætura oblatæ. Ceteri, inquit, non probant factum Catonis in republica, qui prouinciam sibi mandatam reiecit. gauderent enim ipsi prouinciarum administratione, si ea sibi deferretur. Hac de re Plutarchus ita Catonem ipsum loquentem inducit, ἀυτὸς μὲν γὰρ, ἔφη, διδομένης μοι μετὰ τὴν στρατηγίαν ἐπαρχίας, ἀπέστην. *Rhosiaca vasa*] Victorius legit, *Rhosij causam mandauit*. ego rectius ex Scidis, & Tornæsiano, *Rhosiaca vasa mandauit*. Rhosus vrbs erat sita in sinu Issico: Strabo, καὶ ὁ κόλπος εἴρηται Ἰσσικὸς, ἐν ἀυτῷ δὲ πόλις Ῥῶσός. Plinius, *Oppidum Rhosos, & a tergo portæ, quæ Syriæ appellantur, interuallo Rhosiorum montium, & Tauri*. id oppidum celeberrimum erat vasis fictilibus, quæ ibi fiebant. ideo Atticus volebat aliquot inde sibi curari, quæ Cicero scribit se mandasse. κέρας *Phemio*] Cupiebat Atticus Phemio κέρας aliquod musicum curari; quod Cicero faciendum mandarat, vt Attici petitioni satisfaceret. Puto hunc Phemium libertum fuisse Attici, a studio Musices ita appellatum, quod instar esset Phemij illius Homerici, cuius mentio fit libro primo Odysseæ. *Nihil moui*] Germanam & veram lectionem reposuit Manutius, ita legens, *nihil moui*, pro *nihil noui*; atq; ita scriptum reperi in Decurtato. *Nimis graui præiudicio*] Hæc erat Edicti Prætorij de pactis conuentis formula, vt intelligitur ex libro secundo Ciceronis de officijs, & libro quarto Vlpiani ad Edictum. *Pacta conuenta, quæ nec vi, nec dolo malo*

facta erunt, seruabo: quamquam Vlpianus plura addit in exceptione illa, *quæ nec vi, nec dolo malo,* ex Saluio Iuliano, vt opinor, qui Edictum perpetuum sub Adriano conscripserat, vt ait Eutropius, itaque sic edixerat Bibulus de pactis conuentis inter publicanos & prouinciales, *Pacta conuenta inter publicanos & prouinciales, quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, seruabo.* hanc exceptionem, *quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt,* scripserat Atticus nimis grauis esse præjudicij in ordinem equestrem, cuius erant publicani, quod eos quodammodo argueret & vis, & doli mali. nec enim Prætores eam adiecissent, nisi suspicio fuisset publicanos quædam gerere consueuisse vi, & dolo malo. Proinde Cicero honori & existimationi eius ordinis consultum cupiens de Bibuli edicto eam exceptionem sustulit, eiusque loco aliam eiusdem vis, sed tectiorem ex edicto Asiatico P. Mutij reposuit. *Nisi Consul*] omnibus litteris exaratum erat in Crusellino, *nisi Consul:* nec aliter in Decurtato, nisi quod compendio legebatur cos. vt edidimus. Mox in vtroque scriptum erat, *in illa item,* vt recte emendauit Malaspina. *Iacet Theophrastus*] Scripserat Theophrastus Zaleucum leges Locris scripsisse; qua in re sequutus fuerat auctoritatem doctoris sui Aristotelis, qui idem prodidit libro secundo de optimo statu Reipublicæ: νομοθέται δὲ ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς ἐπιζεφυρίοις, καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὑτῶ πολίταις. *Nemo Cornelius*] Nã si quis ex gente Cornelia viuo adhuc proauo Scipionis Metelli Censor post eius Consulatum factus fuisset, excusanda foret Scipionis huius Metelli ignorantia, qui nesciret Censuram illam ad alium quempiam eiusdem familiæ potius quam ad proauum suum referri debuisse, errorque ferendus existimantis inscribendum fuisse proaui statuæ cos. ET CENS. quasi per imperitiam vni tribueret quod duorum fuisset, qui eodem tempore vixissent. verum post Consulatum proaui istius Scipionis nemo eo viuo Censuram gesserat. itaque absurdum erat dictu, eum Censorem extitisse. *Sed de pantheris*] Antea legebatur, *& de pantheris, sed a ciuitatibus,* nec aliter referebant Tornæsianus, & Huraltinus. nos Decurtati fidem secuti sumus ita hæc edentis, *sed de pantheris fœde, ac ciuitatibus.* Ait Cœlium litteras quidem accurate scriptas ad se misisse,

sed fœde

sed fœde scripsisse de pantherarum venatione, ac de ciuitatibus fraudandis solito fructu agrorum, in gratiam M. Fetidij. Hæc epistola Cœlij extat libro octauo earum, quæ scriptæ sunt ad familiares. *Litteras daturus*] Castigatissime Decurtatus, *litteras daturus pridie Kalendas Ianuar. suauem habuit recordationem clarissimi iuris iurandi*, hoc sensu, dies pridie Kalendas Ianuarias, qui daturus erat eas litteras tuas, quibus nunc rescribo, suauem habuit recordationē clarissimi illius iurisiurandi, quod ego eodem die abiens magistratu præstiti. Atticus eo die epistolam daturus scripserat se recordatum fuisse illius iurisiurandi. Dies litteras dare dicitur, quod dationis tempus designet, alioqui futurum incertum. *Præare*] Inquinari hic sunt omnes codices manu scripti, atq; adeo ipse Decurtatus, qui ita refert, *præ re.* emendaui, *præare.* nam æs alienum significari puto, quo obrutus Lentulus coactus fuerat vendere Tusculanum: nisi ἐιρωνικῶς, & per iocum dictum sit *præare*, hoc est, prædiuitijs, quasi ijs ita Lentulus affluxerit, vt coactus sit vendere Tusculanum, quod παρὰ προσδοκίαν Cicero subiecit, cū scribere debuisset, eum Tusculanum emisse. nam diuitum est potius prædia emere, quam vendere. *Sed heus tu*] Extrema pars huius epistolæ, totaque proxime sequens perierant in Scidis. itaque adiuti sumus ope Tornæsiani, Crusellini, & Huraltini; quorū scriptura hæc est huius loci, *sed heus tu, tamne eos a Cæsare per Herodem talenta Attica* L. *extorsisti?* quæ verba cū interrogatione legi debent. quærit enim quasi mirabundus, quo modo tam cito quinquaginta illa talēta extorta fuerint Cæsari, cum ea Cæsar & multo plura destinasset Nemorensi ædificando. *Suos nummos*] Id est nummos ipsius Pompeij. nam Cæsaris bona ad Iuliam eius filiam, Pompeij tum vxorem, peruentura videbantur. ideo Pompeius eos nummos suos quodammodo esse contendebat. *In Nemorensi*] Probo Turnebi coniecturam, cui veterū codicum lectio, quamquam deprauata, ita conuenit, vt nihil accommodatius, meo quidē iudicio, hic excogitari possit. habent enim, *in memorem.* Diligentior futurus erat Cęsar in ædificando Nemorensi, ne iterum nummi, quos eo destinarat, sibi ab alijs creditoribus eriperentur. locatur Cicero in solutionem a Cæsare factam Attico, & alijs ipsius Cæsaris creditoribus, qui illum

ita importune appellarant, vt coactus fuerit nummos eis dinumerare, quos ædificando Nemorensi reseruauerat. *Si Curio legem*] C. Scribonius Curio Tribunus plebis lege definierat iumentorum, vehiculorum, & seruorum numerum, quibus singuli ciues Romani ad iter faciendum vterentur: quam legem Viariam appellat Cœlius in epistola quadam ad Ciceronem. in eam legem committebat P. Vedius, quod cum pluribus vehiculis & numerosiore familia iter faceret, quã ea lex pateretur. idcirco scribit Cicero eum pœnæ nomine HS centena pensurum, si ea lex perlata fuerit a Curione. *Plangunculæ*] Iam olim emendaueram, *plangunculæ*, cum in veteribus libris, extrita prima littera, legissem, *langunculæ*: quam meam castigationem ita probauit Lambinus, vt omnino ita legendum esse statuerit. est autem plangunculæ, pusilla πλάγγων: quo nomine Græci significant puppam. ita enim interpretatur vetus glossarion. quia vero πλάγγονες plærumque e cera fingebantur, ideo πλάγγων dicitur solis ardore liquescere apud Callimachum in hymno quo Cererem celebrat,

ὡς δὲ μίμαντι χιὼν, ὡς ἀελίῳ ἐνὶ πλάγγων,
καὶ τέτων ἔτι μείζον ἐτάκετο.

Ibi Græcus interpres, πλάγγων, inquit, κήρινος νύμφη. Huiusmodi puppas Veneri dicare virgines solebant. Persius,

Dicite pontifices in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri dicatæ a virgine puppæ.

Plangunculæ ergo, id est, pusilla sigilla matronarum, inter res Vedianas inuentæ fuerant: quarum vna imaginem referebat Iuniæ sororis Bruti, & vxoris Lepidi. quam rem quia ægre ferebat Brutus, eum Cicero iocose vocat hominem brutum. at id ipsum quia leuiter curabat, facillimeque ferebat Lepidus, eum idem auctor hominem lepidum appellat. facete ergo alludit ad cognomina Bruti & Lepidi. *Vratur*] Lego, *vratur*; non, vt est in vulgatis, *vtatur*. est autem, *vratur*, torqueatur, crucietur, iniquissimo animo ferat. Terentius, *vro hominem*. *Romana incidant mysteria*] Romana mysteria celebrabantur quo die mundus patere dicebatur: de quibus plura dicam in epistolam 25. libri 15. Quia vero vitio intercalationum incerta erat plærumque ratio dierum festorum, idcirco Cicero quærit quo die futura sint

ra ſint illa myſteria; quod etiam quæſierat epiſtola vltima libri quincti.

IN EPISTOLAM II.

Quod mare tam ſequuti ſunt] Ariſtoteles libro ſecundo de Republica tradit omnes fere Græcos mare accoluiſſe: δοκεῖ δ' ἡ νῆσος πρὸς τὴν ἀρχὴν τὴν ἑλληνικὴν πεφυκέναι, καὶ κεῖσθαι καλῶς. πάσῃ γὰρ ἐπίκειται τῇ θαλάσσῃ, σχεδὸν τῶν ἑλλήνων ἱδρυμένων περὶ τὴν θάλασσαν πάντων. Videtur hæc inſula (de Creta loquitur) ad imperium Græciæ tenendum facta natura, & commode admodum ſita. nam ad quemlibet maris tractum procumbit, cum fere omnes Græci ad oras maritimas ſiti ſint. Non probabat Dicæarchus Græcorum rationem in ædificandis ſecundum mare omnibus ſuis oppidis, quod alios quoq; improbaſſe refert Ariſtoteles lib. 7. eiuſdē libri, vbi in vtramque partem ea de re acutiſſime diſſerit: περὶ δὲ τῆς πρὸς τὴν θάλασσαν κοινωνίας, πότερον ὠφέλιμος ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν, ἢ βλαβερά, πολλὰ τυγχάνουσιν ἀμφισβητοῦντες. τό τε γὰρ ἐπιζενοῦσθαί τινας ἐν ἄλλοις τεθραμμένους νόμοις, ἀσύμφορον εἶναί φασι πρὸς τὴν εὐνομίαν, καὶ τὴν πολυανθρωπίαν. γίνεσθαι μὲν γὰρ ἐκ τοῦ χρῆσθαι τῇ θαλάσσῃ διαπέμποντας καὶ δεχομένους ἐμπόρων πλῆθος: ὑπεναντίαν δ' εἶναι πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι καλῶς. ὅτι μὲν οὖν, εἰ ταῦτα μὴ συμβαίνῃ, βέλτιον καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ πρὸς εὐπορίαν τῶν ἀναγκαίων μετέχειν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν τῆς θαλάττης, οὐκ ἄδηλον. καὶ γὰρ πρὸς τὸ ῥᾷον φέρειν τοὺς πολεμίους, εὐβοηθήτους εἶναι δεῖ κατ' ἀμφότερα τοὺς σωθησομένους, καὶ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλασσαν: καὶ πρὸς τὸ βλάψαι τοὺς ἐπιτιθεμένους, εἰ μὴ κατ' ἀμφὼ δυνατὸν, ἀλλὰ κατὰ θάτερον ὑπάρξει μᾶλλον ἀμφοτέρων μετέχουσιν. ὅσα τ' ἂν μὴ τυγχάνῃ παρ' αὐτοῖς ὄντα, δέξασθαι ταῦτα, καὶ τὰ πλεονάζοντα τῶν γινομένων ἐκπέμψασθαι, τῶν ἀναγκαίων ἐστίν. αὐτῇ γὰρ ἐμπορικὴν, ἀλλ' οὐ τοῖς ἄλλοις δεῖ εἶναι τὴν πόλιν. οἱ δὲ παρέχοντες σφὰς αὐτοὺς πᾶσιν ἀγορὰν, προσόδου χάριν ταῦτα πρᾶττουσιν. ἢν δὲ μὴ δεῖ πόλιν τοιαύτης μετέχειν πλεονεξίας, οὐδ' ἐμπόριον δεῖ κεκτῆσθαι τοιοῦτον. ἐπεὶ δὲ καὶ νῦν

ὁρῶμεν πολλαῖς ὑπάρχειν καὶ χώραις καὶ πόλεσιν ἐπίνεια καὶ λιμένας εὐφυῶς κείμενα πρὸς τὴν πόλιν, ὥστε μήτε τὸ αὐτὸ νέμειν ἄστυ, μήτε πάρρω λίαν, ἀλλὰ κρατεῖσθαι τείχεσι καὶ τοιούτοις ἄλλοις ἐρύμασι, φανερὸν, ὡς εἰ μὲν ἀγαθόν τι συμβαίνει γίνεσθαι διὰ τὴν κοινωνίας, ὑπάρξει τῇ πόλει τοῦτο τὸ ἀγαθόν· εἰ δέ τι βλαβερὸν, φυλάξασθαι ῥᾴδιον τοῖς νόμοις φράζουσι καὶ διορίζουσι, τίνας οὐ δεῖ, καὶ τίνας δημοσίᾳ δεῖ πρὸς ἀλλήλους. hoc est, De commercio autem & vsu maritimo vtrum ciuitatibus, quæ bonis legibus reguntur, prosit, an obsit, magna est controuersia, nocere enim aiunt, quominus probis legibus viuatur, consuetudinem cum peregrinis, qui alijs legibus atque moribus fuerint educati; obesse etiam nimiam hominum multitudinem. fieri enim ex vsu maris permultos mercatores, qui partim res exportent, partim importent: aduersarique immensam eam turbam, quo minus Respublica bene regatur. Verum sublatis his incommodis, palam est præstare vt vrbs atque regio maritima sit, cum vt tuto ibi degatur, tum vt rerum necessariarum copia affatim suppeditet. nam ad hostium impetũ facilius sustinendum eos vtrinq; auxilio commode iuuari posse oportet, qua mari, qua etiam terra, qui hostium periculo sunt liberandi. cum vero ingruentibus hostibus clades est inferenda. si vtrinque id fieri nequeat, certe ex altera parte id facilius assequentur, quibus participatio est vtriusque commercij. in rebus etiam necessarijs censenda facultas est ea aliũde accipiendi quibus ciuitas careat, quæque superflua sint ea alio exportandi. sibi enim ciuitas, non alijs, mercaturam exercere debet. qui vero omni hominum generi forum, mercatumque apud se instituunt, eo videlicet spectant, vt reditus & vectigalia inde parent: qua immoderati quæstus cupiditate cũ ciuitas exors & libera esse debeat, huiusmodi mercatum in ea instituí nihil est necesse. Porro quia multis locis & vrbibus naualia & portus etiã nunc opportune adsitos esse videmus, ita vt neque oppida ipsa occupent, neque ab ijs admodum longe distent, sed mœnibus muniantur, & alijs eiusmodi propugnaculis, perspicuum est, si quid forte commodi & emolumenti ex mutuo hominum vsu & societate accidat, id omne ad ciuitatem esse peruenturum; sin

tum; sin aliquid detrimenti, id facile vitari posse legibus, quibus sancitum & definitum sit, quos homines non oporteat, quosque oporteat inter se versari, & commisceri *Vix accredens*] Restitui, *accredens*, ex Crusellino, cum vitiose alij haberent, *aggrediens*. hoc autem verbo vtitur & Plautus Asinaria, *neq; diuini, neq; humani quicquam accreduas*, & Lucretius libro quarto,

tum motus materiai
Multimodi quam sint, facile hoc accredere possis.

Quam tu de C. Vestorio] Iocus est in ambigua significatione verbi *crederem*. nam credere est fidem habere, vt creditur probatis auctoribus, & testibus oculatis. credere etiam est pecuniam vtendam dare, quod sine periculo creditorum fit, cum assidui & locupletes sunt ij quibus creditur; quales habebantur C. Vestorius, & M. Cluuius, hic Ciceroni, ille Attico. itaque facete Cicero scribit Dionysium non minus bene existimasse de Dicæarcho, auctore probatissimo, quam ipse existimaret de M. Cluuio, & Atticus de C. Vestorio, quorum vterque & locuples, & spectatæ fidei habebatur. ideo putabat Dionysius non minus credendum Dicæarcho, quam illis. *Iurisdictio nec impetrita*] Deprauate in omnibus fere codicibus, ante nostram editionem, legebatur *imperita*, pro *imperrita*, vt ex codice Crusellino correxi. quæ vox ducta est a sacris litatis, aut ab auspicijs. Plautus Asinaria, *auguratum est, impetritum est, quous admittunt aues*. Festus impetritum interpretatur impetratum. inde Cicero iurisdictionem nec impetritam ei oppositum quæ clemens erat cum omni facilitate. nam quamuis clementia & facilitas laudentur in ius dicente, concessio tamen nimis procliuis in vitio ponitur. idcirco Cicero hic addit negationem, cum vellet significare grauem & certam iurisdictionem, quæ non temere inflecteretur ad cuiuslibet hominis vota, quãuis alioqui clemens esset. *Tun' qui aiù*] Alij ex coniectura, *tun' qui aiù*. at ego id ipsum ex fide Crusellini. *Nimiù, nimiù*] Iteraui vocem *nimiù*, ex Tornæsiano, & Crusellino. sed & verbum *inquam*, satis indicat hac repetitione vsum fuisse Ciceronem. *Nescio quid sit: sed.*] Post vocabulum *sed*, statuendum est punctum. est enim ἀποσιώπησις. quasi innuat Cicero Cœlium non venturum, aut tale quid,

Tua Corcyræa] Nostri omnes, *tua Corcyræa*, vt edidi: & ita etiam in suis fuisse refert Malaspina.

IN EPISTOLAM III.

Pacto & conuentu] omnes nostri manuscripti, *pacto & conuentu*, vt scripsi. nam conuentus masculino genere dicebatur, vt plebiscitus, & sponsus, & alia eius generis. *Tagax*] Vicit tandem veritas. nemo enim, opinor, iam dubitat hic legendum esse, *tagax*, vt olim ex codice Tornæsiano emendauit iurisconsultus doctissimus Iacobus Cuiacius. *Gauius est quidem*] Recte Tornæsianus & Crusellinus edunt *Gauius*: mendose vulgati, *Caius*. *Cibaria præfecti*] Legendum, vt iam ex Tornæsiano emendauit Lambinus, *cibaria præfecti*: quam lectionem præ se ferunt ceteri nostri. *Obiratione*] Vulgo legebatur, *operatione*: de qua voce mire inter se digladiantur Lambinus, & Gruchius. reposui ex Decurtato, *obiratione*: quod verbum aptissime conuenit cum superioribus. dixerat enim Scaptium iratum abijsse. ceterum obirationem non memini quidem alibi me legere. verum ab eadem origine Liuius obiratum dixit libro primo historiarum, *aut fortunæ obirati cultum relinquebant deum*. *Non contemnere se*] *Contemnere*, pro *contemnebat*. quod genus loquendi frequens est scriptoribus Latinis. Granius, inquit, quem potentiores despiciebant, ipse se non contemnebat, sed plurimi faciebat: idemque reges oderat superbos, hoc est, magnates illos, qui ipsum despectui habebant. Hic Cicero sibi partes sumit Granij Lucilliani, vt Bruti fastum & arrogantiam retundat, vsurpatq; versus Lucillij, quos in ore frequenter Atticus habebat. *E gladiatoribus*] Fretus auctoritate Decurtati excudendum curaui, *e gladiatoribus*, addita præpositione *e*, quæ magno sententiæ incommodo deerat. indicat enim Hortensij filium vnum de gladiatoribus fuisse Laodiceæ. *Si nihil, nihil fieri*] Hunc quoque locum, repetita voce *nihil*, recte, nisi fallor, ex eodem illo Decurtato correxi. sic enim ibi plane legebatur, *si nihil, nihil fieri, vel per tuum tabellarium*. si nihil sit, inquit, quod scribas, volo tamen mihi nuncies vel per tuum tabellarium, nihil fieri.

IN EPI-

IN EPISTOLAM IIII.

μήτινοήσης] μήτι, pro, μὴ ἔτι. mox sequitur, ἐς δήπου, quod est, tu vnus videlicet, id est, tu ipse solus, nemine alio ad eam rem adhibito.

IN EPISTOLAM V.

πεφυρακέναι] Quod Latini dicunt conturbare, aut conturbare rationes, id Cicero Græce vertit φυρᾶν τὰς ψήφους. contrarium est expedire rationes. conturbant qui soluendo non sunt, quique decoxerunt. inde vetus glossarion decoctorem interpretatur φυρατὼν, & decoquere, καταφυρᾶν, ἀποπεπτοῦν. ἐξ ἀσεως] Sic hunc locum castigaui ex Decurtato, ἐξ ἀσεως ἐπιλαλόφυ τειχῶν παρέδωκεν μνῶν κ δ, μη, ὀφειλημάτων Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κ δ ὁν τῆς Κροτωνιατικῶν, καὶ ὁν τῆς Χερρονησιατικῶν μη. hoc est, libertus vxoris meæ ex vrbis septicollis mœnibus, id est, Romæ, Camillo rationes edidit viginti quatuor, & quadraginta octo minarum, seque debere tradidit quatuor & viginti minas ex bonis Crotoniaticis, id est, ex bonis Milonis, & quadraginta octo ex ijs quæ sunt in Chersoneso. Primũ hic aduertendum est, eius nomen, qui ediderat rationes Camillo, repeti debere, tanquam ἀπὸ κοινῆ, ex proximis Græcis verbis. is autem fuit Philotimus, quem ibi vocat libertum vxoris suæ: tum ex ijsdem illis verbis sumendum etiam ἀπὸ κοινῆ vocabulum ψήφους, & cum verbo παρέδωκεν coniungendum. notandum præterea Ciceronem hæc verba ἑαυτόν τε ὀφείλοντα &c. adiecisse ἐπεξηγήσεως χάριν, vt scilicet enucleatius explicaret quibus nominibus vtramque summam sibi Philotimus deberet. Sequitur καὶ μνᾶς κληρονομήσας χμ, χμ, τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τῇ δευτέρᾳ μιὼς νεμηνίᾳ: hoc est, & cum redegerit ex hereditatibus quas creuit minas sexies centenas & quadragenas, & sexies centenas & quadragenas, illius tamen æris alieni ne obolum quidem dissoluisse, cum omnia debeantur iam inde a Kalendis secundi mensis, id est Februarij. Summa fide hic expressi scripturam veteris Decurtati, quæ in numeris referendis multo castigatior est vulgata. id obiter obseruandum, iungi participium κληρονομήσας cum infinitiuo διαλύ-

σαθαι, Attico more; cum alioqui scribendum fuisset κλήρους νομήσαντας, quarto casu. sic apud Aristophanem μανθάνεις ὃ φησιν εἶναι. Subijcit Cicero, τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτῷ, ὅτα ὁμώνυμον τῷ κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοχερῶς προσηκόντως. ταῦτα ἕως πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προκειμένης ἡμέρας. id est, eius autem libertum, cui idem nomen est quod patri Cononis, hoc est, qui Timotheus appellatur, id nulla prorsus ex parte curasse. primum igitur videto, vt omnia seruentur, id est, vt nihil ex sorte depereat: tum vt ne vsuras quidem negligas, quæ debentur ex die superius apposita. προεκκειμένην ἡμέραν vocat, νεμλιὰν τὸ δευτέρου μλιὸς, id est, Calendas Februarias; quam diem supra apposuerat. Postremo subiungit, ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καί τι κεδὸν ἐλπίσας ἀπογνὺς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπεπώκει, εἴκω, αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. id est, per eos dies, quibus eum pertulimus, valde magno in timore fui. exploraturus enim ad nos venerat, & aliquid pœne sperarat: sed spe fraustratus temere recessit, sic fatus, concedo, Turpe manere diu, Hic pro voce nihili, ικα, quam edidit Victorius, reposui ex antiquioris nostro, εἴκω, id est, cedo, manus do, victum me fateor, quia nihil impetrare potui. *Vetere prouerbio*] Erasmus recte animaduertit idem esse hoc prouerbium cum illo Platonico e Gorgia, νῦν δὲ ἐψεύσθω, καὶ, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη μοι κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ δίδόμενον παρὰ σοῦ. indicat enim Cicero Philotimum coactum fuisse æquo animo ferre denegationem illam remissionis pecuniæ, quam postularat, dixisseque boni esse consulenda quæcunque fors tunc ferret, & quæ darentur accipienda. quo dicto acerbe notabat Ciceronis illiberalitatem, a quo nihil eorum, quæ petierat, potuerat impetrare. *Reliqua videt*] Hunc locum fœdis maculis inquinatum ita ex prisco Decurtato purgauimus, *reliqua videt, & quantum fieri potest, perspicit animus.* quæ lectio ita perspicua est, vt neque probatione, neq; declaratione egeat. *Caldus Quæstor*] Vulgati quidam libri, *Cœlius Quæstor:* at omnes antiqui nostri, *Caldus Quæstor*, plane optime. nam Caldus cognomen fuit Cœlij, vt apparet ex libro Q. Ciceronis de petitione Consulatus. *Atticula dices*] Acutissime Malaspina coniecit Ciceronem

ronem scripsisse, *Atticulæ*, pro *articulate*, vt vulgo referunt exemplaria, eiusque coniecturam confirmat auctoritas Decurtati, in quo disertim exaratum est, *Atticulæ*.

IN EPISTOLAM VI.

Quum iam] Non dubium est quin legendum sit *cum iam*, vt emendauit Malaspina, quod nobis etiam probarunt Decurtatus, & Crusellinus. *Tradere me*] Tornæsianus, *traderem*, deminute: Scidæ, *tradere me*, plane integre. videbam, inquit, easdem, quæ mihi forent, esse tibi caussas dubitandi de eo quem discedens prouinciæ præficerem; nempe me puero tradere prouinciam regendam, hoc est, quod puero committerem prouinciæ administrationem. παλιγγενεσίαν] παλιγγενεσίαν vocat honores adeptos post suam reuocationē ab exilio, in primisque imperium proconsulare, quasi id esset pristini sui status quædam instauratio. nam primum editus in lucem videbatur, antequam a Clodio appetitus esset; mox interijsse, actus in exilium: renatus vero, cum inde reuocatus est, & mox proconsule in Ciliciam missus. Hanc porro παλιγγενεσίαν quibus poterat titulis & honoribus illustrare conabatur, vt turpem exilij notam deleret.

IN EPISTOLAM VII.

Eum valde etiam] Vt in codicibus Malæspinæ, sic in meis legebatur, *eum valde etiam*. *Sed plane volo*] ἢ *plane*, quod deerat in vulgatis, restitui ex manuscriptis nostris. *Volo* autem est celerrimo cursu tanquam volatu feror. *Issi reliquissem*] Decurtatus, & Crusellinus partim *esse*, partim *isse*: vnde iniecta est mihi suspicio Ciceronem scripsisse, *Issi*, vt Manutius etiam legendum existimat. Issus autem vrbs est Ciliciæ maritima.

IN EPISTOLAM VIII.

II. KAL. Octob.] Explicate quidam libri referunt, *pridie Kalendas*: at in Decurtato, Tornęsiano, & Crusellino διὰ σημείων exaratum est, II. KAL. quod perinde est. nos veterem notam expressimus. *L. Tarquitio*] Omnes nostri, *L. Tarquitio*, quo modo in suis fuisse tradit Malaspina.

IN EPISTOLAM IX.

Ille ne attingat] Et sententia ipsa flagitat vt legatur, *ille ne attingat*, & ita manifestissime scriptum est in Scidis.

IN LIBRVM VII.

IN EPISTOLAM I.

Conferiam] Omnes mei ad vnum, *conferam*. Itaq; probo emendationem Lambini, *confer tam*. πατρίδος] Post hunc versum,

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες,

in meis omnibus nullum aliud Græcum verbum subijcitur, præter vocem πατρίδος. Victorius in postrema editione sua suppleuit ex Homero quæ deesse videbantur, in hunc modum, ὡς ἐδὲν γλύκιον ἦς πατρίδος. sed ego non temere ausim mutare veterem lectionem. puto enim Ciceronem secundũ hunc versum ita legisse, πατρίδος ὡς ἐδὲν γλύκιον ἦς: ideo primam dumtaxat vocem ad eum notandum apposuisse. solet enim primis verbis integros versus designare, vt libro primo, *sed nescio an* ταυτόματον ἡμῶν. versus enim integer sic habet,

ταυτόματον ἡμῶν κάλλιον βελεύεται.

Nec cum Cæsare] Non soleo nouam lectionem affingere repugnantibus libris antiquis. itaque nec hoc loco sequutus essem coniecturam Malæspinæ, quamquam valde probabilem, nisi eam confirmari vidissem auctoritate antiquioris nostri. Proinde hunc locum ita lego, *nec cum Cæsare sentienti pugnandum esse cum Pompeio*. *Ex Epiro an Athenis*] Scripsi, *ex Epiro an Athenis datis*, ex Decurtato, & Cruselino. quod loquendi genus frequens est Ciceroni. sic enim epistola tertia libri primi, *nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus, ex quodam rumore an ex litteris tuis?* & epistola sexta libri vndecimi, *Is dicitur Quinctum vidisse ad eum tem, an iam in Asia?*

IN EPISTOLAM II.

Quod si ita est] Prorsus hic aliquid deerat. Quidam extrinsecus assumendum putant verbum, *gaudeo*, aut, *gratulor tibi*. Ego verbum, *est*, iteraui. suspicatus enim sum alterum negligentia librariorum omissum fuisse. si, inquit, ita est vt quartana a te discesserit, ita euenit, vt maxime opto. *Quam tu velles*] Decurtatus, vt codices Malæspinæ, *quam tu velles se a me diligi*: & ita legendum. *De Tortorij uncis*] Librarij in

brarij in hoc Curiano Tortorio, tam quam fæui quidam librorum carnifices, crucem fixisse studiosis omnibus videntur. ita enim hunc locum deprauarunt, vt ne Cicero quidem eum pro suo agnoscat, mirificeque in disquirenda eius sententia lectorum animi exerceantur. sane initio constituerам hoc vlcus intactum relinquere, & fortasse præstitisset. sed cum ex priscis codicibus remediū ei adferre tentassem, res ita successit, vt neque studij, neque operæ me postea pœnituerit. Verum iudicabunt lectores ex perturbatis antiquæ lectionis vestigijs frustrane manus ei admouerim. sic autem erat in Tornæsiano, *Eius testamentum detortorium Ciceronum signis obsignatum, cohortisque Prætoriæ: fecit palam te ex libertū extaruacus*: In Crusellino sic, *Eius est testamentum de tortorium Ciceronum signis obsignatum, cohortisq; Prætoriæ. fecit palam te exlibertus, me extruatus*: In Decurtato vero hoc modo, *Eius est testamentū de tortori ℽncis ceronum signis obsignatum, cohortisque Prætoriæ fecit palam te exlibertus, me exatruatus*. Hinc maculas commode deleri posse existimaui, si pro *tortori*, scriberetur *tortorij*: pro *ceronum*, *geronum*: pro *exlibertus*, *exlibratus*, & pro *exatruatus*, *exartuatus*; si denique totus hic locus ita conciperetur, *Eius est testamentum de tortorij ℽncis, geronum signis obsignatum, cohortisq; Prætoriæ. fecit palam te exlibratus, me exartuatus*. Iudicat Cicero Curium festiuum testamentum fecisse de vncis eius loci vbi noxij homines, & portissimum serui, torquebantur, & capitē pœnas dabant; quem locum ea de causa tortorium appellabat, ludebatque in ambiguo significatu vocabuli *ℽncis*, quasi id non modo de vncis intelligeretur, quibus damnatorum corpora trahebantur, sed etiam de vncijs, in quas as diuidi solebat; perinde ac si eo testamento definitum esset, quo genere tormentorum quemque noxiorum illorum plecti oporteret, ita vt rata pars tormentorum singulis tribueretur. Vncis trahi capitis damnatos consueuisse notius est quam vt egeat probatione. illud quoq; triuiale, tribuisse veteres assem testamentarium in duodecim vncias, quibus, pro earum numero, vsq; ad ipsum assem, indita erant propria nomina. Addit Cicero testamentum illud obsignatum fuisse signis geronum, & cohortis Prætoriæ. quibus verbis indicat noxios illos, qui con-

debant testamentum hoc pœnale, ita cæsos fuisse a seruis publicis, & a lictoribus, vt extarent in eorum corporibus vibices, & plagæ, tanquam signa quædam impressa, quibus a testibus obsignari solent testamenta. Gerones ait Fulgentius in libro de prisco sermone a veteribus alio nomine Brutianos nuncupatos. Brutianos vero Festus interpretatur administros, qui officia seruilia magistratibus præstabant, quorum generis erant etiam lictores, quos hic significauit nomine cohortis Prætoriæ. Consules enim & Prætores lictoribus, tam quam cohorte quadam Prętoria, stipabantur. exercebant autem lictores carnificinam in damnatos. Liuius libro primo, *I lictor, colliga manus. acceſſerat lictor, injiciebatq; laqueum.* Ceterum in eodem illo testamento duo quidam supplicio addicti facete fingebantur heredes palam facere, vnus Ciceronem, & alter Atticum: & quidem Atticum exlibratus, id est, is qui ita virgis & fustibus cæsus fuerat, vt tota eius Catis conscissa esset; Ciceronem vero exartuatus, hoc est, is cui securi amputata fuerant membra. itaque pellem sibi detractam testamento relinquebat exlibratus; artus dissectos, exartuatus. palam autem heredes nuncupabant, ac si testamentū illud fieret in procinctu. publice enim pœnas dabant. ideo multos habebant sui supplicij testes. Atque hæc quidem erat Curiani testamenti vrbanitas. Verum ne quis nouitate horum vocabulorum, *exlibratum, & exartuatus*, offendatur, lectorem monitum velim ea apud Nonnium etiam inueniri, nō quidem iuncta ex præpositione *ex*, sed, quod perinde est, ἐκτῆ *de*. sic enim Nonnius, *Delibratum*, inquit, *decorticatum*, *vt de artuatum per artu discissum*. sed & verbum deartuare vsurpauit Plautus in Captiuis, & delibrare Columella. *Fecit*] Heredem. id enim extrinsecus assumendum. *Palam*] Vlpianus libro secundo ad Sabinum *palam* interpretatur, ita vt heredum nuncupatio a testibus exaudiri possit. sed Curius iocose scripserat *palam*, cum indicaret noxios illos publice pœnas dedisse. *In Actio*] Videtur fuisse Corcyræ locus, ita dictus, ἀπὸ τῆς ἀκτῆς, id est, a littore. non enim hic intelligit Actium vrbem Acarnaniæ, quæ postea ab Octauio appellata est Nicopolis, quo se venisse refert epistola 9. lib. 5. *Bene eueniat*] In omnibus nostris est, *bene eueniat*, nec vlla causa fuit vt eam

scripturam

ſcripturam reij cerem. ſunt enim ſolemnia verba, quæ Græci, boni ominis cauſſa, præfari ſolebant, quoties aliquid magni ponderis & momenti aggrediebantur. inde Laertius Ariſtotelem & Theophraſtum ſcribit ita ſua teſtamenta exorſos eſſe, ἔςαι μὲν εὖ. ſic Latini dicebant, *bonum factum*, &, *quod fœlix, fauſtum, fortunatumque ſit*. Quia vero Carneades etiam rem turpem acturus, hoc eſt Veneri operam daturus, hoc modo præfabatur, idcirco ſcribit Cicero eum ſpurce loquutum fuiſſe, prudentius tamen quam Epicureos. ſignificaſſe enim eo dicto ſe procreandæ ſobolis cauſſa conſueuiſſe cum mulieribus rem habere, quippe qui optaret vt complexus proſpere ſuccederent, quo inde liberi naſcerentur: contra Epicureos prædicare ſolitos, ſe, ne malum haberent, hoc eſt, ſua cauſſa, non alterius cuiuſquam, nempe liberorum quærendorum, cum mulieribus caput limare. Puto Carneadem hæc verba, εὖ μὲν ἔςαι, hoc eſt, *bene euentat*, non modo in re venerea, ſed in omnibus rebus agendis vſurpaſſe, quod mortis metu, vt refert Laertius, cum valde perturbaretur, nihil in rerum natura periculo carere exiſtimaret, idcirco vbique infœlices euentus fauſta hac ominatione auerruncare conſueuiſſe. *Non intelligant*] In meis omnibus eſt, *intelligant*, cum interrogatione. *Commodo expectabam*] Scripſi *commodo*, ex Scidis. ita vero ſæpiſſime veteres loquebantur pro commode, aut commodum, vt tradit Chariſius. Plautus Milite glorioſo, *Ecce autem commodo aperitur foris*. *Qui eadem liber*] Solebant domini, qui ſeruos manu mittebant, quaſdam eorum operas ſibi recipere, ad quas præſtandas eos iureiurando adigebant. Vlpianus libro vigeſimo octauo ad Sabinum: *Vt iuriſiurandi obligatio contrahatur, liberum eſſe oportet qui iuret, & libertatis cauſſa iurare:* & paullo poſt, *Iurare autem debet poſt manumiſſionem, vt obligetur; & ſiue ſtatim, ſiue poſt tempus iurauerit, obligatur. iurare autem debet operas, domum, munus ſe præſtaturum; operas qualeſcunque, quæ modo probe iure licito imponuntur:* & Paulus libro ſeptimo ad Plautium, *Seruum teſtamento ita manu miſi; Si iurauerit ſe Cornelio filio meo decem operarum daturum, liber eſto: quæritur quid iuris ſit, & ſciendum eſt iurando ſeruum conditionem implere, ſed non te-*

xeri operarum nomine: quia, nisi post manumissionem iuret, non obligatur. Drusus ergo Prætor dicebat se eos non manumisisse, qui libertate donati non iurarent se easdem operas præstituros patronis, quas ijsdem adhuc serui præstare consueuissent. *Recte vindicarentur*] Puta liberali caussa. tunc enim serui etiam inuitis dominis in libertatem asseruntur, nec iurare coguntur se operas illis præstituros.

IN EPISTOLAM III.

Sæpe opportune dici videtur] Aduerbium *sæpe*, quod aberat a vulgatis, restitui ex Tornæsiano, Decurtato, & Crusellino. prouerbiũ hoc, *quid si hoc melius?* opportune, inquit, dici videtur cum alias sæpe, tum in hoc meo negotio. Malaspina particulam *vt*, quam omnes nostri summo consensu retinent, non satis apposite in copulam *&*, mutauit. *Ni vno ciui*] Omnes mei, *in vno ciui*. scripsimus *ni*, pro *in*, litteris transpositis, ita postulante sententia. nam, *ni vno ciui*, significat nisi per vnum ciuem, nisi vnius ciuis opera. *res* autem hic negotium & difficultatem notat, vt Græcis πρᾶγμα. Idem Cicero libro 11. harum epistolarum, *Te expecto, quem videre, si vllo modo potes, est enim res, peruellem.* Porro cum hic scribitur *vno ciui*, Pompeius indicatur, qui solus resistere poterat Cæsari. *Hic omnia facere omnis*] Sumendum ἀπὸ κοινοῦ e superioribus verbum *video*. *Iis se solis*] Antea docuimus sæpe in his epistolis, *non*, pro *nunc*, vitio librariorum legi, vt accidit hoc loco, vbi negandi particula ferri non potest. *Mihi ab illo hoc tempore*] In nullo formis excuso reperias has duas voces *hoc tempore*, quas ex Tornæsiano & Crusellino descriptas in hoc nostrum exemplar retuli. *De serperastris*] Serperastra proprie sunt adminicula, quæ cruribus puerorum primum ambulantium alligantur, ne ij vari, aut compernes fiant, dicta a sirpando, hoc est, ligando: vnde sirpiculę apud Varronem de lingua Latina. ideo fortasse scribendum sirpirastra. Hoc autem nomine Cicero hic notat præfectos cohortis suæ, hoc est, Legatos, Quæstores, Tribunos, & alios quos secum duxerat, quorumque opera in coercendo exercitu, & regenda prouincia vtebatur, quod illi eorum, quibus præerant, vitia corrigere deberent, vt serperastra crurũ distortiones. eos tamen Atticus audierat pelsime se

simeseg rere, & ad omne nequitiæ genus dilabi; ideo scripserat Ciceroni, vt ei malo mederetur. respondet ergo Cicero eos antea dilapsos tunc se se collegisse. *Gener est suauis mihi*] Sic interpungendum, *gener est suauis mihi, Tullia, Terentia*; vt deinde sequatur, *quantumuis vel ingenij, vel humanitatis*, hoc sensu, in eo est quantūuis vel ingenij, vel humanitatis. nam vox *satis*, separatum sumenda est. significat enim abunde est. *Cetera quæ nosti*] Facultates intelligit, quæ tunc mediocres erant in Dolabella. nam is ita postea res suas profligauit, vt tandem de nouis tabulis inducendis cogitarit, quarū beneficio sperabat ære alieno se liberatum iri. *Rem me facere rerentur*] Edidi, vt erat in Scidis, *qui omnes, præter eum de quo per te egimus, rem me facere rerentur. ipsis enim expensum nemo ferret.* Sensus est: tu scis quos aperierimus, id est, quales esse quosdam deprehenderimus, detecta eorum inopia; qui omnes tamen, vno tantūm excepto, existimarent me rei meæ optime tunc consultum voluisse, quod cogitarem de Tullia ipsis nuptui danda. ita enim se diuites esse prædicabant, vt nemo sibi expensum ferret, id est, tabulas proferre posset expensæ, & creditæ sibi pecuniæ. negabant enim se vlli quicquam debere. Verum hæc verba, *ipsis enim nemo expensum ferret*, in contrarium sensum Cicero ioculariter detorsit, cū indicare vellet omnes ita de ijs male existimasse, vt nemo eis quicquam credere, & expensum ferre voluerit. quiuis enim norat eos non esse soluendo.

IN EPISTOLAM V.

Pontinam summam] Emendaui, *Pontinam summam*, vt erat in Decurtato. intelligit enim summam paludem Pontinam, hoc est, summam partem Pontinæ paludis, quæ non procul abest a Terracina.

IN EPISTOLAM VII.

Illud puta tu non adscribis] Vulgati libri, *illud puto*, quod prorsus adulterinū est, & supposititicium; cuius loco in Tornæsiano & Crusellino legitur, *putato*. Sane nisi hac parte laceræ forent Scidæ, certam & indubitatam lectionem haberemus. nam eum codicem raro fallacem deprehendi. Ego pro *putato*, legendum existimaui *puta tu*, vt τὸ *puta*, accipiatur ἐπιῤῥηματικῶς, pro *scilicet*; cuius significatus in prom-

ptu sunt exempla. illud scilicet, *& tibi gratias egit*, tu non adscribis. *Ne molestus sim familiæ*] Editio Victoriana neque particulam *ne*, neque verbum *sim*, habet, quod vtrumque tamẽ legitur in Tornæsiano & Crusellino. *Quid sensurus sim*] Vulgatam lectionẽ non mutaui: quãquam in Tornæsiano pro *sensurus*, erat *facturus*. paullo ante etiam idem codex habebat *mittit*, pro *mittat*. *Illud vna datũ est*] Cum Cæsari concessũ est vt suo tempore absens petere posset Cõsulatum, illud vna datũ est, vt in ea petitione eius etiam exercitum retinentis ratio haberetur. ei enim tributum fuerat decem annorum imperium in Gallias: quod tempus cum nondũ expirasset, & interea cessisset tempus petendi Consulatus, absens, & cum imperio iure eum petere poterat.

IN EPISTOLAM VIII.

Rectum ne sit] Heres quandoque testamento iubebatur ferre nomen testatoris: cuius rei exemplum extat apud hunc auctorem libro 3. *Officiorum*, de M. Satrio. Huiusmodi heredis institutio dicebatur adoptio in nomen & familiam. Suetonius in Iulio Cæsare: *Sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera: C. Octauium etiam in familiam, nomenque adoptauit.* Iam mulieres, dum quidem viuebant, neminem adoptare veteri iure Romano poterant. verum non prohibebantur quos vellent testamento in nomen, familiamque adoptare, vt perspicitur ex hoc loco. ea enim adoptio in tempus mortis incidebat; quo fiebat vt illæ numquam haberent in potestate quos adoptabant testamento. De conditione nominis ferendi in hæc verba disserit Caius iurisconsultus libro secundo fideicommissorum: *Si vero nominis ferendi conditio est, quam Prætor exigit, recte quidem facturus videtur si eam expleuerit. nihil enim mali est honesti hominis nomen assumere. nec enim in famosis & turpibus nominibus hanc conditionem exigit Prætor.* In eandem sententiam scripsit Mæcianus libro 4. fideicommissorum, rationem habendam esse eius dignitatis, qui heres institutus iubebatur nomen ferre turpis personæ, puta vespillonis. Hac itaque de caussa scribit hic Cicero σκῆμμα πολιτικὸν esse, debeatne

vir nobi-

vir nobilis, mulieris testamento, mutare nomen. turpe enim videtur mulierem habere sui nominis auctorem; cum nomen gentem & familiam indicet; & vulgo natorum sit genus ad mulieres referre, hoc est, ad matres. *Quantum quasi sit*] Nam si parum quæstuosus sit ille trientis triens, auctor non ero Dolabellæ vt nomen mutet, imo quo minus id faciat ipsum dehortabor. sin opimus & fructuosus erit, conabor illi persuadere assumendum esse nomen testatricis. Pendebat ergo tractatio philosophica huius quæstionis ex trientis æstimatione. *Ad L. Auernum*] Quid Lauernium sit, quod in vulgatis codicibus legitur, ingenue fateor me nescire. Scidæ habent *Lauernum*: cuius vocis si primam litteram, tanquam notam, a reliquis seiungas, germanam lectionem huic auctori restitues. nam hac nota L. Cicero lacum significauit, vt ex sequenti vocabulo facile cognoscitur. nemini enim paullo humaniori ignotum esse puto lacum Auernum, qui non longe abest a Formijs. *ἰυγξ relinquenda verbi*] Græcum hoc vocabulum valde deformatum erat in libris antiquis. nam alij habebant *ni*, alij *in*, Decurtatus INX; vnde conieci legendum *ἰυγξ*, quæ vox pellaciã & illecebras significat. Pindarus Ode 4. Nemeorũ, ἰυγξι ἑλκομαι ἥτορ: pellacia, inquit, mihi animus ducitur.

IN EPISTOLAM IX.

Sed istud ipsum] Ludit in ancipiti significatu horum verborum, *at sic malo*: quasi vox *malo*, non modo a verbo *malo, mauis*, sed etiam a nomine *malum*, ducta videretur. sed istud ipsum, inquit, quod modo scripsi, nempe *malo*, aliquis malum existimet, hoc est, a nomine *malum* deduci censeat, non a verbo *malo*, & ita putet in ea voce o magnum, id est, longum esse. nam o producitur cum a *malum* fit *malo*, in tertio, aut sexto casu. Græcorum more o productum vocat o magnum, apud quos o longum appellatur ὦ μέγα. Iocatur vero quasi illa verba, *At sic malo, inquies, quam cũ exercitu*, hoc sensu accipi potuerint: at sic, nempe si Cæsar Consul factus fuerit, malo, id est, propter malum & detrimentum quod allaturus est Reipublicæ, inquies eum magis timendum esse, quam si exercitum habeat. iam *putet*, pro *putat*, ex Decurtato correxi. *Sic o magnum*] ἀπὸ κοινοῦ sumi debet verbum *putet*, hoc sensu, sic putet o in voce *malo*, magnum esse.

IN EPISTOLAM X.

Et ſtupens] Emendaui, *ſtupens:* cuius meæ caſtigationis approbatores habeo Decurtatum, Tornęſianum, & Cruſellinum.

IN EPISTOLAM XI.

Niſi vbi honeſtas? niſi.] In poſtremo *niſi*, eſt ἀποσιώπησις. explicare dixiſſet, vbi eſt dignitas niſi vbi honeſtas? niſi forte in ſceleratis, & perditis hominibus, qualis eſt Cæſar. ij enim honeſtatem cum dignitate nullo modo coniungunt.

IN EPISTOLAM XII.

Datam XII. KAL.] Expunxi vocē IVN. a ſciolo quodam huc inuectam, cum eam abeſſe, & recte quidem, a Decurtato animaduertiſſem. Non appoſuit autem nomen menſis, vt neq; poſtea cum ſcribit, *Formijs* X. KAL. *Vidi Libonem*, quod Atticus ſatis ſciret quo de menſe loqueretur, nempe de Februario, vt recte notauit Malaſpina

IN EPISTOLAM XIII.

Is autem valet exercitu] In noſtris erat, *valet exercitu, tenet multos ſpe & promiſſis*, quo modo edidi. *Exurgere poterimus*] Nos erigere, cum nunc iaceamus. *Res teſtis*] Non modo in Tornæſiano, quod etiam teſtatus eſt Lambinus, ſed & in Scidis, & Cruſellino legitur, *res teſtis*; plane recte. Iidem etiam libri in hac ipſa epiſtola ſic poſtea ſcriptum habent, *quippe cum de me ipſo ac de meis te conſiderare velim*; quo loco vitioſe vulgo legitur, *quippe cum de ipſo ac de me iſta conſiderare velim. Succones dicis*] Exaratum reperi in Tornæſiano & Cruſellino, *ſaccones dicis*: in Decurtato, *ſuccones dicis*, quod rectū puto. nam vocabulum *ſuccones* fictum eſt a Cicerone, vt Latine exprimeret illud Graecorum *Oppios*, quod Atticus ἀπὸ τοῦ ὀπὸς, id eſt, a ſucco formarat, geminato p de induſtria, vt id magis Latinum videretur, & Græcas aures melius falleret. nam Oppiorum erat familia Romæ, & Oppius collis, cuius meminit Varro de lingua Latina. Oppiorum autem & ſucconum appellatione arbitror coactores. & argentarios ſignificari. ναῦς ὀπὸς, id eſt ſuccus, proprie dicitur lacteus humor e fici ramo expreſſus, quo vtebantur coaguli vice ad conficiendos caſeos, vt ait

Varro

Varro lib. 3. de re rustica. inde ὀπίαν τυρὸν Euripides in Cyclope caseum appellauit succo ficulno coactum. Itaq; vt succus ille fici lac in caseũ cogebat, sic coactores, id est, argentariorum ministri, aut ipsi argentarij pecuniam debitam hinc inde cogere, & in vnam summam congerere conferreque solebant. qua de causa eos eleganter, obscure tamen, Atticus nominarat Oppios: quod nomen Cicero interpretatus est succones. Ii autem erant Attici contubernales, vt apparet ex epistola 7. lib. 8. hoc est, habitabant in ædibus quibusdam Attici, quæ erant in Velia; vnde hic Oppij de Velia, & alibi Oppij Velienses appellantur. Eorum autem opera, quantum coniectura duci possum, Atticus fœnus exercebat. Ceterum Velia regio erat vrbis Romæ Palatino monti coniuncta. *AEstuaui diu*] Omnibus litteris scriptum est *æstuaui* in Decurtato: quo modo legendum iam dudum docuerunt Turnebus & Lambinus.

IN EPISTOLAM XIIII.

Cum fluenter] Recte Lambinus ex deprauata Tornæsiani scriptura reposuit *fluenter*, & ita excudendum curaui. In Decurtato litteræ huius vocis oculos, præ vetustate, fugiebant. *Spero esse in præsentia*] Veteres nostri ita summo consensu referunt, *spero esse in præsentia*. sensus est, spero esse in præsentia quod pacem habeamus. Ioo *fuerunt*] Sic Decurtatus & Crusellinus: at Tornæsianus, CIO *fuerunt*. *In genero nostro*] ἀπὸ κοινοῦ offendimus.

IN EPISTOLAM XV.

Haud auditus] Iam olim putaram particulam *haud* hic omissam fuisse negligentia librariorum, ob similitudinem primæ syllabæ vocabuli proxime sequentis *auditus*: quam coniecturam postea confirmauit auctoritas Decurtati, in quo perspicue sic exaratum est, *haud auditus in consilio*. *Fussanoque*] Legendum *Fussano*, ex antiquis libris.

IN EPISTOLAM XVI.

Consulum ac Pompeij] Recte Malaspina coniecit legendum, *Consulum ac Pompeij*, vt apparet ex hac compendiaria scriptura Decurtati, *& responsis* COSS. *ac Pomp.*

IN EPISTOLAM XVII.

Tuæ litteræ] Hinc fecimus initium epistolæ. nam quæ proxime antecedit, data est III. Kal. hæc vero IIII. No-

nas. sed & ante hæc verba apposita est in Decurtato ea nota, qua plærumque in eo libro distingui solent epistolæ.

IN EPISTOLAM XVIII.

Turpi pace] Consentiunt Decurtatus, & Crusellinus cum Tornæsiano & ijs quibus vsus est Malaspina, in huius scripturæ repræsentatione, *turpi pace nobis, an misero bello.* idem etiam hæc sic referunt, *vinciri præsidijs*; & mox, *vt illo otio compensandam. Rogatus esset scio*] Verbum *scio*, non est in editione Victoriana: extat tamen in antiquis nostris; & sane hinc abesse non potest absque sententiæ incommodo.

IN EPISTOLAM XX.

Quorum ergo] Legendum est *ergo*, vt ex Decurtato reposui, non *ego*, est enim *quorum ergo*, quorum gratia.

IN EPISTOLAM XXI.

Ad Nonas Feb.] Non mutandam puto vulgatam lectionem, præsertim cum manu scriptorum codicum auctoritate nitatur. Dixit autem se venisse Capuam ad Nonas Februarias, vt scilicet adesset Capuæ ipsis Nonis. itaque epistola 20. huius libri scribit se pridie Nonas venisse. Opinionem hanc nostram confirmant hæc verba eiusdem epistolæ, *Iam enim aderunt Consules ad suas Nonas.* eo fit vt nihil etiam mutandum putem in his verbis epistolæ 16. *Nos a Consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Februarias.*

IN EPISTOLAM XXII.

Nullo modo. quid?] Edidi lectionem Decurtati, & Tornæsiani, qui sic hæc referebant, *num etiam honeste? nullo modo. quid? a te petam consilium, vt soleo? explicari res non potest.*

IN EPISTOLAM XXIIII.

Cassio litteræ] Non tantum in Tornæsiano, sed in omnibus etiam alijs, quos habui, scriptum est *Cassio:* quo modo proculdubio legi debet. indicat enim litteras ad Cassium allatas fuisse. *Militum* III. *milia*] Victorius pro III. *milia*, edidit *vim*, deceptus antiquis his notis, III. *milia* itaq; in re plana & manifesta nullus est amplius dubitandi locus.

IN EPISTOLAM XXV.

O rem miseram] Nostri omnes, *o rem miseram:* in vulgatis deest *o*.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XXVI.

Quoties exorior?] Legendum cũ interrogatione. Indicabat enim Atticus se multoties exoriri, id est, e mœstitia, qua pæne conciderat, recreari, quod sæpe boni nuncij de rebus Pompeij, deq; Republica ad se perferrentur. PRO SVIS R. GESTIS] Scripsi, vt exaratum erat in Scidis, PRO SVIS R. GESTIS, id est, pro suis rebus. nam nota R. in vulgatis euanuit.

IN LIBRVM VIII.

IN EPISTOLAM I.

Nec tamen tam] Quidam veteres, *nec tamen lata:* alij, *nec tam lata:* rectissime Decurtatus, *nec tamen tam lata. Pro derelicto*] Codices Tornæsianus & Crusellinus *pro relicto:* illud alterum vsitatius, &, vt puto, verius. *Nec me M. Lepidi*] His respondit Atticus VIII. Kal. Martias, vt intelligitur ex verbis ipsius Attici, quæ referuntur epistola 10. libri 9.

IN EPISTOLAM II.

Quo modo eapse] Locus deprauatus tam in manuscriptis quam in excusis. Tornæsianus sic habet, *quomodo esse:* Crusellinus, *quomodo e se:* Decurtatus, *quomodo a se:* lego, *quomodo eapse*, id est, ea ipsa. *Non in ipsa vrbe*] Deerat in Victoriano vox *vrbe*, quam ex manu scriptis reposui. *Illud; des, id feras*] Hic locus valde animum meum exercuit, antequam in codicem Decurtatum incidissem. putabam enim quædam Græca verba hic desiderari, de quibus supplendis quo plus cogitabam, eo iudicio eram incertiori. Sed totam eam cogitationem postea abieci, vbi ita scriptum deprehendi in optimo illo libro: *hic tu in me illud, des, id feras.* His verbis Cicero, tanquam ex Attici persona, sibi ipsi obijcit elegans prouerbium, quo monebatur, vt honorificentius, quam modo fecerat, loqueretur de Labieno, in quo dixerat parum esse dignitatis; siquidem ipse vellet alios de se cũ laude loqui. Sensus est, hoc loco tu mihi obijcies prouerbium illud, si aliquid dederis, id quod dederis accipies. itaque quia dixi parum esse dignitatis in Labieno, futurũ est vt Labienus ipse, & alij mihi par pari referant, dicantq; dignitatem in me

quoque desiderari. Verum sit necne aliquid in me dignitatis, alijs iudicandum relinquo. nihil enim de me dico. Meminit huius prouerbij, aut certe alterius huic similis Donatus ad eũ locum Phormionis, *quod ab ipso allatum est, id sibi relatum putet: prouerbium*, inquit, *est, quod dedit recepit*. huc spectat illud Homericum Iliadis 5.

ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσῃς.

Porro, *feras*, hic significat accipias, vt apud Catullum,

Quod nec das, & fers sæpe, facis facinus.

Id feras] Quod dederis. *Hic quidem quæ est*] Nonnulli codices, *hic quidem quod est*, vt Victorianus. at Scidæ & Crusellinus, *hic quidẽ quæ est?* quod rectius puto. nam vox *quæ*, ad illam superiorem *dignitatis*, refertur; quasi Cicero diceret, hic quidem nulla prorsus est dignitas. *Domi vestræ*] Vos omnes boni domi vestræ estis Romæ, nec inde discedetis. id ait quia Romæ adhuc erant quibus dissidium partium displicebat, quos bonos hic appellat. *Qui istim*] Lego ex Scidis, *qui istim*, non, vt est in editionibus, *quis tum*. *istim* autem, id est, Roma: quasi dicat, omnes bonos Romæ esse video. *Adest hoc bello*] Ait neminem bonorum adfuisse eo bello. nam quamuis boni fauerent partibus Pompeij, cupiebant tamen rem inter ipsum & Cæsarem sine armis posse transigi, certamenque fugiebant: ideo Romæ remanserant, vbi adhuc omnia erant pacata. *Pompeij litteris*] Pompeius litteris suis intexuerat exemplum litterarum Vibullij, vt intelligimus ex epistola prima huius libri. suis autem litteris Vibullius declararat quã præclare de Pompeio sentiret. id ergo ex litteris Pompeij cognosci poterat, quibus continebantur Vibullianæ. *Vno in eo*] Deprauatam lectionem codicum vulgatorum sic ex fide Decurtati correxi, *vno in eo iudico spem de salute Reipublicæ*. Hæc verba Cicero descripsit ex Attici epistola. is enim scripserat, in vno Pompeio spẽ de salute Reipublicæ ponendam esse, quod Cicero ita interpretabatur, vt necesse esset, quocunq; Pompeius iret, eum sequi, & si ex Italia discederet, inde quoque migrare. Verum Atticus non ita senserat, vt ipse declarat epistola 10. libri 9. *Ego vero*, inquit, *nulla epistola significaui, si Cnæus Italia cederet, vt tu vna cederes*. *Sed cur*] ἀποσιώπησις. sed cur ita existimem, nunc taceo, & tibi iudicandum relinquo.

IN EPI-

IN EPISTOLAM III.

Sed sic ne causſam] Emendaui ex Decurtato, *ſed ſic ne cauſſam*, cum vitioſe antea legeretur, *ſed ſine cauſſa*. Sumi autem debet ἀπὸ κοινοῦ ex ijs quæ proxime antecedunt, verbum *defugerem*. *Sic* autem, puta, ſi munus illud non obirem. *Aut quo modo*] Decurtatus & Cruſellinus, *aut quo modo*, vt libri Malaſpinæ. *Eſt illa etiam Thraſybuli*] Acutiſſime vidit Malaſpina ita legendum eſſe, *eſt illa etiam Thraſybuli*: idque ita perſpicuis & certis rationibus probauit, vt ne ipſum quidem Ciceronem, ſi reuiuiſcat, ei refragaturum exiſtimem. *In Caieta eſt*] Caieta hic nomen eſt villæ Ciceronis in agro Caietano ſitæ. idcirco dixit *In Caieta*, non *Caietæ*. ſic epiſtola 7. lib. 14. *Poſtridie Idus Paullum in Caieta vidi*; & libro primo, *Ea ſunt ad Caietam expoſita*.

IN EPISTOLAM V.

Cũ ante lucem] Hæc multo caſtigatius leguntur in Scidis, Tornæſiano, & Decurtato, quam in vulgatis. ſic enim ea referunt illi veteres libri, *cum ante lucem* VIII. KAL. *literas ad te de Dionyſio dediſſem*. atq; ita edidi. *Etſi ſolet eũ*] Hæc pendent ex ſuperioribus illis, *venit auctoritate tua motus*. ſignificat enim Dionyſium non ſemper aliorum auctoritate moueri conſueuiſſe, ad veniam deprecandam, ſed ipſum per ſe, nemineque hortante quándoque pœnitentia ductum fuiſſe: in eo vero negotio certiſſimum fuiſſe, id eſt, prorſus ἀμεταμέλητον. Itaque falluntur qui pro *numquam autem*, hic ſubſtituunt, repugnantibus libris antiquis, *nunquã tamen*. *Certior*] Putaui aliquando hic ſcribi oportere, *territor*. ſed eam lectionem contra veterum librorum auctoritatem tueri nolo. certus hic eſt quem Horatius vocat propoſiti tenacem, hoc eſt, quẽ ſui conſilij nullo modo pœnitet. Sic certior pro conſtantiore accipitur epiſtola 11. libri 10. ad hunc ipſum, *Et quo ille me certiorẽ ſcit eſſe, eo magis timeo ne in eum exiſtam crudelior*. *ῥίψαι*] Cum legiſſem in codice Tornæſiano, *ipſe*, ſtatim conieci Ciceronem ſcripſiſſe *ῥῖψαι*, cuius meæ coniecturæ Lambinum tum admonui. ſed is eam ſibi adſcripſit. Poſtea vero omnibus litteris exaratum reperi in Decurtato *ῥίψαι*. ΠΟΛΛΑ *μάτην*]

Integrum versum ita referunt Scidæ, & Tornæsianus;

πολλὰ μάτλω κεράεσσιν ἐς ἦέρα θυμήναντα.

Incertum est cuius sit auctoris. Videtur autem, quisquis ille fuit, furentem bouem describere voluisse, qui fœnum, paleas, festucas, atque adeo arenam ipsam cornibus spargeret, sursumque iactaret. Ei Cicero Dionysium assimilat, qui statim vt ab ipso discesserat, multa in eum iecerat maledicta, frustra tamen, quia ea Ciceronis aures non attigerant. θυμήναντα non ad ἦέρα, sed ad Dionysium furentem refertur. Similis versus legitur apud Catullum in ecloga de nuptijs Pelei & Thetidis:

Sic domito sæuum prosternit corpore Theseus
Nequicquam vanis iactantem cornua ventis.

Eum dixisse] Lego ex Scidis, *eũ dixisse, suo capiti, vt aiunt*, repetendum enim ἀπὸ κοινῦ verbum *audiui*. *Sed o meam*] Mei omnes probatiores, hoc est, Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus, *sed o meam*, quam scripturam expressi. DES M' CVRIO] Inscriptio huius fasciculi litterarum erat huiusmodi, DES M' CVRIO, quo modo legitur in Decurtato. nam in Tornæsiano & Crusellino vitiose exaratum est, DI MARCO CVRIO.

IN EPISTOLAM VI.

A. D. XIII. KAL.] Dubitat Manutius hic ne scribendum sit XIII. KAL. an in epistola ad Cn. Pompeiũ hoc ipso libro, VIII. KAL. Sed Decurtatus omnem dubitationem tollit. vtroque enim loco habet A. D. XIII. KAL. & ita edi iussimus. *Nihil in vita*] Primum hic apponam scripturam Decurtati (nam aliorum librorum menda proferre nihil hic iuuaret) tum quid in ea castigarim explicabo. sic autem est in optimo illo codice, *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita. sed nec recentia hoc quod cum fortiter diligenter tum etiam hercule modo: modo enim audiui, &c.* Monstra hæc scripturæ ita procuranda existimaui. primum statui collocandum esse punctum post vocem *vita*, scribendumque *recenta*, pro *recentia*, proque *diligenter*, *Dij illigent te*, & pro *hercule modo*, *herculeo nodo*. nam quæ sequuntur, *modo enim audiui*, alterius sunt periodi. Ait se sperare nihil sibi & Attico, quamdiu victuri sint, obfuturum, quoniam vtrique nihil adhuc nocuisset. mox vetat Atticum id recino-

id recinere, id est, tæpe plangendo iterare, quod frequentissime antea querebatur, se scilicet fortiter, & hercule o nodo a Dijs illigari: qua expostulatione indicabat se grauiter afflictari febre quartana. eam enim Cicero audierat ab illo discessisse. ideo ipsum hortatur vt desinat huiusmodi querimoniam. Verum, vt singula verba expendamus, verbum *recenta*, significat recine, a verbo recento. quod iunctum est ex re & canto, vt occento in XII. Tabulis ex re & canto. aliunde enim deriuatur verbum *recento*, quod Nonnius interpretatur nouo, nempe a nomine *recens*. iam *fortiter*, est summo nisu atq; conatu. Plautus Bacchidibus, *Abducite hunc intro, atq; adstringite ad columnam fortiter*: Idem Mercatore, *Non abstulit modo, sed in amorem coniecit fortius*. Quam vero eleganter febris quartana nodus herculeus dicatur, sciunt omnes quibus ignota non est eius morbi pertinacia.

IN EPISTOLAM VII.

Sine a Moneta] Ad ædem Iunonis Monetæ Romæ numi cudebantur. inde numi ipsi monetæ nomẽ adepti sunt. Mandarat vero Cicero Philotimo, vt a Moneta, vbi numi percutiebantur, pecuniam sibi ad viaticum pararet, auro argento ve infecto cum ea permutato, aut vt numos ab ijs argentarijs fœnori acciperet, qui in ædibus Velienſibus Attici habitabãt Ænigma de Oppijs Velienſibꝰ supra explicauimus.

IN EPISTOLAM VIII.

πρὸς τοῦθ' ὅ, τι χρὴ] Quamuis sciam paullo aliter hunc locum legi in ea Comœdia Aristophanis, quæ inscribitur Ἀχαρνῆς, quam hic exaratus sit, tamen eo temeritatis progredi volui, vt contra veterum librorum fidem, reiecta ea lectione, quam ipsi referunt, Aristophaniam eius loco reponerem, quemadmodum fecit Lambinus, cuius audaciam in ea re satis mirari non possum. Quæ enim hic variant, de industria a Parodo quodam, ni fallor, mutata fuerunt. Cum enim sub persona Chori ἐν τῇ παραβάσει polliceretur Aristophanes se docturum multas præclaras res populum Athenienſem, quæ valde conferrent ad bene beateque viuendum, in ijsque referendis assereret se blanditijs & adulatio-

nibus auram popularem non captaturum, aut quicquam gesturum fraudulenter, versuteve, cumque ludibrio & contumelia cuiusquam, hæc inquam, quæ magno vsui fore videbantur Reipublicæ Athenienſi cum ſe præſtiturum reciperet, tandem in Cleonem populi beneuolentiam aſſentationibus aucupari ſolitum, virum infamia inſignem ob impudicum corporis obſequium, his verbis inuehitur,

πρὸς ταῦτα κλέων καὶ παλαμάσθω,
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ πεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἕξει.

Aduerſus hæc, quæ polliceor, Cleō machinas ſtruat, & quiduis in me moliatur. a me enim ſtat quod rectum & honeſtum eſt: quin etiam æquitas ſe mihi ſociam adiunget. Atque hæc quidem ſic ſcripſit Ariſtophanes. Verum alius quidam, cum hos de Cleone verſus alio detorqueret, prima verba πρὸς ταῦτα κλέων ita παρῳδικῶς mutauit, πρὸς ταῦθ' ἃ χρεών, id eſt, aduerſus hæc quæ oportent, aut ſingulari numero πρὸς τοῦθ' ὃ χρεών: deinde ex interpretatione pro ὃ χρεών, repoſitū eſt ὅ, τι χρή, vt etiam legitur apud Suidā. Quare nihil hic mutandum puto, niſi pro ταῦθ' ὅ, τι χρή, τοῦθ' ὅ, τι χρή. *Quo minus ad te plura*] Veteres mei, *quo minus ad te plura*. Victorius omiſit vocem *minus*.

IN EPISTOLAM IX.

Vos duo Cales] Pro *tales*, caſtigaui *Cales*, ſequutus coniecturam doctiſſimi & acutiſſimi viri Iuſti Lipſij, qui libro 3. Variarum lectionum ita reponendum cenſet. Cales autem municipium eſt Italiæ, quo obuiam ire Cæſari decreuerant Atticus & Sex. Peduceus. *Sed lato vultu*] Vulgata lectionem retinui, quam etiam refert Decurtatus. At Tornæſianus habet, *ſed toto vultu*. *Retractando*] vulgati, *retractando*; manuſcripti noſtri, *retrectando*. *Conuentus*] Niſi Senatores Romę in vnum conueniant. Conuentus hic cœtum ſignificat.

IN EPISTOLAM X.

Lamentari autem licet] Iure licet lamentari, cū in ſummo diſcrimine Reſpublica verſetur. *Illud tamen totos dies*] Totos

Totos dies tamen licet illud, nempe lamentari. satis temporis habeo ad lamentandum: ideo saltem oportebat mœrorem in scribendo deponere. Correctio est proximi dicti. Sic epistola prima libri 16. *sed stomachari totum diem licet.* *Et quati ſtriuſq; ſi*] Ex vestigijs veteris scripturæ sic hunc locum restitui, *conculcari, inquam, miseram Italiam ſidebis proxima æstate, & quati ſtriuſq; ſi, mancipijs ex omni genere collectis.* *Proscriptio*] Hæc epistola perijt in Decurtato, ideo nihil hic adiutus sum eo libro. Huraltinus lectionem refert Victoriani manuscripti, nempe *iptio.* Tornæsianus & Cruſellinus habent *emptio*, vt veteres excusi. nihil probabilius nunc duxi coniectura Victoriana. Itaque excudendum iussi *proscriptio.* Ceterum pro *igitur*, correxi *licituris*, hoc est, ijs qui liceri volent proscriptorum bona. nam liceor est licitor. *Vniuerſim interitus*] pro *ſniuerſum*, quod erat in veteribus membranis, reposui *ſniuerſim.* Eadem forma idem auctor alibi scripsit *arctim*, pro *arcte*: eam etiam veteres dicebant cautim, strictim, minutim.

IN EPIST. I. POMP. AD CICERONEM.

Cn. Magnus] In meis omnibus legitur, vt edidi, *Cn. Magnus.* ita etiam in suis fuisse refert Malaspina.

IN EPIST. I. CICERONIS AD POMPEIVM.

Nam L. Torquatum] Hic quoq; conuenit exemplaribus nostris cum ijs quibus vsus est Malaspina. habent enim, *nam L. Torquatum.*

IN EPIST. II. POMPEII AD CICER.

S, V, B. E.] Hæc epistola quatuor his notis inchoatur in codicibus nostris, S. V. B. E. quæ hoc declarant, *Si ſales, bene est.* idem quoque initium est epistolæ Balbi ad Ciceronem libro proxime sequenti, S. V. B. E. *Postea quam &c.* quo loco inepte in vulgatis legitur, *Sub posteaquam.*

IN EPIST. II. CICER. AD POMPEIVM.

Quambreuem] Scripsi *quambreuem*, vt erat in Tornæsiano, Cruſellino, & Decurtato. Sic Latini dicunt quam multos, & quam longe, & alia eius generis.

IN EPISTOLAM XII.

Cum imparatam] Codex Tornæsianus, *imperatam*, quo modo legendum cum Lambinus, tum alij viri docti existimant. Sed cum vulgatam lectionem, *imparatam*, retineat Decurtatus, eam suo loco mouere nolui. confirmatur enim his Ciceronis verbis ex epistola ad Pompeium: *Quod quidem tibi ostenderam, cum a me Capuam reijciebam: quod feci non vt andi oneris caussa, sed quod videbam teneri illam vrbem sine exercitu non posse. Ad te mitto*] Tornæsianus, *ad te misi:* reliqui vulgatam lectionem retinent. itaque eam non mutaui.

IN EPIST. POMPEII AD COSS.

Quas Brundisium] Lego, vt est in priscis nostris, *quam Brundisium præsidium misi:* atque ita edi iusseram; sed operæ iussis non parüerunt. *Dellio mandaram*] Emendaram *D. Lælio*, ex epistola Ciceronis ad Pompeium: sed operæ, me inuito, vulgatam lectionem *Dellio* ediderunt. *D. Lælio* autem, est per D. Lælium, D. Lælij opera, vt alio loco explicauimus. Nam Pompeius hæc mandarat Consulibus: mandata autem pertulerat D. Lælius: quod Cicero declarat his verbis, in illa epistola ad Pompeium: *Ex his mandatis, quæ D. Lælio ad Consules dederas, certior tui consilij factus, non expectaui, dum mihi a te litteræ redderentur. Se per montis explicare*] Nostri omnes, *se per montis explicare*, atq; sic, vt opinor, scripsit Pompeius, quãquam duriuscule. nã *se*, posuit pro *ipsum*: &, *se per montis explicare*, pro, ad ipsum per montis explicandum, vt ipsum per montis explicem. Explicare aliquem est eum expedire, & liberare ijs difficultatibus & impedimentis, quibus implicatus est & impeditus. Idem Pompeius in epistola 3. ad ipsum Domitium, *Da operam, si vlla ratione etiam nunc efficere potes, vt te explices, huc quamprimum venias. Acta video censeri*] Perspicue scriptum est in Scidis, *ac ita video censeri M. Marcello*. prorsus recte. in Tornæsiano pro *ac ita*, corrupte exaratum est *altia*. in ceteris ei conuenit cum Decurtato. Hic operæ vitiose excuderũt *& ita*, pro *ac ita*, contra quam mandaram.

IN EPIST.

IN EPIST. I. POMP. AD DOMITIVM.

Etiam & etiam] Edidi, auctore Decurtato, *etiam & etiam*. Sic Balbus in epistola ad Ciceronem, *& non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auertisset*. Cicero dicere solet, *etiam atq; etiam*.

IN EPISTOLAM XIIII.

Id est, Feralibus] Hæc verba, *id est, Feralibus*, in omnibus meis leguntur, & puto Ciceronis esse. Namis ex Fastis veterum Pontificum Feralia retulit in octauũ Kalendas Martias, quo die Canusio decessit Pompeius, vt idem confirmat epistola prima libri sequentis. At Ouidius & alij posteriores alios Fastos sequuti, nempe eos qui a C. Cæsare & Augusto postea correcti fuerunt, eum diem festum triduo ante collocant. ei enim assignant vndecimum Kalendas Martias. Sic variatum reperias in Terminalibus, quæ Ouidius adscribit nono Kalendas Martias, Varro septimo. sic denique in Vinalibus, quæ a Varrone referuntur in duodecimum Kalendas Septembris, a Festo vero & ab auctore Kalendarij Manutiani in decimum quartum. *Dictis militum celeritatem*] Quidam, *diarijs*: nostri veteres, *dictis*, quos sequuti sumus. sed videndum an Cicero διπροῖς scripserit; vt, quemadmodum idem auctor alio loco dixit furcilla extrudere, Horatius furca expellere, & Aristophanes διπροῖς ὠθεῖν, sic etiam διπροῖς incitare hoc loco dixerit. *In Tiburti*] Nihil discrepant ab excusis Tornæsianus, & Crusellinus. Decurtatus sic refert, *modo esse in Tiburti haut lepide, quod cum Lepidus, ad vrbem accessisse*. emendau, *modo esse in Tiburti haud lepide, quod cum lepidius, ad vrbem accessisse*. Modo, inquit, audimus Domitium esse in prædio Tiburti haud lepide. turpe est enim nobilem & fortem virum, cuius consilio & opera nunc Respublica maxime egeat, in agrum, sui occultandi caussa, secessisse. itaque id nemini persuaderi potest. cum vero lepidius & honestius aliquid fertur de eius profectione, audimus eum ad vrbem accessisse, quod item falsum est. Prædium hoc Tiburs, quo dicebant secessisse Domitium, erat, vt opinor, Lepidi: ad cuius nomen cum Cicero alluderet, scribit vulgo narrari Domitium in fundo Lepidi haud lepide rusticari.

IN EPISTOLAM XV.

Quam te scribis dedisse Pinario] Ita singulis capitibus primæ Attici epistolæ respondet, vt simul eius verba repetat. ille enim scripserat se epistolam dedisse Pinario, & expectare quid ageret Vibullius prǽmissus ad Cæsarem cum mandatis, scireque velle quemadmodum ipse redeuntem Cæsarem exciperet; tum se Athenionis fugam intendere, nescireque an Domitius foret cum fascibus. His Cicero ita rescribit, se Pinarium non vidisse; Vibullium a Cæsare visum non esse; cogitare se de vitando Cæsare; probareque consilium illius de intendenda Athenionis fuga, & vitæ commutatione facienda; se denique cupere certiorem ab eo fieri de fascibus Domitij, simulatque is aliquid ea de re intellexerit. *Haue Athenionis fugam intendis*] Nihil deprauatius ea scriptura, quam hic veteres libri referunt. apponam tantũ lectionem Decurtati, & Crusellini, quod eam minus corruptam existimem, quàm eam, quæ in alijs reperitur. *Sic* vero habet Decurtatus, *habe Athemonis fugam intendis:* Crusellinus ita, *haut Anthemonis fugam tendis.* correxi, *haue Athenionis fugam intendis.* Ludebat Atticus in suo cognomine, inque nomine Athenionis, quasi, cum de fuga cogitaret, cognomen, quod Athenis reportarat, mutaturus esset in nomen fugitiui Athenionis, ita vt ex Attico fieret Athenio. nam vtrunq; nomen originem habet ab Athenis. Athenio dux in Sicilia fuit fugitiuorum. Haue autem dicere solebant abaliquo discesturi. idcirco Catullus fratrem suum ita postremũ salutat, *Atq; in perpetuum frater haue atq; vale.* eodem etiam verbo finiebant quandoq; epistolas. Catilina apud Sallustium, *Orestillam tibi commendo, tuaq; fidei trado: eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus. haue.* Augustus in fragmento mollissimæ cuiusdam epistolæ ad Mæcenatẽ, *Vale mel Centinum, & Vetens; ebur ex Etruria; laser Aretinum; adamas Supernas; Tiberinum margaritum; Cliniorum smaragde; iaspis Figulorum; beryllo Porsennæ; carbunculum Tolumnij: haueas,* ἵνα σωτεμῶ πάντα, μέλαγμα *mæcharum.* sic nos hæc verba restituimus purgatis maculis quibus fœdissime inquinata erant apud Macrobium. Cetera veteres aspirationem vt plurimum verbo *haue* præfigebant, vt

bant, vt alibi docuimus. inde hic deprauate exaratum est in Decurtato, *habe*, pro *haue*. *Sed nihil differo*] Prisci nostri partim, *defero*; partim, *differo*. probaui eorũ lectionem, qui reposuerunt *differo*. nihil, inquit, differo & disputo de eo quod in hac re me facere oportet. mihi satis est scire quid tibi placeat, & quid rectum sit.

IN EPIST. BALBI AD CICER.

Plurimum apud eum] Malaspina, *plurimum apud eum valituram*, quam lectionem in omnibus meis inueni: atq; ita iusseram excudi. sed operæ dicto non paruerunt.

IN EPISTOLAM XVI.

Præter occultum & tutum] Manutius legendum suspicatur, *præter occultum & tutum iter*. ego vero auctoribus Scidis & Crusellino, ita reponendum affirmo. *Demum quem expecto*] Edidi ex Decurtato, *demum quem expecto*: quam lectionem Manutio placere video.

IN LIBRVM IX.

IN EPISTOLAM I.

Canusio VIII. *Kal.*] Ante quam Cæsar fastos emendaret, Feralia VIII. Kal. Martias agitabantur, a quo die vsque ad pridie Nonas eiusdem mensis tot sunt dies, quot hic Cicero enumerat, hoc est, quatuordecim. nam mensis Martij Nonæ fuerunt septimanæ, vt refert Macrobius.

IN EPISTOLAM IIII.

κατάλυσιν πραγματευτέον] Editio Victoriana, *κατάλυσιν πειρατέον*. Veteres nostri, quorum fidem sequuti sumus, *πραγματευτέον*. μὴ αὐτὸς ἄρηται] Vulgata lectio ἔρρηται perspicue mendosa. Scidæ habent EPHTAI: Tornæsianus EPEHTAI: scripsi ἄρηται, hoc sensu: an verendum, ne qui tyrannidem euertit, ipse erigatur, & se se supra alios efferat, sicque imperium & tyrannidem occupet. Mox ex iisdem libris edidi τῇ πατρίδι τυραννευμένῃ καιρῷ καὶ λοιμῷ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. illud καιρῷ explicat Cicero libro superiori, vbi tradit seruiendum esse tempori, vt fecerunt Philippus, Flaccus, & Q. Mutius.

IN EPISTOLAM V.

Curtium in Curia] M. Curtium intelligit, de quo sic idem scribit epistola sequenti, *quouis potius certe quam vt Curtium videat, quem ego patronus adspicere non possum.* De hoc Curtio quædam dicemus ad epistolam 47. libri 12. & 9. libri 14. *Ego igitur*] Lectioni Manutianæ, *ego igitur*, adstipulatur vetus manuscriptorum nostrorum. Quia vero post hæc duo verba Cicero multa interiecerat, eratque longum ὑπέρβατον, ideo primam vocem postea repetijt, *& ego vero*, inquit, *hæc officia mercanda vita puto. Mea consilia nascentur*] Veteres libri, *ea consilia.* Vulgatam lectionem retinui. quamquam in ea subolet mihi aliquid mendi.

IN EPISTOLAM VI.

Ad Curtum via Minucia] Abest a publicis codicibus vocabulum *via*, quod tamen extat in nostris antiquis, quibus auctoribus id reposui. *Minucia* autem, non *Numicia*, scripsi, ex eorundem præscripto; sicque legitur apud Horatium libro primo epistolarum in meo perueteri libro,

Brundisium Minuci melius via ducat, an Appi.

Sed & modulus ipse mediæ syllabæ ita scribendum esse clamat. nam secunda syllaba Numicij produci solet, cum contra in voce Minucij corripi debeat: Virgilius libro 7. *hæc fontis stagna Numici:* & Ouidius libro 3. Fastorum, *placidi sum nympha Numici. Epistolas a primo*] Quidam legendum censent, *a prima:* sed in omnibus nostris est, *a primo*, quod cum scribit a primo tempore, hoc est, ab initio intelligit. sic epist. 11. li. 8. *sed hoc a primo cogitauit, omnia maria mouere. Volebam vti populari vita*] Edidi ex fide Decurtati, *qua facta volebã vti populari vita solicitudine senectutem nostram liberanti.* Antea deprauare legebatur *vt*, pro *vti*; pro *vita*, *vt ea*; & pro *liberanti*, *liberari*. in nonnullis etiam libris excusum erat *videbam*, pro *volebam*.

IN EPIST. CAESARIS AD CICER.

Meo commodo] Recte Lambinus, ex Tornæsiano, vt vidimus, reposuit, *neq; audire meo commodo potuissem, properarem, atq; essem in itinere:* quæ scriptura totidem litteris extat in Decurtato, & Crusellino.

IN EPI-

IN EPISTOLAM VII.

Quasi animulæ restillarunt] Expressi scripturam Decurtati, *quasi animulæ restillarunt:* cuius lectionis vestigia quædam, sed obscura & perturbata, extãt in Tornæsiano in hunc modum, *quæ mihi quiddam qua stant mutæ restiliarunt,* cum ait, *restillarunt,* significat denuo instillarunt, quod iam anima quodammodo effluxisset. *Vt dum agamus*] Vt, inquit, interim dum agamus de triumpho, id est, dum petimus triumphum, nauigatio tempestiua sensim veniat. Cicero causam suę in Italia moræ triumphi petitionem prætexebat. interea expectabat opportunum tempus nauigandi ad Pompeium. agebat autem de triumpho, non quod eum valde concupisceret (eum enim libenter erat abiectutus) sed ne ociosus & sine caussa in Italia morari videretur. hanc Ciceroniani huius loci sententiam qui ignorarunt, nimis audacter, contra veterum librorum fidem, hic reposuerunt, *vt dum vagamur. Nos non profectos*] Tornæsianus, *non profectos:* Decurtatus, *nos non profectos:* de qua lectione dubitaturum puto neminem.

IN EPISTOLAM VIII.

Alter multos D.] In nullo manuscripto lectionem vulgatam, *alij multi,* reperi. sed in Tornæsiano erat, *alter multos:* in Decurtato, *alter multos* D. qua nota Ciceronem significasse puto, *dies.* quasi alter Torquatorum, nempe Lucius, multos iam dies profectus fuerit.

IN EPIST. I. BALBI AD CICER.

S. V. B. E.] Scite Riuius notas in præpositionem *sub* conflatas, addito E, ita distinxit, S. V. B. E. quo modo perspicue legitur in Decurtato. Sic Pompeius libro superiori exorsus est secundam epistolam ad Ciceronem; vbi tamen vulgo hæ notæ desiderantur. *Concessit voluntate*] Publicæ editiones, *bonitate:* manuscripti nostri, vt edidimus, *voluntate.*

IN EPISTOLAM IX.

Palpaboque] Expressi scripturam Decurtati, *palpaboque, vt antea ad te scripsi, ecquonam modo possim.* alij libri οὐδὲν ὄφελος. *palpabo,* significat blandiendo, adulandoque leuiter tentabo, & experiar. σοφιστεύω *enim*] Fœdæ

maculæ hunc locum occuparant. Ego primus hoc tempore mihi videor germanam & natiuam eius lectionem Ciceroni restituisse partim coniectura, partim ope Decurtati nostri, qui hæc verba sic refert, *Sofestiuo enim simul & trus decurro, atque in decursu* θέσεις *meas commentari non desino.* coniecì enim Ciceronẽ pro *sofestiuo*, scripsisse σοφιστεύω. indicat enim hoc Græco verbo se ficta quædam argumenta, sophistarum more, tractare: quales sunt, quæ vulgo feruntur, veterum aliquot auctorum declamationes. In Tornæsiano & Crusellino pro σοφιστεύω, legebatur *festiuo*, quæ scriptura perspicue ex hac nostra deprauata est. *De optimatibus*] Quod ais optimates probare institutum meum, vt vitam priuatam agam, & nullam Reipublicæ partẽ attingam, sit sane vt vis. tecum enim pugnare nolo; quamuis vereat vt ita sit. Verumtamen nosti tritum illud prouerbium, Dionysius Corinthi. turpe est enim virum summis honoribus functum, & in Reipublicæ administratione versari solitum, hoc est, πολιτικὸν, ad vitam priuatam cogi; quod accidit Dionysio Syracusis eiecto. nam sic hoc prouerbium ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ἘΝ ΚΟΡΙΝΘΩ, id est, *Dionysius Corinthi habitat*, Demetrius Phalereus interpretatur in commentario περὶ ἑρμηνείας: παράδειγμα δὲ βραχείας σωθέσεως, inquit, τὸ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙ ΦΙΛΙΠΠΩΙ, ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ἘΝ ΚΟΡΙΝΘΩΙ. πολὺ γὰρ δεινότερον φαίνεται ῥηθὲν οὕτω βραχέως, ἢ εἴπερ αὐτὸ μακρῶς ἐκτείναντες εἶπον, ὅτι Διονύσιος ποτὲ μέγας ὢν τύραννος ὥσπερ σὺ, ὅμως νῦν ἰδιωτεύων οἰκεῖ Κόρινθον. *Sciebam enim te quoto*] Proxime ad Adriani Turnebi coniecturam hæc verba sic refert Decurtatus: *sciebam enim te quoto anno, & quantum in solo, solere quærere; neq; solum Romæ, sed etiam Deli tuum Digamma videram.* sic etiam, paucis exceptis, in Tornæsiano & Crusellino legebatur. itaque imperitè fecissem, si aliter edendum curassem. Indicat autem Cicero his verbis summum studiũ Attici in quæstu faciendo, qui, quod maiorem fructum perciperet ex fœtu pecuniæ, quam ex agrorum prouentu, malebat numos fœnori collocare, quam ijs prædia comparare. Eum porro tradit mire cautum fuisse in nominibus faciendis. primum enim quæsiisse, quoto anno sortem redditurì essent qui fœnori pecunias sumebant, id est, quamdiu essent fœnebribus numis vsuri; tum quantum

ijdem in solo haberent, hoc est, quo precio censerentur eorum prædia, & res soli: ne scilicet ij diutius numos retinerent, quam vt bonorum prædiorum æstimatio satis esse posset omnibus vsuris cum sorte persoluendis. Est ergo Digamma, vt recte Turnebus explicat, fœnus, ita dictum, a prima eius vocis littera, quæ est digamma Æolicum. sic libro 15. δάνεον τῶ Δ notauit. Ceterum Atticus Romæ pecunias fœnori occupare consueuerat, vtebaturque in ea re opera quorundam argentariorum, quos Cicero obscure in his epistolis Oppios Velienses appellat. Deli etiam fœnebrem pecuniam habebat, vbi celeberrimus fuit mercatus, quemadmodum refert Strabo libro 14. *Dementias*] Sumptus immensos factos in ædificando & exornando Lanuino, vnde impensius vænibat. *Expecto alias*] Vt in codicibus Malæspinæ, sic in Scidis legebatur, *sed expecto alias*: in Cruselliano, *alias tuas*; vt facile iudicatu sit, vocem *tuas*, ex glossemate additam fuisse.

IN EPISTOLAM X.

Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς] Magno argumento est corruptos esse vulgatos codices, cum ij valde discrepant a manuscriptis: exemplo sit hic locus, qui sic in publicis editionibus legitur, *sicut* ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς *alienãtur immundæ, insulsæ, indecoræ*: in Decurtato vero hoc modo, *sicut* ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς *alienant ruri immunda & sui illis vnde decor sit*: quæ lectio hoc vno tantum mihi deminuta esse videtur, quod vocem vnde, quæ geminanda fuit, semel dumtaxat refert. ea igitur repetita, hinc omne mendum sustulimus. Vtitur autem Cicero elegãti similitudine ab immundicia & illuuie rusticanarũ mulierum petita, vt doceat se deformitate fugæ Pompeianæ ab amore ipsius Pompeij alienatum esse. quemadmodum, inquit, in rebus amatorijs mulieres rusticanæ, vndecunque sibi decorem & ornatum adsciscant, quia ipso aspectu fœdæ sunt & immundæ, alienant a se amatores: sic Pompeius, quãtacunque honesti specie facta sua prætexuerit, fugæ tamen & negligentiæ deformitate, me ab amore suo auertit. Immundi sunt rustici, quod in immundo opere faciendo plærumque versentur. ideo apud Plautum Grunio, seruus rusticus, illuuies appellatur a Tranione seruo vrbano, *germanæ*,

inquit, *illuuies, rusticus hircus, hara suis.* *Anis illa*] τὸ *illa*, ἐπιῤῥηματικῶς accipiendum, pro illac, id est, illa parte qua Pompeius transmisit. *Hæc hæc me*] Geminatur pronomen *hæc*, in Scidis, & Tornæsiano, qui libri mihi hic fundi, vt alias, fuerunt. Iisdem etiam libris auctoribus scripsi, *alia res nunc tota est, alia mea:* & mox, *si vel periculose experundum erit.* *Quod quæris*] Cicero epistola 3. libri 8. quæsierat ab Attico, quid sibi faciendum esset, manendumne in Italia, an cum Pompeio fugiendum; & cum in vtramque partem ea de re disputaret, mansionem turpem, & vir o forti indignam existimabat, vt declarant hæc eius verba, *Accedit illud: si maneo & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cædendum est in Cnium potestatem, qui, & si multis rebus significat se nobis esse amicum, & vt esset, a me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante prouisum, tamen vtrumque considerandum est, & quanta fides ei sit habenda, & si maxime exploratum sit eum nobis amicum fore, sitne viri fortis, & boni ciuis, esse in ea vrbe, in qua cum summis honoribus imperijsque vsus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundumque periculum sit cum aliquo forte dedecore, quando Pompeium Rempublicam recuperarit.* fugam vero periculosam putabat, vt ibidem his verbis significat. *Itaque habui nihil omnino negotij, quod ab initio vidi nihil quari præter fugam. eam si nunc sequor, quo nam? cum illo non: ad quem cum essem profectus, cognoui in ijs locis esse Cæsarem, vt tuto Luceriam venire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima, nauigandum est.* Ei vero consultationi ita postea Atticus respondérat, vt hoc loco refert Cicero, *Quod quæris fugam nec fidam, an moram de fœdam vtiorem putem.* sic enim hæc verba conceperat, vt partim declarant quæ modo ex ipsa Ciceronis cõsultatione adduximus, partim veterum optimorum librorum, hoc est Decurtati & Cruselliani, testimonia. *Nec fidam* autem, dixerat pro *non fidam*, qua forma veteres dicebant furtum nec manifestum, rem nec mancipi, nec opinato, & alia multa id genus. *de fœdi.m* autem, pro valde fœdam. nam τὸ *de* in compositione αὐξητικὸν est, vt

est, vt pluribus docebimus libro 13. in explicatione vocis *defecti*. *Moram*] Mansionem in Italia. *Ego vero nullam epistolam*] Hæc videntur referenda ad eum locum epistolæ secundæ libri 8 *Facio pluris omnium hominum neminem; sed non ita*, VNO IN EO IVDICO SPEM DE SALVTE REIPVBLICAE. *significas enim aliquanto secus, quam solebas; vt etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum. Si M. Lepidus*] Hæc respondent illis epistolæ primæ libri 8. *Nec me M. Lepidi, L. Volcatij, Ser. Sulpitij comitum pœniteret: quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius; nec inconstantior, quam App. Claudius. Aduersus me nihil opus*] Hæc sic refert Decurtatus, *aduersus me nihil opus est, conscijs ego alijs.* emendaui, *aduersus me nihil opus esset, sed conscijs egeo alijs.* nō me pœnitet, inquit, paruisse consilio tuo. ideo nihil opus est vt aduersus me ea defendas, quorum mihi auctor fuisti. non enim ea improbo. sed quia ea fortasse poterunt ab alijs quibusdam reprehendi, quos mihi conscios esse opus est, me, quod tuum consilium sequutus sim, nihil peccasse; idcireo illis, non mihi, auctoritatem tuam defendito.

IN EPISTOLAM XI.

Id est XIII. *Kal.*] Scriptum initio fuerat in Decurtato XIII. *Kal.* vt perspicue adhuc apparet: postea alterius manu interpolatum est XIIII. *Kalend.* Ego priorem lectionem, vt certiorem sequendam puto. nam dies XIII. Kalend. Aprilis, & Quinquatrus, idem est dies. Etenim, antequam fastos Cæsar emendaret, cum mensis Martij Nonæ, vt ait Macrobius, essent septimanæ, non, vt hodie, sextanæ, Idus Martiæ in XVI. diem Martis incurrebant. itaque quinctus postea dies erat XX. Martij, hoc est, XIII. Kalend. Aprilis, quo die tunc Quinquatrus celebrabantur. Cum ergo Cicero primam partem huius epistolæ vsque ad illa verba, *Venit etiam*, exarasset, ante quam Matius ad se veniisset, qui Matij aduentus fuit eodem quidem die, sed ea hora qua Quinquatruum celebritas agebatur, postea cum reliquam partem epistolæ ex interuallo pertexeret, & aduentum Matij in ea narraret, potius scripsit Quinquatribus eum venisse, quam eodem die, nempe XII.

Kal. Aprilis supra adscripto, & paullo post, *pridie*, potius quam *heri*, quod non modo diem aduentus Matiani, sed etiam partem eius diei, qua venerat, indicare vellet. *Crassipes*] In Tornæsiano, & Crusellino, *Crassipus*. *Potius attendere*] Veteres libri, *potius*: scripsi, *potis*, id est, δυνατόν. sic alibi in his epistolis *pote*, scriptum reperias, pro δυνατόν. *Et μεσοποταμίαν*] Post, *Arabiam* εὐδαίμονα, antiqui nostri subijciunt, *& μεσοποταμίαν*: quo modo edendum curaui.

IN EPIST. CICERONIS AD CAESAREM.

Fautor dignitatis tuæ] Alij libri, *auctor*: nostri veteres, *fautor*, omnino melius. *Me e paucis*] Vulgo legebatur, *me & pacis*: correxi ex antiquiori nostro, *me e paucis*. vt enim melius persuadeat Cæsari e Republica esse, vt ipse in primis conseruetur, paucos ait aptos esse ad sarciendam partium concordiam: in ijs vero se quam accommodatissimum fore. sic officij & industriæ raritate se ipse commendat.

IN EPISTOLAM XII.

Ecquidnam est tui consilij] Scribendum vno verbo, *ecquidnam*, & duobus, *ad finis*. numquid nam tui consilij est ad fines & terminos huius miserrimæ vitæ? id est, suppetitne tibi aliquid consilij, quo perducar ad metas huius infœliciss. imæ vitæ, & in aliam beatiorem migrem? Sic apud Catullum, *ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum?*

IN EPISTOLAM XIII.

Fuit, etiam valde:] Auctore Decurtato reposui *etiam*, pro *& tam*; & mox, *ecquam*, pro *& quam*. ἐλάπιζεν] Quantumuis reclamet Victorius, legendum est ἐλάπιζεν, vt exaratum est in Scidis, Tornesiano, & Crusellino. *peditum* CCIↃↃ] Deerat hic numerus peditum, & equitum, quem ex Decurtato sic expressi, *peditum* CCIↃↃ, *equitum sex polliceri sumptu suo, annos decem*. id est, peditum decem millia, equitum sex millia. In Tornæsiano pro *sex*, legitur *se*. *Non vt ille vectigal*] Restitui particulam *vt*, ante vocem *ille*, ex Decurtato. ille Pompeium indicat, hic & ille Cæsarem. *Vt tu scribis, ludum*] Id est, certamen, & dimicationem partium in hoc bello ciuili. innuit bonos viros noluisse interesse certamini, quod futurum erat inter Cæsarem & Pompeium, sed quietos mansisse. sic libro 14. bellum ciuile

vocat

vocat ἀγῶνα. *Significasse te*] recte Scidæ *significasse te*, vt edidi. petierat enim Atticus a Cicerone, vt sibi scriberet, quisnam Cæsar esset, gratus, an inuisus populo Romano. *Sedet iste*] Scripsi vnov erbo, *sedet:* id est, in honore est, auctoritate valet, ducta metaphora a magistratibus sedentibus. *Plus ostenderat*] Cæsar initio plus ostenderat quam præstitit. minabatur enim se hostium loco habiturum eos omnes, qui contra se arma ferrent. sed eas minas postea in humanitatem vertit. *Troianum somniabam*] Hinc perspici potest Lanuinos vocari solitos tam qui Lauinio incolerent, oppidum agri Laurentis ab Æneа conditum ad eum locum, qui Troia dicebatur, quam qui Lanuuium, oppidum situm supra Aricciam, ad dexterā viæ Appiæ, vt refert Strabo. quinimo vtrumque oppidum ætate Ciceronis, Lanuuium fuisse nuncupatum. *Te ne hæc posse ferre?*] Abest a vulgatis vocula *te:* In Decurtato sic hæc verba concipiuntur, *te nec hæc posse ferre.* lego cum interrogatione, *te ne hæc posse ferre?* Quasi Atticus tranquillo animo legisset, quæ ipse de Lentulo modo scripserat, stomachatur in eius lentitudinem. ea enim prorsus ferri non posse videbantur. Puto librarios vulgo omisisse pronomen *te*, propter similitudinem vocularum quæ proxime antecedebat. nam sæpe ex duobus vocabulis inter se similibus alterum omittebant.

IN EPISTOLAM XIII.

Fecisse ad ambitionem] Multi hic aliquid deesse putant: ego nihil. tantum pro *fecisset*, lego *fecisse*, & ita interpungo, *nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce: fecisse ad ambitionem quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset.* Cæsar dicebat Curionem nihil se duce facere, quod non Pompeius fecisset duce Sulla: immo multo grauiora patrasse Pompeium Sulla rerum potiente, quam Curionem se imperante. nam quibus hominibus exilij pœna ad ambitionem in petendis magistratibus coercendam superioribus legibus constituta non esset, eis Pompeium illam irrogasse, noua lege lata de ambitu: ab illo vero, nempe Sullæ patriæ proditores reductos fuisse. ita Sullæ & Pompeij scelere eiectos in exilium fuisse plærosque egregios viros, & patriæ proditores vrbem occupasse. Cæsar, ad maiorem inuidiam Pompeij ambitum vocabat ambitionē, quasi

Pompeius non modo ambitum, sed etiam ambitionem coercuisset. Tulerat Pompeius legem de ambitu, qua perpetuum exilium damnatis infligebatur. ideo tradit Dio libro 30. eum ambitus pœnas hac lege multum auxisse. nam Tullia, quam Cicero Consul tulerat, decennale tantum exilium irrogabat. sed nos fusius ea de re disseremus in libris de legibus Græcorum & Romanorum. *Hac contra*] Legendum, *hac*, vt est in Decurtato, non *hæc*, vt referunt excus. scribit enim Cicero Cæsarem dicere solitum se neminem violaturum, nisi qui arma aduersus se ferret hac, id est, hac parte, nempe pro Pompeio. nam cum Cicero Pompeij partes lequeretur, ad eas, tanquam ad suas, retulit vocem *hac*. *Sed qui S. Olli*] Nihil hic mutaui; tantum notam s. a vocabulo QVI, cui importune adhæserat, separaui. indicat enim Bæbium illum, hominem non infantem, sed disertum, nulli S. id est, salutem dicere: quod tamen pueri faciunt, simulatque incipiunt fari. lubenter enim quos norunt salutant. sed Bæbius idcirco nulli salutem dicebat, quod assereret neminem saluum fore, qui a Cæsare non staret. Est ergo iocus ex ambiguo in his verbis, *Salutem dicat*. *Ne Anteros quidem*] Auxilio Decurtati sic hunc locum restitui, *ne Anteros quidem qui a te*. Ibi enim legitur, *ne ante post quidem qui ate*. Scripserat, vt opinor, Cicero ΑΝΤΕΡΩΣ Græce, quod vocabulum cum imperiti quidam librarij describerent putarunt τὸ Ρ esse P Latinum. inde primum factū est ΑΝΤΕΡΟΣ, & postea ANTE POST. Anteros libertus fuit Attici, cuius mentio fit epistola prima libri 11. Sensus autem horum verborum est, a te nihil attulit litterarum, ne Anteros quidem, qui a te venit.

IN EPISTOLAM XV.

Sed si Sulla potuit] Castigaui. *sed si Sulla potuit*, ex Tornæsiano, & Crusellino. Abscissa fuerat e Decurtato tota hæc epistola, & quæ proxime sequitur. *T. Rebillum quidem*] Tornæsianus, & Crusellinus *Trebillum*; quo modo in suis fuisse referunt Victorius, & Malaspina. Scripsi T. Rebillum. nam nota T. prænomen indicat Rebilli, qui Titus Caninius Rebillus dicebatur. *Quæ AEgypta attulit*] Assentior Turnebo legenti, *quæ AEgypta attulit*. Ægyptæ liberti alibi meminit in his epistolis Cicero. Mox ex Tornæsiano, & Crusselli-

Cruſellino edidi, *illa leuia miſi ad te ante. Philargyro bene curaſti*] Verbum *curaſti*, addidi ex Tornæſiano, & Cruſellino, cum a vulgatis abeſſet. Quem autem hoc nomine intelligat, incertum eſt. puto alterum eorum duorum ſignificari, quos a filio inſciente ſe diſceſſiſſe queritur epiſtola ſecunda libri ſexti. Is vero Ciceronem, vt opinor, ideo reliquerat, quod ei Cicero de mercede aliquid deterſiſſet, quæ tamen poſtea, beneficio Attici, illi integra perſoluta eſt; ne illum Cicero, ſed ille Ciceronem, reliquiſſe videretur. *Trebatius Scæuolæ*] Trebatio non modo Teſtæ, ſed etiam Scæuolæ, a ſtudio, vt opinor, iuris ciuilis, in quo Mutij Scæuolæ valde excelluerant, cognomen fuiſſe declarat locus hic epiſtolæ 23. libri 13. vbi Cicero de Trebatio loquitur; *quære da te in ſermonem, & perſeca, & confice; excita, compella, loquere, vt te cum illo Scæua loqui putes.* & locus alter epiſtolæ ad ipſum Trebatium, quæ extat libro 7. ad familiares, vt quidem in duobus antiquiſſimis libris, qui apud me ſunt, legitur, *Ego tamen Scæuolæ Teſtæ aſſentior.* vulgo mendoſe copula interijcitur hoc modo, *Scæuolæ & Teſtæ.* Verbum etiam *antecedat*, ad ius pertinet. nam antecedere dicebantur iuris conſulti, aut honoris ergo, aut quod ſcriptis & reſponſis ſuis de iure Ciuili viam ad eius ſcientiæ cognitionem tyronibus præirent, indeque anteceſſores, id eſt, vt vetus gloſſarion interpretatur, προηγήται vocabantur. Heſychius, ἀντικέασωρ ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς. Anteceſſorum meminit non ſemel Iuſtinianus. antecedebat ergo Trebatius, cum excelleret iuris cognitione, & prudentiſſime de iure reſponderet.

IN EPISTOLAM XVI.

Triumpho gaudio] Victoriana editio, *triumpho & gaudeo:* liber Cruſellinus, *triumpho gaudio*, quo modo idem auctor loquutus eſt in Cluentiana: *tum vero illa egregia & præclara mulier palam exultare lætitia, & triumphare gaudio cœpit.* Sed & in Tornęſiano legitur, *triumpho gaudeo:* quod perſpicue deprauatum eſt ex hac lectione noſtra.

IN EPISTOLAM XVII.

Quid præripis?] Lego ex Decurtato, *quid præripis?* id eſt, meum conſilium anteuertis, petiſque vt id tibi explicem,

antequam Trebatium conueniam, ex cuius congressu id instituru sum. κινδωνωδῶς *nunciant*] Scripsi κινδωνωδῶς, ex Decurtato, non quod ita plane exaratum in eo sit, sed quia quam proxime ad hanc lectionē animaduerti priscam eius scripturam accedere. sic enim habet, *in dunodo*: Tornæsianus vero, *in id modo*: Cruſellinus, *in dimodo*. periculoſe ægrotare Tironem nunciabant, qui ab eo veniebant.

IN EPISTOLAM XVIII.

Eros ſcelero] Emendaui, *ſcelero*, ex fide Decurtati. A ſcelere fit ſcelero, vt a verberibꝰ verbero, a flagris flagrio, a varis varo, & ſexcenta huiuſmodi. Indigne ferebat Cicero Erotem libertum ſuum in illis copijs fuiſſe: idcirco eum vocat ſceleronem. *Quid? quod Seruij filius?*] Hanc ſcripturam erui ex Scidis, Tornæſiano, & Cruſellino, ſummo conſenſu hæc verba ita referentibus, *Quid? quod Seruij filius? quod Titinij?* Scribit filios Ser. Sulpicij & Q. Titinij cum Cæſare fuiſſe, cum Pompeius obſideretur, vt doceat non modo perditiſſimos homines tunc arma contra Pompeium tuliſſe, ſed etiam iuuenes nobiliſſimos. *Titinij*] Hunc Titinij filium epiſtola proxime ſequenti vocat Pontiū Titinianum, quod a Pontio adoptatus eſſet. ſic Octauius dictus eſt Octauianus, poſtquam in nomen familiamque Cæſaris adoptatus eſt. De hoc Titinij filio idem Cicero ſic ſcribit epiſtola 6. huius libri: *Furnius, vt quidem ſcias quos ſequamur, Q. Titinij filium cum Cæſare eſſe nunciat.* & epiſtola 11. *Titinij filius apud Cæſarem eſt. Quot in his caſtris*] Vt Attico minus mirum videretur filios Seruij Sulpicij, & Q. Titinij fuiſſe in caſtris Cæſarianis, addit ſex ipſas legiones Cæſarem tum habuiſſe. itaq; fieri non poterat, quin in tanto militum numero non extiterint præclari quidam viri. *Multum*] Subiungenda eſt τελέα ϛιγμὴ voci *multum*. indicat enim ingentem fuiſſe hunc militum numerum. *Hoc fuerat extremum*] Extremum vocat, poſtrema verba quæ Cæſar ipſi dixerat, vt ſcilicet deliberaret. ſic enim ſupra, *ſumma*, inquit, *fuit, vt ille quaſi exitum quærens, vt deliberarem*. Ad eam deliberationem rogat Atticū vt ſibi conſilia expromat. κατακλεὶς] rectiſſime Turnebus hic repoſuit, κατακλεῖς, quo fere modo legitur in Decurtato, & Tornæſiano. atque huius emendati-

emendationis patet proximis ex verbis ratio. Quia enim extremum id vocarat, quod sibi dictũ fuerat a Cæsare de consilio ad deliberandum capiendo, cum tamen id extremum non fuisset (nam odiosis quibusdã & minacibus verbis Cæsar colloquium finierat) idcirco vltima ea verba, quæ ipse pæne præterierat, vocat κατακλεῖδα, quod essent instar clausulæ priorum illorum extremorum. Hoc vocabulo Græci grammatici proprie significari aiunt pedem vltimum cum syllaba versus καταληκτικῆ. Hephæstionis interpres κατακλεῖδα φησὶν Η' φαισίων τὸν πρὸ τῆς καταληκτικῆς συμβῆς πόδα μετὰ καὶ αὐτῆς συμβῆς. ΛΑΛΑΓΕΥΣΑΝ *illam tuam*] Græcum hoc verbum mirum in modum deprauatum est in omnibus libris antiquis, qui meas in manus venerunt. alij enim habent, ΜΑΤΕΛΣΑΝ: alij ΜΑΛΤΕΥΣΑΝ: Decurtatus, ΛΑΛΑΤΕΥΣΑΝ: quæ scriptura minus mihi corrupta visa est, quam ceteræ. nam, expensa diligentissime Ciceronis sententia, venit in mentem mihi eum hic scripsisse λαλαγεῦσαν, & libro proxime sequenti λαλαγεῦσα. procliui enim lapsu librarios has litteras r & τ inuicem commutasse, & alterã alterius loco finxisse. Suaserat Atticus Ciceroni ne prȩmature mari se committeret, sed ὄρνιθα λαλαξεῦσαν, id est, χελιδόνα expectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultum nauigandum non esse ad Pompeium. nam clauduntur maria, vt tradit Vegetius libro 4. ex die tertio Iduum Nouembris vsque ad diem sextum Idus Martias. itaque epistola secunda libri sequentis, quæ data est post Nonas Aprilis, Cicero scribit λαλαγεῦσαν adesse. Hirundinum aduentus indicium est verni temporis: vnde vulgatum hoc prouerbiũ μιὰ χελιδὼν οὐκ ἔαρ ποιεῖ hæc autem auis valde est obstrepera: ideo ab Hesiodo dicitur κωτίλη, & ab Anacreonte λαλὴ: & hic λαλαγεῦσα, id est, κράζουσα. inde etiam Aristophanes homines odiose garrulos vocat χελιδόνων μουσεῖα. Hoc porro ἐπίθετον λαλαξεῦσα ex quodã Dorico poeta Atticus depromserat. nam Dores dicunt λαλαξεῦσα, pro λαλαγῆσα. Cicero vero non addidit ὄρνιθα, vt hæc res minus intelligeretur, si forte interciperentur litteræ. discessum enim suum celari volebat. Iulius Pollux ait hirundinẽ proprie μθυρίζειν, quod auctor poematij de Philomela interpretatur trinsare. Iam hirundines trinsare non solent initio veris, sed vere iam adulto,

hoc est, incalescente iam aere. ideo scribit Philemon Comicus ἡ μὲν χελιδὼν θέρος ὦ γύναι λέγει. *Actum ne agas*] Actum agere apud hunc auctorem est ea de re facienda cogitare, quam antea factam oportuit, & cuius gerendæ tempus iam præterijt. Idem auctor in Lælio, *Præposteris enim vtimur consilijs, & acta agimus, quod vetamur prouerbio.* & supra hoc ipso libro epistola 4. *Me miserum quod tu non valuisti. vna fuissemus, consilium certe non defuisset.* σὺν τέδυ ἐρχομένω. *sed acta ne agamus. reliqua paremus.* Sensus ergo horum verborum est, ne amplius cogites de nauigatione ad Pompeium, cuius instituendæ tempus elapsum est. oportuit enim cum ipso Pompeio nauigare. *Etiam illum ipsum*] Hæc quoque ex persona Attici dicuntur. non modo te fefellit præceps & nec opinatus Pompeij discessus, adeo vt ei te comitem adiungere non potueris: verum illum ipsum, quem ambo sequimur, Pompeium inquam, multa quoque fefellerunt. itaque actum ne agas.

IN EPISTOLAM XIX.

Videre non potero] Vulgati, *non potero:* manuscripti nostri, *non possum:* idq; rectius. veruntamen operæ, nobis inuitis, ediderunt, *potero.*

IN LIBRVM X.

IN EPISTOLAM I.

Paululum lectis respiraui] Ante verbum *respiraui*, legitur in Tornæsiano, Decurtato, & Crusellino, *lectis.* quam lectionem sinceram puto. Ait enim se respirasse, postea quã eas litteras legit. *Emptum pacificatorem*] Curionem, vt opinor, indicat, *qui primo*, inquit Paterculus, *pro Pompeij partibus, id est, vt tunc habebatur, pro Republica: mox simulatione contra Pompeiũ & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit: id gratis, an accepto centies* HS. *fecerit, vt accepimus, in medio relinquimus.* *Senatum non enim puto*] Statim post hæc verba, *in consessu Senatorum*, subijcitur in Decurtato, *Senatum non enim puto*, & ita edidi. A Tornæsiano & Crusellino vox *Senatum*, aberat; cetera comparebant. Negat Cicero consessum illum Senatorum Senatum esse, vel quod legitimus non aderat Senatorũ numerus, vel

quod

quod ibi libere loqui nemo poterat. *Suspensum me inde tenes*] Codices Tornæsianus & Cruselinus *suspensum meum de tenes:* correxi, *suspensum me inde tenes. Quid enim Flauio*] Quorsum enim tu scribas Flauio legionem & Siciliam dari? nisi vt indices intercluſum iri exitus Italiæ, ideo maturandum esse d. scessum nostrum? *scribas*, edidi, vt referebant veteres libri. *Summœrius*] Editiones, *summarius:* Decurtatus, *summerius:* Nos, *summœrius.* Summœrium vocat, quem modo appellarat emptum pacificatorem, diuersa tamen ratione. hoc enim nomine notauit Curionis impudicitiam, & turpe corporis obsequium, vt illo altero sordes & auaritiam. Paterculus, *Non alius maiorem flagrantioremq; quam Curio, subiecit facem, cui nobilis, eloquens, audax, suæ, alienæq; & fortunæ, & pudicitiæ prodigus.* significat ergo summœrius publicum prostibulū, cuiusmodi erant meretrices, quæ sub murorum fornicibus prostabant, vnde & summœnianæ dicebantur. Martialis libro 3.

Summœnianas cœnet inter & uxores.

Itaq; summœrius est summœnianus. nam muri, siue, vt veteres loquebantur, mœri sunt mœnia. *Probi est ἐκμαγεῖον*] Fœdam maculam hinc detersimus ope Decurtati, qui sic hæc verba referebat, *hominis hoc ipsum probi est & magiū. est τῶν πολιτικῶν σκιαμάτων &c.* Nos haud inscite, opinor, pro *& magium*, repoluimus ἐκμαγεῖον. qua voce significatur expressum alicuius rei simulacrum, vt norunt omnes, qui Græce sciunt. Scribit Cicero conatum illum Curionis de rebus componendis ἐκμαγεῖον esse viri probi. hac enim re Curio specimē quoddam edebat probitatis, cum ceteroqui vir esset nequam. *M. Antonij*] Hic locus non vacat suspicione mendi. Nam in Tornæsiano pro *M. Antonij*, scriptum est *Macum.* In Scidis totum hoc erasum est. Puto Græcum aliquod verbum sub cortice harum vocum latere.

IN EPISTOLAM II.

ΑΑΑΑΓΕΥΣΑ *iam adest*] Superiori libro docuimus hic legendum esse λαλαγεῦσα ideo nunc plura non addam.

IN EPISTOLAM III.

Cum igitur hæc scire] Repetendum est verbum *cupere*m, e superioribus.

IN EPISTOLAM IIII.

Non enim iam] Deerat hic in libris excusis, *iam*, quod ex nostris repositum est. *Nisi diuine*] Tornæsianus, *die*. fortasse Cicero scripsit, *pie*. quamquam veteres etiam, *dium*, dicebant pro *diuinum*. vnde illud, *sententia dia Catonis*. *Quorum &t &t tam acta atas*] Hæ duæ voculæ, &t &t, leguntur, vt edidi, in Scidis. in Tornæsiano, Crusellino, & Huraltino alterum &t, omissum fuerat librariorum negligentia. &t &t, significat quocumque modo, seu bene, seu male. Plautus Mostellaria, *verum, &t &t res se se habet, pergam turbare porro*. Idem Mercatore, *amens amans*q; *&t &t animum offirmo meum*. Terentius Heauton timorumeno, *pater, &t &t erat, mansum tamen oportuit*. *Cum eo de meo animo*] Victorius syllabis male cohærentibus legit, *cum eodem eo*, cum scribi debeat, vt est in nostris, *cum eo de meo animo*. Ait Quinctum filium cum Cæsare colloquutum fuisse, de suo consilio a Cæsaris rationibus alienissimo. *Vita & fuga*] Mei omnes, *vita & fuga*, vt edidi. *Propius factum esse nihil*] Non discrepat lectio Decurtata a vulgata: ideo nihil hic mutandum censeo. Ait Cicero propius nihil factum fuisse, quam vt Cæsar voluerit Metellum occidi: qua in re desciscebat ab instituta sua clementia, qua populi studia captare consueuerat. itaque mutata tandem sententia animum a cæde reuocauit. In codice Tornæsiano pro *eum*, mendose exaratum est *ei*; & post *&oluisse*, ex glossemate additū, *Cæsarem*. *Ex S. C. subrupto*] Antique, *subrupto*, pro *subrepto*. Plautus Rudente, *Hæc Athenis parua fuit &irgo subrupta*. Idem Persa, *qui sibi parentes fuerint, &nde subrupta sit*. *A me inquit*] Hic nonnulla inculcata fuerant in codice Tornæsiano, quæ a ceteris nostris absunt, neque sunt Ciceronis. sic enim ibi legitur, *ad Senatum a me inquit omnia proficiscentur*. Hæc duo, *ad Senatum*, notæ sunt adulterinæ. *Ad quæ ego*] Lego, *ad quæ ego*, vt est in Scidis: & paullo post, *quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella?* non vt quidam codices referunt, *quid enim &nquam*. *Quid quaris? acquieui*] Huius loci restitutio debetur Decurtato nostro, ex quo ita edidi: *quid quaris? acquieui. leuata est enim suspicio*. In Tornæsiano sic erat, *quid quaris atq; &t lebata est*. *Qua pro illo*]

pro illo] reposui, vt erat in Scidis, *qua pro illo sit supplicandũ. qua*, est, qua parte, nempe apud Pompeium, si quando is victoria potitus fuerit. Optabat Cicero Pompeium vincere, vt Q. Ciceroni filio delicti veniam impetraret. deliquisse enim videbatur, quod Cæsarem sequutus esset. *Sed velim quamminimo*] Nihil muto, velim, inquit, quamminimo opus esse. *Simul &*] Nostri omnes, *simul &*, vt edidi. Sic epistola 18. huius libri, *simul & in Cumanum veni.*

IN EPISTOLAM V.

Quod mihi mandas] Liquido exaratum est in Scidis, *quod mihi mandas de Q. regendo*, & recte quidem. vulgata lectio, *de quodam regendo*, ferri non potest. nota Q. Quinctum filium hic indicat. *Modestior*] In meis omnibus est, *modestior*, non, vt Victorius legit, *molestior.*

IN EPISTOLAM VI.

Et tamen reticenter] Codex Tornæsianus, *recitet &*: Cruscllinus, *recitent &*: Decurtatus, *reticẽ &*. Emendaui, *reticenter*: quod aduerbium eiusdem est notæ, qua lubenter, reuerenter, nocenter, valenter, ardenter, dolenter, & patienter. ait, se nihil acturum astute, sed tamen reticenter, id est, tacite. *Et tamen quia festinabam*] Quamuis hæ litteræ ideo potissimum breues sint, quia omnes meas cogitationes superioribus litteris explicaui tibi, tamen ea etiam de causa eas in pauca contraxi, quia festinabam, & eram occupatior. *De Quincto filio*] In Scidis est, *De Q. F.* vnde natus est error eorum qui has notas ita interpretati sunt, *de Quincto fratre*. Ego sane verissimam existimo hanc scripturam, *De Quincto filio*; quam diserte refert Cruscllinus. *Fit a me quidem sedulo*] In omnibus excusis deprauate est, *ita me*, pro *fit a me*, vt est in Decurtato. Videtur Cicero alludisse ad eum locum Terentij ex Adelphis: *fit sedulo; nihil prætermitto, consuefacio: deniq; inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium iubeo, atq; ex alijs sumere exemplum sibi.* verba sunt Demeæ narrantis Syro qua ratione Ctesiphoni moderetur, & eum ad bonam frugem perducat. Satis vero fuit Ciceroni locum primis verbis indicasse. ideo subijcit, *sed nosti reliqua.* Sic antea cum ageret de eodem Quincto fratris filio, *tamen*, inquit, *nihil prætermittam.* quæ verba sumpta sunt ex illis Terentianis, *nihil prætermitto.*

IN EPISTOLAM VII.

Pulsus est admodestior] Codices formis impressi, *modestior*; Decurtatus, Tornæsianus, & Cruselinus, *admodestior*, quos sequuti sumus. admodestior est longe modestior, vt admouitius apud hunc ipsum auctorem est admodum mouitius. Eiusdem formæ sunt apprimus, & approbus. *Simili oppidulo*] qui similis sit Melitæ, quod ad oppidum attinet. Melitæ enim opportunum erat oppidulum Ciceroni. *Fretensi Curio*] Nolui veterum librorum auctoritati refragari, in quibus constanter legitur *Fretensi*, quam vocem recte explicat Turnebus in aduersarijs.

IN EPISTOLAM VIII.

Istum enim victorem] Nihil muto. Sensus enim est, puto Cæsarem potius relinquendũ cum vincet, quam cũ victus erit, & in eo discrimine versabitur, vt magis incertus sit, quam certus, de rerum suarum exitu. *Præsto esse*] Patroni clientibus dicebantur præsto esse, cum aderant in iudicijs, vt eos defenderent. Nunc contra futurum scribit Cicero, vt clientes præsto sint patronis, quod clientes gratia multum possent apud Cæsarem, cuius partes sequuti fuerant: patroni vero ei hostium loco forent. *C. Ateij Plagulcium*] Vulgo hic legitur, *Cátulli*, refragantibus libris antiquis, qui partim referunt, *Catelj*; partim, *Cateij*. Puto Ciceronem scripsisse *C. Ateij*, significasseque C. Ateium Capitonem, iurisconsultum, Seruij Sulpicij discipulum, aut eius patrem. *Quod Mallius scilicet*] Cum in omnibus meis manuscriptis legissem, *Quod malus scilicet tantum?* eo coniectura ductus sum, vt crediderim Ciceronem ita scripsisse: *Quod Mallius scilicet tantum?* hoc sensu, Quod Mallius Capitolinus patrauit, tantumne fuit, & tanta animaduersione dignum, quam hoc, vt scilicet classi Pompeianæ aduersemur? quasi dicat, minime. multo enim leuius fuit facinus Mallij, quamuis iudicatum sit id ad opprimendam populi libertatem spectasse. numquam enim ille ciues aditu vrbis arcuit: quin contra, vt vrbem tueretur, primus in Capitolium se recepit, Gallosque eo ascendentes summa vi repulit: & tamen capite tandem pœnas dedit, ob affectati regni suspicionem. optimorum vero ciuium patriæque liberatorum classem appulsu patriæ prohibere, nonne manifestissimum est crimen

maiestatis?

maiestatis? denique quid turpius quam ciuem Romanum patriæ amantissimum cum ijs pugnare, qui eam a tyrannide vindicare conantur? Mallius quandoque per duplex LL scribitur etiam in veteribus lapidibus: vnde Græci μάλλιον scribunt: quandoque vero per N L. Manlius, vt in tabulis Capitolinis. Hic duplici L hoc nomen primum exaratum fuisse, declarat error inde natus veteris scripturæ, *malus. An inualide*] Partim ex coniectura, partim ex fide Decurtati hunc locum emendaui, hactenus fœdissimis maculis conspurcatum. Scriptura optimi eius libri hæc est, *An nè valde hinc abcentis solus tuli scelus*? Inde suspicatus sum Ciceronem scripsisse, *An inualide hinc arcentis solus tuli scelus*? Id est, an parum fortiter tuli scelus Cæsaris hinc, id est, Italia arcentis & prohibentis me? quasi dicat, minime. itaque eiusdem scelus multo fortius cum Pompeio, & ceteris præclaris viris feram, si omnes hinc ab eo arceamur. Ex ijs omnibus, qui Catilinæ coniurationem oppressérant, Clodius ope Cæsaris vnum Ciceronem exilio solum vertere coegit. ideo eam Clodij iniuriam hic Cicero Cæsari acceptam refert; atque se solum non inualide sed fortissime eam tulisse. Hic operæ alia omnia potius sequutæ sunt, quam eam lectionem quam eis præiueram. *Non; si simul*] Edidi, vt erat in Scidis, *non; si simul, &c.* hoc sensu, non fugerimus cum periculo, aut turpiter, si transierimus cum Pompeio. *Quod est, ne condamus*] His verbis, *ne condamus quidem*, explicat illud prius, *fateamur.* itaque, *quod est*, hic vim habet ἐξηγητικήν. *Fefellit ea me res*] Codex Tornæsianus, *fefellit eam res:* lego, *fefellit ea me res.* & ita est in Decurtato. *Qui florentissimus*] Coniecturam Manutij iuuat Decurtatus hæc verba ita referens, *qui florentiss. ac nouus* VI. VII. *diebus &c.* illud *florentiss.* compendio scriptum est pro *florentissimus. In suo lectulo*] Græcorum more dixit in suo lectulo, pro *in meo.* sic enim illi, ἐν τῷ ἑαυτοῦ κλινιδίῳ, pro ἐν τῷ ἐμαυτοῦ. Demosthenes pro Ctesiphonte, ἵστε ἡμᾶς παρελκυθέντας εἰσω πυλῶν, καὶ τὰ κατὰ τὴν φωκίδα ὑφ' ἑαυτὸς πεποιημένης. & Isocrates in Busiride, ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ πρόχειρότατον ποιεῖν, ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν ἐρημένων μηδὲν ἐπιδεικνὺς τῶν ἑαυτοῦ, πειράσομαί σοι διὰ βραχέων δηλῶσαι. quem locum notauit etiam Budæus.

Malle censueris] Nihil muto. in Tornæsiano tamen est, *censuerint*, & *vicem*. ΤΩΝ δὲ μελλόντων] Expressi scripturam veterum, licet ea aliquantulum variet ab illa quæ vulgo extat in codicibus excusis Thucydidis. *Sit* σοργὴ] Edidi ex Decurtato & Crusellino, *sit* σοργὴ, *sit summa* σύντηξις. sensus est, ponamus summum esse, vt certe est, amorem Tulliæ erga me, arctissimamq; vtriusque animorum coniunctionem, vt ambo videamur in vnum concreti, & coagmentati; illa tamen me recte facere, & bene audire vult; ideo minus moleste fert a se auelli, vt Pompeium sequar. σύντηξιν Cicero hic appellat firmissimam & tenacissimam animorum conglutinationem. sic verbum σωτήκειν vsurpat Plato in Conuiuio, ἐθέλω ὑμᾶς σωτῆξαι καὶ συμφῦσαι εἰς τὸ αὐτὸ, ὥστε ἐκ δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι. & Synesius in epistola quadam, σωτήξας τῇ τέχνῃ καὶ ἕνα ἀμφω ποιήσας τὼ ἀντερῶντας. ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΝ *iam euocem*] Aberat a vulgatis particula *iam*. eam nos in veteribus nostris repertam repræsentauimus. *Quamuis sit falsa*] Decurtatus non aliter hæc refert, quam vulgati codices. nolui tamẽ lectorẽ latere sic in Tornæsiano & Crusellino legi, *quamuis sit falsa, falsam agnoscere magni esse. Philotimus attulit*] Aberat ab antiquis nostris vox *litteras*.

IN EPISTOLAM IX.

Vbi ergo tuus ille animus] Hoc ordine hæc legebantur in Decurtato & Tornæsiano, *vbi ergo tuus ille animus?* atque ita reposui. & mox ex eodem Decurtato, *deinde quo videbitur*, vt legendum censet Malaspina. *Et adigit ita Postumia*] Decurtatus, *& adicit ita Postumia & Ser. F.* scripsi, *& adigit ita Postumia, & Seruius filius*. Cicero precibus Postumiæ vxoris Seruij Sulpicij, & Seruij eius filij, adigebatur, vt Seruium Sulpicium patrem exspectaret. Idem epistola 13. huius libri: *hic ego Seruium exspecto. rogor enim ab eius vxore, & filio.*

IN EPISTOLAM X.

Ei cum ego] Pro *ei*, vulgo mendose legitur *&*. Nos, *ei*, castigauimus, auctoribus Scidis. ΠΑΡΟΙΝΙΚΩΣ] Recte coniecit Lambinus ex deprauata Tornęsiani lectione legendum hic esse παροινικῶς. quo ferre quoque videntur vestigia hæc veteris scripturæ, quæ extant in Decurtato, ΠΑΡΟΝΙΚΩΣ. *Clamabo me*] Vitiose vulgati, *clamabam*. vere & syncere

syncere Decurtatus, *clamabo me. Carris hinc iſtis*] Deprauate Tornæſianus, *cati:* deprauate etiam Scidæ & Cruſellinus, *cartis.* emendaui, *carris.* Impedimenta vocat carros, vt contra impedimentorum nomine intelliguntur carri, apud Cæſarem, & alios veteres auctores. *Alteram ϛxorem*] Edidi, *alteram ϛxorem*, vt erat in Scidis. Cytheris enim Antonio vxoris erat loco: ideo hic eam Cicero vocat alteram illius vxorem. *Sunt an amicorum*] Quia Antonius exoletis pueris æque ac ſcortis vtebatur, dubitat Cicero an ſeptem his lecticis veherentur amicæ, hoc eſt ἑταῖραι (ſic enim Græci vocant meretrices) an vero amici, id eſt, ἐρώμενοι, &, vt Theſſali loquebantur, ἄϊται. vtrumque turpe, ſed hoc turpius. Vt autem Cicero hic amicos & amicas dixit, ſic apud Demetrium Phalereum Theopompus ἑταίρους, & ἑταῖρας. ἐκαλοῦντο μὲν, inquit, ἑταῖροι, ἦσαν δὲ ἑταῖραι.

IN EPISTOLAM XI.

ΑΕΙ ΤΙΘΗΝΥΣ ἔΤΙ] Conſentiunt Tornæſianus, Huraltinus, & Cruſellinus, cum Victorianis manuſcriptis. ſic enim hæc referunt, DE ITINE ET. Vnde Victorius primum reposuit, *De inquene:* & poſtea, mutata ſententia, *De itinere.* quæ lectio ſi vera eſt, mirum eſt profecto omnes veteres librarios ad tam apertum & planum locū pariter offendiſſe. Verum hic de Quincto filio non agi, ſed de eius patre, declarant ea quæ paullo poſt Cicero ſubijcit, *De fratre ſatis; de eius filio, indulſit illi quidem ſuus pater ſemper &c.* Præterea ex ſcriptura Decurtati conijcere licet, loco horum verborum, Ciceronem neſcio quid Græce ſcripſiſſe. ſic enim legitur in eo libro, ΑΕΙ ΤΙΝΕ ΕΤΙ. Itaque, re diligenter excuſſa, venit tandem in mentem mihi legendum eſſe, ΔΕΙ ΤΙΘΗΝΥΣ ἔΤΙ. His enim verbis rationem reddi puto, cur Quinctus Cicero pater ad Atticum de Q. puero aliter quam ad matrem de filio ſcripſiſſet: nempe quod matrem celare voluerit filij facinora. nam ſi ea palam illi feciſſet, periculū erat, ne illa peſſime filium acciperet, & ille ea re offenſus multo atrociora, quam adhuc fecerat, moliretur. continebatur enim obſequio materno aliquantulum in officio. Itaque prudenter Q. pater ad vxorem ita de filio ſcripſit, vt nullo modo eius animum ab amore filij alienauerit. Sciebat enim Q. puero adhuc opus eſſe nutrice, id eſt, matre, quæ ei moderaretur. atque id ſonant

hæc verba δεῖ τιθήνης ἔτι. Attico vero rem omnem vere narrauit, vt, si posset, ei malo mederetur. τιθήνη, vt ait Pollux, est quæ puerum educat, τίτθη quæ ei mammas præbet. matrem idcirco τιθήνην vocauit, vt studium eius indicaret in educando puero, & pueri obsequium erga illam. nam pueri libentius parent nutricibus, quam alij cuiquam. Porro δεῖ cum gignendi casu iungi solet: Demosthenes, δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων ἀδύνατον γενέσθαι τῶν δεόντων. *Et in eo laborat*] Lego *laborat*, vt est in Decurtato. ait enim Q. Ciceronem in eo laborare, vt satisfaciat Attico. itaq; fallo Atticum putare Quinctum nolle ipsi satisfacere. *Non; suas radices habent*] Quamuis vulgatam lectionem probem, lectorem tamen monitum volui, in Scidis, & Tornæsiano legi, *nam suas radices habent. Sed ea tempora sunt*] Plenior & integrior hic mihi visa est lectio Tornesiani, & Decurtati, quam excusorum. ideo sic ex eorũ fide edidi: *sed ea tempora sunt, vt omnia sint patienda. Certiorem fuit esse*] id est, constantiorem. Sic libro 8. supra, *Etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, pœnitere. numquam autem certior fuit, quam in hoc negotio. Recordor enim*] Inepti quidam interpolatores, quos operæ me inuito sequutæ sunt, hunc locum corrupere, cum recte in libris antea excusis, & in omnibus manuscriptis legeretur, *recordor enim æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ nauigans, quam fuerim sollicitus.* etenim, *nauigans cum ἀφράκτῳ*, dictum est Græcorum more, quisque addunt præpositionem σύ. Homerus libro 2. Iliadis, καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκλήϊσι κελεύσω. &, φεύγωμεν σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. Contra Thucydides absque præpositione, δέκα ναυσὶν ἐς τὸν πόντον ἐσεπεπλεύκει. & Cicero in Verrem, *nauigare myoparonibus*, & alibi in his epistolis, *nauigare classibus maximis. Eram locatus*] Reposui, vt erat in Scidis, *eram locatus*. nam alij libri mendose habebant, *erat locatus*.

IN EPISTOLAM XII.

ΠΑΡΩΡΑ ὀτλητέον] Victorius reposuit παραπλευτέον, quam recte, iudicabunt lectores ex veterum codicum scriptura, quam subijciam. Tornæsianus & Crusellinus sic habebant, ΠΑΡΑ ΟΤΑΕΙΤΕΟΝ. Decurtatus, ΠΑΡΟΡΑ ΟΤΑΙΤΕΟΝ. Hæc sane veteris lectionis vestigia eo non ferunt,

ferunt, quo duxit Victorius. Sed & persuaderi mihi non potest Ciceronem vsum hic esse Græco vllo verbo nauigandi, cum mox subiecerit, *& occulte in aliquam onerariã corrependũ*, nisi fateamur illum voluisse Græca interpretari Latinis verbis, quod non puto. quinimo aliud est occulte correpere in onerariam nauim, aliud παραπλεῖν. Nos ergo cubilia germanæ lectionis his vestigijs sagacius odorati, eã permultos iam annos latitantẽ ex densissimis latebris extrusimus, in medũq; produximus, vt possent studiosi omnes eam citra negotiũ consequi. ea vero est huiusmodi, πάρωρα ὀτλητέον. πάρωρα hic dicuntur τὰ παρὰ καιρὸν (sic enim πάρωρον Hesychius interpretatur) id est, tempora ad aliquid agendũ, ob cœli intemperiem, parũ idonea, quæ a Plinio appellantur intempestates. Eas Cicero cũ vitare in nauigatione suscipienda decreuisset, quod periculosam esse sciret cũ omnem nauigationem, tum eam potissimum, quæ intempestiue fit, profectionem suam ad Pompeium in vernum tempus distulerat. sed cum interim animaduerteret se vndiq; obseruari & custodiri, mutata sententia, ne forte existimaretur de compacto prohibitus, in Italiaque retentus, ait se malle quaslibet cœli iniurias nauigando perferre, quam in Italia cum dedecore remanere. ὀτλητέον ergo est, μετὰ πόνου καὶ κακοπαθείας ὑπομενετέον Incertus auctor apud Suidam:

Ἔνδικον ὀτλήσαντες ἀεὶ πόνον ἐξ ὑμέων γὰρ
Φεῦ πυρὸς ἐς τόσσην ἤλθομεν ἐργασίην.

Scies quicquid erit] auctoribus Scidis edendũ iussi, *quicquid erit*, vt legendũ suspicatur Malaspina. Paullo post etiam pro *iubes enim profectionẽ meã prouidere*, ex eodẽ libro & Tornæsiano reposui, *iubes enim de mea profectione prouidere*. *Vieti & δειλοὶ gente sunt*] dixerã olim Lambino hic legendũ videri, *vieti & δειλοὶ gente sunt*, huiusq; meæ suspicionis adstipulatorẽ codicem Tornæsianum protuleram, vbi sic erat exaratum, *& victi & diligentes sunt*. postea liquido scriptũ in Decurtato reperi, *vieti* quæ lectio ita meam coniecturam confirmauit, vt eam tanquam certam & indubitatam in nostrã editionẽ non veritus sim referre. Cur autẽ vietos & gente δειλοὺς Cicero Massilienses appellet, norunt quibus ignotũ non est Massiliã coloniam fuisse Phocæensiũ; quæ gens fuit Ionica ex vrbe Phocęa: Iones vero male audijsse mollitię la-

sciuiæque nomine. qua de caussa molles & lasciuas saltationes Horatius motus vocat Ionicos. Inde Plautus, cum mores impudicos significaret, mores Massilienses dixit in Casina. *Vbi tues*, inquit, *qui colere mores Massilienses postulas?* atq; eo hæc spectant Athenæi verba, Μασσαλιῶται δ' ἐθηλύνθησαν, οἱ τὸν αὐτὸν ἴβηρσιν τῆς ἐσθῆτος φοροῦντες κόσμον. ἀσχημονοῦσι γοῦν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τὴν τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες, ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, πλεῦσαι εἰς Μασσαλίαν. Ceterum gentem hic Cicero appellat generis originem. nam ad Phocæenses tanquam ad gentiles suos genus suum Massilienses referre consueuerant. Sensus igitur horum verborum est, Massilienses, in quorum animis insita est gentilium suorum Phocæensium mollitia atque ignauia, non auderent aditu vrbis suæ Cęsarem eiusve legatos arcere, si intelligerent in Hispanijs, a quibus nõ longe absunt, Pompeium male rem gerere. vererentur enim ne victor Cæsar pœnas a se reposceret. ΗΘΟΣ διδαχῇ ἁλωτὸν] Nihil deprauatius veteri scriptura huius loci. In Tornæsiano & Crusellino erat ΑΚΙ ΑΛΛΟΛΟΝ: in Scidis ΔΑΧΙ ΑΛΟΛΟΝ: emendaui, διδαχῇ ἁλωτὸν, idque ex his verbis sequentibus, *esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδακτόν.* scribit enim disciplina subigi & domari posse procax & proteruum ingenium Q. Ciceronis filij, aut virtutem ipsam non esse disciplinabilem. ἁλωτὸν dicitur quod capi & expugnari potest. Menander apud Stobæum ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. quæ verba Virgilius ita Latine extulit, *Labor omnia vincit improbus.*

IN EPISTOLAM XIII.

Semper secum aliqua mi] Manuscripti nostri, *secum aliquam afferunt*; emendaui, *secum aliqua mi afferunt*, mi enim μονοσυλλάβως, pro *mihi*, vt sæpe in his epistolis ΚΕΛΗΤΑ ἄοκνον] Falsum est quod scribit Lambinus, me hic legendum putasse κέλητα ὄνον. numquam enim id ei dixi, aut scripsi. aut igitur id somniauit; aut, quod puto, aliter mea verba accepit, quam ego dixeram. Ei enim aliquando indicaram suspicionem meam de hoc loco, & paucis demonstraram hic reponendum videri κέλητα ἄοκνον: vnde ille nescio quem asinum veredum commentus est. sed meminisse debuit horum Horatij versuum,

Infelix

Infelix operam perdas, & si quis asellum
In campum doceat parentem currere freno.

Verum vt ad coniecturam meam redeam, eam postea quodammodo confirmatã deprehendi deprauata hac scriptura Decurtati, ΚΑΗΤΑΟΚΝΟΝ. κέλης equus est qui ab vno sessore agitatur, nec currui iungitur. Eustathius sellarium interpretatur. huius generis fuerũt equi veredi, ad cursum publicum disponi soliti. itaque ἄοκνος κέλης hic appellatur veredus impiger, quique ocyssimo cursu sessorem ferat, quales erant equi illi publici, quorum vsus olim non patebat nisi ex diplomatibus. qua de causa cum Cicero significaret Atticum diploma obtinuisse, quo ipsi liceret cursu publico ex Italia exire, scribit eum habere κέλητα ἄοκνον. Hunc enim locum de diplomate intelligendum esse declarant hæc verba ex epistola penultima huius libri, *De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimulaverim. negas enim te reperire qui mihi id in mentem venerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare (etenim audieram neminí aliter licere) eo te habere censebam; & quia pueris diploma sumpseras.* Diplomata autem erant codicilli, quibus potestas dabatur cursu publico aliquo proficiscendi. Venuleius libro primo stipulationum, *vt qui Ephesi daturum se spoponderit, neq; diplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate contempta, iter continuare cogatur:* & paullo post, *quod si diplomate vsus, aut felici nauigatione, maturius quã quisque peruenerit Ephesum, confestim obligatus est.* & Modestinus libro octauo Regularum, *qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus vsus est, vel falso diplomate vias commeauit, pro admissi qualitate grauissime puniendus est.*

IN EPISTOLAM XIIII.

O vitam miseram] Hinc initium epistolæ ducit Decurtatus, quem sequutus sum. *Qua erui nusquam*] Libri vulgati, *qua frui*, inepte, & contrã Ciceronis sententiam. nam difficultate pecuniaria cuiuis licebat frui, etiam intactis ciuium bonis. sed ea difficultate liberari neuter horum poterat, nisi ex ciuium bonis. Legendum ergo *erui*, pro *frui*.

IN EPISTOLAM XV.

Cui expensos tulerit] Hunc locum ita edebat Decurtatus, *nunc ait se daturum cui expensus tulerit. moram in tabella-*

rijs. quibus e verbis id tantum mutaui, quod pro *expensus*, re posui *expensos*, & post verbũ *tulerit*, addidi τελείαν στιγμήν. Dare cui numi expensi sint, hic significat, edere tabulas, quibus pateat cui nummi soluti sint. Funisulanus multos nummos debebat Ciceroni, quos cum non solueret, dicebat se cuidam Ciceronis creditori, ad eum liberandũ, illos numerasse: nec tamen dabat qua satisfecisset, id est, non ostendebat qua parte, & cui, Ciceronis nomine, eos dissoluisset, sed pollicebatur se daturum, id est, prolatis tabulis demonstraturum, cui expensos eos tulisset. moram autem eius rei sibi non esse adscribendã, sed tabellariorum aut inopiæ, aut cunctationi. *Si apud te esset*] Si apud te essent tabulæ, quibus docere posses, qua parte, aut qua ratione pro aliquo, qui te appellaret, satisfecisses, sane non grauate eas proferres, nec ita cunctareris, vt Funisulanus. *De* XII *millibus pudens*] Qui præter eam pecunię summam, quam Gallio credidi, me dare iubeat eidem XII. millia HS. *Sed tantum voluit cito*] Tantam summam nempe XII. millia HS. Axius voluit vt cito numerarem Gallio, quod fieri non potest hoc tempore, quo summa est caritas nummorum. *Sed Dij istos*] Dij istos perdant, qui nobis potius incommodant, quam vlui sunt.

IN EPISTOLAM XVI.

Opto vt beatus sis] Beatus hic diuitem & fortunatũ significat, vt sæpe apud auctores Latinos. Dionysius ijs tantum amicus esse solebat, qui rebus secundis vtebantur. ideo cum optabat Cicero vt is amicus esset Attico, simul id optabat, vt Atticus beatus esset. nam ille tandiu ei futurus erat amicus, quandiu is beatus. *Me velle postridie*] In Tornæsiano est, *me velle postridie conuenire.* Puto verbum *conuenire*, additum fuisse ex glossemate. nam in alijs libris manuscriptis non comparebat. *Nedum morbum*] Perspicue legitur in Tornæsiano & Decurtato, *nedum morbum*, vt in libris Malæspinæ, cuius hic iudicium sequor.

IN EPISTOLAM XVII.

Id si ἀκραὲς erit] Scripsimus ἀκραὲς, emendata veteri scriptura Decurtati, *acras.* nam quod in vulgatis legitur, *cras*, omnino mendosum est. Contraria sunt æquinoctiũ ἀκραὲς, & perturbatum. nam ἀκραὲς, significat liquidum, purum, nullisq; nubibus obductum. sic ἀκραὴς ἄνεμος Homero est ἀμιγὴς καὶ καθαρός.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XVIII.

ΤΑ ὄνεια] Has Græcas voces ita refert Tornæsianus, ITA ONIA: Decurtatus sic, TA ONIA. emendaui, τα ὄνεια: quo nomine ea significantur quæ sunt ex vsu. *Spissa*] Spissum, est lentum & tardum: vnde apud Plautum pro spisso significat rarenter; & spissigradissimus is dicitur, quem idem Comicus ait formicinum gradum mouere. *Vt male posuimus initia*] In eandem sententiam sic scribit Aristoteles libro 5. de Republica, τέτε δ' αἴτιον, ὅτι ἀδωμάτον ἀπὸ τῦ πρώτου καὶ τῦ ἐν ἀρχῇ ἡμαρτημένε μὴ ἀπαντᾶν εἰς τὸ τέλος κακόντι. *Fors mias*] Omnes prisci nostri, *Formias*: ex quo feci, *Fors mias*. *Fors* significat fortasse. Charisius, *nec minus fors pro aduerbio ponitur, vt, & fors æquatis cepissent præmia rostris.* μίασ autem Hesychio est μίασμα: quo vocabulo idem hic auctor vtitur libro 13. harum epistolarum cum scribit, *eia tu:* μίασ κόρδε sic enim ibi legendum, vt suo loco docebimus. Est ergo μίασ, scelus & piaculum. ideo mox subiicit, *eadem nos Furiæ fortasse persequentur.* nam Furiæ nefarios homines, qui se aliquo piaculo obstrinxerant, persequi solebant. Porro, *eadem*, aduerbium est. idem Charisius, *Veteres eadem solitè sunt dicere, non addentes via, vt sit κατ' ἔλλειψιν: vt Plautus inquit, eadem bibes, eadem tibi dedero suauium.*

IN LIBRVM XI.

IN EPISTOLAM II.

Vna leuata] Et in Tornæsiano, & in Decurtato, & Cruselliano perspicue exaratum est, *Vna leuata.* quæ lectio ita certa est, vt de ea dubitare ne Cicero quidem ipse possit. *De dote quod scribis*] Soluto matrimonio Crassipedis & Tulliæ, cum Dolabellæ Tullia nupsisset, Cicero valde æstuabat in dote illi persoluenda. non enim eam integram ipsi tempore nuptiarum numerarat, cum a Crassipede nondum eam exegisset, expectandaque dies esset legibus præstituta ad dotem repetendam, quæ aut pondere, aut numero, aut mensura constabat. huiusmodi enim dos citius exigi non poterat quam annua, bima, trima die. itaque totidem pensionibus, hoc est tribus, se eam Dolabellæ soluturũ promiserat. ac prima soluta, cũ adforet dies secundę proximis Kalendis Quinctilibus, & interim Dolabella perditissimo nepotatu rem

omnem familiarem absumpsisset, vxoremque Tulliam omni ope destitutam Romæ reliquisset, incerto animo Cicero fluctuabat illine reliquum dotis numeraret, an id Tulliæ, facto diuortio, conseruaret. nam & Tulliæ cautum volebat, & , dirempto matrimonio, verebatur ne, incerto adhuc rerum exitu, Dolabellæ animum, qui gratia plurimum valebat apud Cæsarem, a se abalienaret. Interim ergo, dum certo constitueret quid facturus esset, cupiebat Tulliam sustentari suis opibus, & facultatibus Attici. Hunc locum hactenus ab interpretibus male explicatum, in eam partem, in quam interpretati sumus, accipi debere, hoc est, de solutione dotis Tulliæ intelligendum esse, declarat ipse Cicero proximis duabus epistolis, quarum altera ita scribit, *De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, & vt scripsi ijs litteris, quas Pollex tulit.* altera hoc modo, *Quod ad Kalendas Quinctiles attinet, quid vellem, & trum graue est, & tam graui tempore periculum tantæ pecuniæ, & , dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio.* ' *Detracta*] Terentia ex prima dotis Tulliæ pensione HS LX. detraxerat, quæ Dolabella sibi solui cum secunda pensione postulabat. eam vero primæ pensionis imminutionẽ Cicero ægre ferebat. ideo infra epistola 24. de alia quadam detractione loquens, *cum hoc*, inquit, *tam paruum de paruare detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit.*

IN EPISTOLAM III.

Quod ad Kal. Quinctil.] Quo die secunda pensio dotis Tulliæ numeranda est Dolabellæ. *Et dubio rerum exitu*] Cicero non audebat auctor esse Tulliæ diuortij faciendi cũ Dolabella, quia dubium rerum exitum metuebat, hoc est, verebatur ne Cæsar victoria potiretur: itaque Dolabella diuortio illo tanquam graui quadam iniuria lacessitus, Cæsaris odium in se concitaret. nam Cæsar plurimum cupiebat Dolabellæ causa. *Si tecum*] Si de Tulliæ matrimonio potius Romæ tecum deliberauissem, quam per litteras, partim cum irem in Ciliciam, partim cum eo peruenissem. si enim Romæ tunc fuissem, cum ea de re actum est, fortasse detexissem quam tenuis esset res familiaris Dolabellæ, cognitaque eius inopia, ei Tulliam vxorem non dedissem. Itaque melius consultum esset Tulliæ. Hoc de matrimonio egerat cum

Attico

Attico epistola 4. 13. & vltima libri quincti, & prima libri sexti. *De salute nostra*] Salutem suam vocat matrimoniũ Dolabellæ & Tulliæ, quod salus ipsius pendere videretur ex retenta amicitia & affinitate Dolabellæ, si Cæsar rerum potiretur, cui ille carissimus erat. qua de caussa verebatur matrimonium illud, incerto adhuc rerum exitu, dirimere; ne Dolabella, nuncij remissione, tamquam graui contumelia lacessitus, odium Cæsaris in eum conflaret. Fortunas autem idem matrimoniũ appellat, quod in eo de maxima parte eius facultatum ageretur. nam Dolabellæ, qui omnia sua bona luxu & nepotatu profligarat, pẽdenda erat reliquæ dotis nomine (nam partem iam acceperat) ingens pecuniæ vis, periculumque erat eius amittendæ. *Vides, vt sunt*] Sequutus sum Tornæsianum, & Cruselllinum hæc ita referentes, *quæ tu profecto vides, vt sunt, & grauissima esse &c.* nam in vulgatis hæ duæ voces, *vt sunt*, non leguntur.

IN EPISTOLAM V.

Nihil omnino ad vos] Tornæsianus & Cruselllinus, *nihil omnino ad vos scriptis litteris*. sed illud, *scriptis litteris*, abest a Decurtato, & puto ex aliquo glossemate profectum esse. *Officium deesset*] In Cruselllino erat, *deet*, quæ scripturę contractio sic debet explicari, *deesset*, vt edidi.

IN EPISTOLAM VI.

ΑΠΟΜΟΘΕΝ *nunc ad Oppium*] Fœdissima macula hic inquinati sunt omnes nostri codices calamo exarati. Tornæsianus habet, *domo te:* Cruselllinus, *dromo te.* correxi, δρομάδην, id est, ex cursu. nam profectionem suam ad Pompeiũ vocat cursum, quia in Italia non remanserat, vbi tamen ita quiescere potuerat, vt nullam Reipublicæ partem attingeret. Præterea pro *quoniam*, existimaui Ciceronẽ scripsisse, *Cornelium*. nam pronomen *ijs*, quod sequitur, manifesto indicat de pluribus quam de vno Oppio hic fieri mentionem. & solebant hæc duo nomina, *Oppius*, *Cornelius*, plærumque sine copula simul iungi. eoque modo scripsit Cæsar supra libro nono in inscriptione epistolæ ad vtrumque. Nihil hic me iuuerunt Scidæ, in quibus non modo maxima pars huius epistolæ deerat, sed etiam tres proxime antecedentes. *Pla-*

ceret modo] Id est, vtinam saltem. Idem epistola quæ vltimã præcedit huius libri, *te certiorem factum non esse? modo valeres. Is dicitur vidisse*] Post verbum vidisse, Tornæsianus & Crusellinus addunt notam Q. quæ Quinctum significat. sed ea abest a Decurtato: & puto ex interpretatione fluxisse. nam hæc ad Q. filium referri debent, cuius proxime meminerat.

IN EPISTOLAM VII.

Fac tu igitur] Ex codice Decurtato scripsi, *factu*, duabus vocibus. Tu, inquit, facito vt vtar iisdẽ istis lictoribus, quemadmodum scribis istis placere. *Quod scribis te flagitari*] Victorius, repugnantibus libris antiquis, edidit, *Terentiam flagitare*, cum in manuscriptis sit, *te flagitari*, quo modo prorsus legendum est. hoc enim libro Cicero non de Terentiæ, sed de Tulliæ miserijs queritur, quam Dolabella omni ope rei familiaris destitutam Romæ reliquerat. ea vero ægestate pressa Atticum flagitarat, vt, sibi nomine patris Ciceronis, opem ferret. *Tibi obesse aliquid posit*] Hic quoque Victorius refragantibus veteribus libris reposuit, *Teretiæ*, pro *tibi*. Sed potior est mihi antiquorum exemplarium auctoritas, quam eius opinio. Vult autem Cicero Atticum ita facultatibus suis Tulliam iuuare, vt id beneficium ipsi damnosum non sit.

IN EPISTOLAM VIII.

Vale VI. *Kal.*] Perspicue erat in Decurtato VI. *Kal.* vt in quibusdam suis se legisse testatur Malaspina. itaque cum hanc lectionem multorum veterum codicum auctoritate niti viderem, eam potius quam vulgatam in exemplar nostrum retuli.

IN EPISTOLAM IX.

Quieram (*quid facerem?*)] In quibusdam nostris legebatur, *sciueram*: in alijs, puta in Decurtato, *ciueram*: arbitratus sum litteram C, hic locũ τῆς Q occupasse, scriptumq; initio fuisse *cueram*, pro *quieram*; huncque pusillum errorem, si error vocandus est, longe lateque postea vitio interpolatorum fuisse propagatum. sic veteres *cocus*, pro *coquus*, & *cotidie*, pro *quotidie*, & alia multa id genus scribebant.

bant. Porro *queueram κατὰ συγκοπὴν* dictum est, pro *quieueram*. Ait vero se quieuisse, id est, omnem motum & tumultum bellicum deuitasse, dum in Italia mansit: vocatque consilium hoc manendi in Italia non forte, quod illi timidi & ignaui haberentur, qui cum Pompeio non cederent. *Ceſsi meis*] Emendaui, *ceſsi meis*, cum scriptum reperissem in Scidis, *ceſsim ijs*: in Tornæsiano, *ceſsim his*. Suos appellat necessarios, amicos, & familiares, qui ei auctores fuerant, vt Italia relicta Pompeium sequeretur.

IN EPISTOLAM XII.

Nilo meo his verbis] Edidi, *Nilo meo*, vt referebat Decurtatus. nam alij libri hic misere corrupti sunt. *Nilo meo*, est per Nilum meum. Hic Nilus libertus fuit Ciceronis, cuius mentio fit epistola 23. huius libri. *Cretionem simplicem*] Cretio simplex dicitur, cum, e pluribus heredibus scriptis, vnus cum cretione instituitur, reliqui sine cretione. Itaque cum nulla alia cretio ad Ciceronem perlata esset, ex eo concijciebat, neminem alium cum cretione institutum fuisse, & cretionem simplicem, id est, sui vnius extitisse. *Sine cretione*, inquit Vlpianus Titulo 22. Regularum, *heres institutus, si constituerit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non potest.*

IN EPISTOLAM XIII.

Neq; tam mihi] Scripsi, vt erat in Decurtato, Tornæsiano, & Cruselino, *neque tam mihi desperatum iri videbantur.*

IN EPISTOLAM XIIII.

Ad Minutium pariantem] Mei omnes manuscripti, præter Decurtatum, hic habent, *Ad Minutium parentem*; quo modo in vulgatis legitur. At in Decurtato pro *parentem*, exaratum est, *parantem*. vnde conieci Ciceronem scripsisse *pariantem*: id est, pares facientem rationes accepti & expensi; vt quod is Attico creditori, alijsve eius iussu curaret, id Atticus sibi expensum latum agnosceret, eumque pari obligatione, æquatis rationibus, liberaret. Atticus Minutio argentario multum pecuniæ crediderat: de qua pecunia Cicero certam quandam summam sibi curari vo-

lebat, ea lege, vt eam summam Atticus reciperet ex quarũdam ipsius rerum venditione, quarum alienandarum curam susceperat. Proinde, cum ex ea venditione plus Atticus redegisset, quam Cicero putarat, hoc est, ad XXX. HS. mandarat Minutio, vt de sua pecunia tantundem, nempe XXX. HS. Ciceroni curaret. eam enim summam se ipsi Minucio acceptam laturum. quas Attici litteras hic Cicero se ad Minucium missurum scribit, additque se rescripturum Attico numquid ille egerit, id est, mandatisne satisfecerit, sibique curauerit illa XXX. HS. Itaque cum Minutius de illa summa XII. HS. tantũ ipsi postea curasset, coactus est Atticum appellare epistola proxime sequenti, vt sibi reliquum eius pecuniæ curari iuberet. Pariandi verbo vtitur Vlpianus, & pariationis, pariatorumque Scæuola & Paullus Iurisconsulti. Est autem pariare æquare rationes expensi & accepti. *Si vllo modo pote*] Legebatur in Tornæsiano, Crusellino, & Decurtato, *quem videre si vllo modo potest enim res perueniem*: emendaui, *quem videre, si vllo modo pote (est enim res) perueniem. pote* est δυνατόν. *Res* autem negotiũ & difficultatem hic notat. sic libro 7. harum epistolarum, *His in rebus*, inquit, *ita conualuit, vt nunc, ni vno ciui, res ad resistendum sit*. Paullo post ex ijsdem veteribus libris edidi, *ibi facile est quid; quale sit, grauius existimare*.

IN EPISTOLAM XV.

Achai, ἢ item ex Asia] Edidi ex fide Decurtati, *Achai, ἢ item ex Asia*. dictum est *ἢ ex Asia*, vt paullo post *ἢ ex Africa*. *Genus conditionis*] Vt qui licitatione vinceret, is optionem haberet partium hereditariarum. *Cum ea pars*] In hereditate diuidenda partes ita æquabiliter secari non possunt, quin aliæ alijs aliquantulum præpolleant. proinde multum refert cui e consortibus deferatur optio. quo fit vt ea de re sæpe inter illos grauis oriatur controuersia, quam hic Cicero scribit dirimi licitatione. nam pecunia in optionem dicta minoribus partibus adcrescit. itaque expletur quod in eis deesse videbatur: iureque ei defertur optio, qui licitatione vicit. atq; hoc ex loco patet quid seruatum fuerit tempore Ciceronis in controuersijs de optione partium hereditariarũ. & sane Ciceronis hac in re sententiam potiorem duco, quã

eorum

eorum qui hanc contentionem officio iudicis, aut sorte diiudicandam censent; aut Guidonis Papiensis, & Æmilij Ferreti, qui existimant optionem minoribus natu dari debere. Verum quærat hic aliquis, cur Vlpianus licitationi subijci nolit asseruationem chirographorum, & instrumentorum hereditariorum, quæ communia sunt inter consortes. nimirum quia licitatio genus est emptionis. emptione vero res desinit esse communis. itaque ne communium syngrapharum dominium omne in eum transferri videatur, qui plurimo licitus fuerit, non placuit Vlpiano, neque Pomponio, eam rem ad licitationem deduci. Vlpiani verba sunt ex libro 19. ad Edictum, *Nam ad licitationem rem deducere, vt qui licitatione vicit, hic habeat instrumenta hereditaria, non placet neq; mihi, neq; Pomponio.*

IN EPISTOLAM XVII.

Itaq; matri eam] Importuna repetitione vltimæ litteræ vocis *itaq;*, primum huic loco leuis aspersa est macula, quæ postea vitio impurorum quorundam interpolatorum aucta ita hic insedit, vt totam sententiam corruperit, nulloque alio smegmate elui potuerit, quam veterum librorum. Ijs igitur adhibitis, vt has sordes abstergerem, ita exaratum in Decurtato reperi, *Itaq; Ematriam:* quam scripturam hoc modo purgari posse existimaui: *Itaq; matri eam.* nam ex epistolis ad Terentiam, & alijs huius auctoris locis intelligitur, eum Tulliam matri remisisse, cum eam aliquot dies secum habuisset. *Quam ad modum consolantis*] Valde hoc loco depraua erat omnia quæ habui exemplaria. Sed in Scidis supererant adhuc obscura quædam vestigia germanæ lectionis. itaque vt videant lectores quam recto tramite ijs institerim, in reponendis natiuis Ciceronis verbis, apposui scripturam eius libri: *Pro ea quam ad modum consolantis scripsisti pro tanta tato me scripsisse qua tu ipse intelligis responderi potuisse.* emendaui, *Pro ea quam ad modum consolantis scripsisti φαύστατα, putato me scripsisse, qua tu ipse intelligis responderi potuisse.* Eius, inquit, epistolæ loco, quam instar consolantis ad me scripsisti lenissime, putato ea me tibi rescripsisse, quæ tu intelligis potuisse responderi. Cum Cicero graui mœrore conficeretur qua de suis, qua de Tulliæ miserijs, At-

ticus eum leniſſimis litteris conſolatus fuerat, quibus cum Cicero non reſcriberet, mandauit Attico, vt ipſe ſibi ita reſponſum putaret, vt in ea reſponſione deſiderari nihil poſſet. Ceterum πρᾳότατα Attice dictum eſt pro πρᾳοτάτως. ſic epiſtola 22. libri 13. ἀσμενέστατα, pro ἀσμενεστάτως. Sed id vel pueris tritum.

IN EPISTOLAM XX.

Seleucia Pieria] Non potui non probare hanc lectionem Decurtati, *Seleucia Pieria C. Trebonius*, vt iam dudum emendauit Manutius.

IN EPISTOLAM XXII.

Sed ſi malis] Noſtri omnes, *ſed vt malis:* recte. *malis*, verbum eſt a malo mauis. ſed, inquit, iuua me conſilio, & ſcribe quomodo malis, an vt hic maneam, an vt propius accedam.

IN EPISTOLAM XXIII.

Se tecum loquutum] Cruſellinus codex, *te ſecum loquutum:* Decurtatus, *ſe tecum loquutum*, vt edidi. *Tuas litteras exſpectabam*] Cum hæc, inquit, ſcriberem, tuas litteras exſpectabam. nam præteritum hoc imperfectum ad id tempus refertur, quo Cicero hanc epiſtolam ſcribebat. Idem iudicandum de verbis, *putabam*, *ſenerat*, &, *nunciabat*, quæ mox ſequuntur. *Niſi ſic illud quidem*] Pro *niſi*, reposui *ni ſic*, vt erat in Scidis. Reprehenderat Atticus neſcio quid in epiſtola Ciceronis, ſuaſeratque vt id mutaret. Ei reprehenſioni reſpondet Cicero, aitque ſe non videre quo modo id, quod ille notarat, mutari poſſit, niſi ſic: *ſed cum a Nilo accepiſſem litteras, deſideraui tuas.* ſunt enim verba quæ Atticus reprehenderat, vt quidem correcta fuerant a Cicerone. *Et ſic putabam*] Et ita putabam illud mutari & corrigi poſſe. Hic quoque *ſic*, pro *ſi*, ex fide Decurtati & Cruſellini reposui. *Te certiorem factum non eſſe?*] Certior hic eſt validior & confirmatior, referturque ad corpus, vt lib. 10. ad animi conſtantiam, *& quo ille me certiorem ſuſtulit eſſe, eo magis tu meo ne in illum exiſtum crudelior.* ſed fortaſſe ſcripſit Cicero, *erectiorem*. Quidam etiam legendum putant, *fortiorem*: ſed ego vix auſim tam longe a vetere ſcriptura recedere. Hæc autem cum interrogatione legi debent. *Acuſius quidam*] Vulgati

Vulgati libri partim *Agusius*, partim *Augusius*, referunt. At melius, vt opinor, Decurtatus noster, *Acusius quidam*. nomen *Acusius* Græcam originem redolet. est enim Græce ἀκούσιος, quod inuitum significat. *Pridie eum diem*] Perspicue exaratum erat in Decurtato & Tornæsiano, *pridie eum diem*, vt edidi. Sic Latini dicebant pridie Kalendas, & pridie Nonas. *Eo feci*] Tornæsianus, *eo feci vt eo:* Decurtatus, *eo feci vt ego*, plane recte. *Aliquid fecissemus, vt vini*] In vulgatis est, *vt viui:* correxi ex Decurtato, *vt vini*. fecissemus, inquit, aliquid, puta vini, hoc est, vinolentiæ, aut tabularum nouarum nomine. Enumerat Cicero caussas quibus Tullia potuerit nuncium remittere Dolabellæ: in quibus refert ipsius Dolabellæ vinolentiam, quam paullo post vocat vini abusionem. Nam hæc de diuortio Terentiæ accipi non debent, sed de Tulliæ: quam cum intelligeret ad summam inopiam redactam esse, mox ait se pœnitere, quod prius non diremerit eius matrimonium; quam secundam pensionem Dolabellæ solueret. *Nec enim*, inquit, *res perijsset, & videremur aliquid doloris virilis habuisse*. Ad hanc nuncij remissionem referenda sunt quæ idem Cicero in hunc modum Terentiæ scribit libro decimo quarto epistolarum ad familiares. *Quod scripsi ad te proximis litteris de nuncio remittendo; quæ sit istius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. si metuendus iratus est, quies tamen ab illo nascetur. totum iudicabis quale sit, &, quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies*. Vim istius, vocat vim Dolabellæ, quispe nouarum tabularum multitudinem obrutam ære alieno concitabat. *Vel tabularum nouarum*] Dio libro 42. tradit Dolabellam, cum obæratorum caussam foueret, promulgasse legem de nouis tabulis. οὗτος μὲν γὰρ (de Dolabella loquitur) τοῖς ὀφείλουσιν, ἐξ ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, καὶ διὸ καὶ ἐκ τῶν εὐπατριδῶν ἐς τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ δημαρχίᾳ μετέστη, συνηγωνίζετο. & postea eodem libro, ὁ γὰρ Δολαβέλλας ἀπολυοὺς συγγνώμης τινος παρὰ τοῦ καίσαρος τεύξασθαι, μέγα τι κακὸν ἐπεθύμει δράσας ἀπολέσθαι, ὡς καὶ ὄνομα ἐκ τούτου ἀεὶ σχήσων (ἤδη γάρ τινες καὶ τῶν κακίστων ἔργων ἐρασταὶ ἐπὶ τῇ φήμῃ γίνονται) ὑφ' οὗπερ καὶ ἐκεῖνος τά τε ἄλλα ἐτάραττε, καὶ τοὺς νόμους τόν τε περὶ χρεῶν καὶ τὸν περὶ τῶν ἐνοικίων ἐν ῥητῇ τινι ἡμέρᾳ θήσειν ὑπέσχετο.

eandem legem antea promulgarat M. Cœlius Prætor, vt eodem libro refert Dio, & Cæsar libro tertio commentariorũ de bello ciuili. *Vel nocturnarum expugnationum*] Dolabella multa Romæ scelerate fecerat, adeo vt aliquando desperarit de venia a Cæsare impetranda, quemadmodum scribit Dio libro 42. atque eo referendum puto quod hic Cicero tradit de nocturnis expugnationibus. *Vel Metella*] Videtur hæc pellex fuisse Tulliæ. In Tornæsiano est, *Velim Metellæ. Memini omnino tuas litteras*] quibus ad me scribebas de Tullia nuptui danda Dolabellæ. *Sed & tempus illud*] Quo accisis adhuc, propter recentẽ exilij cladem, meis rebus, difficile erat, qualem vellem, generum inuenire, præsertim cum abessem Roma. itaque cogebar contentus esse Dolabella. vide epistolam 4. libri 5. Actũ est de nuptijs Tulliæ & Dolabellæ, cũ Cicero in Ciliciam proficisceretur. *Etsi quidquid præstitit*] Quam Tulliam tum nuptui dare Dolabellæ. Nihil enim mihi peius accidere potuit. *Ipse videtur denunciare*] Sequutus sum manuscriptos nostros, in quibus perspicue exaratũ est, *ipse*: quo modo etiam legitur in primâ editione Victoriana. hoc autem pronomine indicatur Dolabella, qui absumpto omni patrimonio suo, profligataque maiori parte dotis Tulliæ, credebatur ei velle nuncium remittere, quasi de nouis tabulis faciendis etiã in eius dote cogitaret. *Audimus enim detestatu iri*] Notarum ignoratio hunc locum deprauauit. In Tornæsiano erat, *Audimus enim destaturi Clodi generumne nostrum potissimum &c.* In Decurtato, *Audimus enim detestaturi Elodi generumne nostrum potissimum &c.* Legendum existimaui, *Audimus enim detestatu iri* E. I. o *Dij, generumne nostrum potissimum, & vt hoc, vel nouas tabulas?* Hic *detestatu iri*, est *detestatum iri*. sic apud Iurisconsultos nostros legas, *redditu iri, traditu iri, datu iri, debitu iri*, & alia sexcenta. significat autem, *detestatu iri*, cum testatione denunciatum iri. *Detestari*, inquit Paullus libro 53. ad Edictum, *est absenti denunciare*. & Vlpianus lib. 56. ad idem Edictum, *Detestatio est denunciatio facta cum testatione*. quæ duo verba Iurisconsultos illos retulisse puto ad repudiorum & diuortiorum denunciationes. *nam*, inquit idem Paullus, *nullum diuortiorum ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, præter*

præter libertum eius, qui diuortium facit. renunciabatur autem diuortium non modo præsenti, sed etiam absenti. Caius libro II. ad Edictum prouinciale, *Siue autem ipsi præsenti renuncietur, siue absenti per eum qui in potestate eius sit, cuius ve is, ea ve in potestate sit, nihil interest.* Quia ergo Cicero audierat diuortium Tulliæ absenti denunciatum iri, idcirco vtitur verbo detestandi, idque παθητικῶς, quomodo verbum testari veteres sæpe vsurpabant, vt refert Gellius libro II. Iam hæ notæ E.L. quæ mox sequuntur, significant ex lege. nam Dolabella nuncium Tulliæ remissurus erat ex lege, hoc est, ex præscripto & formula legis XII. Tabularum. Caius libro 3. ad legem XII. Tabularum, *si ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta esse videatur, tamen si quis eam vxorem duxerit, adulter non erit.* Auctor hic noster Philippica secunda, cum idem significaret, *ex XII. Tabulis* dixit: *Frugi*, inquit, *factus est; mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex XII. Tabulis, clues ademit, exegit.* Sensus ergo horum verborum est, nunc Dolabella videtur repudium denunciare. audimus enim denunciatum iri Tulliæ, testibus præsentibus, ex lege XII. Tabularum, vt ea suas res sibi habeat. Quæ sequuntur, *o Dij &c.* ab his separari debent, cum non sint eiusdem periodi. *O Dij generumne nostrum*] Exclamatio indignationis plena. nam Cicero iniquissimo animo ferebat generum suum, hoc est, eius qui optime de Republica meritus esset, eo impudentiæ erupisse, vt cogitaret de lege nouarũ Tabularum ferenda. qua lege, præter quam quod ingens clades, atque adeo interitus præstantissimæ parti ciuitatis adferebatur, ipsa etiam Tullia solutam illi ipsi Dolabellæ, eius legis auctori, dotem erat amissura. itaq; Cicero putabat Dolabellam ea de caussa velle Tulliæ nuncium remittere, vt eam dotis repetitione fraudaret. O dij, inquit, id ne ferendum est, generum nostrum potissimum, qualecunque hoc sit, vel nouas tabulas inducere? *Vt & hoc*] qualecunque hoc sit; siue plurimi faciendum, siue minimi, quod nobis affinitate deuinctus sit. *Vini abusio*] Abusionem vini vocat vinolentiam, quæ caussa olim legitima fuit viris vxores dimittendi. nam si mulier vinum biberat, non modo eam repudiare eius vir poterat, sed etiam æque plectere, ac si aliquid probri cum alieno viro fe-

cisset, vt refert Gellius libro 10. Verum an ex eadem caussa, hoc est, propter vinolentiam, mulieres viris nuncium remittere potuerint, id vero non æque constat. Sane puto postremis Reipublicæ temporibus, cum ex hominum libidine leges fingerentur, licuisse etiam mulieribus leuissimis de caussis a viris diuertere. Vt vero ita credam adducor Constantini imperatoris auctoritate, qui id malum, quod ante sua tempora diu grassatum fuerat, hac constitutione coercuit: *Placet mulieri non licere propter suas prauas cupiditates marito repudium mittere, exquisita caussa, velut ebrioso, aut aleatori.* Cum huius de loci sententia aliquando cum doctissimo iuriscõsulto Guillelmo Fornerio Aureliæ dissererem, is opinionem meam prolatis huius constitutionis verbis confirmauit. *Abusio*] Vt hic Cicero abusionem dixit pro abusu, sic Varro τάφη μενίππου vsionem pro vsu. *Dionysium*, inquiens, *litteras scisse dum vsioni quod satis esset.* Sic etiam Alphenus iurisconsultus, *Nam etsi vina diffudisset habiturus vsioni ipse & heres eius, tamen in penu existimari.* sed & ipse Cicero abusionem vocat tropum illum, quem Græci appellant κατάχρησιν. Vulgo corruptissime hic legitur *abuso*, pro *abusio*. *Nascetur*] Id est, tumne obijcienda erit, ad diuortium faciendum, Dolabellæ vinolentia, cum is petet tertiam pensionem, an vero prius nuncium remittere oportebit. *nascetur* dixit, quia ex vinolentiæ criminatione nasciturum erat diuortium.

IN EPISTOLAM XXIIII.

Et, quæ etiam ad me] Lego ex Decurtato, Tornæsiano & Crusellino, *&, quæ etiam ad me, bis ad Tulliam de me scripsisti:* hoc sensu; & quæ bis ad Tulliam de me scripsisti, quæ etiam ad me scripsisti. nam quæ ad Tulliam Atticus scripserat, ea Cicero ad se scripta existimabat. *Ad meam manum redi. dehinc enim*] Hæc μυστικώτερα Cicero sua manus scribebat. ideo iubet Atticum ad eam redire. Hic ego pro *reddiderint*, reposui ex Decurtato *redi. dehinc. Cum illa quærere cœperat*] Cum Tullia cœperat opem quærere, & te flagitare. *Non credo te commorit*] Hunc locum sic ex Scidis emendaui, *non, credo, te commorit. neque enim rogarit.* quæ verba intelligi debent de Terentia, quæ nec Atticum, nec

cum, nec ipsum Ciceronem, vllis precibus erat commotura; quippe quos rogatura non esset, vt testamentum suum adseruarent. *Si idem illa*] Si idem Tullia vellet. *Quam quidem celo miseram*] Hæc verba ita leguntur, & interpunguntur in Decurtato, *quam quidem celo miseram me in hoc timere de illo altero*. quid autem sit illud alterum, declarat epistola sequenti: *te oro, vt in perditis rebus, si quid cogi, confici potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam*. Dum ergo timebat in hoc, id est, in testamento Terentiæ eo loco, vbi tunc erat, relinquendo, ne forte ibi intercipereiur a Dolabella, simul etiam timebat ne argentum & supellex inde ab eodem, aut alio quodam Cæsarianarum partium furriperetur: quod Tulliam celabat. Itaque tam testamentum, quam argentum & supellectilem tuto aliquo loco deponi volebat, nisi forte argentum cum pecunia mutari, & supellex vænire posset. *Et tua Terentiæ*] Facile ijs assentirem, qui putant hic *Terentiæ*, vitiose legi pro *Tulliæ*, si id veteris alicuius libri testimonio probarent. verum repugnantibus codicibus manuscriptis nihil ausim mutare.

IN EPISTOLAM XXV.

Apud εὔπιστον *illas velim*] Proferam scripturam veterum codicum, vt videant lectores nimiumne mihi indulserim in lectione nostra inde procudenda. Tornæsianus hæc ita referebat, *Quod ad te tampridem de testamento scripsi apud epistolas velim, vt possim aduersas*: Decurtatus sic, *Quod ad te tampridem de testamento scripsi apud epistonilas velim, vt possim aduertas*. emendaui, *Quod ad te tampridem de testamento scripsi, apud* εὔπιστον *illas velim*; *vt possint aduertas*. velim, inquit, Terentiam & Tulliam deponere testamentum ipsius Terentiæ apud aliquem, cui tuto committi queat. vt vero id facere possint, ipse aduertas rogo. εὔπιστον vocat hominem exploratæ fidei, & cui tuto credi possit. Huc spectant verba illa epistolæ superioris, *Poteris eam monere, vt alicui committat, cuius extra periculum belli fortuna sit. equidem tibi potissimum velim, si idem illa vellet. Huius miserrima facultate*] Miserrimam facultatem hic vocat inopiam & egestatem Tulliæ.

IN LIBRVM XII.

IN EPISTOLAM I.

Id est II. *Kalend.*] Manutium optimum hic fuisse coniectorem probat hæc lectio Decurtati, II. *Kalend.* nam veteres sæpe significabant pridie hac nota II. vt multis locis obseruaui in his epistolis.

IN EPISTOLAM II.

Hic rumores tamen] Huius libri epistolas multi varie distinxerũt, quod nullum fere sit in veteribus libris earum discrimen, sed perpetuo orationis contextu scriptæ legantur. itaque pro animi arbitrio eas separarunt. Nos fere vbiq; Decurtatum hic sequuti sumus, in quo epistolæ huius libri hac nota Z aliæ ab alijs discernuntur, hisque verbis, *Hic rumores tamen*, secunda epistola inchoatur. quæ sectio Manutio placet. *Tamen*] vox aduersatiua particula, vt Atticum falli doceat, dum scriberet, se putare nihil noui Romam allatum esse, ex quo inde discessisset. contra enim nouos ait rumores spargi.

IN EPISTOLAM III.

Sed ludis factis] Castigaui ex præscripto Decurtati, κτύπῳ *subsidio curr at.* κτύπος hic κρότον significat, id est, plausum, qui ludis factis dari solebat, cum ij spectatoribus placuerant. Cicero cum suo more hic iocaretur, ludos facere scripsit pro ludificare, cuius significatus passim apud Plautum obuia sunt exempla; aitque se vereri, ne de illa auctione sibi ludi fierent, illo ipso qui se ludificasset gaudente, & aliorum plausum, qui se pariter irriderent, adiuuante.

IN EPISTOLAM IIII.

Si a seriis eius dictis] Vulgati libri, *si a sententijs eius dictis:* quæ lectio eo mihi non placet, quod vox *dictis*, videtur quodammodo iacere. Recte vero Decurtatus, *si a seriis eius dictis:* cui scripturæ adstipulatur grauitas, seueritas, & maiestas ipsius Catonis. Paullo post pro *ijs odiosum*, reposui ex eodem Decurtato, *istis odiosum*. *Quod Aledio*] Variant priscæ exemplaria in hoc nomine referendo. nam partim ibi scriptũ legas *Aledio*, partim *Atedio*. Ego *Aledio* edidi, quod ita exaratum frequentius reperi.

IN EPI-

IN EPISTOLAM V.

Quod autem os] Scite Turnebus hæc verba sic distinxit, *quod autem os, in hanc rem ἔρανον a te?* & interpretatus est, quæ impudentia est petere a te ἔρανον, hoc est, munus aliquod, tanquam stipem, id est, emendicare a te pecuniam, ad eam rem obeundam? *Sed ἄμπνευμα*] Ex Decurtato, ante Græcam vocem ἄμπνευμα, addidi particulam *sed*, quæ in vulgatis deerat. *In te κρήνλω*] Auctorem habui Decurtatum in hac lectione edenda, *in te κρήνλω, vt scribis, haurire.* Horum autem verborum sententia hæc est: Fac Quinctum fratrem, cum a te ἔρανον petijt, non ad διψῶσαν κρήνλω venisse, sed ad πιερήνλω: fac etiam eundem summis angustijs rei familiaris pressum in te haurire κρήνλω, id est, fontem vberrimũ, nempe ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφείυ, hoc est, Arethusam; quo tandem hæc euadent? *De Cælio*] De hoc Cœlio quædam dicemus ad epistolam 3. libri sequentis. Hic nummularius erat, cùm eoq; Cicero agebat de argento aurove facto, aut infecto cum alio signato commutando. *Non facultas modo*] Sequor Manutij distinctionem, collocato puncto post vocem *modo*. Naturam vocat auri qualitatem & temperaturam; bonumne an malum sit, purum putum & obrysum, an argentosum orichalcove permixtum: facultatem vero, æstimationem, & precium. hæc ex pecuniæ signatæ nota facile perspicitur. nam, vt ait Aristoteles, χαρακτὴρ ἐστὶ τὸ ποσὸν σημεῖον. illa longe difficilior est cognitu, cuius ignoratione plærique magno afficiuntur detrimento, acceptis subæratis numis pro puris putis aureis. quod cum Cicero timeret, scribit noscendam esse non modo facultatem & æstimationem auri, sed etiam naturam. Ceterum quod hic naturam appellat, id Paullus Iurisconsultus substantiã libro 32. ad Edictum; *eaq; materia forma publica percussa ℞ sum dominium q; non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate.* Quod porro hic facultatem, illi qui codicem Iustinianeum consarcinarunt, potestatem. sic enim Titulum conceperunt, *De ℞ veteris numis potestate. Ad Auium scripsi*] Scidæ & Cruscellinus, *Auium*, quo modo legitur epistola 3. libri 13. *Auius enim ℞ videtur in officio futurus. Pisoni demonstrarim*] Fuerunt Piso & Auius κολλυβισταὶ, vt opinor, quemadmodum &

Cœlius, cuius paullo ante meminit. Pisoni vero Cicero demonstrarat quæ bene norat de auro, vt is Auio id renunc aret, & vterque huiusmodi aureos nummos conquireret. Ait autem, *quæ bene nossem*, quia non omnia in ea re norat: quinimo ea ignorabat, quorum cognitio maximi erat momenti, nempe quæ ad auri naturam pertinebant. Itaque epistola sequenti mandat Attico, vt videat, ne qua lacuna sit in auro. Ceterum legendum est *demonstrarim*, vt est in Decurtato, non, vt vulgati libri vitiose referunt, *demonstrarem*. *Puto proximis*] Addidi *proximis*, post verbum *puto*, quod ita legerim in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino. & certe L. Metelli & Q. Maximi Consulatũ proxime subsequutus est Consulatus Cn. Seruilij Cæpionis & Q. Pompeij Nepotis. *Censorino ne*] Edidi *Censorino ne*, *& Manilio*, vt in Scidis & Tornæsiano scriptum reperi: & mox, ijsdem libris auctoribus, *T. Quinctio, M. Acilio*. *Conturbat enim me*] Protuli lectionem Decurtati, vt veram & certam, ab omnique macula repurgatam, & ita scripsi, *conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, an Bruti epitoma Fannianorum?* sic etiam exaratum est in Tornæsiano, nisi quod vitiose librarius scripsit, *in Bruti epitoma*, pro, *an Bruti epitoma*. Hic Bruti liber varie inscribebatur. quandoque enim appellabatur *Bruti epitome Fanniana*; quandoque, *Bruti epitoma Fannianorum*. itaque incertus Cicero vtro modo nuncupare deberet, vtrumque nomen apposuit, addita particula dubitandi, qua vti solet cum aliqua de re ambigit, vt epistola prima libri septimi, *Id & ostendisti quibusdam litteris ex Epiro, an Athenis datis?* & epistola sextra libri vndecimi, *Is dicitur vidisse an euntem, an iam in Asia?* *Kalendæ vitandæ*] Quibus fœneratores pecunias a debitoribus exigunt, vt notum est ex Horatio, & alijs priscis auctoribus. NEOEICASIONVM] Libri vulgati, *nicasionum*: olim excusi, *incessionum*: Tornæsianus, *ne occasionum*: Crusellinus, *nec ecasionum*: Decurtatus, *Neoecasionum*. emendaui, *Neoeicasionum*, vel si malis, *Neeicasionum*. fictum est nomen ἐκ τοῦ νέος καὶ τοῦ εἰκάζειν, quasi dicas nouos priscarum tabularum refectores; cuius modi sunt pictores, qui ἀρχέτυπα, id est primigenias tabulas renouant, alijs instar illarum expressis. Hoc autem vocabulo notat argentarios & fœneratores, qui

ad simili-

ad similitudinem earum tabularum, quibus sors continetur, alias concinnant; in quas debitas vsuras, tanquam nouum aliquod nomen, e priori tamen, hoc est, e sorte deriuatum, referant. Itaque scite primas eas tabulas, e quibus aliæ effinguntur, vocat ἀρχέτυπα. Sed & forsitan allusit ad nomen Græcum ἀρχαῖον, quo sors significatur. *Conficiendaq; tabulæ*] Quia scripserat sibi fugienda esse ἀρχέτυπα Neoterica-sionum, cum indicaret sibi latitandum fuisse, quod ea nomina, quæ apud argentarios fecerat, explicare non posset; ideo mox addit priscarum illarum tabularum loco conficiendas fuisse nouas: quod iocularitèr dictum est, cum partim alluderet ad nouas pictorum tabulas, partim ad nouas tabulas obæratorum. nam debitores nouas tabulas facere dicebantur, cum beneficio legis alicuius de prioribus tabulis, quibus obligati erant, sua nomina, fraudatis creditoribus, expungebant.

IN EPISTOLAM VI.

Habes Hegesiæ genus] Quia proxima verba minutatim inciderat, scribit se id feciisse exemplo Hegesiæ, cuius dicendi genus fractum erat, & veluti in particulas incisum, vt idem refert in Oratore. Habes, inquit, hoc exemplo genus dicendi Hegesiæ. *Exista acuta & graui*] Acutam & grauem θεωρίαν ideo vocat argumentum libri Tyrannionis, quod is liber, vt opinor, περὶ προσῳδιῶν, id est de accentibus, conscriptus esset, qui sunt aut acuti, aut graues. nam circumflexi ex vtrisque illis conflantur. itaque eam θεωρίαν ea de causa valde tenuem fuisse scribit. *In meo quidem*] Aberat a vulgatis particula *quidem*, quam nos e manuscriptis codicibus in exemplar nostrum transtulimus.

IN EPISTOLAM VII.

Quantum Publilius] Vulgatæ editiones *Publius*: manuscripti mei, in ijs Decurtatus & Crusellinus, *Publilius*; recte meo quidem iudicio. Puto autem significari eum Publilium, cuius filia postea Ciceroni nupsit. ea enim fratrem habuit, vt perspicitur ex epistola 30. itaque epistola etiam 22. & 26. huius libri reposui *Publilius*, vbi vulgo legebatur *Publius*.

IN EPISTOLAM XI.

ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδὲς] Græca hæc verba hactenus deprauate edita sunt. nos ea sic e Decurtato restituimus, ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδὲς. cuius lectionis extant in Tornæsiano huiusmodi vestigia, Ω ΑΠΕΡΑΝΤΟΛΟΓΙΑ ΗΔΟΥΣ. τὸ ὦ iunxit cum gignendi casu. sic libro sexto scripsit ὠπραγμάτων ἀσυγκλώστων, & libro 10. ὦ πολλῆς ἀγεννείας.

IN EPISTOLAM X.

Cum Tisameno] Scripsi, *cum Tisameno*, vt exaratum inueni in Decurtato, Tornæsiano, & Cruselino. fuit autem Tisamenus, quantum conijcio, libertus Attici.

IN EPISTOLAM XII.

Balbi regia conditio] Sæpenumero apud Ciceronem *regium* in malam partem accipitur. significat enim non ferendum, quasi tyrannicum; ducta translatione ab odio Romanorum in Reges suos. vt prima in Catilinam, *Si in hunc animaduertissem, crudeliter & regie factum dicerent*: & in Verrem, *Vt hoc tempore ea quæ regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, prætermittam.* Condicio ergo regia delegandi Balbi, est dura & iniqua condicio delegandi Balbum. nam dicebat Dolabella se paratũ esse dotem Tulliæ Ciceroni restituere, modo is vellet eam exigere a Balbo, quem ipsi debitorẽ delegabat. At cũ Balbus familiarissimus esset Cæsaris, Romæq; plurimũ auctoritate posset, difficillime ab eo pecuniæ exigi poterant. ἐκτρόπιμος *est*] In Tornæsiano & Cruselino erat ἐκτόπιμος: in Decurtato, ἐκτρόπιμος: emendaui, ἐκτρόποιμος. qđ nomẽ Cicero iunxit ἐκτρέπεσθαι καὶ τὴν οἶμον, q̃ insula Arpinas nimis a via deflecteret & declinaret. ἐκτρέπεσθαι est diuertere de via; vnde ἐκτροπαὶ apud Aristophanem, diuerticula. οἶμον autem Græci appellant viam. Quia vero monumenta secundum vias publicas extrui solebant, a quibus aliquantulum remota erat insula Arpinas, idcirco nolebat Cicero in ea fanum ædificare. nam locorũ, quæ hominum frequentia parum trita sunt, minor est τιμὴ, quam publicorum.

IN EPISTOLAM XIII.

Ille idem] Abest ab excusis vox *idem*, quam ex meis reposui. *Latibulum & perfugium*] Victorius sine copula edidit,

edidit, *latibulum perfugium*. Ego ex meis manuscriptis copulam & interieci.

IN EPISTOLAM XIIII.

Omnia quæ nitor] Vt in codicibus Malæspinæ, sic in nostris manuscriptis erat, *omniaq; nitor*. *Piliam angi vetat*] Ex fide veteris nostri Decurtati sic edidi, *Piliam angi vetat: satis solitus es mœrere pro omnibus*. nihil opus erat Piliam Atticæ morbo torqueri, cum Atticus vnus vice omnium doleret.

IN EPISTOLAM XVI.

Nec domi tuæ probabatur] Scripsi, *probabatur*, cuius modi est quod mox sequitur, *poteram*.

IN EPISTOLAM XVIII.

Cui cui modi est] Victorius *cuiusmodi*, diminute pro *cuius cuius modi*. Nos ex nostris reposuimus, *cui cui modi*: de quo loquendi genere videndus est Priscianus. *De sorte mea*] Quasi de publico iudicio ageretur, sortem suam vocauit munus suum iudicandi in causa priuata Egnatij, & Q. Ciceronis. nam in publicis iudicijs sortitio fieri solebat iudicum: nisi forte respexit ad iudicia Athenienſium, ad quæ exercenda iudices & arbitri sortito legebantur. itaque cum ad eum scriberet, qui peritissimus erat rerum Atticarũ, more Athenienſiũ sortem vocauit iudicatum, vt idem explicat epistola proxime sequenti. *Et Egnatio scilicet*] Hoc postremum, *& Egnatio scilicet*, εἰρωνικῶς scripsit, quia Egnatius pecunia quadã fraudare conabatur Q. Ciceronem, cui multos nummos debebat, vt intelligitur ex plærisque locis harum epistolarũ. Itaq; eius controuersiæ arbitri erant M. Cicero, & Seruius Sulpicius. *De Nepote*] De Lentulo filio Dolabellæ & Tulliæ, de quo sic epistola 26. huius libri, *& velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eiq; de mancipijs quæ tibi videbitur, attribuas*. Ceterum ei puero Cicero summũ honorem habuerat, quod eum heredem aliqua ex parte instituerat in primis tabulis, aut certe in ima cera. nam honori ducebatur aliquid accipere ex alterius testamento. Idem Cicero pro Quinctio, *heredem testamento reliquit hunc P. Quinctiũ, vt ad quem summus mœror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoq; perueniret*. *Aduocaui ad obsignandum*] Mirum vi-

detur potuisse Terentiam obsignare testamentum Ciceronis, cum mulieresin testamentis testes aduocari nequeant, vt ait Vlpianus, & post eum Iustinianus. sed aduocationem huiusmodi honoris caussa tantũ factam fuisse existimo, non quod ratio vlla haberetur muliebrium sigillorum ad stabilendas, & confirmandas tabulas testamenti. itaq; opinor mulieres quasdam, puta vxores testatorum, aut filias, aliasve propinquas ad obsignanda testamenta honoris ergo, vltra numerum testium legibus præstitutum, admitti consueuisse.

IN EPISTOLAM XIX.

Maxime quod de iudicatu] Maxime & potissimũ probo quod scribis de iudicatu meo, vt controuersiam dirimam Quincti fratris, & Egnatij. Epistola superiori iudicatum appellauit sortem, vt declarauimus. *De sponsu, si quid perspexeris*] Emendaui, *De sponsu, si quid perspexeris*, auctoribus libris antiquis, cum antea vitiose legeretur, *responsum si quid perspexeris.* Sponsum vocat sponsionẽ, vt etiam Varro libro 5. de lingua Latina, *Non sponder*, inquit, *ille statim qui dixit spondeo, si iocandi caussa dixit, neq; agi potest cum eo ex sponsu.* Spoponderat autem Cicero pro Cornificio, vt intelligitur ex epistola 17. huius libri. ideo nunc scribit se velle scire quid procuratores eius dicant.

IN EPISTOLAM XXI.

AErario adnouitius] Hæc ita referebat Decurtatus, *etiam si a rario ad noui tuis esset:* reposui, *etiam si AErario adnouitius esset.* Notum est publicas tabulas in Ærario asseruari consueuisse, ibique repositas etiam fuisse Senatusconsulta: vnde lex illa Ciceronis, *Qui agent, auspicia seruanto, auguri publico parento, promulgata, proposita in aerario, cognita habento.* Publicis autem tabulis describendis præficiebantur serui publici. Liuius libro 43. *Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoq; tabulario, & dimissis seruis publicis negarunt se prius quidquam negocij gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.* Tandem vero id munus tabulas describendi a seruis ad liberos homines Arcadius & Honorius transtulerunt, qua de re extat eorum sanctio in hæc verba,

Sancimus

Sancimus vt siue solidis prouincijs, siue singulis necessitatib⁹, necessarij fuerint tabularij, liberi homines ordinentur, neq; illi deinceps ad hoc officium pateat aditus qui sit obnoxius seruituti. Cum ergo Brutus operi suo, quod de laudibus Catonis scribebat, Senatusconsultum illud vellet intexere, quod Cicerone Consule factum fuerat aduersus Catilinam & ceteros coniuratos, nec id describendum ex Ærario curasset, sed ex ingenio, quantum meminisse poterat, id perscripsisset, ideoque vereretur ne in eo diuersi quippiam ab illo germano inseruisset, rogarat Atticum, penes quem exemplum illius veri extare putabat, vt id suum corrigeret. quod quidem valde imprudenter facere videbatur, cum ipse posset id emendare ex illo, quod in Ærario asseruabatur. quæ potestas etiam erat illorum seruorum, qui destinati erant Senatusconsultis & alijs publicis tabulis describendis. itaque etiam si non plus versatus & exercitatus esset in veteribus tabulis legendis & describendis, quam vnus de illis seruis publicis, quantumuis nouitius in ijs rebus, quæ ad Ærarij tabulas pertinerent, id tamen nullo negocio ex Ærario correxisset. Plus est adnouitium esse, quam nouitium. nam præpositio ad significationem hic auget. sic apprimus, & appotus apud Plautum, & supra admodestior, maiorem habent vim, quam primus, potus, & modestior. *A Faberto aliquid recedit*] Sequutus fidem Decurtati & Tornæsiani reposui, *a Faberio aliquid recedit*, cum in vulgatis deesset vox *aliquid*. Recedere ab aliquo pecunia dicitur, cum a debitore ad creditorem retrocedit & reuertitur. *Accipienda aliqua sit*] Dare & accipere æstimationem, est quod nostri iurisconsulti dicunt, dare, accipereve in solutum. C. Cæsar cum a creditoribus valde premi videret reos debendi, in eorum gratiam lege sanxerat, vt creditores res & possessiones æstimatas, quanti quæque essent ante bellum ciuile, in solutum acciperent. quæ æstimationes per arbitros fiebant. Idem Cæsar libro tertio de bello ciuili: *His rebus constitutis, cum fides tota Italia esset angustior, neque credita pecunia soluerentur, constituit, vt arbitri darentur; per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent; atque ea creditoribus traderentur.* & aliquanto post eodem

libro de M. Cœlio Rufo loquens, *Si quis appellauisset de æstimatione & de solutionibus, quæ per arbitrium fierent, vt Cæsar præsens constituerat, fore auxilio pollicebatur.* Alioqui, nisi lex Iulia interueniset, cogi non poterant creditores ad æstimationem accipiendam. nam, vt aiunt Iurisconsulti, aliud pro alio, inuito creditore, solui non potest.

IN EPISTOLAM XXII.

Te rogo] Addidi voculam *te*, ex Scidis, Tornæsiano, & Cruselliano: iisdemque auctoribus vltima verba huius epistolæ sic edidi, *sed quid velim, & cur velim, existima.*

IN EPISTOLAM XXIII.

Solitudines sequor] Lego, vt est in nostris antiquis, *solitudines*, numero multitudinis. Idem in epistola ad Cœlium, *Quod est igitur meum triste consilium? vt discederem fortasse in aliquas solitudines.* & epistola 16. libri sequentis, *Nos cum flumina & solitudines sequeremur. Accessione nunc maxima*] Vulgati libri, *accessione non maxima*, mendose. ideo putat Corradus expungendam esse negationem. Ego pro *non*, reposui *nunc*, vt legebatur in Cruselino. *Quæ te*] Auctoribus libris manuscriptis excudi iussi *quæ te:* & mox *inuenire. De Gamala*] Emendatiusne legatur *Gamala*, vt referunt Tornæsianus & Decurtatus, an, vt vulgati codices edunt, *Magala*, otioso lectori quærendum relinquo. *Plus etiam satis*] Tornæsianus & Cruselinus, *plus etiam quam satis.* sed illud *quam*, adtextum fuisse puto ex glossemate, neque est in Decurtato. *Et vt tu videbis*] Fugerat a vulgatis particula *vt*, quam in manuscriptis latitantem deprehendi, inque suum locum reduxi.

IN EPISTOLAM XXIIII.

Optime it] Veteres nostri, *optime id:* edidi, *optime it.* res dicitur optime ire, cū belle succedit. eodem significatu idem hic auctor libro 14. harum epistolarum dixit, *melius ire. incipit res melius ire quam putabam.*

IN EPISTOLAM XXV.

Numerato malim] Malim emere hortos præsenti pecunia, quam dare in solutum aliquam rem æstimatam ex lege Iulia. *Drusianis vero*] Legendum, vt habet Decurtatus, *Drusianis vero hos hortis multo antepono.* In vulgatis *tò hos* deerat.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XXVI.

Tuis occupationibus] Vt in Tornæsiano, sic & in Scidis legitur, *tuis occupationibus*, & ita edidi.

IN EPISTOLAM XXVII.

Cottæ quod negas] Victorius edidit, *Cottæ quidem negas te nosse. Sed vltra Silianam villam est &c.* Nos ita, non ex coniectura, sed ex fide Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini, *Cottæ quod negas te nosse: vltra Silianam villam est (quam puto tibi notam esse) villula sordida.* Quoniam Atticus scripserat se ignorare quo loco sita esset villa Cottæ, quam Cicero emere cogitabat, vt ibi fanum Tulliæ ædificaret, quæsieratq; qualis ea esset, idcirco nunc ei Cicero respõdet, eam sitam esse vltra Silianam villam, esseque pusillam, & sordidam. *Ad suillam rem*] Liber Tornæsianus, *ad villam rem: Scidæ, ac si villam rem:* lego, *ad suillam rem*, id est, ad rem suariam, & porcorũ nutricationem. nam antea dixerat villam esse sordidam. Sic igitur hunc locum interpungo, *nihil agri; ad suillam rem loci satis, nihil ad eam quam quæro.*

IN EPISTOLAM XXVIII.

Ex litteris eius] Vt supra epistola 26. huius libri auctoribus libris antiquis edidi *tuis*, pro *eius*; sic contra hoc loco ex eorundem fide pro *tuis*, reposui *eius*, & pro *scripseras*, *scripserat*. *Ad consuetudinem*] Ad solitum munus capessendæ Reipublicę, in qua iam pridem ita versabar, vt assidue miseram eius conditionem lugerem. Suadebat Atticus Ciceroni, vt, si constituisset quod supererat æui in luctu transigere, rediret ad solita munia Reipublicæ. eam enim amplissimum ipsi fore luctus argumentum, quo honeste prætexere, regereque posset mœrorem domesticum. & sane multi honestiorem & tolerabiliorem existimaturi erant in eo perpetuum luctum de Reipublicæ miserijs, quam illũ quem susciperet de rebus priuatis. *Fuit meum*] Nam grauiorem, quam ceteri, animo dolorem accipiebã de miserrimo Reipublicæ statu, quod quam ipse ab interitu seruassem, eam aliorum flagitijs scelereque præcipitem ferri ad exitum viderem. *Rempublicam lugere*] Emendaui, *lugere*, vt erat in omnibus meis antiquis. *Sed mitius*] Tornæsianus, *intus*

Decurtatus, *mitius*; optime. Ait se non ita acerbe luxisse Reipublicæ calamitatem, vt obitum Tulliæ. nam mœrorẽ de Republica iucundissima Tullię consuetudine lenire solebat. quod genus solatij ipsi tunc deerat. *Vt nunc soluitur*] Lege Iulia, rebus æstimatis datis in solutum. *Lentulũ puerum*] Cornelio Dolabellæ duo fuerunt cognomina; alterum Lentuli, alterũ Dolabellæ. ideo scribit Plutarchus Tulliã apud Lentulum virum ex partu decessisse. Erat ergo hic Lentulus filius Dolabellæ & Tulliæ, qui matri superstes fuerat, quem supra Cicero nepotem appellat.

IN EPISTOLAM XXIX.

Sit cum ijs communices] Abest verbum *sit*, a vulgatis. sed in omnib⁹ manuscriptis legitur, aut certe eius loco, *si*, vel *sic*. Esto, inquit, quod putas, vt ab Oppio & Balbo valde diligar. *Sint ne igitur auctores*] Debebat Faberius pecuniam Ciceroni, vt ex multis locis huius libri perspicitur. Ei vt satisfaceret, aut æstimationẽ lege Iulia dare volebat, hoc est, prædiũ aliquod in solutum (quo fit vt de prædio Faberiano quædam hoc libro scripta reperias) aut delegare debitores. Hinc epistola decima quarta, *Reliquæ*, inquit, *pecunia vel Syluram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debeat, repræsentabimus.* Porro fuisse in nominib⁹ Faberij Oppium & Balbum conijci potest ex hoc loco. nam eos Faberius Ciceroni volebat delegare. Quærit ergo Cicero, num ij futuri sint auctores, vt hortos emat, hoc est, num soluturi sint Faberij nomine precium hortorum: &, si pecuniam repræsentare nequeant, ideoque opus sit aliunde eam sub vsuris, eius rei caussa, sumere, quam iacturam vsurarum illarum nomine facere velint. nam desperatum erat, vt omnem in se iacturam susciperent. id enim se facturos negabant. denique an propensi essent ad suum consilium de emptione hortorum adiuuandum. Ceterum expressi scripturam veteris Decurtati, quod ea nequaquam illa mendorum illuuie inquinata esset, qua ceteri hic contaminati sunt. Ea vero est huiusmodi, *Sintne igitur auctores futuri, si qua etiam iactura facienda sit in repræsentando, quoad possunt adduci: (totum enim illud desperatum) denique intelligi, ecquid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum.*

IN EPI-

IN EPISTOLAM XXXI.

Vtriuis istorum] Correxi, *Vtriuis*, approbantibus Scidis, & Tornæsiano, cum in editionibus legeretur *Vtrius*. Sic etiam emendauit Lambinus. *Vtriuis* autem, siue horti Drusiani, siue Coponiani. *Si modo adduceretur*] Nescio quid in mentem venerit Lambino, vt *non*, pro *modo*, reponendum putarit. Est enim plana sententia. Si tantum modo, inquit, Silius adduci posset, vt hortos venderet, de ijs vel repræsentatione explicare non dubitarem, modo prædium Faberianum, quod a Faberio lege Iulia in solutum accepturus sum, venderem. *At tu concede*] Vulgata exemplaria, *aut concede:* membranæ nostræ veteres, *at tu:* quam lectionem sequutus sum.

IN EPISTOLAM XXXII.

Publilia] Varie hoc nomen scribitur. nam Popiliam vocant Quinctilianus & Plutarchus; Publiliam Cicero, cui potius, præsertim in nomine vxoris referendo, credendum, quam alijs auctoribus. itaque puto apud Quinctilianum legendum Poplilia, & apud Plutarchum Ποπλιλία. nam vt Publicola dicebatur pro Poplicola, sic Publilia pro Puplilia, siue Poplilia. Diuersæ vero gentes fuerunt Publilia, & Popilia. nam huius fuerunt Lænates, illius Philones & Vulsci. *Cum Publilio loqui retur*] Pro *loqueretur*, quod est in excusis, edidi ex Decurtato, *loqui retur*. Publilia, inquit, ita familiariter me per litteras alloquitur, vt se loqui putet cum fratre Publilio. itaque scribit matrem suam cũ fratre ad me esse venturam. *Non esse ipsius*] Antiquior noster, & Tornæsianus, *non esse ipsius*, vt reposui. Vulgati, *non illius esse*.

IN EPISTOLAM XXXV.

A te proxime discessi] Restitui ex Scidis & Tornæsiano has duas voculas, *a te*, quæ exulabant a vulgatis. *Quod lege conceditur*] Hoc, ni fallor, de lege Iulia sumptuaria debet intelligi; qua verisimile est C. Cæsarem aliquid sanxisse de sumptu funerum minuendo: vt scilicet qui sumptus modum ea lege præstitutũ egrederetur, is tantũ populo daret, quanto plus insumptum esset, quam liceret. Dio libro 43. scribit Cæsarẽ generatim omnes sumptus minuisse. τὰ ἀναλώματα

τῶν τι ἐχόντων ἐπὶ πλεῖον ὑπ' ἀσωτίας ἐξηγμένα οὐκ ἐν νόμῳ μόνον ἐμετρίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποιήσατο. sumptus, inquit, locupletium, qui nepotatu omnem modum excesserant, non modo lege coercuit, atque temperauit, sed etiam re ipsa ne quid contra fieret, summa attentione cauit. eodem referenda puto, quæ Suetonius tradit eum statuisse de lecticis, vestibus conchiliatis, & margaritis.

IN EPISTOLAM XXXVI.

Suada erui] Receptam lectionem correxi, adiutus aliquantulum ope veterum librorum; in quibus cum liquido scriptum reperissem, *suaderi*, reposui, *suada erui*. Suada est πειθώ. Significat autem sibi nulla persuasione eripi ex animo posse, quin fanum faciendum curet. *Quam tibi dixit*] Legendum *dixit*, vt est in Decurtato. nam dixerat Brutus Attico, cur esse nollet in Cumano.

IN EPISTOLAM XXXVII.

Duas epistolas accepi] Vulgati, *recepi*: Veteres nostri, *accepi*: idq; melius: & mox, *ab AEgypta liberto*: deinde etiam, *hæ litteræ*. nam in excusis deprauate legitur, *tuæ litteræ*. *Propinquitas præterea*] Est præterea propinquitas loci vbi sis. nam ij horti prope Romam sunt, vbi fere semper solemus esse. Mox pro *vt mihi stomachere*, quæ lectio est editionum, reposui ex priscis nostris, *vti stomachere*, omisso pronomine *mihi*, & paullo post ex iisdem libris edidi, *gratia opus est nobis tua, tuaq; auctoritate*.

IN EPISTOLAM XXXVIII.

Quamquam mihi quidem] ἀποσιώπησις. explicate dixisset, quamquam mihi quidem iam pridem satis ab illo cautum est, ita vt nunc obesse mihi nequeat. *Oportere peruideri*] Rectius veteres libri *peruideri*, quam vulgati *prouideri*. *Locus Publicianus*] Fretus auctoritate Decurtati, & Tornæsiani scripsi, *Publicianus*. Locum Publicianũ, nisi fallor, vocat, qui esset ad viam Publiciam, de qua sic Ouidius libro quinto Fastorum,

Parte locant cliui, qui tunc erat ardua rupes,
Vtile nunc iter est, Publiciumq; vocant.

ΚΥΡΟΣδ, ε.] Tornæsianus ΚΥΡΣΑΣ: Decurtatus ΚΥΡΟΑΣ: lego κῦρος, δ, ε. Docui alio loco librarios Latinos

sæpe hau

sæpe has litteras Δ, Α, Græci sermonis imperitia, inuicem commutasse. quod hic accidit. ijdem etiam ϑ Β, in Σ, siue, vt veteres id fingebant, C, deprauarunt; quod erratum perquam tritum est in codicibus manuscriptis. Hanc autem lectionem nostrã confirmat Diogenes Laertius, qui Antisthenem refert duos libros Cyri nomine inscripsisse, quorum vnus quarto tomo operum Antisthenis continebatur, alter quinc̃to. Itaque vtrumque tomum Cicero Græcis litteris, more Græcorum, notauit; apud quos numerus quaternarius τῷ Δ designatur, & quinarius τῷ Ε. Scribit ergo Cyrum quarti & quinc̃ti tomi ita sibi placuisse, vt cetera Antisthenis.

IN EPISTOLAM XXXIX.

Sed nimium] Quidam legunt, *sed nimirum*. sed ego magis probo, *sed nimium*: nec aliter est in manuscriptis nostris.

IN EPISTOLAM XL.

Qui potest] Cum apostropho legitur *pot' est*, tam in Tornæsiano quam Decurtato. quæ apostrophus extritæ vocalis loco apponi solet. Itaque, *pot' est*, hic est, *pote est*. pote autem est, δυνατόν. *Qui offenderetur*] Nolui mutare vulgatam lectionem *offenderetur*, quamquam erat in Tornæsiano *offenderet*, & paullo post *in horto*, pro *in hortis*. *De Lentulo scribis*] Verendum ne is hortos mihi eripiat, cũ eos valde appetat; non est in eo positum, vt auctione vincere me possit. noui enim eius facultates.

IN EPISTOLAM XLI.

Facies igitur me certiorem] Plærique libri, *facias*. Ego sequutus manuscriptos meos scripsi *facies*: & mox *postridie Idus*, pro *postridie Iduum*; quod tamen non improbo.

IN EPISTOLAM XLII.

Nihil aliud] Ita scripserat Atticus, *nihil aliud. scis enim noui me nihil habere*. quæ verba paullum immutata hic refert Cicero, atque sibi fuisse non molesta.

IN EPISTOLAM XLIII.

Quod siles] Hic locus integer extabat in Decurtato, vnde vulgatam scripturam hoc modo correxi, *Quod siles recte mi illam rem fore leuamento, bene facis*. Quod, inquit, non scribis, sed taces illam fani ædificationem recte fore leuamento dolori meo, bene facis; quia satis existimare non posses,

nedum oratione consequi, quantũ illa res hanc meam molestiam leuatura esset. Ceterum veteres nostri fere passim in his epistolis edunt *quanto opere*, & *magno opere*, pro *quanto opere*, & *magnopere*. itaque ijs auctoribus scripsi *quanto opere*.

IN EPISTOLAM XLIIII.

Quid enim sedere] Ita interpungendum, *quid enim sedere totos dies in villa*? nam sequitur, *ista igitur malim; primum Othonis, deinde Clodiæ*. Quid enim, inquit, an οἰκοδεσποτικὸν videtur sedere totos dies in villa? minime profecto. Villæ Silij & Drusi adeo pusillæ erant, vt bono patrifamilias deesset, in quo posset occupari. itaque earum domini cogebãtur totos dies sedere, quod non est boni & diligentis patrisfamilias. *Nec arctim*] Vulgati libri, *nec Cartini*. sed Cartinũ vbi sit, non facilius opinor, quis inueniat, quam Aristophanis νεφελοκοκκυγίας. Lego igitur ex Decurtato, *nec arctim*. scribit enim Cicero Philotimum dicere Sextũ Pompeium arcta obsidione, vt ferebatur, non premi. arctim pro arcte dictum est, vt cautim & disertim, pro caute & diserte.

IN EPISTOLAM XLV.

ΣΥΝΝΑΟΝ *Quirino*] Sequutus sum Tornæsianum & Decurtatum, in quibus exaratum est *Quirino*, & *Saluti*, tertio casu.

IN EPISTOLAM XLVI.

ΞΕΣΤΩΙ *enim animo*] Priscam lectionem manuscriptorum nostrorum ΕΧΤΟ, ita emendaui, ξεστῷ: quo nomine Græci quod politum est significant. Latino vocabulo vsus est noster hic auctor libro quarto Academicarum. Ibi enim Antiochum politissimum, & acutissimum suæ memoriæ philosophum appellat.

IN EPISTOLAM XLVIII.

Ego ad te totus] cum tota mea familia. *Quod licebit*] In quibusdam antiquis est, *quot licebit*: in alijs, *quod licebit*, quod sincerius puto. *Quod*, hic significat *quoad*. Terentius, *munus nostrum ornato quod potes*: & alio loco, *istum amulum, quod poteris, ab ea pellito*. Ergo *quod licebit*, est *quoad licebit*, id est, quam maximo tuorum comitatu venire ad me poteris. nam quoad sæpe quantitatem notat. Idem Cicero hoc libro, *quoad possunt adduci, vt tacturam faciant*.

IN EPI-

IN EPISTOLAM XLIX.

Dubitet Curtius] Quasi incertum esset, posset necne Consulatum petere. At Republica bene constituta non dubitasset, sed pro certo & explorato habuisset, sibi ad petitionem Consulatus nullum aditum patere. miserrima igitur erant tempora, quibus homines flagitiosissimi spem quandam haberent summorum honorum adipiscendorum. nam qui dubitant, partim sunt in spe, partim in metu. *Curtius*] Hunc Curtium Cicero indignissime ferebat ad Reipublicæ administrationem vocari. ideo libro 9. scribit se non posse eum adspicere.

IN EPISTOLAM LI.

Hoc idem] Non improbo vulgatam lectionem, *hodie*. eam tamen sequutus sum, quam referebat Decurtatus, quo auctore edidi, *hoc idem*. *Ita nobis esse visum*] Particulam *ita* addidi ex fide Decurtati & Tornæsiani. ΤΟΥΤΟ δὲ μῦα ὅση?] Antiqui nostri, ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΥΙΛΟCΗ. quæ ita correximus, & distinximus, τοῦτο δὲ μῦα ὅση? alias lectorem monui Latinos librarios in Græcis vocibus describendis sæpe τὸ Λ, ἀντὶ τοῦ Α, finxisse. quo ex fonte manauit error huius loci. Videtur autem esse prouerbium, quo summus contemptus alicuius rei significatur. nam muscam pro re minima vulgo vsurpabant. inde illud alterum ἐκ μύας τὸν ἐλέφαντα. Parum vero Cicero curabat, vellent ne illi, de quibus hic agitur, epistolam, quam ad Cæsarem scripserat, ad eum mitti; an vero se velle simularent, cum tamen id nollent. Ideo scribit eorum simulationem sibi esse pro repudiatione & denegatione; seque ea repudiatione, non magis quã muscæ obluctatione, a consilio & proposito dimotũ iri.

IN EPISTOLAM LII.

HS. XXV.] Scidæ & Crusellinus, HS. XXV. quæ summa etiam refertur epistola 15. libri 16. quamquam fortasse in diuersa caussa.

IN LIBRVM XIII.

IN EPISTOLAM I.

Vlli vt neq; seuerius] Tornæsianus & Scidæ, *vllius neque seuerius*: correxi, *vlli vt neque seuerius*. mox ijsdem libris

auctoribus scripsi, *temperatius.* *Quod si efficis*] Iussi excudi, vt erat in nostris manuscriptis, *quod si efficis.* *Nam & quanti*] Sensus est, quanti patrem Peducei feci, id totum in hunc contuli, id est, tanti Peduceum facio caussa patris, quanti vnquam patrem feci. ipsum vero Peduceū per se, & suo merito, non minus amo quam patrem. eum ergo alterum tantum amo, quam vnquam patrem amaui.

IN EPISTOLAM II.

Parochus publicus] Parochus erat qui lautia præbebat legatis exterarum nationum, vt intelligitur ex interpretatione Græca vocis lautiorum, in Senatusconsulto facto, Q. Lutatio, M. Æmilio Consulibus, in gratiam Asclepiadis Clazomenij, Polystrati Carystij, & Menisci Milesij. quod Senatusconsultum Græcis verbis explicatum cū fragmento quodam Latinorum, quibus primum conceptum fuerat, Victorius publicauit in postrema editione harum epistolarū. hæc enim verba, *munusq; eis ex formula, locum, lautiaq; Quæstorem urbanum eis locare, mittereque*, ita Græce ibi reddūtur ξενίά τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάταγμα, τόπον, παροχήν τε τὴν ταμίαν τὸν κατὰ πόλιν τέτοις μισθῶσαι. itaq; vt lautia sunt παροχὴ, ita qui lautia præbet est parochus.

IN EPISTOLAM III.

Qui si ipse] Eandem scripturam, quam Tornæsianus, Scidæ hic referebant. itaque edendum curaui, vt ex Tornæsiano Lambinus emendauit, *qui si ipse negotium meum gererem, nihil gererem, nisi consilio tuo.* *Quam quod dubites*] Cicero Attico mandarat, vt de de suis rebus nescio quid venderet, vnde pecuniam conficere posset in emptionē hortorum. & vero cum ille emptores inuenisset, qui rei venditæ precium ad certam diem se soluturos pollicerentur, is eámque rem parati essent nomina facere, rescripserat Ciceroni, vt certiorem se faceret, quid in ea re fieri vellet. quam rem Cicero cum ad se referri vidisset, primum putabat Atticum de eis nominibus, tanquam parum bonis & certis, dubitare, in malámque partem accipiebat eam eius consultationem. sed postea, re attentius considerata, cognouit hanc deliberationē potius ab illius sedulitate proficisci, qui ipsi nihil ignotum esse vellet, quod acturus esset, quam quod suspicaretur em-

fuit emptores illos non esse soluendo. *Cœlium non probas*] Decreuerat Cicero iam ante mortem Tulliæ, metu belli ciuilis, quicquid domi habebat auri, argentive facti, vel infecti, cum pecunia commutare, vt intelligitur ex epistola vltima libri 11. quod postea fecit. nam argenti aurive, quod erat in supellectile, magnam partem cum Cœlio numulario numis aureis permutauit. idcirco rogabat Atticum epistola 6. libri 12. vt videret de Cœlio, ne qua lacuna esset in auro, quia vero valde egebat pecunia ad hortos emendos, negotium dederat Attico, vt si non posset ea vendere, quæ proscribi iusserat, quod domi superesset auri argentive cum Cœlio pecunia permutaret. cui mandato ita rescripserat Atticus, se non probare quod ille scripserat de auro argento ve commutando cum Cœlio, cuius fraudes antea expertus fuerat, suadere q; ne plura ex supellectile distraheret. Id ergo Attici cõsilium scribit se probare in vtraque re, ne scilicet cum Cœlio sibi negocij quicquam sit, nec de supellectile plura commutet, sed illis nominibus vtatur ad hortos emendos. *Præs aliquando factus esses*] Hunc locum ex Scidis ita lego, *præs aliquando factus esses, & in his quidem tabulis.* Duas res hic optabat Cicero, quæ valde faciebant ad id, quod habebat in animo, consequendum. prima fuit, vt Atticus aliquando præs factus esset. nam quandiu vixit, vt ait Cornelius Nepos, neque præs, neq; manceps fuit. & vero, si pro vllo præs vnquam fieri voluisset, non dubium est, quin facile pro Cicerone intercessurus fuerit. alterum Ciceronis votum fuit, vt Atticus in tabulis auctionarijs hortorum Scapulanorum præs fieri potuisset. nam eo præde hortos illos facile assequutus esset. *A me igitur omnia*] Nihil a te præstabitur, qui pro quoquam intercedere non soles, sed a me & de meo omnia dent. *Quod dies longior est*] Quantum ad id attinet quod dies meorum nominum longior est quã vt pecuniam repręsentare possim, spero præconem in tam longam diem, quam illa nostrorum nominũ sit, solutionem destinaturum: aut, si id a præcone impetrare non possum, certe ab heredibus Scapulanis assequar. teneamus modo quod volumus, & hortos illos nobis elabi ne sinamus. hæc enim verba, *teneamus modo quod volumus*, κατὰ παρίνθεσιν sunt legenda.

IN EPISTOLAM IIII.

De decem legatorum] Ex Scidis, & Tornæsiano edidi, *de decem legatorum*. nam extrinsecus assumendum est, *nominibus*. quæ fierat enim Cicero qui essent decem legati, qui in Achaiam a Mummio subactam missi fuerãt, vt eam in prouinciam redigerent. Eos Pausanias vocat ἐμβόλους, quod eorum consilio Mummius res Achaicas ordinarit. πόλεμον δὲ ὅσοι Ῥωμαίων ἐναντία ἐπολέμησαν, τείχη μὲν ὁ Μόμμιος κατέλυε, καὶ ὅπλα ἀφῄρητο, πρὶν ἢ καὶ ἐμβόλους ἀποσταλῆναι παρὰ Ῥωμαίων. ὡς δὲ ἀφίκοντο οἱ σὺν αὐτῷ βουλευσάμενοι, ἐντεῦθα δημοκρατίας μὲν κατέπαυε, καθέστατο δὲ ἀπὸ τῶν τιμημάτων τὰς ἀρχάς. Aliarum, inquit, vrbium, quæ aduersus Romanos bellum susceperant, muros Mummius deiecit, & arma ciuibus ademit; eaque prius fecit, quam Roma legati mitterentur, quorum consilio res Achaicas constitueret. vbi vero illi venerunt, omnem ciuitatibus administrationem popularem sustulit, magistratusque ex censu instituit.

IN EPISTOLAM V.

S P. Mummium] Non solet Cicero rem aliquam diuersis vnius eiusdemque epistolæ locis iterare. idcirco hæc a superiori epistola abscidi, vbi de hac ipsa re, hoc est, de Mummio, & de decem legatis semel actum fuerat. In Scidis etiam nota Z his verbis præfixa manifesto indicabat initium epistolæ. *Sed videlicet*] Antiqui nostri, *sed videlicet*, vt edidi, hoc sensu: sed videlicet vere existimas eum legatum quidem fuisse bello Achaico, sed non fuisse in decem illis legatis, qui Corinthum missi sunt ad res Achaicas componendas. etenim verisimile est eum C. Mummio fratri legatum extitisse.

IN EPISTOLAM VI.

Columnarium] Quod hic Cicero scribit de columnario, hoc est, de tributo in singulas columnas pendendo, ad legem Iuliam sumptuariam referendum arbitror: quasi Cæsar singulis columnis, quæ postea erigerentur, tributum imposuerit, vt hac pœna Romanorum animos ab insanis ædificiorum sumptibus reuocaret. Antea monuimus eadem lege minutos fuisse sumptus sepulchrorum. *Commutatam esse legem*] Quam Cæsar tulerat de pendendo columnario.

Idem

Idem tamen libro tertio de bello ciuili grauiter Scipionem taxat, quod in Asia columnaria imperarit. *Pisoni quid est*] Cato puer, hereditatis paternæ nomine, pecuniam quandam heredibus Herennij debebat, quorum vnus erat Piso. hic & reliqui coheredes cũ eam pecuniam sæpe frustra petiissent, minabantur se postulaturos a Prætore, vt in bonorum Catonis possessionem mitterentur: quod cum Atticus Ciceroni tutori significasset, rescripsit Cicero, se nihil habere quod honestius petitioni Pisonis, & reliquorum coheredum Herennianorum respondere tunc posset, quam puerum Catonem solum esse, hoc est, destitutum esse præsidio tutorum: se enim & reliquos tutores abesse: similesque responsum eidem Pisoni dandum putabat de pecunia quam petebat a puero Lucullo, cuius itidem tutores aberant, isq; potissimum, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia, proinde expectandum esse reditum vtriusque pueri tutorum. *Solitudinem Catonis*] Pupillus solus esse dicitur, cui tutores, a quibus defendatur, præsto non sunt. ideo Cicero solitudinem Catonis vocat absentiam eius tutorum. Fuit Cicero, vt hinc conijcimus, vnus de tutoribus puerorum Catonis & Lucculli: ac quidem Lucullí tutelæ meminit libro tertio de finibus. *Ad rem pertinet*] Vt solutio non vrgeatur: cum is tutor non adsit, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. *Quod reliquos*] Bene fecisti, quod colloquutus es cum reliquis coheredibus Herennianis, & ab ijs impetrasti ne prius solutionem vrgerent, quam aut ego adessem, aut alij tutores Catonis. Ceterum edidi, vt erat in Decurtato & Tornæsiano, *plane bene feceris*. nam verbum *feceris*, a vulgatis abest. *Qui nuper fit*] Vulgati codices ita referunt, *qui nuper est mortuus*. sed in nullo manuscripto reperi vocem *mortuus*, eamq; supposititiam existimo. scripsit autem Cicero, *qui nuper fit*, qua silentij nota mali ominis verbum vitauit. nam cum indicare vellet Spurium illum mortuum fuisse, noluit vti moriendi verbo, quod erat δυσώνυμον, sed silentio id significauit, quod proprium est mortuorum. Romani moriendi verbo malũ aliquod omen importari credebant: idcirco dicere non solebant aliquẽ mortuum esse, sed aut vixisse, aut fuisse, quemadmodum refert Plutarchus. *Versiculis facetis*] Veteres nostri, *versiculis factas*. puto

Ciceronem scripsisse, *versiculis fartas*. non tamen ausus sum mutare receptam lectionem. *M. Lucullū & L. Murænam*] Fortasse ij fuerunt qui ad L. Lucullum missi sunt ad res Ponti componendas, de quibus ita Plutarchus in Lucullo, οἱ πρέσβεις, inquit, παρῆσαν αὐτῷ πρὸς τὴν διάθεσιν τῶν ἐν πόντῳ πραγμάτων, ὡς τε δὴ βεβαίως ἐχομένων, id est, aderant legati ad res Ponti componendas, tanquam iam pacatas. M. Lucullus frater fuit L. Luculli, & eius legatus in bello Mithridatico. De Muræna, qua necessitudine coniunctus fuerit Lucullo, non valde quæsiui. illud constat Lucullos & Murænas eiusdē gentis fuisse, puta Liciniæ, & hunc L. Murænam in bello Mithridatico sub Lucullo militasse. Indicat autem Cicero tam M. Lucullum, quam L. Murænam necessarios fuisse L. Luculli; ideo contra morem maiorum missos fuisse in x. legatis ad constituendas res Ponti. *Ceteros coniunctissimos*] Addidi vocem *coniunctissimos*, ex nostris manuscriptis.

IN EPISTOLAM VII.

Iussi equidē ei nunciare] Legebatur in excusis, *missi equidem*. Nos ex fide manuscriptorum reposuimus, *iussi equidem*.

IN EPISTOLAM VIII.

Nolano Ve Venalis] Vulgo omissa fuerat particula *Ve*, post nomen *Nolano*, quam ex veteribus libris restitui. *Philoxeno*] In Tornæsiano & Crusellinus est, *Piloxeno*.

IN EPISTOLAM X.

Brutus siquid egerit] Legendum ex Decurtato, vt Lambinus emendauit ex Tornæsiano, *Brutus si quid egerit*: & paullo post, *sed tamē aliquid illic*. *Sponsor Sunij factus est*] Tornæsianus, *sponsor sum factus est*: Scidæ, *sponsor Suni factus est*: lego, *sponsor Sunij factus est*. Sunium promontorium est, & vicus Atticæ, vbi Marcellus, cum Athenis exularet, intercesserat pro Magio. ΟΥ ΤΑΥΤΟΝ ΕΙΔΟΣ] Recte monuit Victorius Ciceronē Græca hæc verba sumpsisse ex Euripidis Ione. sed virū doctissimū fefellit deprauata lectio, etiam apud Euripidem, duarum primarum vocum. nam pro οὐ ταὐτ' ὄνειδος, quæ ille interpretatur, nonne hæc opprobrium & dedecus, legendum est οὐ ταυτὸν εἶδος, id est, non eadem facies, non idem vultus. sunt enim verba Ionis tristitiæ & taciturnitatis suæ causam explicantis. nam cum miraretur Cho-

tur Chorus eum agnito patre taciturnum & cogitabundum oculos perpetuo in terram defigere, cum antea vultum hilarem & lætum præ se ferre consueuisset, ob idque quæreret caussam huiusmodi mœstitiæ, respõdet ille nõ idem os eundemque vultum hominibus esse, cum res longius absunt, & cum propinquæ sunt, id est, cũ homines rei cuiuspiam veritatem ignorant, & cum eã perspectam & cognitam habent. se enim qui tum compertum haberet quibus parentibus ortus esset, vereri ne sibi probro daretur quod patre natus esset peregrino, inque ciuitatem Atheniensium adscito, & non indigena, vt reliqui Athenienses, quodque spurius esset, & incerta matre (nec dum enim matrem agnorat) ante Xuthi nuptias editus. itaque se metuere, ne eo nomine Atheniensibus despectui esset. idcirco mirum videri non debere, si animo esset consternato, facieque parum hilari. prius vero quam patrem cognouisset hæc omnia se parũ curasse, ideoq; ore tunc fuisse sereno atque læto. Euripidis verba sunt,

ὃ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων.

Vbi animaduertendum est ταυτὸν Attice dictum esse pro ταυτὸ, vt norunt omnes qui Græce sciunt. Ceterum his verbis indicare voluit Cicero Marcellum præfracte Magium repulisse opem ipsius implorantem. Nam cũ Marcellus pro Magio Sunij intercessisset, & adhuc eius creditoribus ex spõsu obligatus esset, iterumque Magius ab eodem Marcello peteret, vt sibi pecunias crederet, aut certe pro se sponderet, Marcellusque intellexisset eum non esse soluendo, constanter ipsi respondit, se non posse, cognita eius inopia, eodem vultu eum intueri, quo ipsum antea aspexerat, cum ignoraret quam tenues eius essent facultates, hoc est, non tam liberalem erga eum esse posse, quam antea fuerat, cum pro eo Sunij spoponderat.

IN EPISTOLAM XII.

Idq; tu eum] Lego ex manuscriptis nostris, *idq; tu eum*. nam vocula *tu*, abest ab excusis. *S. Vettio coheredi meo*] Vulgati codices edunt *Othoni*, aliter quã manuscripti. nam in Tornæsiano, Decurtato, & Crusellino est, *Suettio*. puto primam litteram notam esse, qua Spurius significatur. nam quamuis Plutarchus scribat prænomen id duabus his litteris

SP. designatum fuisse, in veteri tamen nummo A. Postumij Albini, & in tribus Spurij Afranij hac vna dumtaxat S. notatum deprehendi.

IN EPISTOLAM XLIII.

Si mihi placeret] Emendaui, *placeret*, ex Tornæsiano & Decurtato, cum in vulgatis legeretur, *placet*. *De Bruto, si quid erit*] Antiquam lectionem Decurtati & Tornæsiani, vt pleniorem quam receptam, in nostrum exemplar retuli. ea vero est huiusmodi, *De Bruto, si quid erit; de Cæsare, si quid scies; si quid erit præterea, scribes.*

IN EPISTOLAM XVI.

Flumina & solitudines] Veteres libros sequor, in quibus est *solitudines*: quo nomine hic intelliguntur loca sola & ab omni hominũ frequentia remotissima. sic etiam emendaui epistola 23. libri superioris, ex eisdem libris. *Primo fuit Catuli*] Editiones proferebant, *modo fuit Catuli*: Nos ex Decurtato & Tornæsiano reposuimus, *primo fuit Catuli*. mox pro *quod erat hominibus ignota*, ijsdem libris auctoribus edidimus, *quod erat hominibus nota*. nam ea de caussa scribit se a Catulo, Lucullo, & Hortensio sermonem illum Academicum ad alios transtulisse, quod parum decorum videbatur, viros illos, ceteroqui non imperitos, ea de re disputare, in qua omnes scirent eos nullo modo exercitatos fuisse.

IN EPISTOLAM XVII.

V. Kal. expectabam] Auxilio Scidarum & Tornæsiani, initium huius epistolæ correxi, reposita veteri scriptura, quã ij libri in hunc modum referebant, V. KAL. *expectabam Roma aliquid, non quo imperasſem. igitur aliquid tuis. Non quo imperasſem*] Non quia imperassem quicquam mihi Roma nunciari. igitur aliquid expectabam tuis litteris. nam eæ mihi solent semper aliquid adferre noui.

IN EPISTOLAM XVIII.

Nisi forte Brutum] Hic locus mutilus erat in vulgatis, quem nos ex Decurtato nostro integrum reposuimus hoc modo, *deinde quem* ἐλλοτυπεῖν, *nisi forte Brutum; quem si non* ἐλλοτυπεῖ, *multo Hortensium minus.*

IN EPI-

IN EPISTOLAM XIX.

Academicam omnem quæstionem] Hæc verba ita explicanda sunt, eos dialogos confeci, & Academicam omnem quæstionem absolui quatuor libris, nescio quam bene, sed ita accurate, vt nihil supra. ΑΖΗΛΟΤΥΠΗΤΟΝ] Libri excusi, ἀζηλότυπον, quod non displicet. verum quia ἀζηλοτύπητον legi in manuscriptis nostris, hanc lectionem illi vulgatæ prætuli. Vsus etiam est hoc vocabulo Plutarchus in eo commentario quo disputat, an seni capessenda sit Respublica: Τὸ δὲ ἀπὸ τῆς χρόνου πρωτεῖον, ὃ καλεῖται κυρίως πρεσβεῖον, ἀζηλοτύπητόν ἐστι καὶ παραχωρούμενον. *Measque partis*] Legendum vt est in manuscriptis nostris, *measque partis*. nihil, inquit, aptius fuit ad eas partis, quas tueor, nempe Philonis, quam vt inducerem Varronem, qui Antiochi sententiam defenderet, vt melius cuiq; persuaderetur, potissimumque ipsi Varroni, id me consequi noluisse, vt superior mea sententia videretur.

IN EPISTOLAM XX.

Ad Ligarianam] His verbis *de vxore Tuberonis*, præfixi hæc duo *Ad Ligarianam*, quo modo exaratum reperi in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino. mox etiam pro *abdere*, scripsi assentientibus ijsdem libris *addere*. Monuerat Atticus Ciceronem, vt orationi, quam habuerat pro Q. Ligario, quædã adderet de vxore Tuberonis & de priuigna. ei Cicero nunc respondet, atque sibi, vt id addat, integrum non esse, cum oratio illa peruulgata sit, seque nolle Tuberonem defendere. *Atqui hoc*] Reposui *atqui*, vt in Scidis legebatur, pro *atque*. Atqui, inquit, videsne quam φιλοσόφως? Hoc a me dictum sit? nempe, *in omni vita sua quemque a recta conscientia transuersum vnguem non oportet discedere*. Verba sunt ipsius Ciceronis ex quodam eius libro repetita. *Quidquam ne me putas*] εἰρωνικῶς hæc scribit, quasi dicat, falleris si putas id vnum me potissimum curare, vt fama ne desim. *Iudicia videar tenere*] vt videar tenere iudicia & opiniones hominum de me, hoc est, vt me talem esse credam, qualem homines existimant. Μὴ γὰρ αὐτοῖς?] Cum interrogatione legendum. numquid iudicijs, quæ de me homines faciunt, credere soleo? quasi dicat, minime.

IN EPISTOLAM XXI.

Quam tum mihi] Recte Decurtatus & Tornæsianus, *tum mihi*. nam *tum* ad id tempus refertur, quo epistolam ad Hirtium dederat in Tusculano. *Nisi forte mutauit*] Manuscripti nostri, vt emendauimus, *nisi forte mutauit*. *Cum autem fugit me*] Iidem manuscripti omnes, *cum autem fugit me &c.* quod probo, vt sit sensus, cum autem obliuiscor tibi dicere, vt libros meos contineas, tum Cærellia, quæ scilicet studio philosophiæ mirifice flagrat, eos describere solet a tuis. *Vt homo, a meis*] Plane in Scidis est, *possum falli vt homo, a meis eam non habere*. In Tornæsiano vero aliquantulum mendose, *a mis eam non habere*. Hoc, inquit, tibi confirmo, quamquam possum falli, cum homo sim, Cærelliam nõ habere eos libros a meis librarijs. Mox pro *eo nullum*, reposui ex iisdem libris, *ego nullum*: & pro *itemque, idemque*. *Prope accedit*] Cum habitatum veniat prope tuas ædes.

IN EPISTOLAM XXII.

Intexui] In Tornæsiano est, *intexo*. *O rem acerbam*] Expressi particulam *O*, vt in manuscriptis legebatur. *Satisfaciendum*] Antiqui nostri, *satfaciendum*. *Lucum hominibus*] Editiones, *locum*: Decurtatus, *lucum*, idq; melius. Ait enim se non probare vt consecratio Tulliæ fiat in luco, quemadmodum suadebat Atticus, quod in luco sit solitudo; hominum autem consecratio egeat celebritate. nam quod ad Deos attinet, ij ita noti sunt, vt ad eos colendos in desertissima quæque loca frequentissimi homines conueniant. idcirco nihil eis opus est loci celebritate. contra hosnines celebri loco consecrari debent, vt eorum nomen vulgo innotescat. itaque nequaquam eis conueniunt luci, quod desertiores sint quam oporteat. Hoc de luco sic idem auctor epistola 29. huius libri, *Ad id autem, quod volumus, ἀφιδρυμα*, inquit, *nihil aptius videtur, quam lucus, quem ego nram: sed celebritatem nullam tum habebat: nunc, audio maximam*.

IN EPISTOLAM XXIII.

Sunt enim defecti] Reposui, *defecti*, edita scriptura Decurtati. Male enim vulgo legitur *defecti*. Præpositio *de* in cõpositione

positione plærumque perfectionem & absolutionem alicuius facti notat. inde Vlpianus libro trigesimo ad Edictum scribit κὸ de in deposito habere vim augendi. desingere ergo est perfectam & absolutam formam alicui rei inducere. inde defecti libri hic vocantur omnino ficti, & absoluti. Eadem est vis huius præpositionis in verbis detexere, deperire, deuenerari, deproperare, depræliari, depopulari, desperne-re, demitigare, & in alijs huiusmodi multis. *Quare confice*] Malui testimonio stare veterum librorum ita referentium, *Quare confice*, quam excusorum edentium, *quam confice*. ΕΥΑΓΩΓΟΣ] Victorius legit εὐλόγως: Lambinus, εὐλαβῶς: Nos ex Decurtato εὐαγῶγως: cuius scripturæ extant etiam in Tornæsiano vestigia quædam satis conspicua in hunc modũ ΕΥΑΓΩΣ. εὐάγωγος dicitur, qui ita flexibilis est, vt facile quo velis sequatur. inde Aristoteles libro septimo de Republica ἀνθρώπους πρὸς τὸν ἀρετὴν εὐαγώγους vocat, homines ad virtutem flexibiles. hinc aduerbium εὐαγώγως, quod significat facili quodam ductu. Agitur autem hic de exactione mercedis domus cuiusdam Ciceronianæ, quam inquilinus nescio quis Cæsarianæ factionis soluere recusabat, quod sibi ius esse diceret eam solidam, aut certe eius partem retinendi. nam Cæsar inquilinis mercedes ædium vnius anni, quæ quingentas drachmas non excederent, remiserat, vt ait Dio libro 42. ideo dicebat Trebatius omnes inquilinos, nedum Cæsarianos tantum, ea mercedum retentione tunc vti consueuisse. Itaq; Cicero præfracte nolebat agi cum illo inquilino, a quo mercedem ædium conductarum exigebat, sed facili quodam modo, vt si ille honestam quandam conditionem etiam modicã ferret, eam Atticus ne respueret. Non longe remotum est a notione Græci huius aduerbij quod in fine huius epistolæ idem Cicero dixit, *bono modo*. *Cum illo Scæua*] Id est, cum illo Trebatio, qui tibi, mihique fuit olim familiarissimus, & cum quo vterq; nostrum libere loqui solebat. Id ait, quia alienatus aliquantulum Trebatius a se videbatur ob contraria partium studia. Trebatius enim Cæsarem, Cicero Pompeium, sequutus fuerat. Antea monuimus Trebatio duo fuisse cognomina, vnum Scæuolæ, siue Scæuæ, alterum Testæ.

IN EPISTOLAM XXIIII.

Quatuor διφθερίαι] Legendum διφθερίαι, vt in postrema editione reposuit Victorius. διφθερίας autem appellat libros, quod membranis & pellibus contegerentur. nam διφθέραν Lucianus vocat eorum integumentum, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνώντων. ἅπαντες γὰρ, inquit, ἀκριβῶς ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τούτοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοί, πορφυρᾶ δ' ἔκτοθεν ἡ διφθέρα. simili de caussa senes quidam pellibus amicti, qui ruri opus faciebant, dicebantur in tragœdijs & comœdijs διφθερίαι, vt refert Varro lib. 2. de re rustica.

IN EPISTOLAM XXV.

Bruto ita volui scribere] Hæc verba eo ordine, quo edidi, conscripta erant in veteribus libris, *Bruto ita volui scribere. Sed quoniam tute legisse*] παρενθέσει comprehendenda sunt hæc verba, *sed quoniam tute legisse scribis, fuisse forte* ἀσαφέστερος. Inde tradit se conijcere quod Bruto obscure scripserit; quia Atticus, qui alioqui ipsius scripta facile intelligebat, assequi non potuerit, quid illa ad Brutum epistola significare voluerit. Lambinus, cum sententiam huius loci non perciperet, suo more multa temere incusauit. *Nō esse intelliges*] Vulgati, *intelliges non esse*: nostri hac serie, *nō esse intelliges. Tam enitar* ἔργον] Scripsi ex Decurtato, *tā enitar* ἔργον. Tornesianus pro ἔργον habebat *ergo. Spintharo*] Edidi, *Spintharo*, vt nostri referebant. vulgati *Spinthero.*

IN EPISTOLAM XXVI.

Quo autem? Lanuuium?] Manuscripti nostri, *quo autem? Lanuuium?* & ita excudendum curaui. Innuit enim se Lanuuium venire velle, vt constituerat, atque adeo in Tusculanum, si posset. nam reluctabatur animus.

IN EPISTOLAM XXVII.

De epistola ad Cæsarem] Vulgatæ lectioni hanc manuscriptorum meorum antetuli, *De epistola ad Cæsarem. Operam in Faberio*] Editiones, *operam Faberio ponamus?* Prisci nostri accommodatius ad normam Latini sermonis, *operam in Faberio ponamus.*

IN EPISTOLAM XXVIII.

Qui esse debeam] Hucusque editum fuit, *debebam*, cuius loco reposui, *debeam*, auctoribus libris antiquis. *Ille vero potius*] Malo vt ille desideret non scripta, & cupiat a me aliquid

aliquid scribi, cum nihil scripsero, quam vt non probet quæ iam scripsi. *Vel quem libebit*] Hæc est scriptura Tornæsiani, Decurtati, & Crusellini.

IN EPISTOLAM XXIX.

Insaniturum] Insanire hic est impenso precio aliquid mercari, & immensos sumptus in aliquam rem facere. Horatius,

Insanit veteres nummos Damasippus emendo.

inde insaniam villarum noster hic auctor alio loco vocat nimios villarum sumptus. *Esse tractatum*] Male acceptum a quibusdam, qui eum in re quadam emenda, quam ille valde concupierat, licitatione vicerunt, & illi eam rem eripuerunt. *Ille emptor*] Non videatur esse ille insanus emptor, qui ferebatur.

IN EPISTOLAM XXX.

Eam tibi epistolam misissem] Cum interrogatione legendum. indignatur enim Q. Ciceronis filium epistolam ad Atticum misisse. qua non modo ipsum Atticum auunculum, sed se Ciceronem patruum grauiter accusabat. præterea scribendum est *misisse*, auctoribus Scidis, hoc modo, *eam tibi epistolam misisse?* quasi dicat, fierine potest, vt is tam amens fuerit, vt ausus sit talem epistolam ad te mittere? numquam profecto id credidissem, nisi ipse eam legissem. operæ me inuito vulgatam lectionem ediderunt. *Nam illam alteram*] Illam alteram, quam ad te scripsit de rebus in Hispania gestis non puto modestius scriptam, quam hæc sit, sed esse eodem exemplo *Mi sicunde potes*] Sic habebant Decurtatus & Tornæsianus, *Mi sicunde potes, erues:* quam scripturam potiorem duxi quam receptam. ΥΛΛΩ *aliquem*] Veteres libri, *vllo*, Latinis litteris: scripsi ὑλλῶ. Hesychius ὑλλεῖν interpretatur λέγειν, θρυλλεῖν. sensus est, ego scriptis meis celebro, & peruulgo præclarum quendam conuentum atque consessum illustrium virorum, Reipublicæ gerendæ peritorum, quos de Republica constituenda disserentes induco, more Dicæarchi familiaris tui. Decreuerat Cicero, ni fallor, Dicæarchi exemplo, nescio quid scribere de rebus post bellum componendis, & recte constituendis: quod argumentum tractari volebat a Mummio, & decem legatis, qui deleta Corintho res Achaicas ordinarant. falluntur ergo qui putant Ciceronem hęc de decem legatis Corinthũ missis

idcirco quæsiisse, quod ea intexere vellet disputationibus Tusculanis, quas tunc in manibus habebat. *Olympiæ, aut ubi visum*] Legendum, *Olympiæ*, gignendi casu. Olympia vrbs fuit inter montes Ossam & Olympum sita, clara hominum mercatu, qui, vt ait alio loco Cicero, ibi habebatur, maximo ludorum apparatu, totius Græciæ celebritate. Cicero fingere volebat disputationem illam, quam instituebat de Republica ordinanda, habitam fuisse Olympiæ. quo exemplo fortasse Dicæarchus ὀλυμπικὸν scripserat. fertur enim librum hoc titulo edidisse.

IN EPISTOLAM XXXI.

KEKYBIKA] Vulgatam lectionem κεπφικὰ, cuius auctor fuit Victorius, numquã probare potui. nam ab ea, quam referunt manuscripti, nimis recedit. sic enim est in Tornæsiano KEKBIKA: in Decurtato & Crusellino, KEKIBIKA; scripsi κεκύβικα, id est, in cubi & tesseræ modum me conformaui, & decreto meo firmiter insisto. κύβος figura est solida, suique semper similis, quamlibet in partem iactetur. inde Cicero, cum significaret immutabile tore decretum suum de epistola ad Cæsarem non mittenda, scribit se κεκυβικέναι. eadem fere tralatione Simonides, & eum sequutus Aristoteles, virum constantem & propositi tenacem appellarunt τετράγωνον, id est, quadratum. Verbo κυβίζειν vsus est Plutarchus in commentario de solertia animaliũ, vbi de thynnis ita scribit, ἐπεὶ πάνυ χαίρουσι τῷ σωτρέφεσθαι καὶ σωαγελάζεσθαι μετ' ἀλλήλων, ἀεὶ τὸ πλῆθος τῷ σχήματι κυβίζουσι, καὶ στρέφουσιν ἐκ πάντων πυκνοῦσιν, ἐξ ἴσου εἰς ἐπιπέδοις περιεχόμενον. *Sin; vtrum liberet*] Deerat in excusis particula *sin*, ante vocem *vtrum*, quam ex manuscriptis meis restitui. significat autem si secus, hoc est, si Cæsar iturus erat in Parthos, antequam Reipublicam constitueret, contra quam perhibebant. sic auctor obscœni carminis,

Donec proterua nihil mei manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta:
Sin; hæc mei te ventris arma laxabunt.

Si Kanum haberes] Hunc Kanum fuisse puto, quem Cornelius Nepos Gellium Canum nominat, familiarissimum Attici, cuius alias fit mentio in his epistolis. Iusit tamen Cicero

in ancipiti

in ancipiti notione huius nominis. nam, quia gulæ deditus erat Otho, videtur respexisse ad τὸ κανοῦν, vbi panes reponebantur. Homerus ἄρτον τ' οὖλον ἐλὼν περικαλλέος ἐκ κανέοιο. & Athenæus libro primo, παρετίθεντο δὲ οἱ μὲν ἄρτοι σὺν τοῖς κανοῖς. Hinc factum existimo, vt hic *Kanum* potius K. quam C, littera scribatur.

IN EPISTOLAM XXXII.

Iussi vt tibi daretur] In Tornæsiano, & Crusellino pro *iussi*, legitur *missi*. ΔΙΑ σημείων] Cicero notas quasdam excogitarat, vt refert Plutarchus in Catone, valde vtiles actuarijs ad verba celeriter excipienda; extatque hodie liber D. Cypriani de notis Ciceronianis: & sane apud me est Psalterium Dauidis ijs notis exaratum. His ergo notis cũ Cicero quædam Attico scripsisset de decem legatis, rescripsisset; Atticus se ea parum intellexisse, nunc explicate refert, quid illis litteris quæsierit. σημεῖα sunt notæ, vt interpretatur vetus glossarion, & σημειογράφος notarius. Eusebius in Chronicis non Ciceronem, sed Tyronem eius libertum, eas notas inuenisse tradit. *P. Popillio*] Decurtatus & Tornæsianus referunt, vt edidi, *P. Popillio*. & sane in Fastis Romanorum huic Popillio prænomen est Publius.

IN EPISTOLAM XXXIII.

Professionem relatam] Hæc ad censum referri debent, quem post bella ciuilia C. Cæsar egit. In censu autem cuiusque bona solebant æstimari, eaq; professio in tabulas publicas referebatur. *Sed scribes, & quidem confestim*] Hactenus sic in vulgatis excusum fuit, *sed scribis, & quidem cõfectum*. Verum longe castigatius in Decurtato legitur, *sed scribes, & quidem confestim*. quam lectionem neminem reiecturum existimo. *Nulla est* δυσωπία] Puto hunc Virgilium primum sequutum fuisse Pompeiũ, tum ab eo ad Cæsarem desciuisse, postremoq; in Africam, vbi erant reliquiæ exercitus Pompeiani se recepisse. Eius autem bona sub hasta vænibant, decreueratque Cicero partem quandam hortorum, quæ eius fuerat, emere; mirabantur vero quidam Ciceronem in ea re non δυσωπεῖν, quod bona hominis Pompeiani emeret ab hasta. At Cicero nulla dicebat se verecundia affici, quod non iam Pompeiani, sed Cæsariani hortos mercaretur. Præterea de Cicerone queri Virgilius non po-

terat, cum Cicero nihil faceret quod sibi non liceret. nam res vænales nemo vetatur emere. *Cum sit in Africa*] Cum in Africam se receperit, vbi sunt multi Pompeiani, videbis ne idem faciat quod Cœlius, qui relicto Cæsare ad Pompeianas partes transiuit, quemadmodum intelligitur ex epistola vltima earum, quas scripsit ad Ciceronem. nolebat Cicero Virgilium offendere, si forte is se recepisset ad Pompeianos. *Si Plancus destinat*] Scripsi ex Decurtato & Crusellino, *si Plancus destinat, tum habet res difficultatem. Reperiet*] Omnes nostri, *reperit*, tertia persona, vt excudi iussimus. Cicero quædam petierat ab Attico de decem legatis in Achaiam missis, & de alijs quibusdam viris, qui fuerant ad Corinthum in Mummij comitatu, quæ Atticus dicebat inuenire se non potuisse, mandasse tamen Antiocho liberto suo, vt ea alicunde conquireret. cum vero Cicero sciret quo ex libro ea depromi possent, rescribit Attico, vt negotium det Antiocho ea inuestigandi. illum enim ea reperturũ ex eo libro, in quo erant Senatusconsulta facta Cn. Cornelio, L. Mummio Coss. *Aut Quæstorem*] Recepta lectio, *aut Quæstorem, aut Tribunum militum*, Scidarum auctoritate confirmatur. frustra ergo illam Victorius mutauit. *De Antiocho*] Hic, vt opinor, libertus fuit Attici, cui negotium Atticus dederat huius rei inuestigandæ. ideo κατὰ παρένθεσιν dictum est, *Videt iam* (sic enim ex Scidis restitui) quia illum Cicero tanta diligentia vsum putabat, vt non dubitaret, quin iam certo sciret, quo anno Tuditanus Quæstor, aut Tribunus militum fuisset. *Si neutrum quadret*] Tornæsianus, *si neutrum cadet*, vitiose: Vulgati, *si neutrum eodem*, deprauatius. Legendum enim auctore Decurtato, *si neutrum quadret*. Si, inquit, tempora non conueniant, neque quadret Tuditanum Quæstorem aut Tribunum militum fuisse bello Achaico, sed contra constet eum Quæsturam, aut Tribunatum militum, alio bello gessisse, tu scire poteris de Antiocho, num saltem ad Corinthum vnus e præfectis, aut contubernalibus Mummij fuerit; modo fuerit in eo bello. Eodem significatu verbum quadrare idem hic auctor vsurpauit epistola 30. huius libri sic scribens: *Sed in Libonis annali* XIIII. *annis post Prætor est factus Tuditanus, quam Consul Mummius. non sane quadrat. Memini enim tuum*] Edidi scri-

Edidi scripturam Scidarum, & Decurtati, *memini enim tuum.* κατ' ἔμφυν dixit *tuum*, cum morem, aut institutum tacite intelligeret. Sic Terentius, *Pol Crito antiquum obtines.* *Cecidita, belle*] Ita veteres nostri referebant, *cecidita belle*, & ita edidi. *Coædificari*] Codex Tornæsianus, *cum ædificari.* apparet deprauatum ex *coædificari.* sic in eodem codice alibi mendose scriptum est *cum hæredes*, pro *cohæredes.*

IN EPISTOLAM XXXIIII.

VIII. *Kal.*] Vulgati libri, VIII. *Kal. Iul.* prorsus mendose. nondum enim mensi Quinctili inditum fuerat nomen Iulij. itaq; *Iul.* recte abest a Decurtato, quem sequutus sum. *Per Egnatium maximum*] Vt potissimum pro potissime sæpe legas, sic hic maximum pro maxime. *Illud in primis*] Legendum ex fide manuscriptorum, *illud in primis, & ut cum Publilio me pæne absente conficias*, nam e superioribus sumi debet verbum *velim*, ἀπὸ κοινοῦ.

IN EPISTOLAM XXXV.

Sed eas nondum legeras] Tornæsianus, *si eas nondum legeras.* malui vulgatam lectionem sequi, quam ceteri quoq; manuscripti referebant.

IN EPISTOLAM XXXVIII.

ΠΟΤΕΡΟΝ δίκας] Extrinsecus assumi debet participium ἀναβὰς, vt ex Platone intelligitur hunc locum referente libro 2. de Republica, vt sit, πότερον ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον δίκας ἢ σκολιὰς ἀπάτας: subaudiri etiam debet διαβιώσω, aut tale quid verbum. vtrum consceńso alto muro iusticiæ, an obliquæ fraudis vitam traducam. Cicero prima hæc verba ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον interpretatur aperte, palam, & sine vlla dissimulatione atq; fraude, quod nihil occulte & fraudulenter agant qui vere iustitiam colunt. illa autem quæ sequuntur, ἢ ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον σκολιὰς ἀπάτας, de occulto & fraudulento consilio accipienda sunt. In Tornæsiano & Cruscellino exaratum erat tertio casu σκολιαῖς ἀπάταις, & fortasse rectius. non enim satis apte dici videtur τεῖχος ὕψιον σκολιὰς ἀπάτας, cũ fraudi melius conueniant depressa & latebrosa loca, quam alta & conspicua, cuiusmodi sunt muri. Sed tamen σκολιὰς ἀπάτας scripsisse Pindarũ indicat hęc Platonis verba, λέγοι γὰρ ἂν ἐκ τῶν ἀκοτων πρὸς αὐτὸν, κατὰ πίνδαρον, ἐκεῖνο, πότε-

ρον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιὰς ἀπάτας, ἀναβὰς, καὶ ἑαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ. *Quid, si Cæsar subito?*] Excudendam curaui scripturam Decurtati & Tornæsiani, *quid, si Cæsar subito?* quid, inquit, faciam, si Cæsar subito veniat, & nos hinc opprimat? aut, si subito Asturam veniat, cum eo peruenerimus?

IN EPISTOLAM XXXIX.

Plena pietatis] Legendum, vt est in nostris manuscriptis, *plena pietatis.* εὐρωνέα est. *Sibi illum iure iratum*] Fatetur se acerbius illum tractasse, quam oportuit: ideo illum sibi iratum esse. Mox pro *sibi videoplacere*, reposui ex iisdem nostris, *tibi videoplacere. Eadem scilicet*] *Eadem*, aduerbium est, significatque eadem via, vt ex Charisio alias docui. Tu, inquit, scribis me, cum Romam veniam, eadem via Brutum scilicet visurum. sed nisi Romam ire decreuissem Quincti vitandi caussa, occasio illa Brutum visendi me hinc non moueret. Brutus Cæsari tunc valde familiaris erat: idcirco eũ videre Cicero nolebat. *Nec inde venit*] Non inde venit, vbi sunt boni viri, qui, quod inimicũ habeant Cæsarẽ, patria exsulant. sed venit a Cæsare cui familiarissimus est factus. *Neq; diu afuit*] Diu non afuit a patria cum bonis viris, sed cito in eam se recepit, vt in Cæsaris gratiam rediret. ΦΑΙΔΡΟΥ περιοδῶν] Scripsi ex fide Decurtati, Φαίδρου περιοδῶν, & ἐπιλάδος. Videntur his verbis duo libri Dicæarchi significari, quorum primo auctor ille multa e Phædro Platonis, vt superflua & redundantia, resecanda esse docuerat: altero virorum illustriũ, quos Græcia tulisset, vitam conscripserat, hunc que librũ vocarat ἐπιλάδος βίον, vt illum, Φαίδρου περιοδά. Laertius vulgo traditum refert, Platonem omnium dialogorum primum scripsisse Phædrum, idque conijci vel ex ipsius dialogi argumento, quod puerile quodammodo est: sed & Dicæarchum totam eius scripti rationem, vt nimis insolentem & fastidiosam damnasse. λόγος δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν Φαῖδρον. καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδες τι τὸ πρόβλημα. Δικαίαρχος δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ἐπιμέμφεται, ὡς φορτικόν. Quin etiam Plutarchus in Erotico reprehendere videtur descriptiones ei dialogo intextas Iliffi, viticisque, & graminei strati, tanquam superuacuas: ἄφελε, inquiens, τὸ λέγειν τὸν νοῦν ἔχον ἐποποιῶν τε λειμῶνας καὶ σκιὰς, καὶ ἅμα κιττῷ τε καὶ λάκκῳ

λάκκων διαδρομὰς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιούτων τόπων ἐπιλαβόμενοι γλίχονται τὸν πλάτωνος ἴλισσον, καὶ τὸν ἄγνον ἐκεῖνον, καὶ τὴν ἠρέμα προσάντη πόαν πεφυκυῖαν προθυμότερον ἢ κάλλιον ἐπιγράφεσθαι.

IN EPISTOLAM XL.

Itane] Hinc initium duximus huius epistolæ, auctore Decurtato. *Illum ad bonos viros*] Cæsarem missurum esse εὐαγγέλια ad bonos viros, quod illos iubeat in patriam redire, vt eorum consilio Rempublicam constituat. *Sed vbi eos?*] Sed vbi bonos viros inueniet, nisi forte ipse se suspendit, vt eos apud inferos visat? nam eius scelere omnes boni perierunt. *Hic autem vt fultum est?*] Hæc addit, vt doceat accidere non posse, vt Cæsar se ipse suspendat. quam valida, inquit, firmaque fulcra hic, id est, in Italia ei subiecta & supposita sunt, quo minus librato corpore ad suspendium adigi possit? Fulcra quibus Cæsar innitebatur erant Brutus & alij, qui relictis partibus Pompeianorũ ad eum transierãt, eiusq; caussam fouebant. Significat ergo Cicero nullum periculum a quoquam esse Cæsari, cum eos amicos habeat, quos omnes boni exitium illi allaturos, & Rempublicam tyrannide liberaturos sperabant. ΦΙΛΟΤΕΧΝΗΜΑ] φιλοτέχνημα est opus ingeniose, summoque studio elaboratum, cuiusmodi erant statuæ Ahalæ & Bruti assertorum libertatis populi Romani, quas Atticus habebat in Parthenone. Vbi, inquit, est opus illud artificiosum, quod ipse vidi in Parthenone tuo, cum Brutus diceret se moueri & excitari eius aspectu ad liberandam tyrannide Rempublicam, exemplo gentilis sui L. Iunij Bruti, & Seruilij Ahalæ? *Sed quid faciat?*] Quasi dicat, nihil. neque enim possit. itaque foro vtendum est, cum nequeat, quod instituerat, efficere. Hic Brutum excusat. *Illud optime*] Illud, inquit, quod mox subijciam, optime scripsisti, *sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro.* verba sunt Attici ex eius ad Ciceronem epistola repetita. *At vellem aliquid*] Hæc Brutus scripserat, quod falsa putaret quæ vulgo dicebantur de conuitijs Q. Ciceronis filij in patruum Ciceronem. *Saxa Acronoma*] Correxi ex Decurtato, *Acronoma:* quod nomen etsi proprium sit alicuius loci, videtur tamen ex eo fictum, quod summa pars eorum saxorum a pecore depasta esset. *Quam inimicus*] Arguit insignem Quincti fratris leuitatem, qui modo ami-

cissimus esset filio, modo inimicissimus. ΚΕΠΦΟΥΜΑΙ] Aut legendum κεπφοῦμαι, vt edidi, aut κεκέπφωμαι. nam in Decurtato est κέπφωμαι, quod ex alterutra harum lectionum deprauatum est. κεπφῶμαι est leuitate quadam animi huc illuc impellor. nam Suidas κεπφὸς ait vocari τὸς ἐλαφρὸς φρεσὶν, & interpres Aristophanis τὸς ἀλογίστους καὶ ἀνοήτους. Hesychio etiam κεπφωθεὶς est ὁ ὀξέως ἐλαυνόμενος.

IN EPISTOLAM XLI.

ΣΚΟΛΙΑΣ ἀπάτας] Me non fore ascensurum τὰ ἔχος σκολιᾶς ἀπάτους. hæc enim extrinsecus assumenda, vt docuimus ad epistolam 38. huius libri. In Tornæsiano tamen est σκολιοῖς ἀπάτους. *Mentto Cana*] Vulgati libri, *Canai*: Decurtatus, *Canae*, quod rectum arbitror. significat enim filiam Gellij Cani, de qua nuptui danda Q. Ciceroni filio nescio quid actum fuerat. *Commeatus*] Litteras Attici vocat commeatum, quod ijs solis summum desiderium, & veluti famem, eum videndi leuare posset.

IN EPISTOLAM XLII.

Quot iter instet] Vulgo legitur, *quod iter instet*, non male. sed castigatius, vt opinor, in Decurtato, *quot iter instet*. Sæpe autem cum in Tornæsiano, tum in hoc, *quot*, pro *cui*, exaratum reperias. *Eia tu: μίας κόρδ*] Hic locus cum in libris hactenus excusis, tum in priscis manuscriptis, valde deformatus erat. eum nos vnius litteræ adiectione, & alterius detractione, suo nitori, vt spero, restituimus. nam cum in omnibus antiquis ita legissemus, EATVR MIAC KOPΔOT, putauimus librarios corrupte scripsisse *eatur*, pro *eia tu*. Eia aduerbium est hortandi. Plautus Epidico, *Eia vero age dic*. Virgilius libro 9. Æneidos, *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, hostis adest, eia*. Plinius Iunior in cuiusdam epistolæ, *Eia tu, quum proxime res agentur, quoquo modo ad iudicandum veni*. Hic autem verbum reticetur, quo Cicero Atticum compellarat, extrinsecusque assumendũ, dic, siue profer aliquid ad templum effandum. quocirca mox tanquam ex persona Attici ei compellationi respondentis subijcit *μίας κόρδ*, id est, piaculum Scæuolæ Cordi, innuens accommodatissimum ei tempori hoc esse argumentum effandi templi, vt scilicet augures auues consulerent, num expediret tale piaculum contrahi, ad liberandam ty-

dam tyrannide Rempublicam. Scæuola, vt vrbem obsidione Regis Porsenæ liberaret, ipsum Porsenam interficere decreuerat. sed deceptus purpuratum scribam eius loco occidit. qua in cæde quod dextera peccasset, eam in foculum iectam exussit. itaque tam audaci facinore rex ille perterritus, acceptis obsidibus, bellum pace mutauit. sic Mutij Cordi piaculo Roma graui periculo liberata est. Cum ergo Cicero prouideret numquam depulsum iri a ceruicibus populi Romani seruile iugum, quod ei Cæsar recens imposuerat, nisi aliquo piaculo simili illi Mutiano, serio iocans scribit debere augures templum effari ad explorandum num e Republica esset, huiusmodi piaculum ab aliquo contrahi. Ceterum Cordo cognomen fuisse illi Mutio, qui purpuratum scribam Porsenæ interemit, docent Dionysius Halicarnassensis, & Plinius de viris illustribus. Cordus autem Latinis est, quem Græci ὄφιγονον vocant. illud non prætermittendum μίας hic esse μίασμα, teste Hesychio, vt docuimus ad epistolam vltimam libri 10.

IN EPISTOLAM XLIIII.

Pompam videret] Lego, auctore Decurtato, *Pompam videret*, vt etiam Manutius legit: & mox, *religionis opinione, & fama*. Vtroque loco ceteri mei libri manuscripti mendosi sunt.

IN EPISTOLAM XLV.

Quam illa Diocharina] Illæ litteræ, quas Diochares Cæsaris libertus attulerat. Idem auctor epistola sexta libri vndecimi: *Quare ex Diochare Cæsaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandreas litteras attulit.* *Nec nostri studiosiorem*] Post vocabulum *officiosiorem*, subijcitur in Scipis, Tornæsiano, & Crusellino, *nec nostri studiosiorem*, quod in nostra editione non passus sum desiderari.

IN EPISTOLAM XLVI.

De sua vini curatione] Emendaui ex Decurtato, *de sua vini curatione*. Curationem vini vocat munus curandi vini delatum Leptæ, in epulum, aut prandium, quod Cæsar daturus erat populo Romano. nam huiusmodi quoddam munus Leptam a Cæsare postulasse liquet ex Ciceronis ad ipsum Leptam epistola. De epulo & prandijs publice præbi-

tis populo Romano ita Suetonius in Iulio Cæsare, *Adiecit epulum*, inquit, *ad visceration em, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. nam cum prius parce, neq; pro liberalitate sua præbitum iudicaret, quinto post die aliud largissimum præbuit.* *Meo autem Lanuino*] Scidæ, vt repositi, *meo autem Lanuino, quod Lepido tradidi, ex eo hoc primum.* Ager Antias & Lanuinus erant finitimi. ideo cũ Cicero Antij domum haberet, decreuerat aliquando prędium Lanuinum Phameæ, quod proximum esset Antiatibus suis illis ædibus, emere, vt intelligitur ex epistola 9. libri 9. illam autem domum postea Lepido vendidit, aut certe ei a quo Lepidus illam emit, vt apparet ex his verbis sequentis epistolæ, *Lepidus ad me heri vesperi litteras misit Antio. nam ibi erat. habet enim domum, quam nos vendidimus.* Hinc etiam perspicitur eum cum illis ædibus simul & prædium Lanuinum illis attributũ eidem Lepido vendidisse, ex quo prædio scribit se tum primum post venditionem exijsse. nam, *hoc primum*, significat hoc tempore primum. sic apud Terentium, *luciscit hoc iam*, hoc est, hoc tempore iam luciscit. *Ex eo cognoui*] Id est, ex Balbo. nam hæc eo referri debent, *Balbum conueni.* quæ enim deinde hucusq; sequuntur, κατὰ παρένθεσιν sunt interiecta, estq; longum ὑπέρθετον. *Liberam cretionem*] Sic hunc locum edidi ex fide Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini, *ex eo cognoui cretionem Cluuij* (*o Vestorium negligentem!*) *liberam cretionem, testibus præsentibus, sexaginta diebus.* Liberam cretionem vocat, cretionem vacuam, & a nemine occupatam; vt liberum cuiuis fuerit hereditatem illam Cluuij cernere, tanquam a nemine aditam. Vestorius enim neque suo, neque Ciceronis nomine illam creuerat, cũ tamen id ei licuisset totis sexaginta diebus iam elapsis, quibus & scierat, & potuerat. Olim non idem tempus semper præstituebatur hereditatibus cernendis. nam quandoque cretio centum erat dierum, vt patet ex eo institutionis exemplo, quod Vlpianus refert Titulo 22. Regularum in hæc verba, *Titius heres esto: cernitoq; in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisq; : nisi ita creueris, exheres esto:* aliquando pauciorum erat, vt hinc conijcimus. scribit enim Cicero se metuisse, ne Vestorius ab illa hereditate arcendus esset, quod intra præstitutum tempus LX. dierum non

rum non creuisset. Nam quod quidam existimant in cretionibus dies non fuisse pauciores quam centum, quod ad deliberandum non minus quam centum dies dari iubeat Paullus iurisconsultus, valde falluntur. dabantur enim a Prætore dies ad deliberandum, cretionis vero tempus præfiniebant testatores, quibus liberum fuit, quibus legibus vellent, heredes adstringere. *Arcendus*] Lego, *arcendus*, ex Decurtato. nesciebat Cicero plurese dies essent cretionis Cluuianæ, quam sexaginta. ideo metuebat ne Vestorius arcendus & excludendus esset ab illa hereditate, quod illam intra eos dies non creuisset. Vlpianus eodem, quem modo adduximus, loco, *cum cretione vero heres institutus, sicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creuerit.* *Testibus præsentibus*] Hoc addidit, vt doceret dies illos L x. vtiles fuisse Vestorio. commodissimum enim ipsi fuerat, ad aperiendas tabulas testamenti, testes, qui eas obsignarant, adesse. itaque sexaginta illis diebus & scierat se heredem institutum, & hereditatem cernere potuerat. *Cum ab initio*, inquit Vlpianus, *aperiendæ sunt tabulæ, Prætoris id officium est, vt cogat signatores conuenire, & sigilla sua recognoscere.* *Nunc mittendum*] Sexaginta illi dies non fuerant vtiles Ciceroni, vt Vestorio. neque enim Cicero potuerat illis diebus cernere, cũ abesset. idcirco scribit sibi mittendum ad Vestorium, vt suo iussu cernat. *Meo iussu*] Quomodo Ciceronis iussu hereditatem illam cernere poterat Vestorius, si per procuratorem, vt aiunt Iurisconsulti nostri, hereditas adiri non potest? sed multum interest inter additionem, & cretionem. nam additio animi & consilij est, potius quam facti; cretio non item, quæ certa formula, verborumque conceptione constat. itaque qui mandat alicui, vt hereditatem cernat, ipse eam iam animo adiuit.

IN EPISTOLAM XLVII.

Tetigit aures nuncijs] Deminuti sunt hic codices vulgati, ideo ꝑiscos manuscriptos sequutus sum, qui hunc locum ita referunt. *sed vt scriberem, tetigit aures nuncius, extemplo instituta omisi, ea quæ in manibus habebam abieci, quod iusseras edolaui.* Quibus in verbis vnicam tantum litteram

ex voce *nuncius* mutaui. scripsi enim *nuncijs*, sexto casu. ait enim Agamemnonem nuncijs sibi aures tetigisse,

IN EPISTOLAM XLVIII.

Ne non liceat tenere] Verebatur Lepta, ne caduca esset hereditas Babulliana. apparet aliquid de caducis iam tum latum fuisse.

IN EPISTOLAM XLIX.

Attica primum] Hic apposita fuerat in Scidis ea nota, qua initia epistolarum designantur. ideo ex his verbis hanc epistolam inchoaui. sed & vox *primum*, eius initium indicat. *Est, quemadmodum*] Scripsi ex Decurtato, *est*, pro &. nam ad maiorem ἔμφασιν hoc verbum repetiuit, quasi diceret, est bellum, quod modo scripsi, libenter aliquem odisse, quemadmodum & bellum est, non omnibus seruire.

IN EPISTOLAM L.

Mittere instituerem] Codices formis impressi, *mittèrem instituerem*: quam lectionem sequitur etiam Victorius. at longe melius manuscripti nostri, *mittere instituerem*, vt edidi.

IN EPISTOLAM LI.

Hemicillus] Edidi, ex præscripto Decurtati, *hemicillum*. sed fortasse Cicero Græce scripsit ἡμίκιλλος. vt vt sit, hemicillus ἡμίονον significat. nam κίλλος, vt alias docuimus, est ὄνος. qui autem dignitate & auctoritate alteri cuipiam potentiori cedebat, is aut asinus, aut certe mulus, id est, ἡμίονος, siue ἡμίκιλλος (semiasinum ad verbum dicas,) ille autem præstantior ἵππος, id est equus, dicebatur. vnde prouerbium ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους, quod in eos quadrat, qui conditionem optimam pessima sorte mutarunt. Ait igitur Cicero non esse quod Atticus suspicetur se idcirco ei mittere, noluisse exemplum epistolæ, quam ad Cæsarem scripserat, quod vereretur ne ille perspiceret hemicillũ se in ea fuisse, quod demisso animo & adulatorie eam scripsisset. se enim cum Cæsare, tanquam cum æquali, ἀκολακεύτως in ea loquutum fuisse. Eadem dicendi forma supra libro quarto scribit se asinum germanum fuisse, quod potentiores obseruare solitus sit. *Narro tibi*] Mendose vulgati, *narraboti bi*: recte vero prisci nostri, *narro tibi*, vt edidi.

IN EPI-

IN EPISTOLAM LII.

O hospitem] Timebat Cicero, ne Cæsar, quem hospitio excepturus erat, sibi grauis & molestus hospes esset. sed periculo facto eum facilem agnouit. idcirco ait, o mihi hospitem tam grauem! quasi dicat, quem mihi valde grauem fore putabam, is mihi minime molestus fuit. itaque subiungit, ἀμεταμέλκτον, quod eum non pœniteret hospitio illum accepisse. Hæc non eram scripturus, nisi viderem etiam in editione Victoriana pessime hunc locum interpungi. *Vultum non mutauit*] Addidi vocem *Vultum*, ex fide Tornæsiani & Crusellini. mutare vultum dicitur, qui recitatione aliquius facti, cuius ipse sibi conscius sit, ita commouetur, vt aut erubescat, aut expallescat, aut alia quadam ratione animi perturbationem indicet. Ἐπισαθμίαν *odiosam*] Habes, inquit, odiosam ἐπισαθμίαν, id est, quam ego initio, vt grauem, oderam & refugiebam; quæ tamen mihi, vt dixi, molesta non fuit.

IN LIBRVM XIIII.

IN EPISTOLAM I.

Affirmabatque] Codices vulgati, *affirmatque*, præsenti tempore: Scidæ, & Tornæsianus, *affirmabatque*, quod melius conuenit cum superioribus verbis, *reperiebat*, &, *aiebat*: atque ita edidi. *Quidquid Volt, Valde Volt*] Perspicue est in Tornæsiano & Decurtato, *Volt*: quos, quo minus sequerer, nulla caussa fuit. quamquam non improbo vulgatam lectionem, *Vult*.

IN EPISTOLAM II.

Φαλακρωμα] Matius caluus erat. qua de caussa Madarus, & Caluena hoc libro dicitur. sed cum otij inimicus esset, non erat vere φαλακρὸς; quia Græcum hoc nomen non modo caluum, sed tranquillum etiam, atque quietum, serenumq; significat. vnde ὑπερβολὴ illa apud Demetrium Phalereum in commentario de eloquutione, φαλακρώτερος εὐδίας, id est, magis caluus quã serenitas. quod loquendi genus inde natum puto, quod perturbatus aer multis festucis, paleis, alijsq; leuissimis rebus, quæ flantibus ventis sursum e terra feruntur, tanquam pilis quibusdam horrescat. cum vero sudum est, & liquida tempestas, ne pilus quidem in aere cernitur. inde iocans Cicero in caluitiem Matij, φαλάκρωμα

vocauit otium & tranquillitatē, quam parum Matius amabat. ideo scribit se nihil quietis apud eum reperijsse: & epistola proxime sequenti, *tranquillæ*, inquit, *sunt tuæ litteræ; quod vtinam diutius. nam Matius posse negabat:* & hac ipsa epistola paullo post, *habes φαλάκρωμα inimicissimum otij, id est, Bruti.* quæ verba ὀξύμωρον quoddā præ se ferunt, quasi Cicero dixerit, quietem inimicissimam otij. sed iocatur, vt diximus, in eo, quod erat quidem in Matio φαλάκρωμα, cū caluus esset, non erat vero, quia otium timebat. *Tu puta*] Editiones, *vt putat:* Ego ex Decurtato, *tu puta*, hoc sensu: tu existima quam nullum sit φαλάκρωμα, & quam nulla quies & tranquillitas apud Matium. quod enim apud eum diuersari, & plusculum temporis manere noluerim, inde facile conijcere poteris eum mei dissimilimum fuisse, hoc est, ocij inimicissimum, cuius ego amantissimus sum. ea enim de caussa nolui ad eū diuertere, sed vlterius progressus sum: quamquam tantum in via procedere nequiui, quantum voluissem. nam ille me diutius suo sermone remoratus est. *Sed minus*] Post vocem *minus*, ϛικτέον: & pro *diu eius*, legendum *diutius*, vt est in omnibus nostris manuscriptis, & in prima editione Victoriana.

IN EPISTOLAM V.

Quoniam quidem ἠσίτησας] Mire consentiebant antiqui nostri in hac lectione referenda, *quoniam quidem* ἠσίτησας, quos lubens sequutus sum. ἀσιτεῖν est cibo abstinere, qua ratione plærique veterum medicorum morbos curabant. *A balneatore* φυρμὸς πολὺς] Excudendum curaui, *a balneatore*, vt erat in omnibus nostris. Videtur vero Cicero significare Antonium, qui tum omne suum studium & operam ponebat in conuiuijs agitandis. *Balneatorem* autem dixit pro *conuiuatorem.* nam cum olim moris esset, vt prius conuiuæ lauarent, quam ad epulas admitterentur, solebant magistri conuiuiorum ijs balnea præbere, quos ad cœnam, aut ad prandium vocabant. inde Horatius aquam præbere dixit pro conuiuio accipere. De conuiuijs Antonij sic idem auctor epistola 3. libri huius, *Odorare tamen*, inquit, *Antonij* διάθεσιν, *quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quicquam mali cogitare. Non modo*

septi]

septi] *Non modo* hic significat, *non modo non*, vt supra epistola 2. libri 4. *Id non modo negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas*: & in Oratore, *Nam vt in epularum apparentia non sē spurcum solum, sed etiam elegantem dici vo-let*: id est, non solum non spurcum. Tibullus quoq;,

Iam modo non possum contentus viuere paruo,
Nec semper longæ deditus esse viæ;
Sed canis æstiuos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.

Eadem loquendi ratione mox hic auctor subijcit; *tantum non*, pro *non tantum non*. *Vagi esse*] Veram & certam hic esse Manutij coniecturam declarat hęc scriptura Decurtati, *vagisse*, vbi omissa tantum est vna littera. scribi enim debuit, *vagi esse*. In Tornæsiano aliquanto depranatius est, *magisse*. Ait Cicero Brutum & Cassium tantam libertatem meruisse, vt non modo includi non debeant eo loco, quo se receperant, sed ne quidem contineri orbis terræ iustodijs; quasi eis licere debuerit etiam extra orbis terræ fines libere vagari. *Tantum non*] Recte Decurtatus, *tantū non*, & mox, *atqui*, quo modo ipsi edidimus. III. *Idus*] Codex Tornæsianus III. *Idus*: alij a vulgata lectione nihil variant.

IN EPISTOLAM VI.

Verba mea ea dere] Edidi, vt erat in Decurtato, *ea dere*.

IN EPISTOLAM VII.

Paullum in Caieta vidi] Victorius in postrema editione scripsit, *in Caietano*. sed veteres libri nostri, *in Caieta*. ac sane Caietam Cicero vocare solebat villam quam habuit in agro Caietano, vt epistola 4. lib. 1. *Caietam, si quando abundare cœpero, ornabo*: & epistola 3. lib. 8. *nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundisij. Si ἀγὼν est*] Scidæ, *si agon est*: scripsi, *si ἀγὼν est*. ἀγῶνα vocat contentionem partium, & certamen, hoc est bellum ciuile. *Sint omnia faciliora*] Reposui *sint*, pro *sunt*, ex Scidis & Cruscllino. optat vt res non ita perturbatæ sint, ac fore putabantur.

IN EPISTOLAM VIII.

In Actis nostris] Id est, in littoribus nostris. Cicero enim prædia habebat mari finitima, vt Pompeianum, & Cumanum, quo iam illum venisse Atticus existimabat. Hæc autem Cicero scribebat in illo itinere. Actam pro littore etiam in

Verrinis vsurpauit; & Virgilius littoris actam dixit, pro margine, & extremitate. *De Mario*] Pseudomarium intelligit, qui ab Antonio interfectus est. *Et si doleo*] ἐρωτικῶς, quasi Pseudomarius nepos fuerit L. Crassi, quod pro certo habendum erat, si is γνήσιος C. Marij filius extitisset. *Arcesses*] Alij libri, *arcesse*: nostri manuscripti, *arcesses*, vt temporis eiusdem sit, cuius verbum quod antecedit, *curabis*.

IN EPISTOLAM IX.

M. Curtius] De hoc M. Curtio vide quæ scripsimus ad epistolam 49. lib. 12.

IN EPISTOLAM X.

POIZOΘEMIN] Veteres libri sic referunt, PIZOQEMIN. Victorius edidit ῥιξοῦθεμιν. scribendum potius fuit ῥιξίθεμιν. sic apud Theophrastum δένδρα ῥιξίφλοια, & in quodam epigrammate Græco βάκχος ῥιξίνοος. sed ego propius ad veterem scripturam reponendum puto ῥοιζόθεμιν. nam librarius facile alteram Ε. tteram omisit, qua diphthongus conflabatur. hoc autem nomine Cicero significauit litem & controuersiam tumultuosam & turbulentam, quæ inter Octauium & Antonium incipiebat agitari de bonis C. Cæsaris. nam ῥοῖζος stridorem & strepitum significat. LXXX. *detersimus*] Ex illa summa detraximus & diminuimus LXXI. HS. quæ impendimus ad ea reficienda, quæ erant ruinosa. sic enim hunc locum interpretor ex epistola 9. huius libri, & ea quæ proxime sequitur.

IN EPISTOLAM XI.

Non sine inuidia] Integrior est scriptura veterum codicum, quam publicarum editionum. ideo ex illorum fide sic edidi, *sed non sine inuidia, ne sine periculo quidem*.

IN EPISTOLAM XII.

Odij pœnam ac doloris] Victorius edidit, *odij plenam*, quam lectionem cum multis de caussis non probo, quas longum esset hic referre, tum quod in Decurtato, Tornæsiano, Crusellino perspicue exaratum est, *odij pœnam*. itaque Manutij sequor interpretationem. *Negan' hæc ferri posse*] Tornæsianus, & Crusellinus, *negant*: scripsi, *negan'*, id est, negasne. sic audin' est audisne, censen' censesne, & alia huius generis infinita. Sensus autem est, negasne hæc nunc ferri posse? quid dices cum Octauius Romam venerit? multo profecto

profecto acrius negabis tolerari posse, quæ tunc fiunt. nam quid censes tum illos non patraturos flagitij?

IN EPISTOLAM XIII.

Proficiscor vt constituerам] Cum interrogatione pronunciandum. sunt enim verba anxie quærentis an in Græciam debeat proficisci, vbi se periculum vitare posse existimabat; an vero Romæ, aut alibi in Italia manere. *Fore me quidem videor*] Eandem scripturam referunt Decurtatus & Cruselinus, quam & Tornæsianus: ex cuius fide iam dudum Lambinus docuit ita legendū esse, *fore me quidem videor in discrimine. Mirificas Egnatio*] Editio Victoriana, *mirificas Q. Egnatio:* Decurtatus, *mirificas sub. Q Egnatio.* quæ scriptura manifeste indicat notam illam Q. in ordinem verborum e glossemate traductam fuisse. itaq; eā expunxi. facile enim nomen Quincti e superioribus ἀπὸ κοινοῦ repetitur.

IN EPISTOLAM XVIII.

De hæresi Vestorinâ] Scribit alio loco Cicero Vestorium magis exercitatū fuisse in arithmeticis quam in dialecticis, significans eum peritiorem fuisse pecuniæ numerandæ, & rationum subducendarum, quam disputationum instituendarum. nam Vestorius argentarius fuit Puteolanus, idcirco cum Atticus iocaretur in hoc eius munus, hæresin vocarat vehementer eius studium pecuniæ cogendæ, deducto ioculariter nomine hæreseos a Latina voce æs æris, qua veteres Romani omne genus pecuniæ notabant. At hæresis vocabulum est Græcum, vt norunt etiam pueri. iocus est ergo ex ficta notatione. *De Phario nummo*] Deprauatissime vulgo legitur, *de Pherionū more Puteolano*, pro *de Pharionummo re Puteolano*, vt ex Decurtato edidi. iocabatur enim Atticus in ancipiti notione vocis Phario, quæ partim a nomine φάρος, quo Græci vestē significant, deduci potest, partim a Pharo insula Ægypti, aut a Pharo turri in ea insula ad regendum cursum nauigantiū extructa. is ergo nummus Pharius erat nomine, quia Vestorij erat, qui a veste Vestorius, vt ἀπὸ τοῦ φάρους Pharius, dicebatur; re autē Puteolanus, quod hominis esset Puteolani, & Puteolis asseruaretur; non autē Pharius, cum neque cuiusquam eorum esset, qui Pharum Ægyptiam incolerent, neque in illa Pharo repositus. Opponitur etiam

Pharus Puteolis. nã Pharus excelsa est, vrbs Puteoli depresso loco, tanquam in puteo quodam, sita. vnde & a puteorum ibi defossorum multitudine nomen traxit; quamquam alij ab aquarum putore eam appellatam existimant, vt refert Strabo libro 5. *Aliorum brutorum*] Non M. Bruti, non D. Bruti, sed aliorum qui vere sunt bruti, id est, insulsi & stupidi. *Qui te obsignatorem*] Ciceroni aliquid testamento relictum fuerat a quibusdam, qui Cæsaris partes fouebant; quod intellexerat ab Attico, qui adhibitus fuerat ad obsignanda eorum testamenta. eo ergo beneficio cum illis obstrictus esset, non poterat illos in historijs non laudare, nisi omnino ingratus videri vellet. *Massilienſibus*] Vicinos Attici vocat Massilienses, non quod Atticus prædia haberet prope Massiliam, sed quod illis agri essent in Epiro finitimi prædijs Attici. eos vero Cæsar militibus assignarat.

IN EPISTOLAM XVI.

Renauigaro] Reposui, auctoribus Scidis, *renauigaro:* quod κατὰ συγκοπὴν dictum est pro *renauigauero. Quis enim audeat laudare*] In omnibus, quos vidi, manuscriptis exaratum est, *quis enim audeat laudare:* quam lectionem mendo carere puto. nam verbum *laudare*, referri debet ad laudationes Cæsaris, & approbationes eius actorum, quæ antea fieri solebant. sensus ergo est, nemo iam Cæsarem audeat laudare, cum grauissima supplicia proposita sint eius laudatoribus. *Curasti vt ante scirem*] Addidi particulam *vt*, ante verbum *scirem*, approbantibus libris antiquis.

IN EPISTOLAM XVIII.

O hominem pudentem!] Receptam lectionem retinui, quod ea auctoritate Decurtati confirmaretur. itaq; pudentem ἐρωνικῶς dictum puto. In Tornæsiano & Cruselliano erat, *o hominem impudentem! Saufeÿ legisse vellem*] Scripsi, vt erat in omnibus nostris antiquis, *Saufeÿ legisse vellem*, κατ' ἔλλειψιν. nam extrinsecus assumere oportet, *librum*. sic libro primo harum epistolarum scripsit πεμπλωαίων *in manibus tenebam* & κορινθίων, & Α'θλωαίων *puto me Romæ habere.*

IN EPISTOLAM XIX.

Barnæum] Vulgati libri *Barnacum*: nostri manuscripti *Barnæum*, vt edidi. ΑΤΙΣΙΑΙ] Hoc vocabulum depraua tum erat in omnibus manuscriptis nostris, extra quam in Decurta-

Decurtato, vbi Latinis litteris scriptum erat, *atisia*. itaq; reposui ἀτισίᾳ. quæ vox iuncta est ἐμτῆ α στερητικῆ μορίῳ, καὶ τῆ τίειν τῆ ἐκτίνειν καὶ καταλάλειν, significatque defectum solutionis. nam Dolabella debitam Ciceroni pecuniam non soluebat. ideo hac ipsa epistola idem auctor, *tibi vero*, inquit, *assentior maiorem* πρᾶξιν *eius fore, si mihi quod debuit dissoluerit*. Recte autem a verbo τίειν hoc nomen deduci, declarat alterum vocabulum eiusdem notionis indidem deriuatum, ἀτίτης, quo Hesychius ait significari τὸν ἄπορον, καὶ τὸν μὴ ἔχοντα ἀποτίσαι. *Assentiris enim*] Lego ex Cruselliano, *assentiris*. hoc loco defecerunt Scidæ nostræ, magno studiosorum omnium detrimento. *Me facere magnam* πρᾶξιν] Hæc cum interrogatione lego. Respondet enim Attico scribenti, factum illud Dolabellæ ea potissimum de caussa magnum videri, quod ipse id laudando magnum faceret. itane scribis, inquit, me laudatione mea magnam facere πρᾶξιν Dolabellæ?

IN EPISTOLAM XX.

De Quinctis] Scripsi, *De Quinctis*, auctore Cruselliano. De Quincto Cicerone patre, inquit, & de Quincto eius filio, de Buthroto etiam tuo videbo, cum venero. *Antonij est dextella*] Edidi ex Tornæsiano & Cruselliano, *Antonij est dextella*. nam in vulgatis deest nomen *Antonij*. significat autem Q. Ciceronem filium tanta auctoritate esse apud Antonium, vt, quos velit, ei amicos faciat. Dextræ porrectione vtebantur veteres in iungendis fœderibus, & amicitijs. Virgilius libro 4. Æneidos,

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Erat enim dextera, vt ait Seruius, signum fidei. inde apud hunc nostrum auctorem coniunctim legas, fidem & dexteram porrigere. Dextella vero est deminutiuum dexteræ. *Scripsi citatim*] Post verbum *scripsi*, addidi aduerbium *citatim*, vt diserte in Cruselliano exaratum reperi.

IN EPISTOLAM XXI.

Hoc metuere] Senarius est ex veteri quodam poeta sumptus, quem Cicero sæpe adducit suppresso auctoris nomine. *Et quidem* πεντέλοιπον] Tam paucis hanc rem perstrinxit, vt

quid significarit vix hodie quisquam assequi possit. igitur in re obscura tendum est coniectura tantum, nihilq; pro certo affirmandum. Puto nomine πεντελοίπε Sextum Pompeium notari. nam πεντέλοιπος est, qui quinis supereſt, id est, Sextus. Itaque contractam hanc orationem ita explico, & quidem mecum adducturus eram πεντέλοιπον, id est, Sextum Pompeium. sic hominem nempe Hirtium paro traducere ad optimates, in quibus non infimum locum tenet Sextus Pompeius.

IN LIBRVM XV.

IN EPISTOLAM I.

ΟΥ ταυτὸ ἐκ τῆ αὐτῆ] Codex Cruſellinus, VT TVA TO EK TOY TOY: emendaui, Ο'Υ ΤΑΥΤΟ Ε'Κ ΤΟΥ Α'ΥΤΟΥ, eleganti ſane ſententia. nam cum dixiſſet ſe eam mulierem, de qua hic agit, apud amicos collaudaſſe, ſtatim ſubijcit ſe eandem probris & maledictis poſtea conſcidiſſe, coram tribus eius filijs & filia. id enim ſignificare voluit, cum ait ſe non eadem ex eodem ore efflaſſe. integrum prouerbium non appoſuit, ſed eius duntaxat partem, omiſſis ſuo more quibuſdam verbis, quæ facile extrinſecus aſſumi poterant. explicate dixiſſet οὐ ταυτὸ ἐκ τῆ αὐτῆ στόματος ἐξέπνευσα, id eſt, non idem ex eodem ore efflaui, ſed pro laudibus probra obieci. Videtur autem alluſum hoc prouerbio ad fabulam Æſopicam de Satyro, qui mirabatur ruſticum ex eodem ore calidum & frigidum efflare. *Quid eſt hoc?*] Hoc additum eſt tanquam ex perſona Attici, qui miraturus erat Ciceronem vituperaſſe, quæ paullo ante laudaſſet. eſt enim improbi viri, quod modo laudaueris, vituperare, vt eſt in ſenario Græco, τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακῆ. *Quid eſt autem?*] Illa mulier, de qua hic agitur, Ciceroni obiecerat eum perſonatum ambulare, quod fuco, tanquã larua quadam, occultaret corporis vitia, quæ ærate contraxerat. & ſane Calenus apud Dionem eidem vitio vertit, quod caput vnguentis perfundere ſolitus eſſet. Eam ergo contumeliam ſcribit ſe vltum fuiſſe probris & maledictis. *Baulos Cumis*] Tornæſianus, & Cruſellinus, *paullo Cumis*: correxi, *Baulos Cumis*. Ait enim ſe vidiſſe Piliam Cumis euntem Baulos, quo in funus proceſſerat. Bauli oppidum eſt Campaniæ non longe a Cumis.

Cumis. *Nec ambitiosè*] Scripsi, *nec ambitiosè*, ex Cruſellino. nec ambitiosè autem est non ambitiosè, nulla cum adulatione, sed libere. sic nec opinato, & nec manifestum veteres dicebant, pro, non opinato, &, non manifestum.

IN EPISTOLAM II.

Quid de Buthrotijs] Non putabat Atticus negotium de Buthrotijs confici posse per Senatum; contra Cicero id totum a Senatu pendere existimabat. *Non videmur cessse victori*] Omnes antiqui nostri, vt Victorianus manuscriptus, *non videmur esse victori*. Credo Ciceronem scripsisse, *non videmur cessse victori*. nam cessse pro cessisse veteres dicebant: Lucretius,

Nam quacunq; prius de parti corpora cessse
Constitues, hæc rebus erit pars ianua lethi.

Eadem forma hic auctor scripsit decressset epistola 1. lib. 7. pro decreuisset, *plus*, inquiens, *decreuit, quã si omnes decressset triumphos*. Ait ergo se & reliquos bonos viros (quantum ipse putabat) nondũ cessisse victori Cæsari, sed ei fortiter restitisse, adeo vt ille tandẽ occubuerit. itaq; se sperare vt postea nihilo plus cedãt. & quãuis ea spes ipsos falleret, certo tamen euenturũ, vt ager Buthrotius liberaretur. decreta enim Cæsaris confirmatũ iri, ex quibus vnum fuerat, vt Buthrotij liberi essent. Operæ longe secus, quam præscripseramus, hæc verba ediderunt. *De qua καύσῳ laborat*] Cum in Cruſellino scriptum reperissem, *de qua causo laborat*, statim conieci Ciceronem scripsisse, *καυσῳ laborat*. videtur enim alluſisse ad nomen Flammæ, cui apte conuenit καῦσος, qui ardor est febris; quasi Flamma de causſa Tyndaritanorum ita animo æstuarit, vt inde καῦσος sequutus sit. sed & in his nominibus, *causa*, & καύσῳ, suauis est παρήχησις. *Hos tamen*] Punctum figendum est post *tamen*. est enim ἀποσιώπησις, quasi dicat, hos tamen defendã, & eorũ causſam agam. ΠΕΝΤΕΛΟΙΡΟΝ] Sextum Pompeiũ isſta, quæ scribis, mouere videntur.

IN EPISTOLAM III.

Accepi in Atinati] In Tornæsiano erat, *accepi natis*: in Cruſellino, *accepi natinati*. Emendaui, *accepi in Atinati*. Redibat Cicero Cumis in Tusculanum, quo in itinere est ager Atinas, vbi scribit se duas Attici epistolas accepisse. Atinates populi sunt Campaniæ Alifanis & Aletrinatibus contermini. *Nam illa quæ recordaris*] Illa quæ acta sunt

Lentulo & Marcello Consulibus non debent in exemplum trahi, vt Romam omnes boni veniant, & Senatusconsulto facto negotium dent Consulibus, vt videant, ne quid Respublica detrimenti capiat, quod actum est initio belli ciuilis illis Consulibus. *Nec caussa eadem est*] Nam tunc omnes iure in Cæsarem statũ Reipublicæ conuellentem arma ferre posse videbantur: nunc non item. innumeri enim clamant eum iniuste occisum, & persequendos esse eius necis auctores. *Tabula Demonici*] Puto nomine Demonici significari C. Cæsarem, qui populũ Romanũ bello superarat (nam δημόνικος est ὁ νικήσας τὸν δῆμον) Demali vero ipsum Ciceronem, qui totus esset popularis. nam vt ἀπὸ τοῦ τρόχου, δρόμου, χρυσοῦ, fiunt, τροχαλὸς, δρομαλὸς, χρυσαλὸς, sic ἀπὸ τοῦ δήμου δημαλός. Tabula ergo Demonici est tabula auctionaria bonorum Cæsaris, quæ Octauius proscripserat. scribit enim Appianus libro 2. de bello ciuili, Octauium auctione bona patris Cæsaris vendidisse, vt inde militibus, quorum studia captabat, pecunias curaret. Ei vero negotio arbitror Atticum præfectum fuisse, rogatu Ciceronis, cui Octauius id commiserat. initio enim nihil Octauius agebat, nisi consilio Ciceronis. scribit igitur Cicero sibi gratũ esse, quod Atticus sedulo se gerat in auctione bonorũ Cæsaris. *Vt scribis ἰλιὰς*] Crusellinus, ΙΛΑC, reposui, ἰλιάς. quod concise dictũ est pro ἰλιὰς κακῶν. significat enim a Q. filio Iliadem malorum proficisci. notum est prouerbium ἰλιὰς κακῶν. *Multa dicentur*] Hæc vulgo vitiose leguntur cum interrogatione.

IN EPISTOLAM IIII.

Hora octaua fere] Explicate scripsi, vt erat in Crusellino, *hora* VIII. *fere*. in alijs διὰ σημείων exaratum erat H. VIII. *fere*. *Et legio? rem probo*] Editiones, *& leuiorem probo:* Crusellinus, *& legiorem probo:* scribendum, *& legio? rem probo*. apposita interrogationis nota post vocem *legio*. Ijs Cicero respondet, quæ Atticus ei scripserat de legionis cuiusdam ab Antonio ad Octauium defectione: ac, quia mox Carfuleij mentionem facit, puto legionem Martiam significari, cui in bello Mutinensi præfuisse Carfuleium scribit Appianus libro 3. bellorum ciuilium. Duæ vero legiones tunc ab Antonio ad Octauium transierant, Martia & Quarta, vt tradunt Paterculus libro 2. Dio lib. 45. & Appianus eo quo dixi loco.

dixi loco. vtramque eam legionem postea in prælio Mutinensi concisam fuisse, & ipsum Carfuleium vna occubuisse, scribit Asinius Pollio in epistola ad Ciceronem. Sententia ergo huius loci est, etiam legio ab Antonio defecit ad Octauium? rem probo. *Si vero etiam Carfuleius*] Si Carfuleius quoq; relicto Antonio ad Octauium transiuit, omnia in contrarium feruntur. nam Carfuleius amicissimus fuerat Antonio. itaq; non minus mirum videbatur eum ab illo desciuisse, quam flumina sursum versus relabi. *Quoniam caretur Butrotis*] Conuenit manuscriptis nostris cum Victoriano in hac lectione referenda, *quoniam caretur Butrotis*. & certe eam mendo vacare puto. Iocatur hic Cicero in Cæsarem interfectum. idcirco subijcit, *rides?* iocus autem petitus est ex ambiguo significatu vocis, *Butrotis*. Buthrotij incolæ sunt vrbis & peninsulæ Buthroti, quorum agros cum C. Cæsar militibus assignasset, Atticus, vt eos inde pelleret, numerata de suo pecunia, decretū abstulerat a Cæsare, quo ciuitas omnis Buthrotia libera esse iubebatur. sed postea Cæsare interfecto milites decretum id spernere cœperunt, tanquam nullius vis atque momenti. itaq; omni ope Cicero nitebatur, vt Senatus id decretum confirmaret. nam Senatus auctoritati sperabat agrarios parituros esse, & ex agris Buthrotijs decesluros. Causlam ergo cur nolit bellum esse, hanc adfert, quod Buthrotijs careatur. nulla enim spes erat, si bellum redintegraretur, vt agri Buthrotij dominis restituerentur. aliam quoq; causlam, cur bellum auersetur, ijsdem verbis, diuerso tamen sensu, narrat, nempe quod Butrotis careatur, id est, ijs qui tam multis, tamq; grauibus vulneribus sauciati fuerant, vt inde occubuerint. ijs vero de medio sublatis, cum Respublica pristinam libertatem recuperasse videretur, merito ait se non cupere vt iterū bellum inter ciues excitetur. Buttrotorum enim interitu extinctū esse omnē belli fomitem, atq; materiam. Butrotos ergo ancipiti dixit notione, significans partim agros vrbi & peninsulæ Buthrotp attributos, partim Cæsarē, qui βέτρωτος fuerat, id est, multis vulneribus confectus. nam particula βε̃ iuncta alicui vocabulo eius vim intendit, vt in his βέπαις, βέπινακ, βέλιμος, βεγαῖος, & alijs multis. ea porro forma dicitur βέτρωτος, qua ἄτρωτος, quo nomine is intelligitur, qui nullo vulnere

saucius est. vtrumque autem hoc nomen originem ducit ἀπὸ τοῦ τιτρώσκεσθαι. ideo sine aspiratione hic scribitur, *Butrotis*; quomodo Lepidum scripsisse auctor est Stephanus, qui Butrotum appellatum tradit a boue ad iugulum icta, eoq; vulnere mactata. *Saufeium per te celemus*] Libri formis impressi, *Saufeium pete celemus*, mendose. sincere Cruſellinus, *Saufeium per te celemus*. tua causſa, inquit, quoniam videri non vis ab Epicuri secta deficere, Saufeium Epicureum celemus, tibi valde probari Tusculanas disputationes. Terentius, *ancillas dedo, quolibet cruciatu per me exquire. Cum iterum tam multis*] Edidi scripturam Tornæsiani, & Cruſellini, *cum iterũ tam multis verbis agis. Vt in Saufeij eam*] Scripsi ex Cruſellino, *Vt in Saufeij eam, relinquamq; Tusculanas disputationes:* quæ lectio extat etiã in Tornæsiano, nisi quod pro, *Saufeij eam*, ibi vitiose exaratum est, *Saufeleam*. Dixit autẽ *in Saufeij*, ἐλλειπτικῶς pro *in Saufeij sententiã. Tusculanas disputationes*] Quibus Saufeij & reliquorum Epicureorum decreta oppugnantur. *In Nemus*] Locum intelligit Dianæ sacrum in agro Aricino. Strabo, τὸ δὲ Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐκ τῆς ἐν Ἀρισταίᾳ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς πλὴν Ἀρικίνλω τὸ ἱερόν. Eo loco prædium habuit C. Cæsar, quod inde Nemorense dicebatur, cuius meminit hic auctor supra libro 6. & Suetonius.

IN EPISTOLAM V.

ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς] Victorium fefellerunt vestigia veteris scripturæ non satis expressa in eius antiquo libro, quibus ille seductus auctor hucusq; fuit vt legeretur ὁ ὄησαυρος ἀνθρακες. Nos rectius, nisi valde fallor, & ad sententiam Ciceronis accommodatius ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς: quam lectionem colligimus ex deprauata illa quidem, sed tamen satis perspicua Tornæsiani & Cruſellini codicis scriptura, quæ in hoc erat eiusmodi ΟΓΝΑΥΣ ΑΝΘΡΑΚΕΥΣ: in illo autem hoc exemplo ΟΓΝΑΥΕΣ ΑΝΘΡΑΚΕΥΣ. Prouerbium est ductum ex fabula Æsopica fullonis & carbonarij, quo insignis quædam diuersitas & dissimilitudo functionum munerum indicatur. nam fullonis est eluere maculas, polire, & dealbare vestes; carbonarij vero, quidquid attingat, atro colore perfundere. Valde autem verecunde & modeste Cicero de se loqui-

se loquitur, cum ait se in ea re, de qua rogabatur a Cassio, fore pro fullone carbonariũ. non enim suum esse alios virtutibus expolire, sed potius vitijs inquinare itaq; non satis prudenter Cassiũ a se petijsse, vt Hirtium optimum faceret. *Qui quidem se actutum*] Emendaui, auctore Cruselliano, *qui quidem se actutum*. quod ἐλλειπτικῶς dictũ est, pro, qui quidem ait se actutum, & statim iturũ quo decreuit. ideo mox subijcit, etenim iam in Tusculano est. *Et ille quidem*] Scripsi, *& ille quidem*, addita ex Cruselliano copula &, quæ in vulgatis deerat. *Fugere nunc curẽ*] Vitiose vulgati edunt, *non curem*, repugnante Ciceronis sententia. itaq; auctore Cruselliano particulam inficiandi *non*, in aduerbium temporis *nunc* mutaui.

IN EPISTOLAM VIII.

Villaq; plures videndæ] Victorius sic edidit, *& illæ quæ plures videndæ*, nullo sensu. In Cruselliano hoc modo legebatur, *villaque plures videndæ*: scripsi, *villaq; plures videndæ*. quia enim rarius suas villas inuisebat, nesciebat quid in eis ageretur. ideo scribit eas sæpius esse videndas, vt curaret, ne quod ibi detrimentum acciperet. *De eâ re*] Quis non prætulerit lectionem Cruselliniam, *de ea re*, illi receptæ, quam etiam refert Tornæsianus, *dare?* Ait enim crastinum diem aliquid allaturum ad cogitandum de Tusculano, & alijs suis villis, vt eis prouideatur.

IN EPISTOLAM IX.

Hanc locatoriam prouinciam] Reposui ex Cruselliano, *locatoriam*; cuius vocis vestigium, licet perturbatum, extat in hunc modum in Tornæsiano, *legatoriam*. Prouinciam locatoriam vocat, quæ locatione aliquid agendi consisteret, qualis erat ea, quæ Bruto & Cassio dabatur, de frumento in vrbem aduehendo. huiusmodi enim curationis delatio instar erat locationis. sic locandi verbo vtitur Varro libro 2. de re rustica, de aduectione frumenti loquẽs, *igitur*, inquit, *quod nunc intra murum fere patres familiæ irrupserunt, relictis falce & aratro; & manus mouere maluerunt in theatro & Circo, quam in segetibus, & vinetis, frumentum locamus qui nobis aduehat ex Africa & Sardinia. Qua ad Eurotam*] Edidi, ex præscripto Crusellini, *qua ad Eurotam*. nam τὸ *qua*, aduerbium est significans alicui qua par-

te, aliquo loco. *Quam illa Perſice*] Perſice celebris fuit porticus Lacedæmone, ex manubijs Perſarum, quos Lacedæmonij bello vicerant, trophæi loco ædificata: in qua captiuorum ſimulachra, inquit Vitruuius, barbarico veſtis ornatu, ſuperbia meritis contumelijs punita, ſuſtinentia tectum collocauerunt; vbi & hoſtes horreſcerent timore eorũ fortitudinis affecti, & ciues id exemplum virtutis accipientes, gloria erecti, ad defendendam libertatem eſſent parati. Pauſanias quoque in Laconicis tectum illius porticus Mardonij, aliorumque Perſici exercitus ducum ſimulachris innixum fuiſſe refert. Puto igitur, quantum in re obſcura aſſequi coniectura poſſum, Brutum & Caſſium, recuperata, interfecto Cæſare, populi Romani libertate, vt præclari eius facinoris inſigne aliquod monumentum perpetuo extaret, Lanuuij porticum quandam, ad exemplum illius Lacedæmoniæ, ædificandam curaſſe, quam Cicero Perſicen ea de cauſſa vocat. atque eo referenda ſunt ſuperiora illa verba, *ad Eurotam ſedere*. Lanuuij enim, quod oppidũ, nouæ huius porticus ergo, inſtar erat Lacedæmonis, Brutus & Caſſius ocioſi conſidebant, tanquam ad Eurotam, qui fluuius eſt alluens Lacedæmonem. *Nolo enim Lacedæmonem*] Iocatur hic Cicero in otium Lanuinum Bruti, quaſi eo nomine molliciæ Brutum argueret. Iocus autem, ob verborum, quibus continetur, deprauationem, nemini patet. itaq; primum corrigenda ſunt ſcripturæ vitia, tum ſenſus explicandus. Codex Tornæſianus hæc ita refert, *nolo enim Lacedæmonem longinquo quom Lanuuium exiſtimauit:* Cruſellinus hoc modo; *nolo enim Lacedæmonem loci in quo quoniã Lanuuium exiſtimaui.* emendaui, & interpunxi, *nolo enim Lacedæmonem* λαχεῖν: κοχώνλω *Lanuuiũ exiſtimaui.* Quid ſit Lacedæmonem λαχεῖν ſciunt omnes, quibus ignotũ non eſt hoc prouerbium σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. itaque cum Brutus Lanuuij eſſet, quod oppidum, vt diximus, erat inſtar Lacedæmonis, ibique nihil aliud cogitaret, quam de porticu ædificanda, quæ ſummo ornamento futura erat illi oppido, non inſcite dici poterat Lacedæmonem λαχεῖν. Verum Cicero arrepta iocandi occaſione, partim ex obſcœnis Lacedæmoniorum moribus, partim ex ambigua Lanuuij ſignificatione, ait ſibi ſpurcam videri Lacedæmonem illam

Lanuinam:

Lanuinam: ideo se nolle eam λαχεῖν: quo dicto indicat moram Lanuinam Bruti, vt turpem, sibi non probari. λακωνίζειν Hesychio est παιδικοῖς χρῆσθαι, &, Λακωνικὸς τρόπος, τὸ περαίνειν, καὶ παιδεραστεῖν, καὶ παρέχειν ἑαυτὸν τοῖς ξένοις. Lanuuium autem non modo vrbem significat, sed eam quoq; corporis partem, qua sita sunt pudenda. Græci eam κοχώνην vocant. Plautus Truculento, *Lanuuij ne hic sunt quas habes victorias?* verba sunt Strabacis serui Astaphium ancillam de stupro appellantis, & manum, qua illa mulier erat, admouentis. idcirco mox illa respondet, *ne me attrectes*. Propertius quoq;, *Lanuuij ad portas het mihi solus eram*. inde colei Lanuini, quos Cicero in epistola ad Pætum honestos esse tradit, vt contra Cliterninos turpes. *At*, inquit, *honesti colei Lanuini, Cliternini non honesti*. qui locus non satis hucusque intellectus est. itaq; conabor eum explicare. Lanuuiū & Cliternia vrbes sunt Italiæ, vnde culei vini & olei Romam aduecti vænales a propolis inclamabantur. faceti vero homines cum pro culeis coleos acciperēt, ita propolas inclamasse fingebant. & quidem coleos Lanuinos honestos existimabant, quod vox Lanuuium pro pudendo ita tecta esset, vt turpis non haberetur. in Cliternia vero inerat allusio quædam ad herniam, quod vocabulum, vt ait Cornelius Celsus, indecorum putabatur: idcirco coleos Cliterninos, tanquam hernioſos non honestos ducebant. Porro κοχώνην, cui nomini Latina vox Lanuuium auctore hic Cicerone respōdet, ita Galenus interpretatur, σύζευξιν πλὴ ἐκ τοῖς ἰσχίοις πλὴ πρὸς πλὴ ἕδραν, δι' ἣν καὶ πᾶς ὁ περὶ πλὴ ἕδραν τόπος οὕτως ὀνομάζεται.

IN EPISTOLAM X.

De Decimi Græceij] ὑπακτέον, proscriptione, aut cæde actum sit. nam id agebat Antonius, vt cuiuis liceret hos, tamquā hostes reipublicæ, persequi & interficere. *Quæ nostris vita*] Quamuis nemo molestus sit Bruto & Cassio nostris, quam turpis tamē futura est eorum vita, si opem non ferant Decimo & Græceio, quos Antonius persequitur?

IN EPISTOLAM XI.

Ego ne vt beneficium] Legendū ex Tornæsiano & Crusellino, *ego ne vt beneficium accepisse in contumeliam?* supplendū enim extrinsecus, videar, aut dicar. *Atq; vt omnino*] Quamuis omnino posses Romæ tuto esse, num eo minus

in prouinciam ires nunc cũ Prætor es, aut postea pro Prętore? quasi dicat, si Romę sine periculo esse posles, mallesne ibi manere, quã esse in prouincia cum imperio? minime certe. *Senatum vocare*] Scripsi, *vocare*, &, *incitare*, ἐνεργητικῶς, auctoribus Crusellino & Torneſiano. *Hoc vero nemine*] Seruilia exclamabat se neminem audisse, qui prudentius consiliũ daret, quam id, quod modo Cicero dederat, de Senatu vocando, populo vehementius incitãdo, totaq; Republica suscipienda. *Velle enim se dixerat*] Dixerat se Romã ire velle. sed postea deiectus est de illo inani sermone. *Ad id quod ad Deos*] Hęc ita referebat Crusellinꝰ, *nec facile addi potest ad ea, adeo genus legationis*: quæ in hunc modũ correxi, *nec facile addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis*. votiuam legationem vocat genus legationis ad deos.

IN EPISTOLAM XII.

Ni in Tusculanum venerit] Restitui ex fide Crusellini particulam *ni*, quæ in editionibus deerat. si, inquit, Antonius in Tusculanum nõ veniet, quo eum venturum prædicant, alterum ab eo beneficiũ habebo. narratum fuerat Ciceroni Antonium venturum esse in Tusculanũ cum armatis hominibus: qua de re ita epistola 8. huius libri, *Græceius*, inquit, *ad me scripsit homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur*. ΤΩΝ δ' αἰτίαν] Pro τὰν δ' αἰτίαν, reposui ex Crusellino τῷ δ' αἰτίαν. quis, inquit, Brutorũ auctor est quo minus hæc negotia ferri queant? Marcusne an Decimus? videtur perstringere Decimum Brutũ, quem Paterculus scribit auctorem fuisse, vt Antonio parceretur.

IN EPISTOLAM XIII.

Nec agmen cogamus] Id est, postremi simus, ductum a pastoribus, qui, cũ pecudes in caulas compellunt, ipsi postremi sequuntur. Seneca de Lucifero stella, quæ mane, conditis aliis, omniũ postrema occidit, *cogit nitidum phosphoros agmẽ*. *Veredis certe*] Pro *vere dicere*, reposui, *veredis certe*; quam meam emendationem nemini displicituram puto. incitatissimus fuit cursus equorum veredorum: Martialis,

Parcius staris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.

Sed quid

Sed quid egerit?] Quasi dicat, nihil egerit, quãuis id fecerit, quod instituit. *Sed Selicia venisse*] Vt libro 4. Selicianam prouinciam dixit pro Seleuciana, sic hoc loco Seliciã pro Seleucia. credebatur Brutus habere exercitum in Asia, vnde M. Scaptius redibat. ideo scripserat Atticus sesciturum de Scaptio omnia quæ de Bruto ferrentur. *Quæ ego statim*] Quæ ego statim vt mihi scribas rogo. *Interea narras*] Scripsi ex Crusellino, *narras*. interea, dum exspectamus quid dicat M. Scaptius, narras eadem venisse seruum Bassi. *eadem* ἐπιῤῥηματικῶς dixit, pro, eadem via; quo modo non semel in his epistolis loquutus est, vt alias docui.

IN EPISTOLAM XV.

Quam vix stomachum] Non improbo receptam lectionem, *quam stomachum non habere arbitrantur*. sed a veteribus libris abest particula *non*, eiusq; loco ante vocem *stomachum*, legitur *vix*, vt edidi.

IN EPISTOLAM XVI.

Si quid tibi est a Statio] Publica lectio, *si quid tibi est a tuis scriptum:* Vetus Crusellini, quam sequuti sumus, *si quid tibi est a Statio scriptum*. Statius libertus fuit Q. Ciceronis, cuius fit mentio epistola 5. libri 12. & epistola 19. huius libri.

IN EPISTOLAM XVII.

Antroni vetui] Ex Crusellino ita lego, *Antroni vetui:* ad quam lectionem proxime accedit hæc codicis Tornæsiani, *Antroni vel vi*. Huic Antroni vetuerat Cicero quicquam de nummis Arpinatium dari, quos L. Fadio Ædili, nec alij cuiquam, reddi volebat. supra epistola 15. & infra epistola 20. huius libri. *Nisi explicato* Λ] In re tam obscura quid aliud facere possum, quam vti coniectura? Puto hic vitiose scribi Λ, pro Δ, & hac nota Δ, δάνειον, hoc est, æs alienum significari. sic idem auctor epistola 9. libri 9. cum obscure notare vellet fœnerationem Attici, eam digamma Æolicum a prima littera fœnoris appellauit. Alias docuimus librarios Latinos has duas litteras Δ, & Λ, sæpe inuicem commutasse. quo errore factum puto vt Λ, locum τȣ̃ Δ, vulgo hic occuparit.

IN EPISTOLAM XVIII.

Et in ea cura vigilarem] Tornæsianus, *& in lacuna vi-*

gilarem: Cruſellinus, *& in ea cuna vigilarem:* repoſui, *& in ea cura vigilarem.* qua in emendatione gaudeo mihi conuenire cum erudito & perſpicaci viro Iuſto Lipſio. *De mulis vecturæ*] Nemo dubitat quin deprauata ſit ea lectio, quam edunt vulgati, *de mulis vecturæ itineris, & in eis*; eam nos ex Cruſellino ita correximus, *de mulis vecturæ itineris, & vehis.* Muli vecturæ itineris ſunt quibus Cicero filius & famuli, quos ſecum ducebat, vehebantur. muli vehis, quibus plauſtrum ſarcinis onuſtũ trahebatur. eſt ergo vehis gignendi caſus a nomine vehes. *Quoniam intelligo*] Legendum ex Cruſellino, *quoniam*, &, vt ita legatur, poſtulat ſententia. *Seorſum curam*] Pro *ſuorum*, repoſui ex fide Cruſellini, *ſeorſum.* quod aduerbium ſignificat ſeparatim ab alijs, & nominatim. Terẽtius Andria, *omnibus gratiam habeo, & ſeorſum tibi præterea Demea. Ad te pertinere*] Sic vulgati libri, nec aliter Cruſellinus. verũ in Tornæſiano eſt, *ad te verteré.*

IN EPISTOLAM XIX.

ΕΡΓΩΔΕΣ ſed ἀνυστὸν] In Cruſellino erat ΑΝΙΚΤΟΝ. vnde iudicaui certam eſſe coniecturã eruditiſſimi viri Henrici Stephani hic legendum exiſtimantis ἀνυστόν. *Fuit certe dignus*] Ludit in voce Septemuir. quaſi C. Antonius dignus fuerit qui ſeptimus vir eſſet vxoris ſuæ, cũ ſex alij eam adulterarent.

IN EPISTOLAM XX.

Vt ſcribis ἐν κενῷ? Tornæſianus, *anteno:* Cruſellinus, *enteno:* repoſui, ἐν κενῷ: quod eſt fruſtra, & in caſſum. nã vt Græci dicunt ἐν καλῷ pro commode & belle; ἐν τάχει pro celeriter; ἐν δίκῃ pro iuſte; ſic Atticus ἐν κενῷ ſcripſerat, pro inaniter & fruſtra. quis, inquit, hæc, id eſt, legationem ἐν κενῷ, nullis ſcilicet acceptis mandatis, ſuſcipere velit? *Qua cauſſa ac quorſus eſt*] Codex Tornæſianus, *qua cauſſa curſus eſt*; Cruſellinus, *qua cauſſa occurſus eſt.* legendum, *qua cauſſa, ac quorſus eſt. Sit ne autem extricata*] Libri vulgati, *excitata*, mendoſe. nos e Cruſellino, *extricata*, prorſus recte. extricare eſt expedire & explicare.

IN EPISTOLAM XXI.

Ecquem tu illo] Scripſi, *ecquem*, vt erat in Cruſellino & Tornæſiano. ΕΠΟΧΗΝ *veſtram*] Dubitarat Atticus, an e re foret Quincti Ciceronis filij, vt ei Cani filia nuberet, de

cuius

cuius cum eo nuptijs agebatur. qua de re ita supra Cicero epistola 41. libri 13. *Tum enim*, inquit, *mentio Canæ omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed, vt scribis, ratio est habenda grauitatis, & vtrius q; nostrum idem consilium esse debet. De tabulis*] Quantum hinc licet conijcere, hæc Canini filia prius alteri viro nupta fuerat, a quo dos, soluto matrimonio, exigi nõ potuerat, quod eius bona non essent soluendo. Ideo scripserat Atticus nouas tabulas factas fuisse in illius dote. quod Cicero numquam suspicatus fuerat; imo putabat dotem integre restituram fuisse.

IN EPISTOLAM XXIII.

Cui ὑπόμνημα] Cui libellum & commentarium dabo a me conscriptum de rebus nouis. sic enim vocat epistola proxima.

IN EPISTOLAM XXIIII.

Brutum H. IIII.] Tornæsianus HNIS, vnde Lambinus coniecit legendum H. II. id est, hora secunda. sed liquido exaratum erat in Crusellino H. IIII. hoc est, hora quarta. quam lectionem referre quoq; videtur Tornæsianus, si propius & attentius eius scripturam spectes.

IN EPISTOLAM XXV.

Meus animus est æquus] Lego ex Tornæsiano & Crusellino, *meus animus est æquus, sic tamen vt si nihil offensionis sit.* patienter & æquo animo laturus sum hibernam nauigationem, modo tamen nihil in ea sit offensionis, id est, damni, & periculi, quod metuendum est, si tempore mysteriorũ nauigem. *Et tu etiam scite*] Scripsi, auctore Crusellino, *& tu etiam scite.* & tu, inquit, quærenti mihi, quo die mysteria futura essent, lepide & eleganter respondisti, ea illo die fore, quo piaculum erat olim quicquam aggredi. *Quo die olim piaclum*] Ex perturbata huius loci scriptura quidam mysteria nescio quæ Olympica commenti sunt, quæ numquam fando audita fuerunt. sed meminisse illi debuerunt, si vnquam id legerant, Olympijs cultum & celebratum fuisse Iouem, mysterijs Cererem, Proserpinam aliosq; deos inferos. verum de Olympijs hic nullum verbum Cicero, vt apparet ex germana huius loci lectione, quam sic refert codex Crusellinus, *& tu etiam scite, quo die olim piaclum, mysteria scilicet.* Nauigaturus hieme Cicero summo studio vitare conabatur,

ne tempus suæ nauigationis in eũ diem incurreret, quo mysteria Romana celebrabantur. nefas enim & piaculũ erat eo die serij quicquam agere. Mysteriorũ autem nomine eum diem intelligebat, quo mundus patere dicebatur, quod ter in anno fiebat, postridie Vulcanalia, ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem sextum Idus Nouembris. ac de hiemalibus mysterijs hic eum egisse declarant quæ ipse mox subijcit de hiberna nauigatione. verum, inquiet aliquis, si stata erant hæc sacra, quorsum eorum diem quærebat ab Attico? non enim verisimile est eũ fastos Romanos ignorasse, quos C. Cæsar, paullo ante quam interimeretur, correxerat. Sed ij rursus, eo mortuo, negligentia Pontificum, confusi & perturbati fuerant, vt refert Suetonius in Augusto. itaq; vitio intercalationum feriæ variarant, qui error vsque ad Augusti principatum durauit. De his mysterijs ita Festus; *Mundus, vt ait Capito Ateius in libro tertio Pontificali, ter in anno patere solet diebus his, postridie Vulcanalia, & ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem sextum Idus Nouembris: qui, quid ita dicatur, sic refert Cato in commentarijs iuris ciuilis; mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est. forma enim eius, vt ex ijs, qui intrauere, cognoscere potui, adsimilis illi. eius inferiorem partem, veluti consecratam dijs manibus, clausam omni tempore, nisi ijs diebus, qui supra scripti sunt, maiores censuerunt: quos dies etiam religiosos iudicauerunt ea de caussa, quod quo tempore ea quæ occultæ & abditæ religionis deorum manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent, nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. itaq; per eos dies non cum hoste manus conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in Republica, nisi quod vltima necessitas admonebat, administraretur.* & Macrobius, *Quare nec Latinarum tempore, quo publice quondam inducię inter Romanum populum Latinosq; firmatæ sunt, inchoari bellum decebat, nec Saturni festo, qui sine vllo tumultu bellico creditur imperasse, nec patente mundo. quod sacrum Proserpinæ & Diti patri dicatum est, meliusq; occlusa Plutonis fauce eundum ad prælium putauerunt. vnde & Varro ita scribit, mundus cum patet, deorum tristium & inferum quasi ianua patet, propterea non*

modo

modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris caussa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberorum quærendorum caussa ducere religiosum est. Hactenus Festus, & Macrobius, ex quorum verbis intelligitur Ciceronem ea de caussa scire voluisse mysteriorũ diem, ne tunc imprudens se mari committeret. *Piaclum*] κατὰ συγκοπὴν, *piaclum*, pro *piaculum*; vt epistola 6. libri 2. *sæclum*, pro *sæculum*; & epistola 2. libri 6. *vincla*, pro *vincula*. *Olim*] Recte, *olim*, vt indicaret priscos Romanos maiori cultu dies religiosos obseruasse, quam qui tunc viuerent. *Vt vt sit res*] Recte Crusellinus, *vt vt sit res*. quocunq; modo, inquit, se res habeat, siue bonum sit, siue periculosum mense Ianuario nauigare. *Est enim hiberna*] Hæc quoq; ex eodem illo codice & Tornæsiano sic lego, *est enim hiberna nauigatio odiosa.*

IN EPISTOLAM XXVI.

Inaudiui L. Pisonem] Absq; libro Crusellino fuisset, nescio an maculæ hinc abstergi potuissent. nam ceteri libri manuscripti nihilo purgatiores erant excusis. sic enim hunc locũ referebant, *Mandibili Pisonem*. At Crusellinus, quamquam aliquantum inquinatus sit, mihi tamen clare præluxit ad veram & germanam lectionẽ ex his tenebris eruendam. sic enim edit hæc verba, *inaudibili Pisonem*. inde conieci Ciceronem scripsisse, *inaudiui L. Pisonem*. inaudire est leuiter aliquid, quod occulte agatur, audire. idem hic auctor supra, *numquid de quo inaudisti?* & Plautus Mustellaria, *metuo ne de hac re quippiam hic inaudiuerit*. *Velim*] Scripsi, *velim*, eodem Crusellino auctore. *Est illa quidem in vtramq;*] Hic etiam integriores & castigatiores sunt Tornæsianus & Crusellinus, quam excusi. ita enim hæc referunt, *reliqua pars epistolæ est illa quidem in vtramq; partem; sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos viriles:* vulgati sic, *reliqua pars epistolæ illa namq; in vtramq;. sed tamen.* itaq; vt πορφύραν παρὰ πορφύραν, sic γραφὴν παρὰ γραφὴν facile licet diiudicare. *Easq; ad te e Tusculano*] Vt scriptum inuenimus in Crusellino & Tornæsiano, sic edidimus, *easq; ad te e Tusculano*; quæ lectio dilucidior est vulgata. *Is me paucos specus*] Editiones aliter. Nos verã lectionẽ sequuti su-

mus, quam ita e Cruſellino expreſſimus, *M. Aelium cura liberabis: is me paucos ſpecus &c.* is, inquit, rogat me paucos ſpecus, qui habeant aliquid ſeruitutis a meo puteali, hoc eſt, poſtulat a me vt ſibi liceat in extremo ſuo fundo paucos ſpecus effodere, quibus puteal meum ſeruiat. *A puteali*] In Tornæſiano eſt, *apud tale:* in Cruſellino, *apud talu:* ſcripſi, *a puteali.* quid puteal ſit nemini ignotum puto. Ælius hic dicebat ſpecus illos ſuos aliquid ſeruitutis habituros a puteali Ciceronis, cum ſignificaret eos tectum iri puteali Ciceronis: idcirco puteal Ciceronis ei ſeruiturum. ſeruitutem habere ab aliquo, eſt habere ius ſeruitutis. *Idem de illo Tulliano*] Cruſellinus codex, *Idem de illo Tulliano cupide libere cum Caſcellio loquare.* reponendum putaui, *Idem de illo Tulliano caute libere cum Caſcellio loquare.* Tullianum caput vocat, qd epiſtola proxime ſequēti Tullianū ſemiſſem. caput enim quandoq; ſortem, & pecuniæ ſummam ſignificat, vt norunt omnes, qui Græce & Latine ſciunt. Vult autem Atticum libere loqui cum Caſcellio, contra quam cum M. Ælio, cui reſponderi nolebat niſi quamleniſſime. *Octauam partem*] Exemplum hoc eſt ſcripturæ Cruſellinæ, *Octauam partem tuli luminarium in ædium aſtira.* vocem *aſtira,* mendoſam puto: in ceteris nihil mutandum. repono vero ἄθυρα, quo nomine ſignificantur partes ædium cæcæ, id eſt, quæ portis, feneſtris, & luminibus carent. ideo ſcribit ſe eo tuliſſe octauā partem luminarium eius ædificij, de quo egerat cum Attico. ἄθυρα ſunt τὰ ἄνευ θυρῶν καὶ θυρίδων. luminaria vero ſpecularia, quibus lumen in ædes admitti ſolet. ea hodie apud nos ſunt aut vitrea, aut chartacea. Cato in ædificio ſuæ villæ ſena luminaria fieri vult, totidemq; lumina. *Ne memineris cui Carellia*] Hoc Cicero ita conciſe ſcripſit, vt, quid ſignificatit, nemo ſe hodie ſcire certo poſſit affirmare. coniecturis igitur ſententia exploranda. Queſtus fuerat hic auctor cum Attico epiſtola 21. lib. 13. quoſdam ſuos libros, quos eius librarijs deſcribendos dederat, Cærelliæ, ſe inuito, communicatos fuiſſe; cuius rei neminem alium accuſabat, præter illos librarios. quod cum Atticus intellexiſſet, omnibus illis edixerat, ne librum vllum Ciceronis iniuſſu ſuo vulgarent: ſi aliter facerent, ſe memorem fore ſpreti imperij. interim autem cū vnū de illis deprehendiſſet Cęrelliæ mandato alios quoſdam

Ciceronis

Ciceronis libros describentem, grauiter illi interminatus fuerat, eiusq; rei certiorem fecerat Ciceronem. at ille, cum molestè non ferret Cærelliam eos libros habere, vetuit Atticum meminisse cui librario Cærellia librorum eorum describendorum negotium dedisset. Ne memineris, inquit, cui de librarijs tuis Cærellia mandarit, vt meos libros describeret. ea enim librarij culpa ita leuis est, vt obliuione potius deleri, quam memoria retineri debeat. *Mundus is*] Corrupte, ante editionem nostrã, hic legebatur, *Mundus istum. M. Enius quid egerit &c.* nos, auctore Crusellino, emendauimus, *mundus is. Tu, M. Ennius quid egerit &c.* σικτέον enim post *mundus is.* Varronem scribit mundum esse, non quod purus & nitidus sit, sed quod suis libris res omnes diuinas & humanas, tamquam mundus, complexus sit. Scripserat enim Varro libros rerum diuinarum, & rerum humanarum, vt ex Nonnio, & antiquis auctoribus, qui eos libros citant, intelligimus. *Curiosius enim*] Tu enim curiosus es. id circo verisimile non est id te ignorare, cum id scire volueris.

IN EPISTOLAM XXVII.

Suspicabor] Edidi ex Tornæsiano & Crusellino, *suspicabor. O turpem*] Addidi exclamandi particulam *O*, ex antiquis nostris.

IN EPISTOLAM XXIX.

Ludorum Bruti] Restitui ex Crusellino & Tornæsiano vocem *Bruti*, quæ hinc per summam iniuriam pulsa fuerat. *M. Axianum*] Lego, *M. Axianum*, vt est in vulgatis & Crusellino. nam Victorius, *Maxianam*, legit. *Sextum scutum abijcere*] Post verbum *abijcere*, addidi *nolebam*, ex fide Tornæsiani, & Crusellini. scribit se nolle Sextum Pompeium ab amicis discedere. *Ad omnia tua*] Perspicue Tornæsianus & Crusellinus, *ad omnia tua*, vt edidi. *Ait hic sibi Iuliam*] Interpungi debet post *Iuliam*. est enim ἀποσιώπησις. explicate dixisset, hic ait Iuliam sibi velle nubere. *Fere constitutum enim*] Antea hic legebatur *ferre*, cuius loco, auctore Crusellino, reposui *fere*. dicebat enim Q. Cicero prope constitutum esse discidium inter Iuliam & eius virum. *Sed quorsus*] Manutius ex coniectura, *quorsus*: quæ liquida est scriptura Decurtati. *De ore, & patre.*] Videtur his verbis nescio quid turpe & obscœnum indicasse. qua de causa mox

ſubijcit, *et ſi ἐβδελυττόμην, negaui putare me illa eſſe vera.* ſic enim concepta ſunt hæc verba in Tornæſiano & Cruſellino. *Hoc eſt enim*] Hæ tres voces includendæ ſunt παρενθέσει. ΟΥ πειρᾶ τοῦτον] Veteres libri, ΟΥ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟΝ. emendaui, οὐ πειρᾶ τοῦτον. ſignificat enim Iuliam non appellare & ſollicitare Quinctum, vt ſe vxorem ducat. Obſeruandum eſt πειρᾶν hic de muliere dici, quæ virũm interpellet, cũ ſæpius de viris mulieres de ſtupro appellantibus vſurpari ſoleat. Ariſtophanis interpres πειρᾶν τὸ προσβαλεῖν τῇ γυναικὶ περὶ ἀφροδισίων. vnde illud ex Pluto eiuſdem Ariſtophanis πειρᾷ μὲν ἴσως σε. *Vidiſſe*] Codices impreſſi, *audiſſe*: noſtri manuſcripti, *vidiſſe*; vt excudi iuſſimus.

IN LIBRVM XVI.

IN EPISTOLAM I.

Poſtridie iens ad Brutum] Scripſi ex Tornæſiano & Decurtato, *poſtridie iens ad Brutum in Neſidem*, reiecta vulgata lectione, a qua aberat aduerbium *poſtridie*. *In Neſidem*] *Neſidem*, quarto caſu habent antiqui noſtri, quos ſequuti ſumus. Ibat in Neſidem Cicero, vbi Brutus erat, vt apparet ex epiſtola 4. huius libri. *Dij hercule iſtis*] Legendum ex Cruſellino, *Dij hercule iſtis*. imprecatio eſt aduerſus eos, qui ludos Bruti proſcripſerant Nonis Iulijs, non vero Nonis Quinctilibus. Sic quoq; loquutus eſt epiſtola 10. huius libri, *O quales tu ſemper iſtos! itane in D. Brutum? Dij iſtis*. *Sed ſtomachari*] Nihil opus eſt vt nunc ſtomachemur. alias enim ſatis nobis erit temporis ad eam rem. totum enim diem ſtomachari licet. ΕΤΙ ἐῶμεν] Veteres codices ΕΤΕΩΜΕΝ. putaui vnicam litteram deeſſe, & legendum ἔτι ἐῶμεν? id eſt, adhuc ne ſinimus & patimur iſto fieri? Si quis tamen malit legere, & ἐῶμεν? id eſt ſetſam ſinimus? non valde pugnabo. ſed illud alterum magis placet. *Pro certo habebatur, haud arma*] Ex Cruſellino edidi, *De Sexto, pro certo habebatur, haud arma*. quæ oratio eſt ἐλλειπτική, ac quæ in ea deſunt ita ſupplenda, pro certo habebatur Sextum haud arma ſumturum. Idem Cicero ſignificarat epiſtola vltima libri ſuperioris, cũ ſcriberet: *Sextum ſcutum abijcere nolebam*. *De* CCX.] Cruſellinus vulgatam lectionem confirmat: Tornæſianus vero hanc ſummam ita refert,

refert, *De* CCCCX. *Ouius enim recens*] Recte Lambinus ex Tornæsiano emendauit, *Ouius enim recens: is multa quæ vellem:* quam lectionem etiam edit Cruſellinus. Senſus autem eſt, Ouius recens Athenis venit. is multa narrat quæ vellem. *In mandatis ſat abunde*] Vulgata lectio mendo caret. ἀρκούντως enim dictum eſt, *ſat abunde*; vt etiam poſtea, *ſatis eſſe, affatim prorſus*. Tornæſianus mendoſe habet, *ſit abunde*.

IN EPISTOLAM II.

Alteram a Bruti] Legendum ex Cruſellino, *alteram a Bruti:* nam ἀπὸ κοινοῦ repeti debet, *tabellario*. *Vt eſſet qui Hortenſio*] Edidi ex Tornæſiano & Cruſellino, *vt eſſet qui Hortenſio*. vt eſſet, inquit, qui reſponderet Hortenſio petenti. *Equiribus*] Inepte vulgo legitur, *equitibus*. ego, *Equiribus*, reposui: qui dies eſt feſtus, a curſu equorũ, vt ait Varro, nominatus. eo enim die equi currebant in campo Martio. Ouidius gemina Equiria fuiſſe refert; altera quæ menſe Martio agerentur, altera quæ Aprili. De primis hic Cicero verba facit. notandum vero eum alios faſtos ſequutum fuiſſe quam Ouidium. nam quæ Ouidius pridie Idus Martias attribuit, ea ille ipſis Idibus. Sed de huiuſmodi faſtorum variatione plura antea ſcripſimus. *In plaudendo*] Legendum, vt eſt in meis, *in plaudendo*. *Furcilla extrudimur*] Lambinus primus hic ex Tornæſiano emendauit, *furcilla extrudimur*, & quidem recte. ſic etiam legitur in Cruſellino. *De AEbutio*] Excuſi codices, *De C. Metio*; Tornæſianus, & Cruſellinus, *De AEbutio*. *Si de rebus*] Reposui ex Cruſellino, & Tornæſiano, *ſi de rebus minus neceſſarijs*, hoc ſenſu, ſi de rebus minus neceſſarijs ſcribes, mittito litteras, vbi nactus fueris aliquem, qui ad me veniat: ſi vero aliquid maius erit, domo mittito, id eſt, aliquem ex tuis nominatim in eam rem mittito. *Notentur eclogarij*] Eclogarios vocat, qui ex libro, qui recitabatur, κατὰ τάχος excipiebant, quæ maxime obſeruatu digna videbantur. eclogæ ſunt quæ inter legendum aliquis in ſuum vſum deligit & decerpit, vt ſunt præcipua librorum capita. huiuſmodi ſunt quæ hodie extant Cteſiæ, & Polybij eclogæ. Cicero obſeruari vult eclogarios, ne ex libro de gloria eclogas decerpant.

IN EPISTOLAM III.

Magis & magis] Auctor mihi fuit Cruſellianus vt ita ederem, *magis & magis delectari:* quo loquendi genere idem vſus eſt libro 14. *Itaq; de Gracia quotidie magis & magis cogito.* *Attributione nomina*] Manutius & alij quidam legunt, *& attributio mihi nominum ignota:* quam lectionem facile ſequutus eſſem, ſi eam veterum librorum auctoritate niti vidiſſem. ſed omnes ſummo conſenſu referunt, *& attributione mihi nomina ignota.* eadem tamen eſt vtriuſq; lectionis ſententia. etenim ignota ſibi fuiſſe ſcribit nomina quod ad attributionem attineret, quia neſciebat quæ dies præſtituta eſſet eorum ſolutioni. nam attributio hic eſt deſtinatio ſolutionis in certam diem. idem auctor prima epiſtola huius libri, *Ait enim attributionem in Idus; ſe autem vrgeri acriter.* *Ad Balbum*] Balbũ delegare Ciceroni voluerant Dolabella & Faberius, vt apparet ex epiſtola 11. & 29. lib. 12. & fortaſſe, ſequuta ex aliqua parte delegatione, Balbus, vt ſatisfaceret Ciceroni, ei quædã nomina attribuerat. ea de cauſſa ſubijcit Cicero ſe ad eum ſcripſiſſe, vt ſi attributa nomina non concurrerent, ipſe ſubueniret. *Concurrerent nomina*] Dies nominum mihi attributorum non quadraret cũ ea die, quæ præſtituta eſt ijs nominibus, quæ ipſe feci, diſſoluendis; ſed aliquanto longior eſſet. *Abſentem ſuauiari*] Addidi vocabulum, *abſentem*, ex fide Tornæſiani & Cruſellini, quum id a vulgatis abeſſet.

IN EPISTOLAM IIII.

Dixi quid videretur] Ita erat in Tornæſiano & Cruſellino, *dixi quid videretur:* quam lectionem edidi. *Eteſijs vetemur*] Manuſcripti noſtri, *& eſtis*; vnde recte Lambinus reposuit, *Eteſijs.*

IN EPISTOLAM V.

Quod quidem me minime] Vulgati, *qua quidem.* noſtri omnes, *quod quidem:* quod probauimus. *Etenim circunſpice*] Ludit in verbo, *tenet.* circunſpice, inquit, an quiſquam, manu mihi iniecta, me teneat. a te igitur ſolo teneor. *Sed ante erubeſco*] Si me circumſpicies, ne me in os intuere. nam ante, id eſt, anteriori parte ſpectatus erubeſcere ſoleo. itaq; timeo ne, ſi a te in os aſpiciar, mutatio illa vultus mendacij

dacij me quodammodo arguat, tuq; dicas me a te non teneri. Vulgo dici solet mendaciũ mutatione vultus prodi. *Lepidi lepide descripto*] Lego ex Crusellino, vt Lambinus emẽdauit, *O dies in auspicijs Lepidi lepide descriptos!*

IN EPISTOLAM VI.

Sed id satis superq;] Post *superq;*, defixo puncto remorãdus est cursus orationis. nam quæ mox sequuntur, *tecum me non esse?* cum interrogatione legi debent. *Quid fugientem?*] Præscribentibus Tornæsiano & Crusellino edi iussi, *quid fugientem? periculumne? id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. Bella reliqua reliqui*] Ita conceptus erat hic locus in Tornæsiano & Crusellino, *bella reliqua reliqui*. quæ lectio integrior est vulgata, a qua vox *reliqua* abest.

IN EPISTOLAM VII.

Nisi Vt præsens] Edidi, *nisi Vt præsens*, auctoribus ijsdem illis libris. non tamen reijcio vulgatam lectionem, *nisi quod præsens.*

IN EPISTOLAM VIII.

Vel Capuæ] desiderabantur in vulgatis hæc verba, *Vel non longe a Capua*, quæ ex Tornæsiano & Crusellino restitui. mox ex eorundem librorum fide cum Manutio reposui, *legionem sub signis ducere. Romam ne Venio, an hic maneo*] Verba sunt dubitantis, & incerto animo fluctuantis quid facturus sit, an Romam venturus, an in Pompeiano, vbi erat, mansurus, an fuga se se recepturus Arpinum, qui locus tutus esse videbatur. *Romam; ne desideremur*] Mihi potius, inquit, videtur vt Romam eam. hoc erat consilium Ciceronis. dubitabat tamen adhuc.

IN EPISTOLAM IX.

Mihi non firmas copias habet] Tornæsianus, *si firmas copias habet*. sed vt a vulgatis, sic etiam a Crusellino abest particula *si*, & recte quidem.

IN EPISTOLAM X.

VI. *Kal.*] A vulgatis abest vox *Kal.* quam in meis manuscriptis reperi, ideoq; in meum exemplar transtuli.

IN EPISTOLAM XI.

Ex quo ἄνθη ipsa] Legendum, vt recte Lambinus emendauit, *ἄνθη ipsa*. nam librarij vitiose Latinis litteris scripserunt *ante*, pro *ἄνθη*. *At st, agre me tenui*] Veteres libri, *ast agre me tenui*. reposui, *at st, agre me tenui*. st particula est qua

silentium indicitur, sermoq; loqui volentiũ reprimitur. Terentius, *quid? nonne is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? C. st. S. quid has metuis fores?* Itaq; quia vix Cicero se se represserat, mox addidit, *ægre me tenui.* *Sine* ὕθλῳ] Nostri omnes, *sine vllo.* puto Ciceronem scripsisse, *sine* ὕθλῳ: hoc est, sine nugis & garrulitate Lucilliana. hoc enim vitio valde laborasse Lucilliũ testis est locuples Horatius. ὕθλος, inquit Hesychius, φλυαρία, μωρία, ληρότης, φλυαφία. Plato libro primo de Republica, ὡς ἐγὼ οὐκ ἀποδέξομαι, ἐὰν ὕθλους τοιούτους λέγῃς: & in Theæteto, ταῦτα μὲν γάρ ἐστι ὁ λεγόμενος γραῶν ὕθλος, ὡς ἐμοὶ φαίνεται. *Illis triumviris*] Iocus est in voce Triumviris, qua nõ modo significauit ternos præfectos agris diuidundis, aut Triumviros capitales, aut Monetales, aut nocturnos, sed etiam trium mulierum viros. *Facete ni sit*] Emendaui, *facete ni sit*, cum scriptum legissem in Tornæsiano, *facete nisi.* moriar, inquit, nisi sit facete dictum. *Eodem iure quo Rubriana*] Antonius multa subiecerat Romæ testamenta, quibus heres scribebatur. in ijs fuit testamentũ L. Rubrij, cui ne notum quidem illum fuisse tradit Cicero Philippica secunda. sed & in prædia quædam inuaserat Q. Metelli Pij Scipionis, vt Philippica 5. refertur. ideo cum Philippica secunda sic initio Cicero scripsisset, *Ab hac perturbatione religionum aduolas in M. Varronis sanctissimi atq; integerrimi viri fundum Cassinatem; quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in Scipionis, quo in heredum L. Turselli prædia:* admonitus postea ab Attico illud de prædijs Scipionis non satis apposite cum alijs facinoribus Antonij, quæ ibi commemorantur, coniungi, mandauit ei, vt pro *Scipionis*, reponeret, *Rubriana.* & sane hodie eo loco non *Scipionis*, sed *L. Rubrij*, legitur. *Ter contra ciues in acie*] Hæc referenda sunt ad ea verba Philippicæ secundæ, *ter depugnauit Cæsar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus adfuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit; si de meo iudicio quæris, nollem. sed tamen consilium a principio reprehendendum, laudanda constantia.* Præuertit me Lambinus in his notandis, cũ ea primum a me accepisset. *Indignissimum est*] Vulgati libri, *indignius esse.* sed potius credendum Tornæsiano & Crusellino ita referentibus, *indignissimum est.* vult enim Cicero corrigi hęc verba

e secunda

e secunda Philippica, *quid indignius, quam viuere eum, qui imposuerit diadema, cũ omnes fateantur iure interfectum esse qui abiecerit?* vult, inquam, in his verbis pro, *quid indignius*, substitui, *nonne indignissimum est*. ac certe vidi vetus Philippicarum exemplar, vbi exaratum erat, *nonne indignum est*; quamquam id ipsum vitiose. nam pro *indignũ*, scriptum oportuit, vt hic iubet Cicero, *indignissimum*. *Quæ exspecto*] Victorianus & vulgati, *quem exspecto*. nostri veteres, *quæ exspecto*. & sane κεφάλαια exspectabat. *O quales tu semper istos!*] Quales, id est, quam exitiosos Reipublicæ tu semper existimasti istos, qui ore & vultu se bonos viros fingunt & eorum amantes, qui Rempublicam a tyrannide vindicare conantur, cum re ipsa acerrimi sint extincti tyranni & eius actorum defensores. *Itane in D. Brutum?*] Itane in D. Brutum aliquid isti machinantur? *Dij istis*] Scripsi ex Crusellino, *Dij istis*. Dij, inquit, istis male faciant. sic epistola prima huius libri, *Dij hercule istis*. *Neq; Torquati*] Recte Crusellinus, *negotiolo stiturum puto*: neque, inquit, me puto stiturũ Torquati negotiolo, vt ei præsto sim quemadmodum pollicitus fueram. sistere se negocio dicitur, vt sistere se iudicio.

IN EPISTOLAM XII.

ΠΟΝΟΥΜΑΙ *enim*] Tornæsianus, & Huraltinus, *bonũ enim*. Victorius ex coniectura, *bonum animum*; Crusellinus, *pono vni enim*. puto Ciceronẽ scripsisse, πονοῦμαι *enim*: quod est, molestia & labore conficior, quod a te absum.

IN EPISTOLAM XIII.

VI. *Idus cum ante lucem*] Scripsi, vt erat in Crusellino, VI. *Idus*: quam lectionem idem auctor confirmat epistola decima huius libri. eam enim scribit se dedisse VI. Idus mane in Sinuessano. sed hoc iamdudum animaduertit Corradus. *Ad pontem Tirenum*] Nolui ab antiqua lectione nostrorum manuscriptorum recedere, in quibus erat, *ad pontem Tirenũ*. Vulgati, *ad pontem Tiretiũ*. ΠΑΡ' ἠνεμόεντα Μίμαντα] Eleganter Psyriæ insulæ situ ab Homero descriptum accommodat insulæ Arpinatis positioni. nã vt Psyria media interiacebat inter Chium insulã, & montẽ Mimantẽ, sic hæc Arpi-

nas inter Apenninum, & viam Appiam. itaq; Mimantis nomine Apenninum significauit, quem Minturnis Arpinum proficiscentes dextrorsum habent, vt sinistrorsum viam Appiam. monuerat autem Atticus Ciceronem, vt cum e Campania Romam rediret, non recta, hoc est, via Appia, propter Antonium, sed per insulam Arpinatem, relicta sinistrorsus Appia, iter faceret. Ideo initio huius epistolæ ait in ponte Tireno, qui Minturnis erat, flexum fuisse ad iter Arpinas; & epistola 10. se venisse a Minturnis Arpinum versus. *Et via ἀμάρα*] Vulgati codices, *via inepta:* Tornæsianus, *via mata:* Crusellinus, *via amata:* lego, *via ἀμάρα.* significat enim Cicero sic aqua viam stagnasse, vt instar cuiusdã ἀμάρας fuerit. est autẽ ἀμάρα sulcus, siue incile, quo aqua in hortos pratave ducitur. Pollux δι' οὗ κὴ ὕδωρ φέρεται ἀμάραι, ὑδροῤῥόαι, ὀχετοὶ, σωλῆνες: & Hesychius ἀμάρα αὖλαξ, ἡ ἐν τοῖς κήποις ὑδροῤῥόη. *Quibus Censis.*] Prisci manuscripti, quos habui, *quibus Censoribus recte.*

IN EPISTOLAM XIIII.

Quinctus aui tui pronepos] Crusellinus, *Quinctus aut tui pronepos:* emendaui, *aui tui pronepos.* nam Quinctus filius matrem habuit sororem Attici. itaq; pronepos erat aui matris suæ Pomponiæ, auiq; Attici. *AEdem Opis explicaturum*] Ex voce *ædem*, conijci potest Ciceronem de Ædilitate Q. filij hic loquutum fuisse. nam Ædiles, vt ait Dionysius, ædes sacras curabant; Ædilitasq; primus erat honorum gradus. Itaq; recte hunc locum Manutius explicat.

IN EPISTOLAM XV.

Nec dubito quin hoc totum] Legendum, vt scriptum reperi in Tornæsiano & Crusellino, *nec dubito, quin hoc totum lenius administraturus sis.* ΣΡΑΤΥΛΛΑΞ *ille*] Lambinus, spreta vetere lectione codicum manuscriptorum, corrigendum censet στρατηλάτης. ego vero veriorem puto priscam scripturam στρατύλλαξ. est enim diminutiuum, vt νέαξ, πλούταξ. Eodẽ ex fonte manauit mulieris nomen στράτυλλὶς, quod apud Aristophanẽ legitur in ea comœdia, quæ inscribitur Λυσιστράτη. HS XXV. *dissoluere*] Expressi scripturam nostrorũ manuscriptorum. Eadem quoq; summa refertur

epistola

epistola 52. libri 12. *Vt fide sua*] Lego ex antiquis nostris, *Vt fide sua*. Cicero filius se fideiussorem eius summæ constituebat pro Montano.

IN EPISTOLAM I. AD PLANCVM.

Egi enim sæpe de ea re tecum] Post vocem *sæpe*, addidi, *de ea re*, vt in nostris legebatur.

IN EPISTOLAM I. AD CAPITONEM.

Totum hoc da] Deerat in editionibus verbum *da*, quod ex Tornæsiano & Cruselliano restitui. Illa vero, *omitte Atticum*, παρενθέσει sunt includenda.

IN EPIST. ALTERAM AD CAPITONEM.

Et res ita est firma] Scripsi ex fide Tornæsiani & Cruselliani, *ita est firma*.

IN VITAM ATTICI A CORNELIO NEPOTE CONSCRIPTAM.

Stirpis Romanæ genere natus] Vulgo mendose, *stirpis Romanæ generatus*: emendaui, *stirpis Romanæ genere natus*. *Vt in neutram partem*] Vt neq; modica conspici posset, neq; multa, sed mediocris.

FINIS.

INDEX EXPLICATIONVM SIMEONIS BOSII.

A
Busio 147
Accredere 84
Acronoma saxa 182
Acta 190
Actio de dolo 6
Ad, pro circiter 3
Admodestior 127
Adnouitius 156
AEdiles 217
Aer desertus 19
AEstimationem dare & capere 156
Alaba 34
Alabarches *ibid.*
Amici 130
Anatocia 73
Anniuersario *ibid.*
Antecedere 120
Ante diem 2
Anteros 119
Arcarij serui 9
Arctim 163
Arpinas insula 216
As in Sextias tributus 90
Asini qui dicerentur 45
Athenio 109
Attributio 213
Auernus lacus 96

B
Alneator 189
Basilica 31
Bene euenire 91
Brutiani *ibid.*
Buthrotij 198

C
Adere 33
Caldus 87
C. Antonius a Dardanis superatus 11
Catilina consulatus petitione frustratus, competitor deinde fit Ciceronis 3
Cato prouinciam sibi delatam reiecit 78
Certus 102 & 143
Cesse pro cessisse 196
Cicero vnde dictus 6
Cillanus 69
Clauus anni *ibid.*
Clisternini colei 202
Clodiorum nomen vnde 16
Cohors pratoria 91
Columnarium 167
Comitia Curiata aut Centuriata a Tribunis haberi non poterant 20
Compages tigni iuncti 1
Constructio 45
Conturbare 86
Cordus 184
Crassus cur caluus dictus 4
Crater 28
Credere 84
Cretio libera 185
Cretio simplex 140
Curius 5
Cyri Antisthenis 162
D
Ardani 12
De, in compositione αὐξητικὸν 115

Desectus

Desictus 173
Delicatus 28
Demalus 197
Demonicus ibid.
Deposita pecunia 75
Des id feras, prouerbiũ 100
Detestari 145
Dextera signum fidei 194
Digamma 114
Diplomata 134
Dodon 39
Doterio 16
Duum viri 27

EAdem aduerbium 136
Eclogarij 21[illegible]
Edictum de pactis conuentis 78
Epicharmi senarius restitutus 8
Equiria 212
Exartuatus 91
Exlibratus ibid.
F. id est, filius 76
Facultas auri 150
Fabæ Dijs inferis dicatæ 17
Fasti Romanorũ varij pro ratione temporũ 108 & 116
Fetaliorum dies 108, 110
Festi locus emendatus 10
Fors aduerbium 136
GAbinia lex 74
Gerones 91
Germalum 43
HAEresis 192
Haue 109
Hegesias 152
Hemicillus 187
Hera vrbs Siciliæ 22
Herculeus nodus 104
Hereditariarũ partiũ optio cuius heredum esse debeat 141
Hirundines veris indices 122
Histrionum actio arguta 77
IMi 17
Impetritus 84
Includere 10
Indices 52
Insequa 14
Inualide 128
Inuolgare 22
Iusiu[illegible]andum libertorum 10
K[illegible] Caso 24
Kanus 177

LAcedæmonẽ λαχεῖν 201
Lanuini colei 202
Lanuuium 118 & 202
Lauinium 118
Laternæ lineæ 44
Legati x. rebus componendis 167
Legio Martia 197
Legitimi dies 4
Lex XII. Tab. 10
Lex Gabinia 74
Lex Iulia de æstimatione 156
Lex Iulia sumptuaria 160
Lex Licinia 75
Lex Papia 56
Lex Pompeia de ambitu 119
Lex Scribonia 81
Lex Viaria 81
Lex de continuandis Tribunis plebis 39

Ligurinus Momus 72 & 77
Locatoria prouincia 200
Ludus 117
Lycurgus orator 12

Marinæ aquæ 15
Maßilienses 132
Maximum pro maxime 180
Meridie non lucere 5
Minucia via 111
Moneta 104
Moratus auctor 36
Mysteria Roman. 81 & 207

Nanneij 14
Natura auri 150
Ne particula affirmandi 44
Nemorense Cæsaris 80
Nemus 199
Neoeicasiones 151
Nomen bonum 75
Nominis mutatio 96
Nomi præfectura 67
Non modo pro non modo non 190
Nunquid vis? 60

Obducere 5
Obiratio 85
Oculatus 47
Offendi animi 51
Olympia 177
O magnum 96
Omina ex nominibus 16
Omninumus 70
Opimus reus 54
Opis ædes 217
Oppij 97,98
Oppida Græcorum ad mare sita 82
Orbis genus ludi 29
Ordinaria Comitia 4

Palam 91
Pariare 141
Parochus 165
Pegmata 48
Persice porticus 201
Pindenissa 71
Phædrus Platonis reprehensus a Dicæarcho 181
Pharius nummus 192
Phemius 78
Planguncula 81
Plebis scitus 42
Popilia gens 160
Potis 117
Pragmatici 35
Promonere 50
Publicianus locus 16
Publica tabula in Ærario adseruata 156
Publilia gens 160
Puppa 81

Quadrare 179
Quæstiones Prætoriæ 40
Quinquatrus 116
Quod pro quoad 163

Rauduſculum 48
Recentare 134
Reddere nummos 25
Regium in malam partem. 153
Reticenter 126
Rhoſus Urbs 78
Ruſtici immundi 114

S. id eſt, ſalutem 119
Satisdationes ſecundum mancipium 59

Scæuola cognomen Trebatij 120 & 174
Scæuola Cordus 183
Scriptura 34
Selicia 59 & 204
Septima 12
Sequo sequis 14
Serperastra 93
Sex. Clodus Rhetor 50
Solutio ex arca 9
Sopolis 55
Sors 154
Spissum 136
Sponsus 155
Sponsores non excussis debitoribus; an appellarentur 10
St particula 168 & 214
[illegible]are 33
Suada 161
Succones 97
Sufenas 51
Summœrius 124
Suspiratus 19
Suus pro ἐμαυτοῦ 128
[illegible]spira 26

Tagax 85
Teucri 12
Teucris 11
Thermus vnde dictus 6
Toculliones 23
Tortorium 90
Tromentina Tribus 53
Tyrotarichus 47

Vacationes 62
Vallus quasi varillus 66
Vari ibid.
Varones ibid.
Veientina Tribus 53
Velia 98
Versu[illegible] legibus Romanis c[illegible]ita 74
Vinulus 54
Vinum repudij caussa 147
Vnci 90
Vniuersim 106
Vsucapio nulla rerum pupillarium 9
Vt vt 125

Zaleucus leges scripsit Locris 79

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN

Index Græcorum verborum ab eodem Bosio explicatorum.

Ἀγών 190
ἀκηδεία 58
ἀκραὴς 135
ἀκρωτήρια 68
ἄθυρα 209
ἁλωτὸν 133
ἀμάρα 217
ἀνθρακεὺς ὁ γναφεὺς *prouerbium* 199
ἄντα 29
ἄνω κάτω 64
ἀτισία 194
Βαθύτης 47
βούτρωτος 198
γοργεῖον 55
γραμμὴ ἡ ἔσω 49
Δηλοὶ 132
δέχεσθαι δεῖ τὰ διδόμενα *prouerbium* 87
Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ *prouerbium* 113
δικροῖς ὠθεῖν 108
διφθερίαι 175
δυσεξίμητος 64
Ἐκμαγεῖον 124
ἐκπίπτειν 33
ἐκτρόποιμος 153
ἐν κενῷ 205
ἐπέχειν 65
ἐπίκωπα *ibid.*
ἔτω ἔπεις 14
ἔσται μὲν εὖ 92
εὐάγωγος 174
εὔπιστος 148
Ἰλιὰς κακῶν 197
ἴυγξ 96
καμπαὶ 13
κανοῦς 178
κατακλεὶς 121
κατάτασις 25
καῦσος 196
κέλης 134
κεπφοῦμαι 183
κίλλος 69
κοχώνη 202
κτύπος 149
κυβίζειν 177
Λακωνίζειν 202
λαλαγεῦσα 121
λόχος 44
μίας 136 & 184
Μίμας 21
μυῖα ὅση *prouerbium* 164
Νήφειν 21
Ξεστὸς 163
Ὀπὸς 97
ὀτλεῖν 132
οὔριος 67
οὐ ταὐτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ *prouerbium* 195
παροχὴ 165
πάρωρα 132
πειρᾶν [illegible]
πεντέλοιπος 195
πίπτειν 33
πονοῦμαι 216
πτῶσις 33
Ῥοιζόθεμις 191
Σημεῖα 178
σοφιστεύειν 113
στρατύλλαξ 217
σωτηξις 129

τιθήνη	131	φαλάκρωμα	189
τρὶς	51	φαλακρώτερος εὐδίας	188
τρισάρειο παγίται	*ibid.*	φίλος οἶκος ἄριστος *prouerbium*	48
ὕθλος	215	φιλοτέχνημα	182
ὑλλεῖν	176	φυρᾶν	86
ὑπόστασις	24		

FINIS.

I. 1982







sum: sana m
ossa mea. E
et tu dñe usq
pe animā me
cordiā tuā.
mor sit tui: n
tibi: Labo
per singulas
meis stratū
a furore oculi

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13880